UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In quâ tractatur de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, ac Sacrificio Missæ, ...

Bosco, Jean a

Lovanii, 1667

Disputatio IV. De Avgvstissimo Evcharistiæ Sacramento.

urn:nbn:de:hbz:466:1-73377

Visual Library

DISPUTATIO IV.

DE AUGUSTISSIMO

EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

POSTQUAM egimus de Baptismo, quo regeneramur, & de Confirmatione, quâ roboramur, sequitur hîc agendum de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quo nutrimur, & in bono consummamur, dicente Florentino in Decreto Unionis: *Per Baptismum spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati nutrimur divinâ Eucharistiæ alimoniâ.* 1. *Florent.*

Unde excellenter hoc Sacramentum *Eucharistia* dicitur, id est, bona gratia: quia in hoc Sacramento non modò est augmentum virtutis & gratiæ, quemadmodùm in cæteris, quæ consistunt in usu, sed realiter continetur, & ille totus sumitur, qui est fons & origo totius gratiæ Dominus noster Jesus Christus verus Deus, atque homo. Hoc Sacramentum dicitur Eucharistia, id est, bona gratia.

Alii dictum volunt *Eucharistiam*, id est, gratiarum actionem, & meritò; tum quia ipse Christus instituens, gratias egit, sive (ut Græca) Eucharistizavit: Luc. 22. versu 17. *Et accepto calice gratias egit.* Et versu 19. *Et accepto pane gratias egit*: tum quia nos illud in gratiarum actionem sumere, & offerre debemus. vel gratiarum actio. *Luc. 22.*

Appellatur etiam Communio, Græcè Synaxis, quippe, ut ait Tridentinum sess. 13. cap. 2. in fine, *Pignus est futuræ nostræ gloriæ & perpetuæ felicitatis: adeòque symbolum unius illius corporis, cujus* Christus *caput existit, cuique nos, tamquam membra arctissima Fidei, Spei, & Charitatis connexione, adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata. Quoniam* (teste Apostolo 1. Cor. 10. vers. 17.) *unus panis* (Eucharisticus) *unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Appellatur etiam Communio græcè Synaxis. *Trident.* 1. *Cor.* 10.

Item viaticum; Et quoniam datur morituris, non incongruè Viaticum intitulatur, utpote viam sternens, & vires transituris ad alteram vitam suppeditans.

aliaque nomina ei appropiantur. Alia multa nomina à Doctoribus huic Sacramento appropriantur, partim ex ipsa materia sensibili desumpta, partim ex usu, effectu, & significatione. Sic quippe vocatur Convivium, in quantum animam replet & satiat. Panis vivus, quatenus animam reficit, & in vita custodit. Sacrificium, Hostia & Victima, in quantum est rememorativum Dominicæ Passionis, & Deo in holocaustum offertur &c. Vide Suarium ad quæstionem 73. art. 4. Venio ad institutionem, & essentiam, pro quibus erit

Suarez.

SECTIO PRIMA.

De Institutione, & Essentia Eucharistiæ.

2.

Descriptio Eucharistiæ, ex Scoto, RAtio nominis *Eucharistiæ*, inquit Doctor Subtilis 4. dist. 8. q. 1. n. 2. *secundum communiter utentes, vel loquentes de Eucharistia* (ut est Sacramentum) *potest esse talis: Eucharistia est Sacramentum Corporis Christi & Sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis, & vini post consecrationem factam à Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis, ex institutione divina veraciter signans Corpus Christi, & Sanguinem sub eis realiter contineri.*

ejusque probatio, Porrò quòd ista ratio non est in se falsa, probat Scotus supra; *quia nulla pars repugnat alteri. Possibile enim est sine contradictione Corpus Christi contineri sub specie panis, & Sanguinem sub specie vini..... Possibile est etiam ista signa instituta esse à Deo ad significandum veraciter illa signata sub eis contineri: quia quod Deus potest facere, potest per aliquod sensibile signum impositum signare.*

sumpta ex auctoritate, Et verò ita factum esse probatur auctoritate, & ratione congruâ: congrua, inquam; quia ratio à priori est voluntas Dei seu Christi.

Auctoritas clarissima Matthæi 26. vers. 26.

Matth. 26. *Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, deditq; Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est Corpus meum.* Versu autem 27. & 28. *Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens. Bibite ex hoc omnes. Hic est enim Sanguis meus novi testamenti.*

Marci 14. Marci 14. v. 22. *Et manducantibus illis accepit Iesus panem, & benedicens fregit, & dedit eis, & ait: Sumite, hoc est Corpus meum.* Versu autem 23. & 24. *Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes: & ait illis: Hic est Sanguis meus novi testamenti.*

Lucæ 22. Lucæ 22. v. 19. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur.* Et v. 20. *Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic est calix novum testamentum in Sanguine meo; qui pro vobis fundetur.*

Similiter 1. Cor. 11. *ubi Apostolus* (verba sunt Scoti supra n. 3.) *diffuse determinat de modo perceptionis, & consecrationis huius Sacramenti:* Panis, *inquit*, quem frangimus, *(nos Sacerdotes)* nonne participatio Corporis Domini est? *Et quòd istud Sacramentum sit perpetuò in Ecclesia, ibi ait:* Quotiescumque, *inquit*, panem hunc manducabitis, & calicem bibetis, mortem Domini anuuntiabitis, donec veniat, *supple, ad iudicandum.* 1. Corinth. 11.

1. Corinth. 10. v. 16.

Item 11. v. 26.

Quæris ubi dederit illam potestatem hominibus? Resp. Luc. 22. v. 19. verbis superiùs commemoratis subjiciens: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22.

3. & rationibus congruis. Prima. Rationes congruentiæ assignat ibidem Doctor. Prima; *Congruum*, inquit, *est Christum esse nobiscum in tali signo sensibili, ut magis excitetur quilibet ad reverentiam & devotionem ad Christum, & hoc patet de facto, quòd quasi omnis devotio in Ecclesia est in ordine ad illud Sacramentum; Propter hoc enim clericus maiori diligentiâ persolvit officium divinum in ordine ad Missam. Propter hoc etiam populus devotiùs audit Missam, quàm aliquod aliud officium Ecclesiasticum. Propter hoc etiam singuli cum maiori diligentia confitentur, quando intendunt secundùm ordinationem Ecclesiæ, saltem semel in anno communicare.*

Secunda. Secunda; *Congruum fuit post generationem spiritualem conferri etiam nobis nutrimentum spirituale, & illud magis congruè nobis datur sub similitudine nutrimenti corporalis: nutrimentum autem corporale præcipuum consistit in pane & vino.*

Tertia. Tertia congruitas; *Quòd signum sensibile, sub quo nobis Deus voluit se dare, haberet ordinem ad verba aliqua ab aliquo Ministro proferenda: quia aliter nesciremus, quando in tali signo esset Christus, & quando non, & sic periret reverentia debita & devotio.*

Quarta;

Quarta; *Congruum fuit quòd in prolatione illorum verborum minister esset in Ecclesia excellens, scilicet Sacerdos, per cuius actum ministerialem Christus sic incipiat esse nobiscum.*

Hactenus de ratione nominis. Nunc quæro primò; an illud quod subest rationi nominis, sit verum & propriè dictum novæ Legis Sacramentum? Pro responsione ponitur

CONCLUSIO I.

Eucharistia est verum & propriè dictum Sacramentum novæ Legis, à cæteris omnibus distinctum, eisque præstantius.

ESt facilis & certa. Duæ priores partes definitæ sunt in Concilio Florentino, ibi: *Novæ Legis septem sunt Sacramenta, scilicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia*, &c. & Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. *Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam* &c. *Anathema sit.*

Accedat perpetua traditio, & consensus omnium Patrum, ac aliorum Conciliorum, quæ Eucharistiæ meminerunt, ita ut hæretici quoque, qui nunc vigent, quamvis alia denegent Sacramenta, tamen hoc Eucharistiæ simul cum Baptismo ultro recipiant; tametsi circa materiam, partes constituentes, & virtutem ejusdem variè errent.

Probat Scotus primam partem ratione: *Quia*, inquit, *est signum veraciter repræsentans ex institutione divina: & licet non gratiam accidentalem* (intellige primariè) *tamen effectum aliquem Dei gratuitum, scilicet esse Corporis Christi sub tali specie* (ut patet ex Scripturis superiùs allegatis) *gratia autem in definitione Sacramenti non accipitur tantùm pro gratia accidentali, sed pro effectu Dei gratuito.*

Cæteroquin Eucharistiam significare efficaciter, quamvis secundariò, etiam gratiam accidentalem, apertissimis verbis testatur Christus apud Joannem cap. 6. vers. 50 dicens: *Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.*

Et duobus versibus sequentibus: *Ego sum panis vivus qui de cælo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.*

Rursus v. 54 & 55. *Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis eius Sanguinem non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, & bibit meam Sanguinem habet vitam æternam* &c.

Quid quæso aliud hæc significant, quàm effectum gratiæ sanctificantis in hac vita, & in altera effectum gloriæ æternæ, si in gratia contingat hominem decedere?

5. Objectio.

Sed, inquies, Eucharistia non semper causat gratiam sanctificantem; imò numquam subsistentem, sive gratuitum effectum; ergo saltem aliquando non est Sacramentum.

Prima responsio, quòd causatur Corpus & Sanguis Christi non physicè, sed moraliter.

Respondeo primò; species consecratas continuò efficere Corpus & Sanguinem Christi, non physicè, sed moraliter, quatenus Deus illa ponit, & conservat sub speciebus consecratis dependenter ab illis, de quo infra latiùs.

Secunda responsio, quòd Eucharistia semper causet gratiam in subjecto disposito.

Respondeo secundò: Sacramentum non definiri: *Signum sensibile efficiens gratiam*; sed, *efficax gratiæ*, hoc est, causativum gratiæ in subjecto disposito & applicato. Licèt itaque Eucharistia non semper in actu secundo causet gratiam, sicut nec alia Sacramenta; nata tamen est causare, quin & actu causat, dum subjectum dispositum actu applicatur; sicuti ignis de se calefactivus, tunc solùm actu calefacit, quando subjectum caloris capax applicatur.

Differentia inter Eucharistiam & alia Sacramenta, quod hæc consistant in actione, illa autem sit aliquid permanens.

Equidem hæc est differentia inter alia Sacramenta, & Eucharistiam, quòd illa cum sint successiva, & consistant in actione, non habeant esse, nisi dum applicantur; hæc verò, cùm sit aliquid permanens, rem, & nomen Sacramenti participat, etiam dum actu nemini applicatur. Vide plura disp. 1. sect. 1. concluf. 2.

Scotus,

Hanc differentiam accipio ex Scoto supra n. 5. ibi: *Vltima differentia est in modo essendi istius Sacramenti: quia omnia alia Sacramenta consistunt in usu & in fieri, ita quòd idem est ibi Sacramentum, & perceptio Sacramenti, sicut Baptismus est perceptio Baptismi, nec permanet aliquid quod sit Sacramentum cessante usu tali vel perceptione; sed hoc Sacramentum est quoddam permanens, etiam ante usum.* Subjicit rationem congruentiæ: *Quia*, inquit, *Christus permanenter voluit esse nobiscum: ergo in aliquo signo vel Sacramento permanente.*

6. Aliæ tres differentiæ & excellentiæ hujus Sacramenti. Prima.

Alias tres differentias, & excellentias hujus Sacramenti ab aliis in significando, præmiserat Doctor eodem numero dicens: *Vna est, quia est simpliciter veracissimum in signando: alia enim Sacramenta veracia sunt quantum est ex se, tamen quandoque non habent effectum suum signatum propter indispositionem suscipientis: istud autem numquam caret suo signato.* Supple, primariò, juxta illud ejusdem Doctoris ibidem numero 6. *Eucharistia non est primò signum gratiæ accidentalis, sed subsistentis.* Ubi ly, *Primò* satis innuit Eucharistiam secundò esse signum gratiæ accidentalis.

Secunda.

Pergit Scotus: *Secunda excellentia est; quia quod significat* primò *istud Sacramentum, hoc realiter continet* scilicet Corpus & Sanguinem Christi; *alia non.*

Tertia.

Tertia excellentia est signati per istud: alia enim Sacramenta significant principaliter gratiam accidentalem inhærentem suscipienti, istud autem significat gratiam subsistentem, scilicet verum Corpus Christi ibi existens.

quod etiam ostenditur ex Tridentino.

Hinc est quòd Concilium Tridentinum sess. 13. pluries Eucharistiam appellet *divinum*, *mirabile*, *sacrosanctum*, *sanctissimum* Sacramentum. Hinc cap. 2. ejusdem sess. particulariter asserit, Salvatorem nostrum Sacramentum hoc instituisse, *in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit.*

Et cap. 3. quod intitulatur: *De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua Sacramenta.* Sic dicere incipit: *Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum esse rei sacræ, & invisibilis gratiæ formam visibilem: verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est.* Quis hæc omnia oculatiùs introspiciens dubitare poterit de præstantia ejus ac diversitate?

Prætermitto materiam, & formam distinctam, quam nemo ignorat.

7. Finis Eucharistiæ est nutrire vitam spiritualem.

Addo diversitatem finis. Nam Eucharistia instituta est ad nutriendam vitam spiritualem animæ, non secùs, ac cibus materialis ad nutriendam vitam naturalem corporis, quod nulli alteri Sacramento competit ex propria sui institutione, ut discurrenti per singula facilè constabit, & clarissimè significat Concilium Florentinum in Decreto Unionis his verbis: *Per Florentin.* *Baptismum enim spiritualiter renascimur: per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide: renati autem & roborati nutrimur divinâ Eucharistiæ alimoniâ. Quòd si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam spiritualiter sanamur. Spiritualiter etiam & corporaliter (prout animæ expedit) per Extremam Unctionem. Per Ordinem verò Ecclesia gubernatur & multiplicatur spiritualiter: per Matrimonium corporaliter augetur.* Quid clarius dici poterat?

Sed si à me quæritur, quid sit nutriri divinâ Eucharistiæ alimoniâ; Respondeo facillimè, accipere augmentum gratiæ per modum alimenti.

Nutrit dando augmentum gratiæ per modum alimenti;

Per Confirmationem quidem etiam *augemur in gratia* (verba sunt Florentini) sed per modum Unctionis, quâ, ut loquitur Florentinum, *roboramur in fide*, hoc est, robur & vires accipimus, id est, specialia auxilia gratiæ, ut audacter Christi confiteamur nomen. *Ideoq;*, inquit Florentinum supra, *in fronte, ubi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat.* Inungitur, inquam, Chrismate, ad luctam contra visibiles hostes fidei instar veterum luctatorum, qui oleo parabantur ad luctam.

ideoque instituta sub speciebus panis & vini,

At verò Eucharistiam instituit Christus sub speciebus panis & vini, ut insinuaret particularem hujus Sacramenti effectum esse, alere spiritualiter, id est, eosdem effectus causare in anima, quos cibus naturalis causat in corpore.

8. Ex quo festinè cognoscitur, quòd quàmvis omnia Sacramenta reipsâ augeant gratiam, si inveniant subjectum gratum: hunc tamen effectum proprium esse Eucharistiæ in sensu formali, hoc est, per se & ex vi propriæ significationis.

Enimverò Baptismus per se est regeneratio; Confirmatio, roboratio in Fide; Pœnitentia, reconciliatio; Extrema Unctio tendit ad perfectam sanitatem à reliquiis peccatorum: Ordinatio ad rectum Ordinis usum, sicuti Matrimonium ad dandas vires, quibus onera ejus laudabiliter portentur,

& per se ordinata ad augendam vitam spiritualem per modum cibi,

Porrò Eucharistia per se non ordinatur nisi ad augendam vitam spiritualem per modum cibi ibi sistendo, ita ut illud augmentum intenderet, etiamsi ad aliam operationem non ordinaretur; quamvis de facto ad omnem operationem bonam ordinetur.

Veluti cibus materialis, etiamsi per se habeat augere substantiam viventis, tamen etiam conducit ad operationes; quippe regula sobrietatis est bona corporis valetudo & dispositio ad mentis functiones; dicente Divo Augustino libro de moribus Ecclesiæ cap. 21. *Habet vir temperans in huiusce modi rebus mortalibus & fluentibus* (cibis ac potibus) *vitæ regulam utroque Testamento firmatam: ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ huius, atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet, utentis modestiâ, non amantis affectu.* S. August.

At verò alia Sacramenta tametsi conferant gratiam, tamen in hac non sistunt; sed illam per se ordinant ad aliquam particularem operationem.

9. Et si objicias; cibus in senibus non semper auget, sed plerumque solùm reparat vires: Respondeo animam in hac vita semper esse in statu augmenti, non ita corpus. Deinde quotidie deperduntur partes substantiæ corporalis, quæ debent reparari: durante autem vitâ animæ per gratiam, nihil gratiæ deperditur quoad substantiam, ut communiter docetur in materia de charitate; sed solùm quoad fervorem; ut proinde Eucharistia fervorem charitatis interdum tantùm reparet, substantiam verò semper augeat. Hæc latiùs Card. Lugo disp. 1. de hoc Sacramento sect. 1. Lugo.

quæ vita semper est in statu augmenti,

Ad alia progredior: Et primò quidem ad tempus institutionis hujus Augustissimi Sacramenti.

CONCLUSIO II.

Sacramentum Eucharistiæ Christus instituit ad finem lunæ decimæ quartæ mensis Nisan, quando juxta legis præscriptum, etiam à cæteris isto anno obser-

obſervatu neceſſarium, Agnum Paſchalem comederat.

10. Eucharistiã instituram in ultima Cœna testatur Euangelista.

EUcharistiam, quam Christus Joannis 6. prænuntiaverat instituendam, ab ipso fuisse institutam in ultima Cœna, testes sunt Matt. Marc. & Luc. locis in proœmio Sectionis citatis. Et docet Clemens V. in Concil. Viennensi, ut refertur Clement. unicâ de Reliq. & Vener. Sanctorum, ibi: *Transiturus de hoc mundo ad Patrem Salvator noster Dominus Iesus Christus, cùm tempus suæ passionis instaret, sumptâ Cœnâ, in memoriam mortis suæ instituit summum & magnificum sui Corporis & Sanguinis Sacramentum, Corpus in cibum, & Sanguinem in poculum tribuendo.*

Docet Clemens V. in Conc. Viennens.

Confirmatur auctoritate Concil. Trident. sess. 13. cap. 2. in principio: *Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit.* Siquidem conveniens planè erat, ut qui jam proposuerat cum Discipulis suis esse omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, ut patet ex Matth. ultimo. v. ultimo: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:* ut, inquam, tunc daret se sub specie aliena, quando erat in propria Ecclesiam suam relicturus: imminente utique passione & morte, quam in illius admirabilis Sacramenti sumptione nos præcepit annuntiare, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Quis enim nesciat tunc dicta, & facta magìs imprimi mentibus amicorum, ac firmiùs memoriæ inhærere?

Concil. Trident.

Matth. ult.

11. In Canone Missæ.

Præterea Canonem Missæ, in quo dicitur: *Qui pridie quàm pateretur*; & alia plura testimonia Græcorum Patrum, juxta ac Latinorum, qui omnes concorditer subscribunt huic veritati, tametsi plerique Græcorum antiquorum, ut ait Dicastillo disp. 1. n. 134. maximè Euthymius in cap. 26. Matth. Nicephorus lib. 1. Historiarum cap. 28. Epiphanius hæresi 50. Chrysostomus homilia 82. in Joannem, Theophylactus in cap. 18. Joannis, & innumeri alii, qui prædictos sequuntur, doceant Christum eo anno, quo mortuus est, anticipasse Agni Paschalis celebrationem, comedendo illum die 13. lunæ Martialis, etiamsi cæteri Judæi celebraverint die 14. ejusdem lunæ, juxta legem illis datam Exod. 12. in quo contrariantur nostræ conclusioni, quæ est communis apud Latinos. Pro clariori autem ejus intellectu, & difficultatum occurrentium solutione

Dicastillo.

Quidam Græci doceruntur Christum anticipasse eum Agni Paschalis.

12. Notandum Judæos annos computasse per menses Lunares, ellumque mensem appellasse primum, cujus luna 14. incidebat post æquinoctium vernum, estque apud nos luna Martii: mensem porrò istum vocabant Nisan, ut patet Esther 3 v. 7. *Mense primo, cujus vocabulum est Nisan.* Et eodem mense Ægyptum egressi leguntur. Exodi 12. v. 2. *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.*

Notandum Judæos annos computasse per menses lunares, Esther 3.

Exod. 12.

Notâ secundò, Judæos fuisse solitos incipere suas festivitates à vespere, sive ab occasu solis præcedente ipsum diem festum, juxta illud Levit. 23. v. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.* Ita ut festivitates duas haberent vesperas, unam, quæ præcedebat, alteram, quæ sequebatur.

& inchoâsse festivitatem ab occasu solis præcedente festum. *Levit.* 23.

Et verò nomine *Sabbathi* ibi intelligi omnem festivitatem, colligitur ex contextu, quem vide; & ipso nomine, quod diem requietionis significat; dicente Scripturâ eodem versu: *Sabbathum requietionis est*, quoniam vacandum erat ab operibus servilibus.

Nota tertiò, Judæos diem vulgarem incepisse ab ortu solis; siquidem Christus communi Ecclesiæ sensu dicitur crucifixus circa horam sextam, juxta computum Judæorum, & circa duodecimam, juxta computum nostrum. Cùm igitur nos diem vulgarem computemus à media nocte, sequitur Judæos computasse ab ortu solis.

Et vulgarem diem ab ortu solis.

Unde Matth. 20. Paterfamilias primùm egreditur summo mane, deinde horâ tertiâ, sextâ, & nonâ, denique undecimâ, in qua dicit: *Quid hìc statis totâ die otiosi?* Et illâ horâ conducti, dicuntur tantùm unâ horâ laborasse. Igitur horâ undecimâ erat dies ferè finitus, & per consequens nec à vespera (ut perperam existimat Sotus 4. dist. 9. a. 4.) nec à media nocte; sed ab ortu solis censebatur inchoatus. His notatis.

Matth. 20.

Sotus.

13. Proponitur triplex principalis controversia.

Triplex est principalis controversia hujus conclusionis. Prima de tempore legitimo celebrandi Phase. Secunda de tempore, quo Christus illud celebravit isto anno. Tertia de tempore, quo celebrarunt cæteri Judæi.

Prima de tempore legitimo celebrandi Phase.

Quoad primam; præcipitur hæc solemnitas Exodi 12. vers. 6. his verbis: *Et servabitis eum* (id est, Agnum) *usque ad decimam quartam diem mensis hujus, immolabitq; eum universa multitudo filiorum Israël ad vesperam.* Per hanc vesperam intelligit Luysius Legionensis in opusculo quodam, quod inscripsit: *De utriusque Agni typici atque veri immolationis legitimo tempore*, priorem lunæ 14. & posteriorem lunæ 13. communis autem & antiqua sententia priorem lunæ 15. & posteriorem lunæ 14.

Per vesperam Exod. 12. Luysius intelligit priorem lunæ 14.

14. Fundatur primò. Secundò.

Fundamenta Luysii sunt. Primum, quia vespera apud Judæos non finem, sed initium diei significabat. Secundum; quia eo tempore immolabatur ab Hebræis Agnus Paschalis, quo primùm in Ægypto fuit ab iisdem immolatus: sed tunc immolarunt illum ineunte decimâ quartâ die; ergo &c. Tertium sumit ex facto Christi, qui, ut supponit ille Auctor cum communi sententia, celebravit Pascha tempore legitimo, & tamen priori vesperâ decimæ quartæ inchoantis lunæ: quippe Christus crucifixus fuit proximo die artificiali post noctem Cœnæ, ut ex Euangelio constat: non fuit autem crucifixus decimâ quintâ die, quia erat festiva & solemnis,

Tertiò.

solemnis, in qua Judæis non licebat judicia exercere; ergo &c.

Primum fundamentum solvitur.

Sed altius debuisset fodere fundamentum Luysius, cui superimponeret molem tanti ædificii. Quod ut manifestum fiat, adhærendo communi, antiquæ, ac veriori sententiæ; Respondeo ad primum fundamentum: gratis omninò asseri, dies vulgares Judæorum incepisse à vespera, & non magis ab ortu solis, Euangelistâ Luca testante Christum crucifixum horâ ferè 6. cap. 23. v. 44. *Erat autem ferè hora sexta*, cùm tamen juxta computationem Luysii, & Soti supra, hora fuisset 18. Igitur dies vulgares unam dumtaxat habebant vesperam, scilicet subsequentem; festivi autem etiam præcedentem.

Luc. 23.

15. Objectio.

At dices; unde constat lunam 14. non fuisse diem festivum, ut proinde non habuerit vesperam præcedentem?

Responsio.

Respondeo; quia in cæteris solemnitatibus aliquid præcipiebatur totâ die observandum; v. g. abstinentia ab operibus servilibus; in die autem lunæ 14. nihil omnino præter immolationem Phasæ ad vesperam.

Et sanè cùm sæpius in eodem capite Exodi, ly *Ad vesperam*, adjungatur alicui diei, semper tamen significat, postremam illius partem: ergo sine ratione in prædicta lege interpretatur hic Auctor priorem.

Exod. 12.

Antecedens ostendo ex v. 18. ubi sic lego: *Primo mense quartâ decimâ die mensis ad vesperam comedetis Azyma, usque ad diem 21. eiusdem mensis ad vesperam.* Intellige utrobique postremam: alioquin vel octo fuissent dies Azymorum, vel tantùm sex, contra Scripturam ibidem v. 15. *Septem diebus Azyma comedetis.* Pro quo

16. Dies Azymorum cum esu agni incepezunt; Mar. 14.

Sciendum, dies Azymorum incepisse cum esu agni Exodi 12. v. 8. *Et edent carnes nocte illâ assas igni, & Azymos panes cum lactucis agrestibus.* Et Marci 14. v. 1. dicitur: *Erat autem Pascha, & Azyma post biduum.* Et infra v. 12. *& primo die Azymorum, quando Pascha immolabant.*

quorum primus & ultimus specialiter dicitur sanctus. Exod. 12.

Adverte præterea; Agnum Paschalem debuisse comedi vesperâ immediatè præcedente primum diem festivum Azymorum, qui etiam specialiter dicitur sanctus ac solemnis, quemadmodum & ultimus: Exodi supra vers. 16. *Dies prima erit sancta & solemnis & dies septima eâdem festivitate venerabilis.*

Levit. 23.

Levit. 23. v. 5. & sequentibus. *Mense primo 14. die mensis ad vesperam, Phase Domini est: & 15. die mensis huius solemnitas Azymorum Domini est. Septem diebus Azyma comedetis, dies primus erit vobis celeberrimus sanctusq;..... dies autem septimus erit celebrior & sanctior.*

Numer. 28.

Num. 28. v. 16. & sequentibus. *Mense autem primo 14. die mensis Phase Domini erit, & quintâ decimâ die solemnitas: septem diebus vescentur Azymis. Quarum dies prima venerabilis & sancta erit..... Dies quoque septimus celeberrimus & sanctus erit vobis.*

Igitur vespera, ad quam incipiebât usus Azymorum, convincitur fuisse finis 14. lunæ, & initium 15. quia ab hoc die usque ad 21. inclusivè septem numerantur dies: octo autem à die 14. Vel si respondeas 21. diem intelligendum esse exclusivè, cùm ex Scripturis allegatis constet primum diem Azymorum fuisse lunam 15. jam non numerantur, nisi sex dies Azymorum.

17. Vespera, ad quam incipiebat usus Azymorũ, fuit finis lunæ 14.

Et certè nisi per vesperam diei 21. acciperetur posterior, frustra dictum fuisset, *Ad vesperam*; quia ad attingendum 21. diem, necessarium erat attingere exclusivè saltem primam vesperam ejus, ut omnibus est manifestum.

Addita est ergo illa particula, *usque ad vesperam*, ut significetur percurrendum fuisse totum 21. diem usque ad finem ejus; quod etiam ipsa particula *Ad* denotare videtur; ut patet ex aliis locis. Levit. 23. v. 32. *A vespera usque ad vesperam celebrabitis Sabbatha vestra.* Et Genes. 30. v. 16. *Redeuntiq; ad vesperam Iacob de agro*, id est, in fine diei. Josue 7. v. 6. *Iosue verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coram Arca Domini usque ad vesperam.*

Levit. 23. Genes. 30. Iosue 7.

Et hæc est perpetua phrasis Scripturæ, ut vespera diei significet absolutè finem diei, & fieri aliquid ad vesperam, significet fieri in fine diei. Ita Suarez hîc disput. 41. sect. 1. contra sententiam Aloysii.

Suarez.

Verùm cùm dicat Suarius; *Necessarium erat attingere exclusivè saltem primam vesperam eius*: interrogabit aliquis: cur igitur minùs verè interpretor Scripturam, si per vesperam intelligo primam inclusivè?

18.

Respondeo; quia ultimus dies comparatur in sanctitate & solemnitate primæ diei; proinde quemadmodum per primam diem Azymorum non intelligimus solam primam vesperam, sed lucem sequentem usque ad secundam vesperam inclusivè; ita quoque per septimam diem intelligenda venit, non tantummodò prior vespera, sed etiam lux consequens usque ad vesperam alteram inclusivè.

Primus & ultimus dies Azymorum inter se cõparantur in sanctitate & solemnitate;

Enimverò solemnitas pro magna parte videtur fuisse abstinentia ab opere servili: quippe continuò additur locis supra citatis ex Levit. & Numer. *Nullum q; opus servile facietis in eo: omne opus servile non facietis in ea.* Præscribitur quoque oblatio, sive holocaustum: *Offeretisq; holocaustum in odorem suavissimum Domino, vitulos de armento duos* &c. Num. 28. v. 27.

19. quæ solemnitas pro magna parte consistebat in abstinentia ab opere servili.

Quis autem credat, Deum pro prima dumtaxat vespera voluisse præcipere abstinentiam ab opere servili; cùm homines non soleant serviliter operari de nocte, sed de die? Similiter sacrificia, excepto Agno Paschali, non leguntur de nocte oblata, sed claro die.

Confirmantur jam dicta pro communi sententia, ex illo Exodi 12. v. 8. *Et edent carnes nocte illâ assas igni, & Azymos panes cum lactucis agrestibus.* Et infra n. 10. *Nec remanebit quidquam ex eo usque mane.*

Confirmantur ante dicta, Exod. 12.

Quod

Quod illud quæso *mane*? Dies certè 15. teste Josepho libro 3. Antiq. cap. 13. ubi aliqui sic legunt: *Mense primo, qui à nobis dicitur Nisan, & à quo annus incipit, & luna 14. sole arietem obtinente, quandoquidem hoc mense ab Ægyptiaca servitute liberati sumus, sacrificium, quod tunc exeuntes feciße diximus, Pascha nominatum, quotannis instaurare lege iubemur, celebramusq; id per sodalitia, nihil è victimis relinquentes in sequentem diem, quæ est 15. & Azymorum festivitas prima.*

Testatur Josephus.

Vel ut alii: *Mense verò Xantico, qui apud nos Nisan appellatur, id est, anni principium 14. luna, sole opposito in ariete, quo mense liberati sumus à servitute Ægyptiorum, sacrificium, quod tunc egredientes ex Ægypto fecerunt, immolare nos annis singulis (quod Pascha dicitur) celebrareq; sancivit. Et utique celebramus illud per Tribus nostras nihil immolatorum in crastinum reservantes. Quinta decima autem succedit festivitas Azymorum, quæ septem diebus celebratur* &c.

Igitur nox illa, de qua loquitur Exodus, immediatè præcedebat lunam 15. Ergo vespera lunæ 14. in qua immolari debuit agnus, secunda erat, & non prima. Quod ut melius intelligas,

10. Solemnitas Paschæ cur instituta? Exod. 12.

Adverte, solemnitatem Phase institutam fuisse in memoriam percussionis omnium primogenitorum in terra Ægypti. Exodi 12. v. 12. *Et transibo per terram Ægypti nocte illâ, percutiamq; omne primogenitum in terra Ægypti ab homine usque ad pecus.* Sequitur v. 14. *Habebitis autem hunc diem in monumentum, & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.* Puta immolatione Agni Paschalis.

Cur festum Azymorum?

Porrò festum Azymorum institutum fuit in commemorationem exitûs filiorum Israël à terra Ægypti. v. 17. *Et observabitis Azyma: in eâdem enim ipsâ die educam exercitum vestrum de terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo.*

In eadem, inquit, *ipsa die*, in qua videlicet comedetis Azyma. Quæ illa? Quarta decima ad vesperam: sic quippe scriptum est vers. 18. *Primo mense quartâ decimâ die mensis ad vesperam comedetis Azyma.*

Si dicas; ad primam vesperam, infero, ergo luna 14. egressus est Israël de Ægypto, cùm tamen Num. 33. v. 3. dicat Scriptura: *Profecti igitur de Rameße mense primo quintâ decimâ die mensis primi, alterâ die Phase.*

Num. 33.

21. Sed contra: quomodò ergo eâdem die? Respondeo, eâdem cæremoniali (scilicet 15. quæ habebat duplicem vesperam, in quarum prima erat solemnitas Phase) diversâ autem naturali sive usuali. At verò in sententia Aloysii diversâ die & cæremoniali, & naturali.

Tribus Hebræorum de terra Ægypti immediatè subsecutus est primogenitorum.

Quemadmodùm ergo exitus Hebræorum de terra Ægypti immediatè subsecutus est (ut statim ostendo ex Scriptura) percussionem primogenitorum; ita quoque festum Azymorum immediatè debuit subsequi solemnitatem Phase, sive immolationem Agni.

Probatur ex Script. Exodi 12.

Antecedens, quia ab Aloysio negatur, probatur ex illis verbis Exodi 12. v. 29 *Factum est autem in noctis medio, percußit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* v. 30. *Surrexit Pharao nocte.* v. 31. *Vocatisq; Pharao Moyse & Aaron nocte, ait: Surgite & egredimini à populo meo.* v. 33. *Vrgebantq; Ægyptii populum de terra exire velociter.* v. 39. *Et fecerunt subcinericios panes Azymos; neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere fmentibus moram.*

22. An fortè dies integer, qui, in sententia illius Auctoris, intercessit inter immolationem Phase, sive percussionem primogenitorum, & egressum ex Ægypto, non erat sufficiens ad panem fermentandum? An qui finit integrum diem, nullam finit facere moram? Quid necesse erat Pharaonem nocte surgere, & vocare Moysen, si integro die volebat expectare ipsorum egressum?

Non est verosimile integrũ diem intercessisse inter comestionem agni & profectionem populi de Ægypto.

Propter hæc non videtur verosimile integrum diem intercessisse inter comestionem Agni, & profectionem populi de Ægypto: sed primo mane (juxta præceptum Domini Exodi 12. v. 22. *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane*) diei 15. omnes filios Israël cæpisse egredi è domibus suis, & convenisse ad civitatem Rameße, indeque circa vesperam ejusdem diei profectos fuisse, & castrametatos in Soccoth.

Suarez.

Et hoc modo, inquit, Suarez supra (quem vide) omnia sunt facilia, nec quidquam reperio, quod huic modo dicendi & describendi rem hanc repugnet.

23. Ex dictis corruit secundum fundamentum Aloysii. Explicatur auctoritas Josephi.

Ex quo corruit secundum fundamentum Aloysii supra. Pro quo etiam nihil facit auctoritas Josephi l. 2. Antiq. cap. 5. aliàs 13. nam ubi una translatio legit: *Illucescente die 14. omnes ad exitum animati sacrificabant*; altera habet: *Instante die*, sive, *cùm instaret quarta decima dies*, id est, hora illius diei, utique vespertina à Moyse prænuntiata, *omnes ad egreßionem tendentes*, id est, necessaria præparantes, *& immolantes sanguinem, domus proprias hyssopi frondibus emundabant.*

Cùmque pertransiisset Dominus percutiens Ægyptios, ipsâ eâdem nocte (in cujus initio Agnum immolaverant) in fine, urgentibus Ægyptiis, post vasa aurea & argentea, aliamve supellectilem mutuò ab ipsis acceptam, circa auroram diei 15. profecti sunt de Rameße in Soccoth. De Rameße, inquam, non quòd in illa particulari civitate omnes fuerint commorati (hoc enim videri posset impossibile propter nimiam multitudinem; erant quippe *Sexcenta ferè millia peditum virorum absque parvulis. Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.* Exod. 12. v. 27. & 28.) sed quòd ad illam omnes statim cœperint confluere, ut ex Ægypto, in cujus finibus sita erat, egrederentur: præterquam quòd aliqui per Rameße intelligant totam terram Gessen, in qua à principiò

Exod. 12.

cipio inter Ægyptios habitaverant, & cujus præcipua civitas erat Rameſſe.

24. Ecce quam debilia duo priora novæ ſententiæ fundamenta. Putas quia tertium erit magis ſolidum? Eſt autem factum Chriſti, de quo eſt ſecunda controverſia principalis hujus concluſionis, & quæritur; an Chriſtus tempore à lege præſcripto celebraverit ultimam cœnam legalem? Affirmat Aloyſius, & nos cum illo, & cum latinâ Eccleſia communiter, contra Græcos pleroſque, qui, ut tueantur Chriſtum conſecraſſe in fermentato, docent, ipſum uno die anticipaſſe eſum Agni Paſchalis contra præſcriptum legis.

Chriſtus non anticipavit eſum Agni Paſchalis.

At gratis planè, ut mox patebit ex ſolutione eorum, quæ pro ipſis objiciuntur, quin & inefficaciter ad intentum: nam ſi anticipaverit eſum Agni; quidni etiam dies Azymorum, qui ſimul inchoabantur? Deinde eſto non: ſaltem in cœna Agni erat panis Azymus, quem proinde facilè potuit aſſumere, etiam admiſsâ duplici cœnâ, & inſtitutione Sacramenti ſub uſuali. Sed audiamus, & reſpondeamus ad objections.

25. Prima ſumitur ex Joannis 13. v. 1. *Ante diem feſtum Paſchæ* &c. Quid inde? Non dicit ante *feſtum*; hoc quippe incipiebat à veſpera præcedente; ſed *Ante diem feſtum*, uſualem videlicet, ſeu artificialem, qui incipiebat luna 15. ab ortu ſolis, eratque primus dies Azymorum, Paſcha appellatus ab immolatione Agni Paſchalis pridie ad veſperam factâ.

Solvuntur objectiones. *Joan.* 13.

Cur primus dies Azymorum vocetur Paſcha?

Teſtis Euang. Lucas cap. 22. ſui Euangelii v. 1. *Appropinquabat*, inquit, *dies feſtus Azymorum qui dicitur Paſcha.* Et libro, quem intitulavit: *Actus Apoſtolorum* cap. 12. v. 3. ait: *Erant autem dies Azymorum.* Et ſubdit verſu ſequenti: *Quem* (Petrum) *cum apprehendiſſet miſit in carcerem ..... volens poſt Paſcha*, id eſt, poſt dies Azymorum, *producere eum populo.*

Luc. 22.

Actor. 12.

26. Objiciunt ſecundò; Joannis 18. v. 28. dicitur de Judæis: *Et ipſi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, ſed ut manducarent Paſcha.*

Joan. 18.

Paſcha non ſemper ſignificat agnum Paſchalem; *Innoc. III.*

Hîc rurſum laboratur in æquivoco: quippe ly *Paſcha* non ſemper ſignificat Agnum Paſchalem lunâ 14. ad veſperam immolandum, ſed etiam aliquando panem Azymum, teſte Innocentio III. l. 4. de Myſter. Miſſæ cap. 4. hiſce verbis explicans hanc Scripturam: *Omnes* (dies Azymorum) *erant ſolemnes, etſi non adeò ſicut primus & ultimus; ſed ad edendum Azyma ſeptem diebus oportebat eos omnes exiſtere mundos. Unde quolibet ſeptem dierum non poterant introire prætorium, ne contaminarentur ſed comederent Paſcha, id eſt, in Paſcha, vel nomine Paſchæ poſſunt & Azyma deſignari.*

Paſcha quinque modis accipitur,

Hanc explicationem Pontificis amplectitur Doctor Subtilis 4. diſt. 11. q. 6. n. 5. dicens: *Ad probationes eorum* (Græcorum) *quas adducunt pro antecedente, patet per unam diſtinctionem poſitam ab Innocentio de Offic. Miſſæ parte 3.* (aliàs libro 4.) *cap. 4. quòd Paſcha quinque modis accipitur. Uno modo pro ſolemnitate dies Azymorum, quæ erat luna 15. Alio modo pro die, in cujus veſpere comedebatur Agnus, quæ erat luna 14. Tertio pro hora immolationis Agni, quæ erat pars diei 14. Quarto pro Agno, qui comedebatur vel immolabatur. Quinto modo pro panibus Azymis.* Scotus.

Et actutum ſubjungit: *Ad propoſitum ſufficit primum membrum diſtinctionis pro ſolvenda auctoritate prima de Ioannis 18. & ſimiliter pro ſecunda auctoritate de Ioannis 13.*

27. Quòd ſi fortè cuipiam minùs allubeſcat interpretatio Innocentii; Reſpondeat cum Divo Auguſtino l. 5. qq. veteris Teſtamenti q. 24. ſuper Deuteronomium, nomine *Paſchæ* Scripturam nonnumquam intelligere alias victimas, ſeu hoſtias, quæ diebus illis Azymorum, præſertim primo & ultimo, ex præcepto legis debebant offerri, ut ſtatuitur Num. 28. verſ. 19. *Offeretiſq; (prima die Azymorum) incenſum holocauſtum Domino, vitulos de armento duos, arietem unum* &c. Et v. 27. *Offeretiſq; (die ultimâ) holocauſtum in odorem ſuaviſſimum Domino, vitulos de armento duos* &c. Idem dicitur 2. Paralip. 30. & 35. Sicuti & Deutero. 16. Ubi victimæ illæ patenter vocantur Phaſe ſeu Paſcha v. 2. *Immolabiſq; Phaſe Domino Deo tuo de ovibus, & de bobus.*

Nomine Paſchæ etiam vocabantur victimæ diebus Azymorum oblatæ; *Num.* 28. 2. *Paralip.* 30. *Deuter.* 16.

Ubi Sanctus Auguſtinus ſupra: *Quid*, inquit, *ſibi vult hoc, quòd addidit boves, cum immolationem Paſchæ de ove tantummodò commendaverit?* Et paucis interjectis: *Quid ergo hîc ſibi volunt boves?* Et reſpondens per interrogationem ait: *An propter alia ſacrificia, quæ ipſis diebus Azymorum ſunt immolanda?* Quaſi diceret: *Propter alia:* et enim aliam reſponſionem ad propoſitam quæſtionem non adducit. Et generaliter loquitur de omnibus diebus Azymorum nullo excepto.

teſte D. Auguſtino,

28. Accedat lib. 3. Eſdræ (qui etſi necdum Canonicus, hâc tamen in re non parvæ auctoritatis) cap. 1. v. 7. & 8. *Et donavit Ioſias in plebem, quæ inventa eſt, ovium, agnorum, & hædorum, & caprarum triginta millia, vitulos tria millia. Hæc de regalibus data ſunt ſecundum promiſionem populo; & Sacerdotibus in Paſcha oves numero duo millia, vitulos quingentos.* In Paſcha, inquam, id eſt, pro ſolemnitate feſtorum Paſchalium, ſicuti Chriſtus 2. Cor. 5. dicitur factus peccatum (v. 21. *Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*) quia pro noſtro peccato oblatus eſt.

& Eſdræ l. 3. cap. 1.

2 *Cor.* 5.

quæ victimæ poterant comedi ab omnibus mundis; *Dicaſtillo.*

Quòd verò illæ victimæ manducari non poſſent ab immundis, poſſent autem ab omnibus, qui eſſent mundi, etiam à multitudine vulgi & populi, conſtat, inquit, Dicaſtillo diſp. 1. n. 146. ex cap. 7. Levit. & 12. Deutero.

29. Dicet fortè quis; nihil tale ibi reperio; non enim in illis locis agitur de victimis Paſchalibus; ſed cap. 7. de ritu oblationis hoſtiæ pro delicto, & hoſtiæ ac victimæ pacificorum: cap. autem

autem 12. de Sacrificiis in genere certo loco exolvendis & comedendis.

Prohibetur quidem immundis esus carnium hostiæ pacificorum cap. 7. v. 20. & 21. *Anima polluta quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis. Et quæ tetigerit immunditiam hominis vel iumenti, sive omnis rei, quæ polluere potest & comederit de huiscemodi carnibus interibit de populis suis.* Attamen cùm hoc sit jus positivum, idque divinum, quis suâ auctoritate hoc extendat ad victimas Paschales?

Respondeo, nec ego, nec alius. Quid ergo? Attende Scripturam Sacram 2. Paralipom. 30. v. 22. *Et locutus est Ezechias ad cor omnium Levitarum, qui habebant intelligentiam bonam super Domino: & comederunt 7. diebus solemnitatis* (Paschalis) *immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum per singulos dies.* Qui habebant, inquam, intelligentiam bonam super Domino: & qui illi nisi mundi?

Quo circa eodem cap. v. 18. & 19. sic legitur: *Magna enim pars Populi de Ephraim, & Manasse, & Issachar & Zabulon, quæ sanctificata non fuerat, comedit Phase, non iuxta quod scriptum est: & oravit pro eis Ezechias dicens: Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum Patrum suorum, & non imputabitur eis quòd minus sanctificati sunt.*

Ex his concludo, Judæos noluisse introire in prætorium, ne contaminarentur, sed ut comederent Pascha, non Agnum Paschalem, quem die præcedenti comederant ad vesperam; sed alias hostias pacificorum, quæ singulis diebus, & præcipuè primo die Azymorum, immolabantur, de quibus edere non solebat anima polluta sub pœna mortis.

30. Non majorem habet difficultatem, quod tertio loco objiciunt ex Joannis cap. 19. v. 14. *Erat autem Parasceve Paschæ.* Ex quo inferunt: ergo quando Christus est passus, Judæi necdum manducaverant Agnum Paschalem, & consequenter Christus anticipaverat.

Respondeo Neg. Conseq. quippe dies Crucifixionis, non transitivè, ut loquuntur, dictus est Parasceve Paschæ, quod, cùm in eo cibi parari possent (Exodi 12. vers. 16. *Dies prima Azymorum erit sancta, atque solemnis, & dies septima eâdem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent*) nullam Parasceven, id est, diem præparatorium, requirebat; sed intransitivè, quasi Parasceve Paschalis, seu Parasceve Sabbathi (in quo non licebat coquere cibos Exodi 35. vers. 2. & 3. *Sex diebus facietis opus, septimus dies erit vobis sanctus, Sabbathum & requies Domini: qui fecerit opus in eo, occidetur. Non succendetis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem Sabbathi*) in quam illo anno Pascha incidebat. Unde Marci 15. v. 42. dicitur: *Et cùm iam serò esset factum, quia erat Parasceve, quod est ante Sabbathum.*

Parasceve utique Paschæ, id est, quæ illo anno erat Pascha; sicuti si solum festum v. g. Corporis Christi haberet vigiliam, in qua hoc anno incideret festum Sancti Joannis Baptistæ, rectè diceretur illa dies vigilia Sancti Joannis, id est, vigilia, quæ nunc est festum Sancti Joannis. Hæc tamen locutio modò non valet, quiâ & ipsum festum Joannis habet vigiliam, quæ proinde intelligitur transitivè, ut sic loquar, per ly *Vigilia Sancti Ioannis*, ut idem sit, quòd dies præcedens festum Sancti Joannis, & non ipsum festum, licèt in vigilia Corporis Christi, occurreret. Ostenditur exemplo,

Confirmatur hæc explicatio ex Joannis 18. v. 39. Ubi Pilatus volens Jesum dimittere, sic populum Judaicum alloquitur: *Est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum?* 31. & confirmatur auctoritate Scripturæ. *Ioan* 18.

Nec satisfacis, si respondeas, per *Pascha* ibi intelligi lunam 14. ad cujus vesperam Pascha immolari oportebat: siquidem loco, ly *In Pascha*, Matth. 27. v. 15. dicitur: *Per diem solemnem.* Et Marci 15. v. 6. *Per diem festum.* Clarum autem est diem 14. nec solemnem, nec festum vocari in sacro eloquio, sed solum diem 15. *Matth.* 27. *Mar.* 15.

Contra, & erit objectio quarta; Judæi consultantes de Christo occidendo dixerunt Matt. 26. v. 5. *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* *Matth.* 26.

Respondeo; etsi Judæi in principio timuerint Christum occidere in festo, postmodùm tamen, oblatâ occasione Judæ, promittentis ipsum tradere sine turbis, mutaverunt consilium, & in die festo occiderunt ad majorem illius ignominiam. Judæi in die festo occiderunt Christum.

Objiciunt V. ipso die mortis Christi Joseph mercatus est syndonem, devotæ mulieres paraverunt aromata ad eum sepeliendum, Judæi contra eum criminaliter processerunt: atqui hæc non licebant in die festo, ergo Christus in illo non est occisus; & per consequens non comedit Agnum Paschalem ad 2. vesperam lunæ 14. quæ festum immediatè præcedebat, sed ad 2. vesperam lunæ 13. adeoque hæc erat lege præcepta, & non illa, inquit Aloysius suprà. 32.

Convenit hic Auctor cum Græcis in die mortis Christi, quem existimat non fuisse diem solemnem seu primum Azymorum propter argumentum jam propositum: discordat autem ab illis in die immolationis Agni Paschalis, quem ipse existimat fuisse lunam 13. ad 2. vesperam; illi autem lunam 14. Quidquid sit de illa die, de qua jam discurrimus, certum nobis est, Christum passum fuisse ipso die festo Paschatis. Paschatis videlicet.

Unde ad argumentum propositum, Respondeo; licitum fuisse illo die facere opera pietatis, prout est ungere, & sepelire, & per consequens emere ea, quæ erant necessaria ad illa opera. 33. in quo licita erant pietatis opera.

Testimonium huic rei perhibet Christus apud Matth. cap. 12. Cùm enim Judæi interrogassent eum: *Si licet Sabbathis curare?* *Matth.* 12.

ut probatur ex verbis & facto Christi.

Ipse v. 11. *Dixit illis: Quis erit ex vobis homo, qui habet ovem unam, & si ceciderit hæc Sabbathis in foveam, nonne tenebit & levabit eam?* Et subsumens v. 12. *Quantò*, inquit, *magis melior est homo ove?* Concludit: *Itaque licet Sabbathis benefacere.* Et ut facto dictum comprobaret, *tunc ait homini* v. 13. *Extende manum tuam. Et extendit, & restituta est sanitati, sicut altera.* Idem constat ex Marci 6. Lucæ 6. ac 13. & Joannis 7.

Porrò si licet Sabbathis benefacere, curare, extrahere asinam cadentem in foveam &c. quantò magis aliis solemnitatibus, in quibus licebat coquere cibos, quod illicitum erat in Sabbathis, tamquam præcipuis festivitatibus?

Item ex facto Tobiæ.

Nonne Sacra Pagina Tobiæ 2. narrat Tobiam in die festo sustulisse occisum, ut cùm sol occubuisset, cautè sepeliret eum? Quis credat Tobiam, qui ibidem vers. 9. appellatur *timens Deum*, contra præceptum legis misericorditer sustulisse mortuum, ut sepeliret? Quod procul dubio etiam clarâ luce feciſſet, nisi obstitisset impetum mortis, quod vix effugerat hujus rei causâ, ut ibidem narratur v. 8. *Iam huius rei causâ interfici iussus es, & vix effugisti mortis imperium, & iterum sepelis mortuos?*

Tobiæ 2.

34. Quod attinet ad accusationem Judæorum; hi, nimiâ invidiâ in Christum excæcati, facilè sibi persuaserunt, esse licitum in die festo, oblatâ occasione, etiam occidere, quem Deo blasphemum, & genti suæ adeò pernicioſum putabant.

Imò verosimiliter non fuit illicitum isto die causam dicere &c.

Adde; verosimiliùs non fuisse ipsis illicitum in die festo causam dicere, & mortem procurare; nulla quippe Scripturæ specialis, vel generalis prohibitio exstat; sed ad summum exequi, juxta illud Joannis 18. v. 31. *Nobis non licet interficere quemquam.*

Joan. 18.

Matth. 26.

Et ideo non rationem festi allegant Matth. 26. v. 5. sed, *Ne fortè tumultus fieret in populo*, tunc vacante, & in civitate existente. Ubi cùm addunt *fortè*, satis significant, si sine tumultu posset fieri, de quo dubitabant, statim fuisse consensuros in Christi captivitatem & mortem. Quâ responsione totaliter evertitur tertium fundamentum Aloysii, & plenariè satisfit argumento Græcorum. Restant tres aliæ objectiones non contemnendæ.

35. Objiciunt ergo VI. Si Christus cœnavit Agnum ad finem lunæ 14. & consequenter passus est in Parasceve, non potuit resurgere alterâ Sabbathi, hoc est, Dominicâ die; alioquin non appareret quomodo juxta suam prædictionem Matth. 12. v. 40. fuerit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus: *Sicut*, inquit, *fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.*

Item 12.

Ostenditur qualiter Christus fuerit in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.

Respondeo Neg. Conseq. etenim sumendo per Synecdochem partem pro toto, facilè invenimus tres dies, nempe diem Veneris, sub cujus finem est sepultus, diem Sabbathi, quo toto fuit in sepulchro, & diem Dominicam, sub cujus initium resurrexit.

De noctibus major est difficultas, quæ tamen haberi possunt accipiendo diem naturalem, in qua involvitur etiam nox, ac proinde, quia tribus diebus naturalibus per Synecdochem fuit in sepulchro, etiam consequenter tribus noctibus, utpote quæ in illis diebus comprehenduntur.

Secundò, & faciliùs, computando diem naturalem, ut promiscuè fit, à media nocte præcedente auroram, usque ad sequentem mediam noctem, sic ut dies artificialis sit medius inter duas medietates noctis: quo casu per Synecdochem habentur tres noctes, prima medietas quâ claudebatur dies Veneris, secunda integra ex duabus medietatibus, una à qua incipiebat Sabbathum, altera quâ claudebatur; tertia medietas noctis, scilicet à duodecima usque ad auroram, à qua incipiebat Dominica.

Septimam objectionem, quæ etiam militat contra Græcos, accipio ex cap. 23. Levit. Ubi n. 15. & 16 præcipitur solemnitas Pentecostes hisce verbis: *Numerabitis ergo ab altero die Sabbathi* (hoc est à secunda die Azymorum, nam prima tamquam festiva etiam dicebatur Sabbathum) *in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas, usque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, id est, quinquaginta dies: & sic offeretis Sacrificium novum Domino* &c.

36. Septima objectio.

Levit. 23.

Jam autem si Christus primo die Azymorum, & feriâ sextâ foret passus, festum Pentecostes sive Quinquagesimæ illo anno non incidisset in diem Dominicum, sed in Sabbathum, id est, septimam diem hebdomadæ; ab illo enim inceperat computatio 50. dierum, quod est contra communem Ecclesiæ sensum, quo indubitanter traditur Spiritum Sanctum descendisse in Apostolos Dominico die.

Prima responsio. Pentecostes isto anno incidit in Dominicum diem; computando 50 dies à 2. die Azymorum exclusivè. *Dicastillo.*

Huic objectioni variè à Doctoribus adhibentur solutiones: ex quibus duas seligo, quas hîc subjicio. Respondeo itaque primò, Pentecosten isto anno incidisse in Dominicum diem, etiam juxta nostram doctrinam computando 50. dies à 2. die Azymorum; sed exclusivè spectatâ, seu eâ non computatâ. Ita Dicastillo supra n. 176.

Hæc solutio facilis, sed sine fundamento in sacro eloquio, ut propterea aliquibus videatur excogitata magis ad fugiendam difficultatem, quàm eam solidè enodandam.

Equidem similem locutionem reperio in Regula nostra cap. 3. ibi: *Et teiunent à festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam verò quadragesimam, quæ incipit ab Epiphania Domini usque ad continuos 40. dies* &c. Praxis autem declarat festum omnium Sanctorum, utì etiam Epiphaniam Domini, exclusivè spectari, seu non computari inter dies jejuniorum.

37. *Baronius. Bellarmin.*

Baronius & Bellarminus existimant saltem eo anno, quo Christus passus fuit, quinquagesimam diem incepisse numerari à 3. die Azymorum, quâ Christus resurrexit; quia 2. dies Azymorum, inquiunt, eo anno fuit Sabba-

Sabbathum, quo non licebat metere manipulum ſpicarum, quem illo die offerre oportebat.

Sed hoc refelli videtur, ait Eximius Dominus Libertus Fromondus in ſuo Commentario ad 2. cap. Act. Apoſtolorum verſ. 1. ex Levit. 23. verſ. 10. Nam ibi dicitur, quòd ex meſſe jam reſectâ ſumeretur ille manipulus, non autem quòd eodem die 2. Azymorum, ſive lunâ 16. deberet reſecari. Verba textûs ſunt: *Cùm ingreſſi fueritis terram, quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem, qui elevabit faſciculum coram Domino, ut acceptabile ſit pro vobis, altero die Sabbathi, & ſanctificabit illum.* Ubi tantùm præſcribitur elevatio faſciculi coram Domino altero die Sabbathi, & ejus ſanctificatio, non autem reſecatio, ut patet.

Deinde, ſicut licebat in templo Sabbathum violare (ut loquitur Chriſtus Matth 12. v. 5. *Aut non legiſtis*, inquit, *in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in templo Sabbathum violant, & ſine crimine ſunt?*) mactando ſcilicet, excoriando, & cremando animalia in Sacrificium, ita licuiſſet Sabbatho manipulum unum ſpicarum metere ad offerendum Domino.

Hinc reſpondeo II. cum Fromondo ſupra; quòd Lucas ait Actor. 2. v. 1. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes* (Græcè in ſingulari numero *Cùm compleretur*, id eſt, cùm dies quinquageſima à Paſchate compleri inciperet, ſive inchoaretur, paulò ſcilicet ante horam diei tertiam poſt ortum ſolis) intelligendum eſſe de Pentecoſte Chriſtiana, ſicut intelligitur Paſcha Chriſtianum, ſive dies Reſurrectionis Chriſti, à qua inclusivè computabatur; quippe eo tempore, quo Lucas ſcripſit Acta Apoſtolorum, à Chriſtianis jam celebrari cœperat. Nec mirùm quòd tunc temporis magna eſſet multitudo diverſarum Nationum in Jeruſalem, ſiquidem Pentecoſte Judæorum immediatè præceſſerat.

Porrò hic ſenſus Scripturæ videtur colligi ex ipſo contextu: nam cap. 1. v. 2. dixerat: *Quibus* (Apoſtolis) *& præbuit ſeipſum* (Jeſus) *vivum poſt Paſſionem ſuam in multis argumentis, per dies* 40. (utique à die Reſurrectionis) *apparens eis* &c. Et infra: *Et cùm hæc dixiſſet* (ſcilicet die 40.) *videntibus illis elevatus eſt* &c. Ergo cùm ſubdit cap. 2. v. 1. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes*, id eſt, numerus 50. dierum, veroſimilius eſt ipſum computaſſe ab illo die, à quo antea computaverat dies 40. ſcilicet à die Reſurrectionis more Chriſtianorum tunc uſitato.

Objicitur VIII. Si Chriſtus luna 14. celebraſſet ſuum Paſcha, poſſet quandoque coincidere Paſcha Judæorum cum Paſchate Chriſtianorum; ſed hoc dici non poteſt; ergo &c. Probatur Major; quia Paſcha à Chriſtianis celebrandum eſt primo die Dominico poſt 14. lunam Aprilis, ſicuti decretum eſt à Victore XIII. Pontifice à Petro in Epiſt. 1. & refertur cap. *Celebritatem* 22. de Conſecr. diſt. 3. atque is dies Dominicus poteſt contingere 15. lunâ; quia luna 14. poteſt contingere die Sabbathi; ergo &c.

Reſpondet Covarruvias lib. 1. Variarum Reſolut. cap. 17. decretum Victoris eſt ita accipiendum, ut à 14. luna ad 21. die Dominico Paſcha noſtrum celebretur, modò dies is Dominicus non contingat, nec 14. nec 15. lunâ; quod ſi contigerit, ad ſequentem diem Dominicam differtur iſthæc ſolemnitas ex D. Aug. (vel quiſquis eſt Auctor) in qq. ex novo Teſtamento c. 84. Hæc ſunt ejus verba: *Omnia enim plena Deus inſtituit, ideoq; à 14 uſque ad 21. his ſeptem diebus Paſcha nobis celebrare conceſſum eſt, ut de his ſeptem aliqui dies à Paraſceve uſque ad Reſurrectionem Domini concludantur, ut neque tertia decima in Paſſione ſit, neque quarta decima in Reſurrectione, aut quinta decima. Nam ante 21. ſecundùm nos, lunam, Paſſio Chriſti ſit & Reſurrectio.*

Prima reſponſio.

Verùm cùm conſtet ex tabula Paſchali nova reformata, Paſcha celebrandum lunâ 15. anno 1900. hinc aliter reſponderi poſſet; nuſpiam Eccleſiam prohibuiſſe Chriſtianis celebrare ſuum Paſcha, quando Judæi celebrant 1. diem Azymorum, ſed dumtaxat, quando celebrant ſuum Paſcha, id eſt, immolant Agnum Paſchalem, lunâ videlicet 14. ad 2. veſperam. Et ideo nunquam luna 14. eſt Paſcha Chriſtianorum; ſed quandocumque luna 14. incidit in diem Dominicum, tranſfertur in diem Dominicum ſequentem, qui eſt luna 21. & ſeptimus Azymorum, æquè ſolemnis, ac primus Azymorum. Si ergo lunâ 21. poteſt celebrari Paſcha Chriſtianorum, cur non etiam lunâ 15?

Secunda.

Hæc ſunt præcipua quæ contra ſententiam Eccleſiæ latinæ communiter objiciuntur. Nam quod quidam aiunt, Chriſtum uno die tempus lege præſcriptum præveniſſe, ut poſſet mori in illa ipſa ſolemnitate immolationis & comeſtionis Agni, qui erat figura Chriſti, nullius eſt momenti; non enim oportet figuram omnino convenire cum figurato.

40. Solvuntur quædam minoris roboris argumenta.

Præterea illo die, quo immolabatur Agnus apud Judæos, inſtituit Chriſtus Sacrificium incruentum, cujus etiam Agnus erat ſymbolum.

Denique & eodem die mortuus eſt, licèt non eâdem horâ, eodem inquam die, ſi non naturali, certè eodem die feſtivo; ſcilicet primo die Azymorum in 2. veſperis, quando in primis veſperis comedebatur Agnus Paſchalis, & ipſe Chriſtus comederat cum Diſcipulis ſuis, ſecundùm quod dicit Euangeliſta Marcus c. 14. v. 12. *Et primo die Azymorum, quando Paſcha* (id eſt, Agnum Paſchalem) *immolabant, dicunt ei Diſcipuli: Quò vis eamus & paremus tibi comedere Paſcha?* id eſt Agnum immolatum in 2. veſperis lunæ 14. quę incipiebant à 2. pomeridiana, & erant primę veſperæ lunæ 15. maximè poſt occaſum ſolis. *Mar. 14.*

Vel, ut legit Euangeliſta Lucas cap. 22. v. 7. & 8. *Venit autem* (id eſt, appropinquabat) *dies Azymorum, in qua* (id eſt, in cujus primis veſperis, vel paulò ante) *neceſſe erat occidi Paſcha.* *Luc. 22.*

Et misit Petrum, & Ioannem dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus, id est, occidite agnum, & assate, ut post occasum solis juxta præscriptum legis comedamus.

41. Enimverò licèt Christus tamquam Legislator minimè istâ lege comprehenderetur: ut quid tamen illam, citra necessitatem, ut ex dictis satis manifestum est, instante morte suâ violasset, qui non venerat solvere legem, sed adimplere verbo pariter & exemplo? Certè occasionem dedisset Judæis ipsum arguendi tamquam violatorem & transgressorem legis Mosaicæ, cujus tamen observator semper quoad vixit, haberi voluit.

Ostenditur ex Scoto quando Christus fecerit Cœnam.

Quòd Christus, inquit Scotus supra, *passus fuerit lunâ* 15. *& per consequens fecit Cœnam lunâ* 14. *probatur expresè per illud Matth.* 26. Prima die Azymorum quæ fierunt Discipuli: ubi vis paremus tibi comedere Pascha? *Et Marci* 14. Primâ autem die Azymorum &c. *Et Lucæ* 22. Venit dies Azymorum &c. *Ex istis patet quòd die Azymorum primâ, scilicet* 14. *lunâ comedit Agnum Paschalem, & hoc iuxta illud Numer.* 28. *quod allegatum est statim* (Quartâ decimâ die mensis primi Pascha erit) *&* 15. *die erit solemnitas, hoc est, primus dies integer solemnis solemnitatis Paschæ, & illâ die passus est Christus: & sic illâ horâ, qua comedi debuit Agnus Paschalis secundùm legem, scilicet* 14. *die mensis primi comederunt Discipuli verum Agnum.* Hucusque Doctor Subtilis.

Quæ cùm ita sint, quid supereſt nisi tertia controversia? De tempore nimirum, quo Judæi illo anno solemnitatem hanc celebraverint.

Sunt qui arbitrantur Judæos illo anno, quia occupati in morte Christi, contra legem distulisse comestionem Agni, usque post ipsius crucifixionem, parùm curantes præceptum divinum, modò illum è medio tollerent, quem gentis & legis suæ existimabant subversorem.

Judæi non distulerunt contra præscriptum legis Agni comestionem.

Sed hæc opinio caret verisimilitudine. Si enim Judas occupatus in traditione Domini sui, tempus invenit comedendi juxta præscriptum legis Agnum Paschalem; quidni etiam invenerint Principes Sacerdotum, Scribæ, & Pharisæi, qui legis Mosaicæ videri volebant observantissimi? Et multò magis reliquum vulgus, penitus inscium eorum, quæ Principes Sacerdotum, Scribæ, & Pharisæi contra Christum machinabantur.

42. *Maldonatus.*

Hâc ergo opinione explosâ, Maldonatus ad illa verba Matth. *Scitis quia post biduum Pascha fiet* (post Lyranum, Jansenium, & nonnullos alios Interpretes Sacræ Scripturæ) putat Christum immolasse agnum lunâ 14. (quæ tunc erat feriâ 5.) ad 2. vesperam, & instituisse tunc Eucharistiam: Judæos tamen ex dispensatione facta à tempore Esdræ, isto anno immolasse sequenti die, scilicet ad primam vesperam lunæ 16. adeoque in die Veneris, idque semper, quoties prima dies Azymorum incidisset in diem Veneris, quam isto anno transtulerunt in Sabbathum, quia isti populo durum erat duo festa immediatè sibi succedentia observare, scilicet Pascha, & Sabbathum.

An ex dispensatione immolaverint ad primam vesperam lunæ 16?

Verumtamen nullum est istius commentitiæ dispensationis vel leve vestigium in Scriptura; quin satis patenter significat, locis statim assignatis, Christum celebrasse ultimam Cœnam, quando necesse erat occidi Pascha. Quomodo autem necesse, si oppositum tunc erat permissum?

Istius dispensationis in Scriptura non apparet fundamentum.

Mirùm foret Josephum, aut Philonem Judæum, diligentissimos ceremoniarum & legum Judaicarum Scriptores, ne vel minimo verbo illam translationem festorum indicare, si tunc temporis fuisset usitata. Immo Josephus lib. 3. Antiquitatum cap. 15. juxta editionem Basile. dicit, tempore Hyrcani festum Pentecostes proximè post Sabbathum incidisse. Verba ejus sunt: *Nam quinquagesima festivitas post Sabbathum instabat, in qua minimè licet nobis, vel in Sabbathis, vel in festo die viam conficere.* *Iosephus.*

43. Cæterùm gratis admissâ illâ translatione festorum, non evitatur inconveniens, ad quod evitandum à suis Auctoribus fuit excogitata. Quippe septima dies Azymorum festiva erat, sicut prima, ut patet ex supra dictis; illa porrò tunc incidisset in diem Veneris proximè præcedentem sequens Sabbathum. Et quidni sicut septima, ita & prima potuerit præcedere?

Hâc quoque admissâ, non evitatur inconveniens, quod evitare intendût sui Auctores.

Etenim in aliis festivitatibus præter Sabbathum, id est, septimam diem hebdomadæ, non erat prohibitum præparare & coquere cibos, ut expressissimè dicitur de die prima & septima Azymorum, Exodi 12. v. 16. *Nihil operis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent.* *Exod. 12.*

In festo quoque Tabernaculorum nihil præcipiebatur, quod in Sabbatho fieri non licebat, & ideo cum eo poterat coincidere.

Confirmatur; quia tempore primitivæ Ecclesiæ, ut referunt Eusebius, Nicephorus, Augustinus, & alii antiqui Scriptores, Judæi lunâ 14. in quamcumque diem incidisset, infallibiliter celebrabant Pascha. Unde hæretici dicti, Quartodecimani, dicebantur Judaizare; quia docebant verbo & facto, Pascha celebrandum esse luna 14. quocumque tandem die occurrisset.

A communi sententia non recessit D. August.

Sanè Divum Augustinum in communi fuisse sententia, colligitur manifestè ex Epistola ejus 86. ibi: *Intermisso autem uno die, cuius vesperâ, postremâ, Dominus Pascha cum Discipulis manducavit, qui finis fuit eius diei, quem vocamus* 5. *Sabbathi*, id est, diem Jovis: *Deinde traditus est eâ nocte, quæ iam ad sextam Sabbathi* (quæ est dies Veneris) *qui dies passionis eius manifestus est, pertinebat. Hic dies primus Azymorum fuit à vesperâ, præcedente, incipiens. Sed Matth. Euangelista, quintam Sabbathi dicit fuisse primam diem Azymorum, quia eius vesperâ sequente futura erat Cœna Paschalis, quâ Cœnâ incipiebat Azymum, & ovis immolatio manducari*, à Christo utique, & reliquis Judæis.

Pauci

Pauci ergo Rabini, qui ante quingentos annos scripserunt, & illius translationis meminerunt, utpote nullius nominis & auctoritatis, nequeunt his probatis & antiquis Auctoribus prævalere.

44. Nec obstat, quòd Joannis 19. v. 31. de illo Sabbatho, quod immediatè subsequebatur mortem Christi, dicatur: *Erat enim magnus dies ille Sabbathi*, puta propter concurrens festum diei primæ Azymorum. Non obstat, inquam; quia Ioan. 19. ly *Dies ille*, non refert Sabbathum unum aliquod singulare, sed universim omne Sabbathum Judæorum, quod singulis septimanis occurrebat, & magnum erat apud Judæos, utpote in quo nequidem poterant coquere cibos, quod tamen in aliis diebus festivis erat licitum.

Colligo ex contextu: *Iudæi ergo, quoniam Parasceve erat* (id est, dies præparationis, qui generaliter præcedebat omne Sabbathum septimanæ) *ut non remanerent in cruce corpora Sabbatho* (scriptum siquidem non ignorabant Deutero. 21. v. 22. & 23. Deuter. 21. *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti appensus fuerit in patibulo, non permanebit cadaver eius in ligno, sed in eadem die sepelietur.* Et quamquam id fieri potuisset, etiam inceptâ solemnitate Sabbathi, utpote nullâ lege prohibitum, equidem indecens videbatur) *erat enim magnus dies ille Sabbathi* (qui universim singulis hebdomadibus particulari requie, etiam à coquendis cibis, celebrabatur) *rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura & tollerentur.* Ecce qualiter locus ille Joannis in nullo præjudicet communi sententiæ.

Neque hinc sententia impugnetur locus Joannis 19. v. 31.

Reliquis, quæ fortè ab aliquibus adhuc possent objici, arbitror supersedendum, quia minoris momenti, vel in præcedentibus soluta, aut certè ex illis facilè solubilia.

Finio, & iteratò affirmo, Christum instituisse Eucharistiam ad finem lunæ 14. mensis Nisan, quando juxta legis præscriptum, etiam à cæteris isto anno observatu necessarium, Agnum Paschalem comederat.

Si autem à me quæritur, an ante, an verò post lotionem pedum; sub cœna legali, an verò sub usuali? Respondeo citiùs:

CONCLUSIO III.

Sacramentum Eucharistiæ Christus instituit post lotionem pedum sub cœnâ usuali, si illam adhibuerit.

45. Non videtur aliquibus certum, Christum præter legalem adhibuisse cœnam usualem.

ADdo hanc limitationem; quia aliquibus non videtur adeò certum, quòd Christus præter cœnam legalem, adhibuerit etiam usualem: nam agnus anniculus apparet ipsis abundè sufficisse prò cœna tredecim, aut circiter, personarum; quòd si quid deesset, id tam parùm fortè fuit, ut non esset operæ pretium idcirco novam cœnam inchoare, sed posset instar appendicis cœnæ legali annecti.

Verùm cùm natura unius hominis pluribus indigeat ad sui satietatem atque nutritionem, quàm alterius; neque nobis satìs constet, imò planè ignota sit indigentia Apostolorum pro isto tempore; si liceat conjecturari, cùm fuerint omnes fortes viribus, corpore valido, ac robusto, aliqui piscatores, alii aliis laboribus assuefacti, credendum est, pluribus indiguisse, quàm uno agno anniculo fortè parvæ quantitatis, idque non solùm per modum appendicis, sed etiam per modum novæ cœnæ, in magnis familiis aliorum Judæorum, secundùm communem sententiam, usitatæ.

Cæterùm, ut ad propositum veniamus, sive Christus illâ nocte unam simpliciter celebraverit cœnam, sive cum aliqua appendice, sive duplicem integram, seu etiam triplicem, secundùm diversas Doctorum opiniones, sive veriùs, conjecturas, imprimis probabiliùs apparet, Eucharistiam fuisse institutam post lotionem pedum, utpote quam, communi calculo Sanctorum Patrum, adhibuit Christus præcipuè ad significandam munditiam animæ, necessariam ad fructuosam perceptionem hujus Sacramenti. Planè ergo conveniens erat, quòd post illam Sacramentum institueret, & sumendum Apostolis porrigeret.

Eucharistiâ institutam post lotionem pedûm,

46. Probatur auctoritate Scripturæ. Ioan. 13.

Sanè postquam lavit pedes eorum, iterum recubuisse Christum, apertus est textus Joannis 13. v. 12. *Postquam ergo lavit pedes eorum, & accepit vestimenta sua, cum recubuisset iterum &c.* Ad quid, nisi ut cœnantibus Discipulis acciperet panem, benediceret, ac frangeret? *Cœnantibus eis* (utique post lotionem pedum) *accepit Iesus panem & benedixit, ac fregit, deditq; Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum* &c. Matth. 26. v. 26. Matth. 26.

Et Evangelista Marcus cap. 14. v. 18. ait: *Et discumbentibus eis, & manducantibus, ait Iesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me, qui manducat mecum.* Versu autem 22. *Et manducantibus illis accepit Iesus panem, & benedicens fregit* &c. Mar. 14.

Sanctus verò Lucas postquam cap. 22. v. 19. & 20. enarravit institutionem Sacramenti. v. 21. subjungit: *Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.* Porrò signum proditoris à Christo datum fuisse post lotionem pedum, manifestum est ex Joannis cap. 13. Cùm enim absolutâ lotione iterum recubuisset cum duodecim, dixit eis v. 12. *Scitis quid fecerim vobis?* Et post pauca v. 21. *Amen amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet me.* Luc. 22. Ioan. 13.

Cumque Joannes recumbens supra pectus Jesu, eum interrogasset: *Domine quis est?* Respondit Iesus: *hic est, cui ego intinctum panem porrexero.*

An intinctus panis datus Judæ fuerit Eucharistia, dubitatur.

rexero. *Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ* v. 26. sive jam ille panis, seu buccella, ut vocatur versu sequenti, fuerit Sacra Eucharistia, ut aliqui videntur insinuare, sive potiùs simplex buccella communis panis, ut verisimiliùs est, & videtur expressa sententia Divi Augustini tract. 62. in Joannem, ibi: *Non autem, ut putant quidam negligenter loquentes, tunc Iudas Christi Corpus accepit: intelligendum est enim, quòd iam omnibus eis distribuerat Dominus Sacramentum Corporis & Sanguinis sui; ubi & ipse Iudas erat, sicut Sanctus Lucas evidentissimè narrat* (loco supra citato, addito versu 14. *Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo*) *ac deinde ad hoc ventum est, ubi secundùm narrationem Ioannis, apertissimè Dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem.* Ergo secundùm Doctorem Sanctum hæc buccella non fuit Eucharistia, quoniam certum est, Apostolos non nisi semel in ultima cœna communicasse.

Putat *S. August.* quòd non.

47. Idcirco dum eodem loco, & alibi contrarium videtur significare, intelligi debet non aliud voluisse, quàm vel paulò ante Christum Judam communicasse, vel certè quòd per intinctum illum panem significata fuerit ficta ejus Communio, juxta hæc verba, quæ immediatè superioribus subnectit: *Fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem: non enim omnia quæ tinguntur, abluuntur, sed ut inficiantur nonnulla tinguntur.*

Equidem Judam interfuisse lotioni pedum, satis significant verba Salvatoris Joannis 13. v. 10. & 11. *Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum: propterea dixit: Non estis mundi omnes.*

Ioan. 13. Judas interfuit lotioni pedum,

Cum cæteris quoque Apostolis interfuisse institutioni Eucharistici Sacramenti, ipsumque accepisse bonum malus malè non dijudicans Corpus Domini, communior & verior est opinio Divi Augustini supra, & alibi, ex evidentissimo testimonio Sancti Lucæ.

& institutioni Eucharistiæ,

Quin & alii Euangelistæ narrant Christum cum duodecim discubuisse, Matth. cap. 26. v. 20. *Vespere autem facto discumbebat cum duodecim Discipulis.* Et Marci cap. 14. v. 17. & 18. *Vespere autem facto venit cum duodecim. Et discumbentibus eis & manducantibus.* Consonat Ecclesia in Hymno dicens: *Cibum turbæ duodenæ se dat suis manibus.* Et in Sequentia: *Turbæ fratrum duodenæ datum non ambigitur.*

Matth. 26.

Marc. 14.

48. Ex his facilè colliges, in omni rigore & proprietate intelligi posse verba Joan. cap. 13. v. 30. *Cùm ergo accepisset ille* (Judas) *buccellam, exivit continuò*, id est, absque ulla mora, ut communiter exponunt Sancti Patres; usque enim ad illam horam Christus sustinuit Judam, & verbis ac factis procuravit, ut resipisceret: ex tunc verò, quia jam indignè communicaverat, & semper magis obdurabatur, post signum proditoris à Christo exhibitum, scilicet porrectionem panis intincti, *Introivit in eum Satanas*, Joannis 13. v. 27. *ut sibi iam traditum* (verba sunt Divi Augustini tract. 62. in Joannem) *plenius possideret, in quem prius intraverat ut deciperet, neque enim non in illo erat, quando perexit ad Iudæos, & de pretio tradendi Dominum pactus est, cum hoc apertissimè Lucas Euangelista testetur, & dicat:* Intravit autem Satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes unum de duodecim, & abiit, & locutus est cum Principibus Sacerdotum. *Ecce ubi ostenditur quòd iam intraverat Satanas in Iudam. Prius ergo intraverat immittendo in cor eius cogitationem, quâ traderet Christum: talis enim iam venerat ad cœnandum; nunc autem post panem intravit in eum, non ad hoc ut alienum tentaret, sed ut proprium possideret.* Et ideo vehementiùs à Dæmone instigatus, statim nullâ interpositâ morâ ad Christum tradendum exivit. Hæc pro prima parte Conclusionis.

Ioan. 13.

S. Augst.

Luc. 22 v. 3.

49. Pro secunda suppono tamquam certum, Eucharistiam institutam post comestionem legalem seu cæremonialem Agni. Ita Clemens V. in Concilio Viennensi, & refertur Clementinâ unicâ de Reliq. & Vener. SS. ibi: *Sumptâ cœnâ* (legali) *in memoriam mortis suæ instituit summum & magnificum sui Corporis & Sanguinis Sacramentum.*

Quæ contigit post comestionem legalem teste Clemente V.

Clarissimè Tridentinum sess. 22. cap. 1. ibi: *Nam celebrato veteri Pascha, quod in memoriam exitûs de Ægypto multitudo filiorum Israël immolabat, novum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum* &c. Idem exprimit Ecclesia in Hymno cantans: *Post Agnum typicum expletis epulis, Corpus Dominicum datum Discipulis.*

& Concil. Tridentino,

His accedat Divus Augustinus Epistolâ 118. & ponitur de Consec. dist. 2. cap. 54. *Liquidò*, inquit, *apparet quando primùm acceperunt Discipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos.* Et post pauca: *Namq; Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ Discipulorum, à quibus ad Passionem digressurus erat.*

& Divo Augustino;

50. Hoc supposito, remanet controversia; an in eadem cœna fuerit Eucharistia instituta, an in diversa, an in principio cœnæ usualis, an potiùs in medio, seu circa finem? Ut autem dicam, quod sentio, inhærendo proprietati verborum Sacræ Paginæ, videtur mihi longè probabiliùs, Sacramentum hoc institutum fuisse à Christo in fine ultimæ cœnæ, quæ recumbendo servabatur, sive fuerit eadem cum legali, sive (quod verius apparet) distincta, & succedens, quæ usualis appellatur, & solita erat fieri in magnis familiis, ut ante diximus, quibus unus agnus non sufficiebat explendæ omnium fami.

Probabilius in fine ultimæ cœnæ, quæ erat usualis;

Profectò de hac cœna propriissimè sine ullo incommodo intelligitur illud Joannis 13. v. 4. *Surgit à cœna, Christus, & ponit vestimenta sua.* Quippe, ut mox audivimus, discumbendo seu recum-

Ioan. 13.

recumbendo mos erat apud Judæos prandere communiter, & cœnare.

Porrò Agnum Paschalem sic præceptum erat
Exod. 12. comedere Exodi 12. v. 11. *Renes vestros accincti, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter.* Quòd autem illud mandatum non tantùm debeat intelligi de prima manducatione, factâ in procinctu ad exitum ex Ægypto, ut quidam volunt, colligo ex eodem cap. Exodi vers. 25. *Cùmq; introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis, ut pollicitus est, observabitis ceremonias istas.*

Scio consuetudine contrarium potuisse induci; sed argumentum certum illius consuetudinis ubi inveniam? Et estò sedendo manducaverint: non est verisimile, Christum hanc cœnam, quæ erat Satramentum & Sacrificium veteris Legis, interrupisse per actionem aliquam nullatenus ad illam ceremoniam pertinentem: nullibi enim legitur Judæos ante esum Agni solitos fuisse lavare pedes manducantium, bene ante communem seu usualem mensam, dicente Christo, ac notante Pharisæum, qui ipsum in-
Luc. 7. vitaverat Lucæ 7. v. 44. *Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti.*

51. Quòd si quispiam contendat Christum post esum Agni statim surrexisse, lavisse pedes, & iterum recubuisse ad eandem mensam jam instructam aliis cibis, ac cœnantibus Apostolis circa finem instituisse Eucharistiam, si verùm est, quòd sedendo, sive recumbendo Agnum Paschalem manducaverit, non habeo quod opponam: sed quia hoc incertum est; planùm autem sedendo aut discumbendo sumpsisse cœnam usualem, ex hypothesi quòd sumpserit; ideo, sicut à principio dixi, magis congruit
de qua proprie intelligitur locus Joannis 13. proprietati verborum, ut per cœnam Joannis 13. accipiatur usualis, in cujus fine, juxta illud Joannis ibidem v. 2. *Et cœna facta* (ab Apostolis quidem moraliter; à Christo autem plenè) surrexit, & lavit pedes Discipulorum, rursumque recubuit, ut narrat idem Apostolus eodem cap. v. 12. *Postquam ergo lavit pedes Discipulorum, & accepit vestimenta sua, cùm recubuisset iterum; cœnantibus eis*, ut habetur Matth. cap. 26. seu
Mar. 14. ut Mar. cap. 14. versu 22. *Manducantibus illis*, id est, Apostolis adhuc aliquid subinde ori ingerentibus, *accepit Iesus panem* &c. *Similiter &*
Luc. 22. *calicem* (ait Luc. cap. 22. v. 20.) *postquam cœnavit* ipse, intellige de perfecta cœna.

Et ideo calice propinato, cùm ex eo omnes Apostoli bibissent, statim subjungit apud Matt.
Matth. 26. supra v. 29. *Dico autem vobis, non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cùm illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.* Et
Mar. 14. Marci supra v. 21. *Amen dico vobis, quia iam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, quo bibam illud novum in regno Dei.*

Enimverò mensam non fuisse omnino absolutam; sed Apostolos interdum adhuc aliquid comedisse, cibis nondum è mensa ablatis, satis etiam innuit Joannes supra v. 26. *Et cùm intinxisset Iesus panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotæ:* quem supra ostendimus communicasse ex manibus Christi cum cæteris Apostolis, & post Communionem accepisse buccellam, intinctam utique jusculo, adhuc in mensa existenti, sive illam comederit, sive non, secundùm diversas opiniones. Ioan. 13.

Ecce brevibus verbis institutio hujus Augustissimi Sacramenti facta in fine cœnæ usualis, ex suppositione, quòd ea fuerit adhibita. Nec video quid contra eam efficaciter objici posset. 52.

Equidem quemadmodum ipsa cœna usualis incerta est, ita quoque tempus, & hora institutionis: similiter tempus lotionis pedum, quod aliqui collocant inter cœnam legalem, & usualem hâc nondum inceptâ, sed tantùm præparatâ: & eodem tempore intermedio existimant institutam Eucharistiam. Sicuti cœna usualis incerta, ita quoque tempus & hora institutionis.

Si illis objicias ly *Surgit à cœna:* Respondent primò, per cœnam intelligi posse ceremonialem; Judæos siquidem solitos fuisse modo ordinario sumere Agnum Paschalem. Vel si hoc minùs placeat,

Respondent secundò; sensum esse posse: relinquit cœnam, seu recedit à cœna, vel mensa, quod narratur per verbum *Surgit*, eò quòd surgendo ille recessus ordinariè fiebat, sicut ipsa cœna recumbendo. Et consequenter per ly *Recubuisset*, intelligunt quamcumque existentiam in mensa, sive stando, sive sedendo, sive discumbendo; quia ordinariè recumbendo cœnabatur. Unde etiam hodie retinetur idem modus loquendi, dicuntur quippe homines accumbere mensæ, quando tamen non accumbitur, sed assidetur mensæ, idque propter morem Antiquorum, à quibus accepimus vocem.

His ita disputatis de tempore institutionis; 53.
quæritur primò, in quo præcisè consistat essentia hujus Sacramenti. Quæstio parùm utilis, speculativa magis, quàm practica, potiùs de significato nominis, quàm de re: & ideo non multùm immoror.

Consentiunt omnes Catholici, Eucharistiam in facto esse, non ex solis speciebus panis & vini constare, neque ex solo Corpore ac Sanguine Christi; sed ex utrisque simul.

Secundò; nemo dubitat, quin Eucharistia in fieri requirat substantiam panis ac vini; verba quoque Consecrationis à legitimo ministro cum debita intentione prolata, hoc est, Consecrationem, seu actionem transubstantiativam.

Tertiò; concorditer docent, hoc Sacramentum non conferre gratiam sanctificantem ante realem sui manducationem. Atque isthæc de re. Controversiam autem nominis sic breviter resolvo.

CON-

CONCLUSIO IV.

Essentiam Eucharistiæ, ut est Sacramentum permanens, absolvunt species; ut est Sacramentum transiens, præter species essentialia sunt, Corpus & Sanguis Christi; Consecratio; fortè etiam sumptio.

54. Quid Eucharistia permanens? Et quid transiens?

TErminis penitiùs introspectis, hæc Conclusio, ultimâ particulâ exceptâ (*fortè etiam sumptio*) paucos, aut certè nullos habebit contradictores. Termini illi sunt, Eucharistia permanens, & Eucharistia transiens. Priorem voco, quæ simul permanenter & realiter existit cum suo effectu. Posterior est, quæ vel absolutè transit, vel certè ad corruptionem seu desitionem disponitur, quando confert effectum.

Quod ultimum addo; quia per manducationem non illicò corrumpuntur species panis sive vini, adeoque nec statim desinit Corpus sive Sanguis Christi esse sub speciebus, & tamen datur continuò gratia sanctificans; quoniam disponuntur species ad corruptionem, & per consequens Corpus & Sanguis Christi ad desitionem.

Hæc duplex ratio colligitur ex Innocentio III.

Hanc duplicem rationem Sacramenti Eucharistici insinuavimus disp. 1. sect. 1. concl. 2. & colligimus pro parte ex Innocentio III. cap. *Cùm Marthæ* de Celeb. Missarum, ibi: *Distinguendum est tamen subtiliter inter tria, quæ sunt in hoc Sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem Corporis, & virtutem spiritualem. Forma est panis & vini: veritas, Carnis & Sanguinis, virtus, unitatis & charitatis. Primum est Sacramentum, & non res. Secundum est Sacramentum & res. Tertium est res, & non Sacramentum. Sed Primum est Sacramentum geminæ rei. Secundum est Sacramentum unius, & alterius res existit. Tertium est res gemini Sacramenti.*

In quibus verbis Pontifex agnoscit in Eucharistia duplex Sacramentum, alterum quidem formam visibilem, id est, species panis & vini; idque geminæ rei, Corporis nempe, & Sanguinis Christi, nec non unitatis & charitatis, id est, gratiæ sanctificantis. Alterum porrò veritatem Corporis, id est, Corpus & Sanguinem Christi; sed unius dumtaxat rei, puta unitatis & charitatis, quæ est gratia sanctificans.

55. Solæ species sunt Sacramentum permanens.

Credo, aliquorum intellectus jam prævolat, & quorsum hæc dicta sint, perspicuè intuetur. Etenim quis Theologus his maturè expensis, inficiari possit, solas species esse Sacramentum Eucharistiæ permanens, id est, signum efficax Corporis & Sanguinis Christi, realiter coexistens suo illi significato? Sanè meridianâ luce id clarius est. Cumque teste Tridentino sess. 13. cap. 3. illud in Eucharistia excellens & singulare reperiatur, quòd in ea ipse sanctitatis Auctor ante usum sit; quidni in recto & simpliciter importet species, ut idem sit, quod species panis & vini continentes Corpus, & Sanguinem Christi?

Quod ratione vel auctoritate non potest improbari. *Trident.*

Nescio certè quâ ratione vel auctoritate, hæc locutio possit improbari. An fortè Christus in seipso est? Nonne in, seu, sub speciebus? Unde ait idem Concilium sess. 21. cap. 1. *Nam etsi Christus Dominus in ultima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis & vini speciebus instituit* &c. In speciebus, inquit, non in Corpore & Sanguine. Et meritò; quippe Corpus & Sanguis non significant gratiam subsistentem; sed sunt ipsa gratia subsistens, quæ est primarium significatum, seu principalis effectus hujus admirabilis præ cæteris Sacramenti. Et quod illud? Procul dubio species efficaciter illam gratiam significantes.

sed auctoritate D. Augustini probatur.

Quas idcirco Divus Augustinus Epistolâ 23. secundùm quemdam modum appellat Corpus & Sanguinem Christi, ibi: *Sicut ergo secundùm quemdam modum Sacramentum Corporis Christi*, id est, species significantes Corpus Christi, *Corpus Christi est: Sacramentum Sanguinis Christi, Sanguis Christi est; ita Sacramentum fidei*, id est, Baptismus, *Fides est*; quia est professio fidei. Alioquin si ipsum Corpus Christi est Sacramentum Corporis Christi, jam non secundùm quemdam modum, sed verè & realiter est Corpus Christi.

56. Si dixeris, Augustinum per modum illum intelligere acceptionem totius pro parte, sicut homo dicitur metonimicè anima, licèt hæc ut pars constituat totum.

Contra primò, quòd Concilium Tridentinum non agnoscat in hoc Sacramento continentiam partis in toto, sed magis locati in loco; ait enim sess. 13. cap. 5. assignans rationem, quare hoc Sacramentum adorari debeat cultu latriæ: *Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater Æternus* &c. Jam autem locatum non est pars essentialis loci, sicut anima rationalis est pars essentialis hominis. *Trident.*

qui affirmat eodem modo Sacramentum fidei appellari fidem, sicut Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi.

Secundò, fides non est pars Sacramenti fidei, sive Baptismi; sed Baptismus est signum fidei; adeoque hæc explicatio non est ad mentem Divi Augustini, qui affirmat eodem modo Sacramentum fidei appellari fidem, quemadmodum Sacramentum Corporis Christi, Corpus Christi.

57. *Lugo.*

Aliter respondet Card. Lugo hîc disput. 1. sect. 3. n. 45. concedi posse Augustinum ibi nomine *Sacramenti* intelligere solas species panis & vini in recto; tum quia aliquando ita usurpatur nomen illud; tum maximè, quia licèt species non sint simpliciter Eucharistia, sunt tamen simpliciter Sacramentum Corporis & Sanguinis

Sanguinis Christi, prout ab Augustino appellantur, & de his verè dicitur esse solùm *quodammodo* Corpus & Sanguinem Christi.

Sic etiam aliquando Patres dicunt, in altari poni *typum Corporis, & Sanguinis Christi*, seu *Anti-typum*; quæ nomina applicari debent speciebus, quæ sunt signa & symbola Corporis Christi: quando verò sermo est de Eucharistia, de pane hoc, de Sacramento simpliciter & absolutè, frequentiùs significant iis nominibus Corpus & Sanguinem Christi, prout contenta sunt sub speciebus sacramentalibus.

Unde hic Auctor suprà n. 36. docet Eucharistiam solùm Corpus & Sanguinem Christi importare communiter in recto; species verò de connotato, ita ut Eucharistia secundùm ipsum sit Corpus & Sanguis Christi contenta sub speciebus panis & vini.

Fundamentum accipit ex SS. Patribus, qui passim per illud nomen tantùm significant in recto Corpus Christi, & non species. Sic etiam dicitur Joannis 6. v. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea est.*

Fateor complures similes locutiones in Sanctis Patribus reperiri; non quia putaverint Corpus, aut Sanguinem esse Sacramentum Eucharistiæ permanens; contrarium quippe ad oculum demonstravimus; sed quia realiter sub speciebus continetur, & efficaciter ab illis significatur, accipiendo contentum pro continente, significatum pro signo; sicut aliquando continens sumitur pro contento; v. g. dum Sanguis vocatur Calix, Lucæ 22. v. 20. *Hic est Calix novum Testamentum in meo Sanguine.* Quippe signum & signatum, continens & contentum connotant se mutuò in esse & appellatione, & unum non subsistit sine altero.

Et ita Corpus Christi à Patribus dicitur frangi, non secundùm se, sed ratione specierum, juxta illud quod canit Ecclesia in Sequentia illius diei: *Fracto demum Sacramento*, utique speciebus solis, quæ ibi simpliciter vocantur Sacramentum: nam sequitur: *Ne vacilles, sed memento tantùm esse sub fragmento, quantùm toto tegitur &c. Signi tantum fit fractura, quâ nec status, nec statura signati minuitur.*

Quin & Scriptura ipsa passim illa confundit, nunc vocans *panem* Joan. 6. v. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane.* Et 1. Cor. 11. v. 26. *Quotiescumque manducabitis panem hunc &c.* statim autem post, *Corpus Christi*, v. 29. *Non dijudicans Corpus Domini.*

Sic rectè dicimus, videre Petrum, etsi solum colorem videamus, & alia accidentia; adde, etsi solam ejus statuam intueamur. Cur ergo Eucharistia nequeat appellari Corpus & Sanguis Christi, cùm hæc realiter & inseparabiliter sub speciebus contineantur?

Sed inquies cum Lugone suprà num. 41. Quamvis semel, aut iterum posset per figuram usurpari ea loquendi formula, non tamen regulariter, prout Patres eam usurparunt.

Respondeo; nisi subsit justa ratio. Enimverò cùm in eo consistat sublimitas ac mysterium hujus Sacramenti, nec non distinctio à reliquis Sacramentis, ut manifestè constat ex Tridentino sess. 13. cap. 3. ibi: *Verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur: at in Eucharistia ipse sanctitatis Auctor ante usum est.* Ac potissimùm, quoniam hæretici præsentiam illam realem Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus negabant, meritò profectò Sancti Patres passim ita loquuntur, ut ostendant ejus veritatem, & commendent magnitudinem, fidem atque devotionem. Perinde autem est ad hunc finem, sive Corpus Christi sit pars essentialis, & intrinsecè componens hoc Sacramentum, sive non. Adeòque non est verosimile, Patres ad hanc controversiam nominis attendisse.

Eodem modo intelligo Ambrosium, Irenæum, & alios, quando dicunt hoc Sacramentum constare speciebus, & Corpore Christi, ut idem sit, quod species realiter, & infallibiliter ante omnem usum (ut loquitur Tridentinum suprà) in se includere, sive continere Corpus Christi, atque ita Sacramentum hoc, specialiter præ reliquis, quasi constitui sive conflari ex ipso signo, & signato inseparabiliter se mutuò comitantibus, & sibi adhærentibus stabiliter ac permanenter.

Ex quo patet responsio ad Cap. 48. de Consec. dist. 2. quod adscribitur à Gratiano Divo Augustino, in libris sentent. Prosperi, ubi sic legimus: *Hoc est quod dicimus; hoc modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Iesu Christi Carne & Sanguine; Sacramento, & re Sacramenti, id est, Corpore Christi, sicut Christi persona constat & conficitur Deo & homine, cùm ipse Christus verus sit Deus, & verus homo: quia omnis res illarum rerum naturam, & veritatem in se continet, ex quibus conficitur.*

Ubi Glossa v. *Et re Sacramenti* inquit: *Impropria locutio, sicut & probatio est valde impropria: Christi persona conficitur ex Deo & homine, id est, Christus est verus Deus & homo: non enim ex Deo & homine aliquid constituitur. Unde Augustinus: Christus est una persona geminæ substantiæ, quia Deus & homo, nec Deus hujus personæ pars dici potest.* Ita Glossa.

Et licèt fortè per personam Christi S. Prosper intellexerit ipsum Christum, qui suo modo componitur, seu constituitur ex Deo & homine, secundùm illud Symboli S. Athanasii: *Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus*; ideòque de Christo tam Deus, quàm homo prædicentur in recto: longè tamen alia est ratio formæ visibilis specierum, & invisibilis effectûs Corporis Christi in Eucharistia, & præsertim ut est Sacrificium, de quo solo loquitur hæc sententia Prosperi, ut planùm est ex verbis.

Inter species & corpus nulla est physica unio.

Alia, inquam, est ratio; nam (præterquam quòd nullam agnoscamus cum Doctore Subtili physicam unionem, sive formalem, sive effectivam inter species & Corpus Christi; sed solùm respectum quemdam præsentialitatis extrinsecùs advenientem) docet fides Catholica, non panem & vinum, aut eorum species esse principalem hostiam Sacrificii, sed ipsum Corpus & Sanguinem Christi, qui sub speciebus panis & vini, Deo Patri sacrificantur, seu offeruntur.

Principalis hostia Sacrificii est Corpus, & non species.

Trident.

Audiamus Tridentinum sess. 22. cap. 1. ibi: *Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, se in æternum constitutum declarans* (Christus) *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit, & eisdem, eorumq; in Sacerdotio successoribus ut offerrent, præcepit.*

Cap. autem 2. in principio sic ait: *Et quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit.*

Distinctio inter Sacrificium & Sacramentum Eucharistiæ permanens. *S. Prosper.*

Mirùm itaque videri non debet, si Sanctus Prosper dixerit, *Sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Iesu Christi Carne.* Sed aliud est Sacrificium, aliud Sacramentum permanens Eucharistiæ.

Unde subdit: *Sacramento, & re Sacramenti.* Ubi solas species appellat Sacramentum, & condistinguit contra Corpus Christi, tamquam alteram partem, ex qua constituitur Sacrificium, sive essentialiter, sive dumtaxat consecutivè, aut concomitanter, de quo proprio loco.

62. Objectio solvitur.

Nec obstat, quod sequitur in eodem cap 48. *Caro videlicet Carnis, & Sanguis Sacramentum est Sanguinis*; intellige, siquidem repræsentativum illius Carnis & Sanguinis, quæ in cruce cruenter oblata fuerunt, juxta illud Tridentini suprà cap. 1. *Ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur.*

S. Prosper.

Et idcirco S. Prosper ibidem attexit: *Sicut ergo cœlestis panis, qui verè Christi Caro est, suo modo vocatur Corpus Christi, cum reverà sit Sacramentum Corporis Christi, illius videlicet quod visibile, palpabile, mortale in cruce est suspensum; vocaturq; ipsa immolatio Carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio &c.*

Porrò hîc quæritur de Sacramento Carnis & Sanguinis secundùm se, id est de signo, quod permanenter efficit Corpus ac Sanguinem Christi, ut realiter in cœlo existentis, quod nos asserimus esse solas species consecratas.

63. De Sacramento transeunte multi intelliguntur Patres.

Accedit, plurimas locutiones SS. Patrum salvari posse, intelligendo per Eucharistiam Sacramentum transiens, id est, Eucharistiam respectu gratiæ sanctificantis. Sic quippe, ut habet altera pars Conclusionis, essentialia sunt, & æqualiter importantur species & Corpus, ut verè dicere possis: *Eucharistia transiens est Corpus contentum sub speciebus*; & similiter: *Eucharistia transiens sunt species continentes Corpus*: neque enim aut Corpus sine speciebus, aut species sine Corpore significant efficaciter per modum pastûs spiritualis gratiam sanctificantem, defectu scilicet institutionis. *Sumi* quippe *voluit* (Christus) *Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me & ipse vivet propter me.* Verba sunt Tridentini sess. 13. cap. 2. *Trident.*

Quæris quod sit illud Sacramentum? Respondeo, quod Christus instituit in ultima cœna, *cùm post panis vinique benedictionem*, inquit Tridentinum suprà cap. 1. *se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Herculè species consecratæ sunt, quæ Corpus Christi reddunt sensibile: porrò Corpus Christi, quod sub illis continetur, efficit, ut species manducatæ moveant Deum ad physicè augendam gratiam sanctificantem. 64. Species consecratæ reddunt Christi corpus sensibile.

Quamquam enim in cibo naturali sola nutriat substantia, non accidentia; alimentum quippe corporale convertitur in substantiam aliti, quod non convenit accidentibus: attamen in hoc cibo cœlesti ac spirituali tam substantia, id est, Corpus & Sanguis Christi, quàm accidentia, id est, species panis & vini, alunt spiritualiter, id est, moraliter causant gratiam, Deo sic ordinante, ut ex his, quæ animus novit, surgat ad incognita, quæ non novit: quatenus exemplo visibilium se ad invisibilia rapiat, & per ea, quæ usu didicit, quasi confricatus incalescat; ut per hoc quod sit notum diligere, discat & incognita amare. & moraliter causant gratiam.

S. Chrysost.

Etenim *Si incorporeus esset* (Chrysostomum auditis homiliâ 83. in Matth. sive 60. ad populum Antiochænum) *incorporea dedisset ipse tibi dona, nunc autem quoniam conserta est corpori anima tua, sub sensibilibus tibi intelligibilia tradit.*

65. ad instar rerum sensibilium in aliis Sacramentis.

Sicuti ergo in aliis Sacramentis res naturales externæ sensibiles movent Deum instar causarum moralium ad physicè, vel primò infundendam vel augendam gratiam; ita quoque conveniens erat, ut eadem causalitas in hoc augustissimo Sacramento attribueretur non Corpori & Sanguini dumtaxat invisibiliter ibi existentibus; sed etiam speciebus Sacramentalibus, quantùmvis accidentibus, utpote quæ solæ sint res sensibilis hujus Sacramenti.

Hæc veritas manifesta fit ex Innocentio III. suprà relato in principio hujus Conclusionis: textus est apertissimus: nec plus probant, quàm Corpus Christi esse verum Sacramentum (sicuti & species) respectu gratiæ sanctificantis; quod hæc secunda pars Conclusionis fatetur: componere autem essentialiter Eucharistiam permanentem, quod negat prima pars, nec ratio, nec auctoritas suadet, minùs persuadet.

Sanè

66. Ad cultum latriæ sufficiens realis præsentia divinitatis sub speciebus consecratis. Dicast.

Sanè ad cultum latriæ huic Sanctissimo Sacramento exhibendum, omnibus sufficientissima esse debet realis præsentia Corporis, & Sanguinis, aut veriùs divinitatis (quæ est formale ejus motivum) sub speciebus consecratis: dicente Concilio Tridentino sess. 13. cap. 5. *Neque enim ideo minùs est adorandum* (hoc Sacramentum cultu latriæ) *quòd fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum. Nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius* &c.

An Consecratio sit pars essentialis hujus Sacramenti?

Sed cùm audio species consecratas, inquiro; An ergo Consecratio, per consequens verba Consecrationis, non sint pars essentialis hujus Sacramenti; quemadmodum forma verbalis; *Ego te baptizo* &c. est pars essentialiter & intrinsecè componens Sacramentum Baptismi?

A Bitur Lugo.

Affirmat Card. Lugo disp. 1. sect. 4. n. 47. cum Suario, Valentiâ. Et ni fallor, inquit Eminen. est communis sententia Theologis Antiquis.

67. Ex contenitur et Doctor Subtilis.

Quidquid sit de aliis Theologis, quos non libuit inspicere, quia res non meretur, saltem non est sententia Doctoris Subtilis, qui contrarium docet 4. dist. 8. q. 1. n. 7. inquiens: *Si autem omnino quæras, quæ sit forma huius Sacramenti* (Eucharistiæ) *dico quòd ipsæ species visibiles sunt materia, id est, proximum fundamentum relationis significationis: & ipsa significatio est ibi formale, sicut in aliis Sacramentis.*

Negatis dari formam intrinsecam Eucharistiæ ut est permanens.

Et si quæras, quid est in hoc Sacramento tamquam materia, aliud tamquam forma? Respondeo quòd non est hic aliud tamquam materia, & aliud tamquam forma; sicuti est in aliis Sacramentis. Cuius ratio est, quia istud est permanens, & ideo non possunt aliqua verba ad eius essentiam pertinere. In quocumque autem Sacramento distinguitur materia & forma, signum visibile dicitur esse materia, verba verò forma. Hucusque Scotus, intelligens formam intrinsecam, id est, intrinsecè componentem Eucharistiam, ut est Sacramentum permanens; sicuti verba Baptismi constituunt Sacramentum Baptismi.

Agnoscens formam Eccles. & formam extrinsecam.

Alioquin formam extrinsecam, quam vocat formam Consecrationis Sacramenti, agnoscit cum Ecclesia Catholica, eâdem dist. & q. n. 6. in fine ibi: *Ad tertium patet quare istud Sacramentum non habet aliqua verba pro forma, quia tunc non esset Sacramentum permanens, cùm verba non possint esse nisi in successione: tamen ipsa Consecratio Sacramenti consistit in fieri, & ideo requirit aliquam formam verborum. Sed illa non est forma Sacramenti, sed Consecrationis Sacramenti: & pro tanto illa possunt dici verba Sacramentalia, quia ad Sacramentum pertinentia tamquam forma Consecrationis eius, quæ Consecratio est inceptio Sacramentalis: sed non dicuntur sic Sacramentalia, sicut verba Baptismi; illa enim sunt Sacramentalia, quia forma Sacramenti.*

68. De quo intelligitur Florentinum.

De hac forma extrinseca intelligitur Concilium Florentinum in Decreto Unionis, quando ait: *Forma huius Sacramenti* (Eucharistiæ) *sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum*; non dicit, *permanenter componitur*, aut, *constituitur*; sed, *conficitur*. Sacerdos enim in persona Christi loquens, mediantibus illis verbis, tamquam quibusdam causis instrumentalibus, hoc conficit, id est, efficit Sacramentum, quod sunt species panis & vini continentes Corpus & Sanguinem Christi; unico verbo, species consecratæ, id est, accidentia panis & vini remanentia post verba Consecrationis à Sacerdote cum debita intentione prolata.

Sicut persona Sacerdotis non componit intrinsecè hoc Sacramentum; ita nec verba Consecrationis.

Sicuti ergo ipsa persona Sacerdotis non est forma intrinsecè componens hoc Sacramentum ut est permanens; pari ratione neque verba Sacerdotis: sed persona est quasi causa efficiens principalis, verba autem instrumentalis. Quis verò nesciat causam efficientem non pertinere ad essentiam effectûs, quamvis in obliquo & extrinsecè ab illo connotetur?

69. Objectio.

Scio, dicet aliquis; sed numquid implicat eandem esse causam efficientem, & formalem; animam v. g. seipsam unire corpori? Quin imò naturaliter in nutritione anima rationalis est causa efficiens illius compositi partialis, & simul forma.

Responsio.

Respondeo; à physicis non semper valet argumentum ad moralia; hîc autem solùm est compositum morale, si aliquod est.

Differentia inter animam rationalem & verba Consecrationis.

Accedit ratio manifesta dissimilitudinis, quoniam anima rationalis permanet; verba autem Consecrationis transeunt, ita quòd totum Sacramentum Eucharistiæ permanens existat, quando verba amplius non sunt; porrò nequit res existere sine suis partibus essentialiter, & intrinsecè constituentibus.

70. Sententia Suarii.

Dices cum Suario disp. 42. sect. 2. in fine: Sicut res successiva dicitur esse, quia aliquid illius est, licèt aliquid jam transierit: ita hoc Sacramentum, quod ex permanente & successivo consurgit, dicitur simpliciter esse, quia aliquid illius est, & id, quod in eo præcipuum est, scilicet totus Christus, durat.

Præterea, in speciebus permanentibus manet tota significatio, verba enim quando proferuntur tantùm significant contentum sub illis speciebus esse Christum, & hoc idem permanenter significant species jam consecratæ. Unde fit, quòd licèt verba physicè transierint, semper tamen quodammodò informent illas species, quia illæ non significant, nisi ut consecratæ sunt; atque adeò quatenus subsistant verbis Consecrationis, quæ præcesserunt, & quæ idcirco censentur semper moraliter permanere, quamdiu permanent species (ut ait Dicastillo disput. 1. num. 31.) non minùs quàm verba Baptismi, etiamsi physicè præcesserint ablutionem ipsam, censentur moraliter permanere, ut cum ablutione, immediatè, aut paulò post sequente, constituant & componant unum Sacramentum. Dicastillo.

71. rejicitur à Lugone.

Sed contra primum, inquit Card. Lugo disp. 1. sect. 4. n. 60. quia ex hoc sequeretur,

posse etiam dici, dari Eucharistiam, quando proferebantur verba, antequam absolverentur; quia jam existebat aliqua pars Sacramenti; quod nemo concedet.

Sententia Lugonis, quod sufficiat manere id, quod includitur in recto, ut dicatur perseverare Sacramentum,

Ideo hic Auctor aliter respondet n. 61. Sacramentum Eucharistiæ permanere quidem transactis verbis, quoad id, quod dicit in recto (quod secundùm ipsum est Corpus & Sanguis Christi) non verò quoad id, quod dicit in obliquo: sufficit autem manere id, quod includitur in recto, ut dicatur perseverare Sacramentum. Sicut nunc etiam dicitur manere domus antiqua, licèt modò non existat id, à quo domus denominatur antiqua, scilicet durationes annorum præteritorum.

Et in eodem sensu verum est dicere, Eucharistiam esse in altari; licèt non sint ibi verba; quia sicut dicitur esse in Ecclesia aqua benedicta; licèt ibi non sit benedictio, quia scilicet est ibi quod significatur in recto: sic etiam est ibi Eucharistia, quia est ibi, quod significatur in recto per Eucharistiam. Ita Eminentissimus.

72. Qui, si attentè legisset verba Suarii, non mutilata, sed integra suprà à nobis relata, eandem in illis quoad rem invenisset responsionem; siquidem non ait Suarez, ideo dari Eucharistiam post verba Consecrationis absoluta, quia jam existit aliqua pars Sacramenti, sed quia aliquid illius est, scilicet species consecratæ, & quod præcipuum in eo est, durat.

rejicitur ab Auctore.

Et verò quod illud nisi Corpus & Sanguis Christi? Tolle species, tolle Corpus & Sanguinem Christi, nihil Sacramenti supererit. Maneat Corpus, pereant species, maneant species, desinat Corpus sub illis esse, num ideo permanet Sacramentum? Minimè. Non itaque sufficit manere id, quod includitur in recto, ut dicatur perseverare Sacramentum: cæteròquin Eucharistia sit in cælo, quia ibi est Corpus Christi, quod secundùm Lugonem importatur in recto.

Responsio Lugonis

Respondet Eminen. denominationem Christi sub speciebus non posse provenire à speciebus absentibus, sicut nec denominatio albi ab albedine absenti; quia est denominatio reduplicans supra formam præsentem: at verò denominatio specierum consecratarum potest provenire à verbis præteritis, sicuti denominatio objecti cogniti à cognitione prærerita; quia solùm significat species illas esse, super quas prolata sunt verba Consecrationis.

73. ostenditur inefficax.

Quis negat? Sed numquid idcirco verba præterita physicè & intrinsecè constituunt species consecratas, sicut albedo componit parietem album? An fortè credidit Lugo intrinsecè denominari objectum cognitum à cognitione præterita, imò etiam præsenti, aut domus antiqua ab annis præteritis, sicuti paries denominatur albus ab albedine intrinsecè inexistente? Non credo.

Unde sicuti cognitio non intrinsecè componit objectum cognitum, neque anni præteriti domum antiquam, sic nec verba benedictionis aquam benedictam; similiter nec verba Consecrationis species consecratas, sed extrinsecè dumtaxat denominant; & ideo non sunt forma intrinsecè constituens hoc Sacramentum permanens, sed forma extrinsecè efficiens.

Verba Consecrationis non intrinsecè componunt species consecratas;

Itaque ad primam responsionem Suarii dico: si per Sacramentum Eucharistiæ intelligimus compositum aliquod per accidens, sive aggregatum quoddam ex omnibus, quæ aliquo modo necessaria sunt ad ejus constitutionem, sive in fieri, sive in facto esse, permanenter, aut successivè, non dubium quin verba Consecrationis, persona Ministri, & plura similia pertineant ad ejus essentiam, id est, necessaria sint, ut essentia Sacramenti existat & permaneat. Patet ex Conclusione, quam tractamus, in qua distinguimus Eucharistiam in permanentem, & transeuntem; in fieri, & in facto esse. 74.

quamvis, uti multa alia, necessaria sint, ut Sacramenti essentia existat,

Sin verò per Eucharistiam accipiamus Sacramentum realiter ac physicè coexistens secundùm omnes suas partes suo effectui, quem physicè & realiter in se continet; sicuti successivum non potest esse de essentia talis entis permanentis; ita extra omnem dubitationem est, nullatenus verba Consecrationis, physicè & realiter ampliùs non existentia, esse de essentia, sive partem intrinsecè componentem Eucharistiam permanentem: nec puto contrarium unquam Suario incidisse. *Suarez.*

Colligo ex altera ejus responsione, in qua supponit verba in speciebus manere tantummodò secundùm suam significationem. Ergo hæc potiùs dicenda est componere hoc Sacramentum, quàm verba præterita.

Et hanc compositionem non negat Doctor Subtilis, sed clarissimis verbis asserit suprà n. 7. ibi: *Species visibiles sunt materia, id est, proximum fundamentum relationis significationis, & ipsa significatio est ibi formale, sicut in aliis Sacramentis.* Quæ autem verborum, eadem est significatio specierum, quæ dici posset Consecratio passiva, id est, efficax significatio Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus, jugiter cum ipsis permanens. 75. Scotus.

Porrò an propterea dici debeat, verba Consecrationis moraliter permanere, quemadmodum verba Baptismi, ad modum pertinet loquendi. Equidem quia Baptismus est Sacramentum transiens, ideo ad ipsius compositionem sufficiunt verba transeuntia moraliter permanentia: quia autem Eucharistia, de qua hîc agimus non solùm moraliter perseverat, sed realiter, ideo partes ejus, si quæ dentur distinctæ à speciebus & significatione, debent realiter existere, quamdiu existit Sacramentum.

Ad compositionem Sacramenti Baptismi sufficiunt verba transeuntia moraliter permanentia.

Si ergo Eucharistia permanens esset composita (præterquam ex speciebus & significatione) cùm non sit aliquid successivum, aut transiens, sed physicum & reale, existens & realiter perse-

perseverans, potiùs species & Corpus forent ejus partes, quàm species & verba successiva seu transeuntia, estò hæc moraliter perseverarent.

Quamvis & hoc aliqui negent, dicentes; moralem perseverantiam tantùm habere locum in causis & effectibus liberis, pendentibus à voluntate, quæ effectus morales causat, quando, & quamdiu placet; quocirca consensus semel datus censetur interpretativè permanere, quousque non revocatur à voluntate. Aliud est de forma Consecrationis, quæ instar causæ necessariæ, tunc, quando profertur, ponit effectum, haud ampliùs dependentem à potestate consecrantis, qui semel factum nequit retractare. Sed hæc quæstio est de nomine.

Parùm refert quomodo loquaris, si in re consentias, quæ talis est. Sacramenta, præter Eucharistiam permanentem, cùm sint entia successiva, adeòque potiùs composita artificialia, quàm realia, facilè intelligimus in eis sufficere continuationem partium moralem. Patet à simili in Oratione, quæ constat dictionibus & syllabis, quarum una præcedit alteram. Porrò Eucharistia subsistens, cùm sit ens aliquod reale, vel, si velis, aggregatum ex pluribus rebus permanentibus, oportet omnes suas partes simul habeat existentes, & subsistentes: etenim quomodo ens successivum possit esse de essentia entis permanentis, non video.

Videt, inquis, Dicastillo disp. 1. de Sacramentis in genere n. 74. ibi: Concedimus etiam rem in se permanentem non posse componi ex re, quæ ita successivè fit, ut nullo modo permaneat; bene verò ex re, quæ ita successivè fit, ut adhuc permaneat: ita in physicis, calor, qui successivè fit, calidum physicè permanens componit, quia ipse etiam calor successivè factus, adhuc physicè permanet. Similiter in moralibus compositis, quale est Sacramentum, potest intelligi, quòd forma successivè facta, moraliter permanens, componat entitatem moralem, moraliter permanentem.

Quòd autem verba Consecrationis moraliter maneant, probat; quia manet eorum significatio & effectus, ac si reverà daretur tale ens physicum. Hâc ratione, inquit n. 72. potest dici, *Peccans dormit*, non quidem actu peccans, sed habitu, quatenus habitu moraliter censetur permanere peccatum non retractatum; & sexcenta alia sunt exempla.

Sed etiamsi essent millena & millena, in hoc uno solo improbantur. Etenim à peccato habituali non dicitur propriè aliquis *Peccans*, sed *Peccator*; adeòque non potest dici; *Peccans dormit*, sed, *Peccator dormit*.

Ac proinde quando Sacramentum Eucharistiæ communiter dicitur deferri ad infirmos, sumi, conservari &c. non intelligitur Consecratio activa, sive verba Consecrationis deferri, sumi, &c. sed species consecratæ, quæ sunt Sacramentum, & entitas non solùm moraliter permanens, sed physicè & realiter; adeòque requirit partes realiter & physicè, non autem tantùm moraliter permanentes.

Sacramentum physicè & realiter permanens requirit partes realiter & physicè, non autem tantùm moraliter permanentes,

Quòd si Dicastillo non plùs velit, quàm manere significationem verborum, sive significationem specierum, quam à verbis, ut formâ extrinsecâ, acceperunt, eamque ingredi compositionem Sacramenti, non contradicit Scoto, cujus tamen sententiam ibi, ut putat, impugnat: jam enim antè ostendi Doctorem Subtilem hanc compositionem expresè admittere, & negare dumtaxat, ipsa verba realia & actualia, sive Consecrationem activam ingredi intrinsecam & essentialem compositionem Eucharistiæ permanentis.

Interim sunt conditio aliqua, sine qua non species post remanentes, sacramentaliter significant; adeòque potiùs causa efficiens, quàm formalis intrinseca; eo ferè modo, quo generatio activa requiritur ad relationem paternitatis, quam tamen intrinsecè non constituit: & sicuti activa benedictio Sacerdotis necessaria est ad aquam benedictam, in qua tamen formaliter non includitur, sed virtualiter tantùm, ratione cujusdam virtutis moralis, aquæ efficienter per illam communicatæ.

Adeoque verba realia & actualia non ingrediuntur essentialem compositionem Eucharistiæ permanentis;

sunt tamen conditio sine qua non significant species.

Restat ut examinemus fundamenta Lugonis: Primum accipit ex illis verbis Concilii Florentini in Decreto Eugenii: *Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materiâ, verbis tamquam formâ, & personâ ministri conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia.* Et infrà agens de hoc Sacramento: *Forma*, inquit, *hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris* &c. Adde verba Concilii Tridentini sess. 14. cap. 2. *Nam præterquam quòd materia & forma, quibus Sacramenti essentia perficitur* &c.

78. Fundamenta Lugonis examinantur. *Florent.*

Argumentum nullius momenti. Non dicunt Concilia, Sacramentum seu essentiam Sacramenti intrinsecè constitui seu componi materiâ, formâ, & intentione Ministri, sed, perfici sive intrinsecè, sive extrinsecè. Quid clarius? *Tertium*, inquit Florentinum suprà, *est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia*, quâ utique perficitur, *panis triticeus, & vinum de vite.* An igitur panis & vinum materia intrinsecè componens hoc Sacramentum? Negant omnes, & meritò, cum desinant esse, quando Sacramentum ponitur.

Panis & vinum non est materia intrinsecè componens hoc Sacramentum.

Et si respondeas; Pontificem per panem & vinum intellexisse species panis & vini; in oppositum est falsitas hujus locutionis: *Sub pane & vino est Corpus Christi.* Ergo ly *panis*, & ly *vinum* simpliciter significant substantiam, & non solas species. 79.

Certè ipse Card. Lugo numquam voluit admittere substantiam panis & vini pro materia intrinsecè componente Eucharistiam; quamvis aliquibus videretur id sequi ex ipsius sententia.

consentiente Lugone,

Nam, inquiunt, si per miraculum præcederent species absque substantia panis, & super illas proferrentur verba Consecrationis, non poneretur Corpus Christi; quia Christus voluit, ut fieret Consecratio per conversionem panis in Corpus, & non aliter. Ergo nisi præintelligam substantiam panis, species, etiam consecratæ, non magis significant mihi sensibiliter Corpus Christi vel gratiam sanctificantem, quàm si non præintelligerem verba Consecrationis.

80. & assignante disparitatem inter substantiam panis & vini, & verba Consecrationis.

Respondet Card. disp. 1. sect. 5. num. 88. Negando Sequelam. Rationem disparitatis dat: quia substantia panis & vini, neque componunt Sacramentum in ratione causæ gratiæ, neque in ratione signi sensibilis: non primum; quia gratia sufficienter causatur à Corpore Christi, & speciebus præsentibus, quando Eucharistia per manducationem applicatur: non posterius; quippe substantia secundùm se non est sensibilis, nec sentitur, nisi per sua accidentia: ergo tota sensibilitas panis reducitur ultimò ad species panis; atque ideo substantia prout distincta à speciebus, non facit hoc Sacramentum esse signum sensibile; adeòque non constituit intrinsecè hoc Sacramentum, sed solùm est conditio, sine qua non ex vi præsentis institutionis poneretur Corpus Christi.

Unde in casu posito deficeret Sacramentum, immediatè quidem ex defectu Corporis, mediatè verò & extrinsecè ex defectu extrinseco substantiæ panis, quæ secundùm præsentem legem necessaria est ad ponendum hoc Sacramentum. Ita, sed pluribus verbis, Eminentissimus. Quæ responsio non omnino displicet.

Species panis ex se sunt sensibiles.

Solùm adverto, hîc non esse quæstionem, per quid species panis simpliciter sint sensibiles: constat enim ex se esse tales, etiam absque verbis Consecrationis; sed quæ sit causa sensibilis significationis Corporis Christi, ad quam quidem magis propriè concurrunt verba, utpote causa suo modo efficiens præsentiam Corporis sub speciebus; equidem substantia panis etiam suum præbet concursum, scilicet per modum termini à quo. Hoc animadverso:

Quæ sit causa sensibilis significationis Corporis Christi.

81. *Lugo.*

Redeo ad nostram instantiam, cui Card. suprà n. 52. hanc adhibet solutionem, dicens; duplicem apud Philosophos usurpari materiam, proximam & remotam: illa est ex qua constituitur intrinsecè compositum, v. g. lapides respectu domûs; hæc appellatur ex qua aliquid fit tamquam ex termino à quo; ut quando ex ligno fit ignis, lignum dicitur materia remota ignis. Porrò forma apud Philosophos est unica, scilicet intrinsecè componens: ergo dum Pontifex loquitur de materia & forma Eucharistiæ, licèt nomine materiæ intellexerit remotam, nomine tamen formæ non potuit intelligere nisi proximè constituentem.

Distinctio materiæ in proximam & remotam.

82. Datur causa formalis extrinseca.

Sed contrà; etiam secundùm Philosophos datur causa formalis extrinseca, id est, principium formale effectivum.

Respondet Card. suprà n. 53. hunc esse impropriissimum modum appellandi formàm. Nam licèt intellectus dicatur principium formale efficiendi intellectionem, & forma constituens hominem in ratione intellectivi, non tamen dicitur forma ipsius intellectionis, quæ ab illo efficitur: ergo cùm verba non solùm dicantur principium formale efficiendi Eucharistiam, sed etiam forma ipsius Eucharistiæ, non potest hoc explicari nisi de forma constitutiva. Responsio Lugonis.

Qui modus explicandi non leviter confirmatur ex modo loquendi Catechismi Pii V. parte 2. cap. 1. Ubi materia & forma verborum dicuntur *esse partes ex quibus unumquodque Sacramentum necessariò conficitur, & constituitur.* Hæc ille. Confirmatio ejus ex Catechismo Romano.

Sed meo judicio valde leviter. Quippe sic lego loco citato §. 8. circa initium. *Duo enim sunt ex quibus quodlibet Sacramentum conficitur: quorum alterum materiæ rationem habet, atque elementum dicitur: alterum formæ vim, & verbum communi vocabulo appellatur.* 83. rejicitur.

Et §. 9. in fine, postquam dixit: Nostra Sacramenta formam verborum ita præscriptam habere, ut si fortè ab ea discedatur, Sacramenti ratio constare non possit, statim concludens subjungit: *Hæ igitur sunt partes, quæ ad naturam & substantiam Sacramentorum pertinent, & ex quibus unumquodque Sacramentum necessariò constituitur.*

Non ait Catechismus *conficitur, & constituitur*, ut refert Card. quasi confectio illa sit intrinseca constitutio; sed separatim, primo loco ponit ly *conficitur*, secundo loco ly *constituitur*, ut significet se illa accipere pro synonimis.

Proinde, quamadmodum ly *conficitur*, non semper importat compositionem intrinsecam per modum partis essentialis: etenim Sacerdos conficit hoc Sacramentum, ut loquitur Concilium Florentinum suprà; ita etiam ly *constituitur* suprà in Catechismo intelligendum est juxta subjectam materiam, & propriam naturam cujusque Sacramenti; licèt enim in aliquibus forma & materia possint esse pars intrinseca & essentialis, in aliis non sic: sed vel sola materia est tota essentia, ut in hoc Sacramento species consecratæ; vel sola forma, ut in Sacramento Pœnitentiæ (secundùm mentem Doctoris Subtilis) hæc verba: *Absolvo te*, de quibus proprio loco. Ly *conficitur* non semper importat compositionem intrinsecam.

Nonne Catechismus præmemoratus cap. 4. §. 12. pro materia Eucharistiæ assignat panem triticeum, ex qua tamen, secundùm Lugonem, Eucharistia non constituitur intrinsecè? Ergo per ly *constituitur*, in quo facit Card. vim, non necessariò intelligi debet compositio essentialis per modum partis intrinsecæ. 84. *Catechis. Roman.* uti nec ly *constituitur.*

Et hinc (quod bene notandum est) Concilium Florentinum non vocat verba Eucharistica simpliciter formam Sacramenti, ut Eminen. videtur supponere, sicut vocat verba Baptismi, & alio-

Trent. & aliorum Sacramentorum; ſed inquit: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum*: eo ſcilicet modo, quo confici poteſt res permanens per verba tranſeuntia, & quo Sacerdos conficit utens illis verbis, ſcilicet per modum cauſæ formalis extrinſecæ & efficientis.

Et eodem modo dicere quis poſſet, intellectum eſſe illam formam in homine, quâ conficit, ſive quâ conficitur intellectio.

85. Sed eſtò Concilium ſimpliciter aſſereret verba eſſe formam hujus Sacramenti, an propterea in omni rigore intelligenda ſunt, & non potiùs accommodatè ad naturam rei, de qua agitur? Ipſa ratio naturalis videtur id dictare. Quapropter, utì ipſum Sacramentum non eſt compoſitum aliquod phyſicum, & propriè dictum, ex partibus ſimul exiſtentibus phyſicâ unione inter ſe unitis; ita materia & forma accipi debent, non ſecundùm rigorem philoſophicum, ſed ſecundùm communem loquendi modum in rebus moralibus.

Forma de ſacram. non ſumenda ſtrictè ſecundùm rigorem Philoſophicum ſed accipienda.

Sic mutuus conſenſus Conjugum ſigno externo expreſſus communiter ponitur, & vocatur forma Sacramenti Matrimonii; cùm tamen à Concilio Florentino appelletur cauſa efficiens: *Cauſa*, inquit, *efficiens Matrimonii regulariter eſt mutuus conſenſus per verba de præſenti expreſſus.*

Ut pars in mutuo Conjugum conſenſu Flor.

Sic Charitas ab omnibus Theologis dicitur forma Fidei, aliarumque virtutum, & tamen nemo intelligit propterea Charitatem intrinſecè componere Fidem, aut alias virtutes, ſed extrinſecè conferre ipſis vim quamdam meriti de condigno vitæ æternæ.

Quidni ſimiliter verba Conſecrationis dici poſſint abſolutè & ſimpliciter forma Euchariſtiæ; quia efficienter tribuunt ſpeciebus vim quamdam & virtutem ſignificandi, ac continendi ſub ſe Corpus & Sanguinem Chriſti?

86. Ut verba ſint forma non debent conſiderari ut moraliter permanentia.

Neque ad hoc neceſſe eſt, conſiderare illa verba ut moraliter permanentia; quoniam illis ſemel prolatis, non manet in poteſtate proferentis per eorum retractationem virtutem illam ſpecierum deſtruere; voluit quippe Chriſtus, ut ſpecies ſemel conſecratæ continerent Corpus ejus & Sanguinem, donec & uſque ipſæ ſpecies ita corrumperentur, ut ſubſtantia panis & vini deſineret, ſi ſubeſſet.

Significatio ſpecierum dependet in fieri à verbis Conſecrationalis

Quamobrem licèt vis & ſignificatio ſpecierum dependeat in fieri à verbis Conſecrationis, ita ut ſcire nequeam præſentiam Corporis Chriſti ſub illis, niſi cognoſcam verba prolata: attamen in facto eſſe, ſive in conſervari, potiùs dependet proximè ab illis ſpeciebus, ſive ab earum incorruptione; tamdiu enim ſignificant, & continent Corpus Chriſti, quamdiu manent incorruptæ. Aliud fortè dicendum eſſet, ſi Sacerdos, ſicuti per illa verba contulit vim & ſignificationem; ita per retractationem eorumdem verborum poſſet illam auferre. Hæc ſatìs de prima inſtantia.

In facto eſſe ſpecierum à verborum incorruptione.

87. Aſſigno alteram ſpecialiter contra Card. & inquiro ab illo; an non pari paſſu Florentinum ſuprà doceat, omnia Sacramenta perfici materiâ, formâ, ac perſonâ miniſtri cum debita intentione? Verba textûs ſunt clariſſima. Num ideo Eminent. aſſerit intentionem intrinſecè componere hoc Sacramentum? Convenientius, inquit n. 89. videtur, eam intentionem, licèt in aliis Sacramentis componat intrinſecè Sacramenta, in hoc tamen ſolùm extrinſecè requiri ad ponendas partes intrinſecas Sacramenti.

Secundùm Lugonem intentio non componit intrinſecè hoc Sacramentum.

Et verò ſi ipſi licet excipere à communi regula intentionis; quid prohibet me excipere à communi regula materiæ vel formæ? Certè arbitror tantam, aut majorem nos habere rationem negandi formam verborum componere Euchariſtiam permanentem per modum partis intrinſecæ, quàm Eminent. affirmandi intentionem, licèt in aliis Sacramentis componat intrinſecè, in hoc tamen ſolùm extrinſecè requiri ad ponendas partes intrinſecas Sacramenti.

Cur ergo verba Conſecrationis?

88. Aſſignat Lugo diſparitatem,

Et quod quæſo ejus fundamentum? Nam ipſa, inquit, intentio ſecundùm ſe non conſtituit in ratione ſigni ſenſibilis, nec ipſa ſentitur, niſi per verba: non ergo requiritur, ut conſtituens intrinſecè Euchariſtiam in ratione ſigni ſenſibilis, neque etiam requiritur, conſtituens intrinſecè in ratione cauſantis gratiam; nam licèt intentio illa conſtituat verba in ratione cauſæ ad ponendum Corpus Chriſti ſub ſpeciebus, non tamen conſtituit principium immediatum, à quo poſtea cauſatur gratia ſacramentalis, quæ eſt propria cauſalitas Sacramenti, ut Sacramentum eſt.

quam impugnat & evertit Dicaſtillo,

Hanc rationem multis impugnat, & evertit Dicaſtillo diſp. 1. de Sacramentis in genere à n. 360. oſtendens, vel in nullo Sacramento intentionem eſſe partem intrinſecam, vel in omni, etiam Euchariſtiâ. Vide Auctorem citatum.

89. Cauſalitas Corporis Chriſti eſt propria huic Sacramento, ſicuti cauſalitas gratiæ eſt propria Sacramento in genere,

Paucis reſpondeo, ſpecies conſecratas eſſe Sacramentum, non tantùm unius rei, ſcilicet gratiæ ſanctificantis, ſed etiam Corporis Chriſti, teſte Innocentio in cap. *Cùm Martha* ſuprà allegato; imò cauſalitas Corporis Chriſti propria eſt huic Sacramento, non minùs quàm cauſalitas gratiæ ex opere operato eſt ſpecialis & propria Sacramento in genere.

Si ergo intentio in aliis Sacramentis, ſecundùm Cardinalem, eſt pars intrinſecè componens, quia conſtituit materiam & formam in ratione cauſantis immediatè gratiam ſanctificantem: pari ratione intentio debet ſtatui pars intrinſeca hujus particularis Sacramenti, quia nempe mediis verbis, quibus redditur per accidens ſenſibilis, prout in aliis Sacramentis, conſtituit ſpecies ſignum & cauſam immediatam gratiæ ſubſiſtentis; vel, ſi mavis, conſtituit verba immediatum principium Corporis & Sanguinis Chriſti (quæ principiatio propria eſt Eucha-

Eucharistiæ, ut dixi) sicut intentio in aliis Sacramentis constituit formam verborum immediatum principium gratiæ accidentalis.

Ergo intentio hîc erit æqualiter pars intrinsecè componens hanc particularem rationem Sacramenti, puta significationem efficacem Corporis Christi; veluti in aliis Sacramentis est pars intrinseca significationis efficacis, seu signi efficacis gratiæ sanctificantis; vel si hîc non est, quod verius existimamus, nec ibi erit. Vide dicta disp. 1. sect. 3. concluſ. 1.

Ostenditur paritas inter verba Consecrationis & intentionem.

Profectò, ut bene advertit Dicastillo suprà n. 365. si verba Consecrationis forent pars intrinseca Sacramenti; cùm illa verba non significent practicè gratiam, sive substantialem, sive accidentalem, nisi ut affecta intentione; quidni etiam ipsa intentio sit pars intrinseca?

90. Assignatur secundum fundamentum Lugonis,

Ecce pervenimus ad secundum fundamentum Lugonis petitum ex ratione; quia species, inquit, prout condistinctæ à verbis, non possunt habere integram rationem Sacramenti: prout sic enim non habent integram & completam significationem sensibilem gratiæ nutrimentalis, qualis requiritur ad Sacramentum Eucharistiæ; ergo in ratione Sacramenti reduplicant ipsam Consecrationem, seu verba Consecrationis.

ad quod patet ex dictis responsio.

Ad hoc fundamentum patet responsio ex jam dictis: quippe Doctor Subtilis numquam negavit verba tribuere vim significandi speciebus consecratis; sed constanter asseruit, & asserit, verba, utpote transeuntia, non reddere species signum sensibile per modum partis formalis, physicè & intrinsecè componentis Sacramentum Eucharistiæ physicè & realiter permanens; quod enim physicè non existit, non potest physicè alterum componere.

91. Sed numquid species accipiunt significationem sensibilem gratiæ nutrimentalis, qualis requiritur ad Sacramentum Eucharistiæ, à verbis sine intentione? Quis credat? Fateatur ergo Card. vel verba non esse partem intrinsecam, vel etiam intentionem esse. Quòd enim intentio per se non sit sensibilis, parùm refert ut sit pars Sacramenti, vel non; siquidem nec ipsum Corpus Christi per se est sensibile in Sacramento, sed solùm per accidens ratione specierum & verborum, & tamen est verum Sacramentum, id est, signum efficax unitatis & charitatis, ut loquitur Innocentius suprà, imò ipsum solum est rectum significatum Eucharistiæ juxta mentem Lugonis.

Non requiritur, quòd illud, quod est Sacramentum, sit per se sensibile.

Potestas sacerdotalis non magis intrinsecè componit Sacramentum Pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ.

Et verò hoc ipso argumento ostenditur, eumdem Auctorem perperàm affirmare, potestatem sacerdotalem Ministri intrinsecè magis componere Sacramentum Pœnitentiæ, quàm Eucharistiæ. Enimverò sicut verba Absolutionis prolata à Laico non significant practicè remissionem peccatorum, adeòque non sunt vera forma Sacramenti Pœnitentiæ, & ideo defectu formæ Sacramentum non consistit: sic pariter verba Consecrationis prolata à non Sacerdote nequaquam significant practicè Corpus Christi aut gratiam accidentalem, & ex consequenti neutiquam sunt vera forma Eucharistiæ, quæ etiam propterea defectu formæ non subsistit. Vel ergo in utroque Sacramento potestas sacerdotalis, non solùm ut sensibiliter significata (quod Card. admittit suprà n. 93.) sed etiam in seipsa est pars intrinsecè componens, vel in neutro, ut habet verior & communis sententia.

92. Quod attinet ad actionem transubstantiativam, hæc, secundùm nostra principia, non aliâ ratione est pars intrinsecè componens Sacramentum permanens Eucharistiæ, quàm causalitas gratiæ sanctificantis est pars intrinseca cujuscumque Sacramenti, quod consistit in usu; non enim est aliud, quàm actio physica, quâ Deus, permotus verbis Consecrationis, sub speciebus panis producit præsentiam Corporis Christi, eamque conservat dependenter à speciebus consecratis; quemadmodum causalitas gratiæ sanctificantis est actio physica, quâ Deus, permotus signo sacramentali, infundit subjecto disposito gratiam sanctificantem.

Actio transubstantiativa non aliter pars intrinseca Sacramenti permanentis,

quàm causalitas gratiæ sanctificantis.

Sicuti ergo productio illa physica gratiæ à Deo, aut moralis à Sacramentis, quæ consistunt in usu, non censetur pars intrinseca Sacramenti, sed via ad effectum; pariformiter actio transubstantiativa via est ad effectum Eucharistiæ permanentis, & non pars, ipsam intrinsecè componens sub ratione permanentis.

Dico, *Sub ratione permanentis*; quia in quantùm species, & Corpus Christi sunt Sacramentum gratiæ sanctificantis, eatenus includunt præsentiam sacramentalem; adeoque actionem, quâ præsentia illa, vel physicè à Deo, vel moraliter causatur à speciebus.

93. Quid sit moralis causalitas specierum, *Scotus*.

Et si quæras, quid sit illa moralis causalitas specierum; accipe verba Doctoris Subtilis 4. dist. 8. q. 1. n. 6. *Dico enim, quòd hoc modo intelligitur illa propositio*; Sacramentum efficit, quod figurat, *id est, si significat aliquid fieri, illud per Sacramentum, tamquam per signum efficax fit: si autem significat aliquid esse, illud per Sacramentum, tamquam per signum verax est.....*

Et cùm dicitur, quòd nulla virtus finita potest agere ad esse Corporis Christi ibi: Concedo propriè loquendo de actione; potest tamen aliqua virtus finita, vel aliquid virtutis finitæ, esse dispositio immediata ad esse Corporis Christi ibi: non à se, sed à Deo assistente ibi: Et hoc modo instituit illas species, ut post Consecrationem assistat eis ad hanc præsentiam Corporis Christi. Igitur solæ species consecratæ sunt signum sensibile practicum permanens gratiæ subsistentis, sive Corporis & Sanguinis Christi; adeòque Sacramentum Eucharistiæ permanens.

in quibus solis consistit ratio Sacramenti permanentis?

94. Contrà: illam assistentiam divinam accipiunt species per verba Consecrationis; ergo ipsa sunt Sacramentum. Distinguo Consequens; Sacramentum transiens, id est, signum transeunter causans

Verba enim Consecrationis sunt Sacramentū transiens.

causans Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus, Concedo totum : Sacramentum permanens, id est, signum sensibile permanenter efficiens, Neg. Conseq. quippe quod ipsum realiter non permanet, non potest permanenter realiter significare. Porrò ex institutione speciali hujus Sacramenti, signatum principale sacramentale est Christus realiter permanenter præsens; quoniam sic manet ad usum.

Sed instas: Sacramentum conficitur verbis Sacerdotis, atqui species non conficiuntur, sed præexistunt; ergo &c.

Respondeo ad Minorem; species confici non secundùm se, sed prout consecratæ, & eatenus ipsæ efficiunt Corpus & Sanguinem Christi, per specialem, ut dictum est, assistentiam divinam illa ibi conservando. Sic etiam Sacerdos orationibus conficit, non aquam secundùm se, sed aquam benedictam. Atque hæc de prima parte Conclusionis ad superabundantiam.

Transeo ad secundam, quæ vix indiget probatione. Interim ratio fundamentalis sit: quia omnia ibi enumerata sunt signum sensibile practicum gratiæ, vel inhærentis, ut species & Corpus Christi, vel saltem subsistentis, ut verba Consecrationis, quæ significant & causant in fieri Corpus Christi sub speciebus; vel per modum cibi spiritualis, & eatenus sunt verè Sacramentum, & remotè etiam significant, & causant gratiam sanctificantem; vel certè per modum hostiæ Sacrificii, quatenus separatim constituunt Corpus & Sanguinem sub diversis speciebus in protestationem summi Dei dominii in mortem & vitam; ac in tantum habent rationem Sacrificii, & non propriè Sacramenti. Vide dicta disp. 1. sect. 1. concluſ. 2.

Major difficultas est de tertia parte Concluſ. puta de sumptione, quæ quidem ex sententia Doctoris Subtilis 4. dist. 8. q. 1. n. 5. significat nutritionem spiritualem, quæ est per gratiæ collationem, tamen, ut loco mox citato ex disp. 1. probavimus, verosimiliùs eam non causat, sed solùm est conditio, sine qua non Eucharistia spiritualiter nutrit; sicuti comestio cibi naturalis est conditio, sine qua regulariter cibus corporalis non nutrit naturaliter.

Cæteroquin, cùm non in omnibus æqualis sit ratio cibi corporalis & spiritualis; sed hujus virtus causandi, & effectus pendeant ex libera voluntate Christi: si quis mordicùs contendat, gratiam promissam esse, tamquam causæ, non solis speciebus consecratis, sed earum etiam manducationi, nolo pugnaciter contradicere; neque enim satis perspicio, quo argumento oppositum possit convinci. Siquidem quòd Eucharistia, ut loco prælegato disp. 1. diximus, à quolibet applicata habeat suum effectum, nemo potest negare; equidem non nisi manducata ab homine.

Si inferas: ergo extraordinariè per miraculum posita in stomacho sine manducatione, non conferret gratiam. Respondeo; viâ ordinariâ, id est, per modum Sacramenti, Concedo; verumtamen credendum est, quòd qui per speciale privilegium hostiam immittit stomacho; etiam per similem prærogativam (non vi præcisè institutionis hujus Sacramenti) inibi sit causaturus gratiam sanctificantem: quemadmodum Christus viâ extraordinariâ, sine prævia confessione, remisit peccata paralytico, dicens Matth. 9. v. 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* *Matth. 9.*

Atque ut sumptio esset Sacramentum transiens; numquid etiam dispositio subjecti & intentio? Minimè: enimverò licet actu Eucharistia non causet gratiam, nisi sumpta cum intentione à subjecto dispositio, quando subjectum est capax intentionis ac dispositionis, quid inde, cùm sufficiat dispositio metè interna, similiter merè interna intentio? Sacramentum est signum sensibile efficax gratiæ ex opere operato: dispositio autem aliquod tantùm meritum congruum, vel condignum; similiter intentio conditio solùm est requisita ex parte suscipientis, non ad valorem Sacramenti, ut patet; sed ut Communio sit voluntaria ac humana. Plura inferiùs, ubi de effectu Eucharistiæ. Quod non est dicendam de dispositione subjecti, aut intentione.

In præsenti sequitur examinanda unitas ejus ac multiplicitas. Cùm enim apud Catholicos constet Sacramentum hoc institutum fuisse sub speciebus panis & vini, controversia oritur inter illos, An duæ illæ species constituant duplex specie Sacramentum, an verò unicum. Pro resolutione erit

CONCLUSIO V.

Species panis & vini sunt Sacramentum specie unum, unitate integritatis, non indivisibilitatis.

97. Eucharistia est una totali specie infimâ; includit equidem plures partes specie differentes, quarum singulæ sunt Sacramentum.

ID est, Eucharistia est unica totali specie infimâ, etsi includat partes specie differentes, quarum singulæ sunt verum Sacramentum.

In hac Conclusione quoad rem omnes conveniunt. Quæris quæ sit illa res? Responsionem habeat Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 3. ubi declarat; *Quamvis Redemptor noster..... in suprema illa Cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit; tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumq. Sacramentum sumi, ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Probatur ex Tridentino,

Ubi Concilium docet Primò; in duabus speciebus hoc Sacramentum fuisse institutum. Quæ illæ? Nonne species panis & vini? Et illa accidentia numquid specie physicâ distincta? docente in duabus speciebus esse hoc Sacramentum institutum,

Quis dubitat? Signa ergo distincta. Sed & significata diversa, Corpus scilicet, & Sanguis; quorum neutrum in altero essentialiter includitur, & ideo ex vi verborum separatim ponuntur; Corpus quidem sub speciebus panis, Sanguis autem sub speciebus vini, adeoque per se separatim significantur.

98. quæ etiam causant distinctas gratias inhærentes;

Numquid etiam causant distinctas gratias inhærentes? Equidem Corpus, utpote cibus, videtur causare gratias actuales magis confortativas; Sanguis verò, utpote potus, gratias magis exhilarativas, juxta illud Hymni Ecclesiastici: *Dedit fragilibus Corporis ferculum, dedit & tristibus Sanguinis poculum.*

saltem una causat per modum cibi, altera per modum potûs,

Et dato quòd utraque species eandem prorsus gratiam conferret, una equidem significat per modum cibi, altera per modum potûs: sicuti ergo cibus & potus, quamvis unam moralem refectionem constituant, specie tamen physicâ distinguuntur inter se; ita Sacramentum Corporis & Sanguinis, quod assimilatur potui & cibo, licèt sit moraliter una refectio spiritualis, equidem in se complectitur plura partialia Sacramenta specie physicâ inter se distincta, tamquam partes integrales, quatenus integrant unum perfectum convivium, quod constat cibo & potu.

integrantes unum perfectum convivium:

Sicut domus, etsi sit species infima, tamen habet varia ingredientia specie distinctâ, quæ illam integrant. Et sicut unum integrum convivium integratur ex variis ferculis, quorum tamen singula sunt verus cibus.

99. *Trident.*

Quapropter Tridentinum suprà, docet secundò: *Sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi.* Nota quòd non dicat, *Totum atque integrum Sacramentum*, sed, *verum Sacramentum*, quo significet unam speciem ab altera separatam, esse propriè dictum Sacramentum, signum scilicet sensibile, practicum gratiæ sanctificantis necessariæ, & sufficientis ad salutem; adeoque secundùm se perfectum, & in ratione essentiali Sacramenti integrum: sic tamen, quòd cum altera specie conjuncta, componat unam aliquam refectionem sive convivium, quod propriè intelligitur per totum atque integrum Sacramentum Eucharistiæ.

100. de qua unitate integritatis loquitur Doctor Subtilis;

Hæc est unitas integritatis, de qua loquitur nostra Conclusio, juxta mentem Doctoris Subtilis suprà numero 4. ibi: *De unitate hujus Sacramenti dico, quòd bene possibile esset plura sensibilia concurrere in fundamento unius Sacramenti simpliciter, ut suprà dictum est de ablutione, & verbis in fundamento relationis Baptismi: sed ibi neutrum illorum est aliquid illius Sacramenti sine altero: hîc autem, & species panis continent suum signatum sine speciebus vini, & è converso.*

Hîc docet Scotus utramque speciem non constituere unum aliquod indivisibile Sacramentum, sicuti ablutio, & forma verborum componunt unum aliquod indivisibile Sacramentum Baptismi.

Pergit, & considerans Corpus, prout est aliud essentialiter à Sanguine, scilicet prout includit solas partes animatas, cujusmodi non est Sanguis: *Licèt*, inquit, *ipsum, & Sanguis sint primò diversa signata: tamen constituunt unum signatum totale, quod est Corpus secundo modo*, videlicet ut omnia illa includit, quæ pertinent ad totum corpus organicum, sive sint partes animatæ, sive sint alia non formaliter animata, ut humores & spiritus. *Et ita signum proprium Corporis primo modo, & signum proprium Sanguinis possunt esse unum signum unitate integritatis, non autem indivisibilitatis.*

ejusque assignat congruentiam.

Congruentiam ibidem subjungit dicens: *Congruit autem hoc Sacramentum habere talem unitatem integritatis, & non indivisibilitatis, quia est ad completam nutritionem animæ, quæ significatur per completam nutritionem corporis: completa autem nutritio corporis sit ex aliquo uno unitate integritatis, non unitate indivisibilitatis, scilicet ex alimento; non enim nutrit sufficienter cibus sine potu, nec è converso.*

101.

Ecce unitas integritatis hujus Augustissimi Sacramenti. Ecce unica totalis species infima desumens suam unitatem atque totalitatem, partim ex significato principali, quatenus utraque species de facto significat totum atque integrum Christum; partim ex significato secundario, in quantum gratia, quæ confertur per unam speciem, quantumvis sufficiens ad salutem, sive ad spiritualem nutritionem (in quo distinguitur à cibo corporali, qui, secundùm Doctorem suprà, non sufficienter nutrit sine potu) ordinatur ad unam aliquam completam nutritionem cum gratia alterius speciei.

Unitas & totalitas hujus Sacramenti desumitur partim ex significato principali, partim ex secundario.

Vi verborum sub speciebus panis non nisi Corpus, sub speciebus vini non nisi Sanguis ponitur.

Enimverò licèt ex vi verborum præcisè sub speciebus panis non ponatur nisi Corpus, & sub speciebus vini non nisi Sanguis; ita quòd in triduo mortis fuissent absolutè separatim posita, tamen de facto non significantur, nisi prout in re existunt: cùm ergo conjunctim semper inveniantur, eatenus etiam per utrumque Sacramentum significantur, etsi non præcisè ex vi verborum; ut proinde utraque forma, & ex consequenti species, unum constituant totale Sacramentum, significans verum atque integrum Christum: species quidem panis per modum cibi, species autem vini per modum potûs, adeoque significatio unius ordinatur ad integrandam cum significatione alterius integram significationem unius convivii, quod suprà Scotus intelligit per *Alimentum.*

Utriusque tamen significatio partialis integrat significationem unius convivii.

102.

Ex quo patet responsio ad hanc illationem: Ergo qui suscipit unam speciem, non suscipit integrum Sacramentum Eucharistiæ; nec in

Sacrario

Sacrario asservatur integrum Sacramentum sub una specie.

Quippe licèt in rigore loquendo, ut notat Card. Lugo disp. 2. sect. 1. n. 12. hæ, & similes consequentiæ possent concedi sine inconvenienti; siquidem adhuc quælibet species simpliciter appellari deberet Sacramentum (quod sufficit ad salvandas locutiones Conciliorum & SS. Patrum) sicuti qui comedit partem carnis, dicitur simpliciter comedere carnem, licèt non comedat carnem integram, sed partialem: nihilominus convenientiùs dici videtur de singulis speciebus, non esse integrum convivium sive alimentum, quàm non esse integrum Sacramentum. Sic qui in prandio sumit unum ferculum, non rectè dicitur sumpsisse integrum prandium, bene integrum cibum.

Similiter ergo qui accipit unam speciem Eucharistiæ, accipit quidem integrum cibum, qui est verum Sacramentum, & essentialiter integrum, quia sufficienter causat gratiam nutrimentalem, non est tamen propterea integrum convivium; quia hoc significat totum aliquod artificiale ex multis ferculis, sive ex cibo & potu; quod compositum non invenitur in singulis speciebus seorsim, tametsi per separationem fiant totalia Sacramenta, cùm antè solùm essent partialia, sicuti pars aquæ separata, fit aqua totalis. Quæ magis vera apparent in sententia probabili, affirmante unam speciem seorsim sumptam conferre æqualem gratiam & eundem planè effectum.

Porrò hanc unitatem integritatis, & non aliam, docet Catechismus Romanus parte 2. cap. 4. quæst. 10. in principio: *Licet*, inquit, *duo sint elementa; panis scilicet, & vinum, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum conficitur, non tamen plura Sacramenta, sed unum tantùm esse, Ecclesiæ auctoritate docti confitemur.* Rationem subjungit: *Aliter enim septenarius Sacramentorum numerus, quemadmodum semper traditum, atque à Concilio Lateranensi, Florentino, & Tridentino decretum est, constare non poterit.*

Sicuti autem huic numero non repugnat diversitas specifica plurium Ordinum, quia nimirum omnes illi Ordines sunt tantummodò plura Sacramenta partialia, ex quibus conflatur unum aliquod totale ac completum Sacramentum, quod significat efficaciter gratiam necessariam ad ministerium Ecclesiasticum; & quia omnes spectant & diriguntur ad unam aliquam potestatem in Ecclesia militante: sic quoque minimè obstant eidem numero plures partes Eucharistiæ specie differentes, quarum singulæ sunt verum Sacramentum & totale, quando seorsim accipiuntur, quia omnes ordinantur ad unum aliquod integrum & perfectum convivium, sive spiritualem animæ refectionem.

Et hanc differentiam partium satis significat Catechismus suprà, quando dicit: *Vnum esse oportet* (hoc Sacramentum) *atque unum quidem, non quia individuum sit, sed quia unius rei* (juxta jam dicta) *significationem habet.*

Eadem diversitas partialis colligitur ex Collecta Missæ de Venerabili Sacramento ibi: *Sacramenta quæ sumpsimus:* & oratione post Communionem Missæ de Beata Virgine ibi: *Sumptis Domine salutis nostræ subsidiis:* atque ex pluribus aliis locutionibus Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum ac Conciliorum, in quibus Eucharistia nuncupatur Sacramenta, utpote in se complectens plures partes, quæ singulæ sunt verè & propriè dicta Sacramenta, instar diversorum Ordinum, qui quidem in se, & specie suâ partiali seorsim collati, sunt Sacramenta totalia, simul tamen sumpti constituunt tamquam partes integrales unum aliquod Sacramentum Ordinis, non unum individuum, sive unitate indivisibilitatis, sed unitate integritatis, de quo plura proprio loco; non enim in omnibus est paritas.

Hæc insuper colligitur ex Collecta Missæ de Venerabili Sacram.

Utcumque sit, si multiplicitas Ordinum, quæ major est, stat cum decreto à Conciliis numero septenario, magis stabit multiplicitas Eucharistiæ. Et si intelligi possit conflari unum Sacramentum ex 7. vel 8. Ordinibus, quantò potiùs ex duabus speciebus Eucharisticis componi poterit unum signum sacramentale, quod simpliciter Sacramentum, sive Eucharistia appelletur?

Cum hac diversitate stat septenarius numerus Sacramentorum.

Atque hæc quidem de unitate, & distinctione specifica; progrediamur ad numericam, pro qua ponitur

CONCLUSIO VI.

Sacramentum Eucharistiæ multiplicatur numero penes multiplicationem specierum, factam etiam post Consecrationem.

SIc consequenter loquendum est ad nostra principia: quippe Conclusione quartâ docuimus solas species consecratas absolvere essentiam hujus Sacramenti, ut est permanens, & species dumtaxat in recto importari. Quidni ergo speciebus numero multiplicatis, etiam multiplicetur Sacramentum? Ita enim plures homines habentes eandem albedinem, denominantur plura alba, propter multiplicationem significati recti. 105.

Multiplicatis numero speciebus, multiplicatur Sacramentum.

Hæc controversia de modo loquendi est, non de re, & ideo dixi sic consequenter loquendum esse: nam quod attinet ad ipsam rem; constat apud omnes; Primò Corpus & Sanguinem sub omnibus speciebus esse numero eadem. Secundò species physicè numero distingui,

juxta physicam earum multiplicationem, sive ab invicem separationem. Tertiò non esse eandem numero gratiam, quæ diversis communicantibus confertur. Quartò non causari majorem gratiam à pluribus hostiis simul sumptis, quàm ab una sola, nisi interior dispositio augeatur.

106. Dissensio est inter Doctores; An Sacramentum vocari debeat numero multiplex per ordinem ad species, an verò per ordinem ad Corpus Christi, aut sumptionem ejus.

Card. Lugo hîc disp. 2. sect. 2. n. 15. consequenter ad sua principia docet; Sacramentum Eucharistiæ nec per pluralitatem specierum, nec sumptionum multiplicari numero, sed simpliciter, & absolutè loquendo posse dici unum & idem numero Sacramentum Eucharistiæ, quod ubique terrarum ab omnibus fidelibus accipitur.

Lugo putat debere dici unum ratione Corporis in recto per Eucharistiam importati;

Existimat siquidem Eucharistiam in recto importare Corpus Christi, & species in obliquo: jam autem ad pluralitatem concreti, debet plurificari significatum rectum: non enim essent duo alba, si duæ albedines ponerentur in eodem subjecto: bene autem è contra, ut statim diximus, si una albedo poneretur in duobus subjectis. Cùm ergo idem Corpus contineatur sub omnibus speciebus, sequitur manifestè ex principio Cardinalis idem numero Sacramentum sumi ab omnibus fidelibus.

quod putat significasse Apostolum 1. Cor. 10.

Et hunc modum loquendi putat significasse Apostolum 1. Cor. 10. v. 17. *Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus.* Quod intelligi debet de unitate numerica, alioquin non bene dicerentur omnes fideles unum corpus, sicut nec in naturalibus bene infertur esse omnes idem corpus, quia de eodem alimento in specie participant. Hæc Eminent.

107. Quæ utique, supposito contrario principio, probant nostram Conclusionem. Multiplicatâ etenim totâ essentiâ, aut saltem parte essentiali, necesse est ipsum totum multiplicari.

qui explicatus

Ad Apostolum dico, intelligi posse, vel de unitate numerica rei contentæ sub speciebus, quæ aliquando à SS. Patribus appellatur simpliciter Sacramentum, vel de unitate specifica specierum, attentâ, sive conjunctâ cum unitate numerica Corporis, quæ sufficiens est, ut Sacramenta alioquin physicè numero distincta, unum & idem numero moraliter Sacramentum constituant. Numquid secundùm Apostolum omnes fideles unum numero physicè Corpus? Minimè, inquis, sed moraliter ac mysticè. Ergo similiter unus numero panis moraliter ac mysticè.

Cæteroquin, an etiam idem numero Baptismus in omnibus fidelibus? An eadem numero fides? Et tamen teste Apostolo ad

Ephes. 4. Ephes. 4. vers. 4. & 5. *Unum corpus & unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ. Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.*

Sicuti ergo propter unitatem specificam fidei, & unitatem specificam Baptismi omnes fideles unum corpus mysticum sumus; sic itidem dici possumus unum corpus mysticum propter unitatem specificam panis Eucharistici, de quo omnes participamus; tametsi in naturalibus non bene inferatur, esse omnes idem corpus physicum, quia de eodem alimento in specie participant. de unitate specifica, uti fidei & baptismi, ita & panis Eucharistici.

Disparitas est; quia alimentum corporale convertitur in substantiam aliti: si ergo alimentum numero distinctum, etiam substantia aliti similiter diversa; quod liquet non habere locum in alimento spirituali respectu corporis mystici. Et verò quis ignorat non semper valere argumentum à physicis & naturalibus, ad moralia & mystica?

Sed rursus contra Conclusionem arguit Card. suprà n. 19. Ex ea sequitur, in pixide tot esse Sacramenta, quot sunt particulæ consecratæ; hoc autem difficile est: Primò, quia est contra communem modum loquendi: nemo enim dicit Sacerdotem, dum sumit hostiam in tres partes divisam, sumere tria Sacramenta Eucharistiæ: sicut nec qui comedit frustum panis in tres partes divisum, dicitur comedere tres cibos. Secundò, quia si essent plura Sacramenta, deberent causare plures gratias, & habere plures significationes distinctas. 108. Nova Lugonis objectio proponitur. Ejusdem prima probatio. Secunda probatio.

Respondeo ad primum; in rigore sine aliquo inconvenienti admitti posset hujusmodi locutio: communiter tamen homines oppositum pronuntiant; quia tres illæ partes, vel tres integræ hostiæ (perinde enim est sive sit hostia disjuncta ab aliis ante Consecrationem, sive particula decerpta ex hostia post ejus Consecrationem) habent eundem effectum, & ita in morali æstimatione censentur quasi unum Sacramentum, cùm à parte rei & physicè sint plura: quemadmodum cùm plures unum baptizant, licèt physicè efficiant plura Sacramenta, tamen propter identitatem effectûs communiter dicuntur unus Baptismus. Ad objectionem respondeo. Plures hostias censeri moraliter quasi unum Sacramentum propter eumdem effectum;

Alioquin quando plures hostiæ diversis distribuuntur hominibus, plura certè in communi sermone distribuuntur Sacramenta. Ut quid ita, nisi quia antea erant plura Sacramenta, nata ex se causare diversum effectum in multis subjectis? Quippe per solam localem disjunctionem non fiunt physicè plura, quæ antea non erant nisi unum: bene per discontinuationem partium unius entitatis physicè continuæ.

Ad secundum nego istam sequelam: Sunt plura Sacramenta, ergo causant plures gratias sive effectus: contrarium quippe cernitur in casu, quo duo simul eundem baptizant, probabiliter, ut ostendimus disp. 2. sect. 5. concluſ. 6. per plura Baptismata. 109. & plura Sacramenta non debere causare plures effectus,

Causæ totales sint ejusdem effectûs, sive partiales, non curo: etenim homo & equus, ut

causæ

causæ partiales trahentes eundem currum manent specie distinctâ. Similiter species panis & vini in ratione Sacramenti specie distinguuntur, tametsi in sententia multorum sint causæ partiales ejusdem effectûs gratiæ inhærentis. Ergo pariformiter plura Baptismata, & plures hostiæ consecratæ censeri debent plura Sacramenta numero distincta, etiam dato quòd concurrant ad eundem effectum instar causarum partialium.

Equidem quælibet species habet significationem suam & causalitatem independenter ab altera, sic quòd etsi sola esset, æquè significaret & causaret; ergo non constituit cum altera unum aliquod atque individuum physicè Sacramentum, sicuti duo homines simul portantes idem pondus, non constituunt propterea unum individuum hominem. Et eadem est ratio de Baptismo.

110. Unde sequitur contra Dicastillonem disp. 1. n. 75. plures hostias simul sumptas ab eodem, non solùm esse plura Sacramenta in actu primo, id est, plura signa, quæ seorsim ab aliis possent causare effectum gratiæ; verùm etiam in actu secundo: quia causant eandem gratiam, vel tamquam causæ totales, vel saltem tamquam causæ partiales, quæ licèt constituant unam causam totalem, adeòque Sacramentum unum totale, attamen in se manent Sacramenta partialia numero distincta.

Sicut species panis & vini simul sumptæ, & conferentes eandem gratiam, sunt & permanent Sacramenta partialia specie distinctâ, non tantùm per ordinem ad gratiam subsistentem, quæ sub qualibet specie, præcisè ex vi verborum, diversa est, scilicet Corpus sub specie panis, & Sanguis sub specie vini, quod secundùm nostra principia sufficeret; verùm etiam respectu gratiæ inhærentis.

111. Dico itaque ex unitate numerali effectûs, malè inferri unitatem numeralem hujus Sacramenti, cùm plures causæ, per diversas saltem partiales causalitates, possint unum & eundem individuum effectum producere. Et consequenter assero, si duo, vel plures rami virides, quorum singuli per se sufficerent ad significandum vinum venale, simul in unum fasciculum appenderentur ad portam, aut plura vexilla alba exponerentur in turri in signum pacis, ubi unum sufficeret; assero, inquam, plura ibi esse signa numero distincta, non solùm in actu primo, sed etiam in actu secundo; æqualiter siquidem repræsentarent potentiæ cognitivæ vinum & pacem, cùm nulla foret ratio, quare potiùs intellectus moveretur ab uno ramo aut vexillo, quàm ab alio.

Certè ignoro, quare Christus non potuisset distinctam conferre gratiam per plures hostias, etiam simul sumptas; sicuti confert distinctam gratiam, quando plures eumdem simul absolvunt ab eisdem peccatis. Cur autem in præsenti noluerit multiplicare illos effectus, penes ipsum est. Non dubito, quin propter multa inconvenientia, cuilibet rem perspicienti, obvia. Fortè etiam ut significaret idem Corpus sub omnibus hostiis contineri. Sed de effectu Eucharistiæ infrà. Nunc cum Lugone disp. 2. sect. 3. n. 21.

Opponis III. & instas; Sacramentum Pœnitentiæ habet etiam plures partes integrantes, quarum singulæ possent esse Sacramentum seorsim, & tamen non dicitur plura Sacramenta, sed unum propter unitatem moralem, licèt haberent distinctionem physicam: ergo idem dici potest de Sacramento Eucharistiæ. Majorem ostendit, quia posset quispiam bis confiteri eadem, idque cum duplici contritione: Sacerdos quoque ita pronuntiare formam, ut dimidia pars prolationis singularum syllabarum sufficeret ad integrandam sufficientem absolutionem velociùs prolatam, unde illa prolatio posset dividi in duas.

112. Objectio Lugonis, quòd Sacramentum Pœnitentiæ habet plures partes integrantes, quæ propter unitatem moralem sunt unum Sacramentum.

Respondeo; dividat Card. illam prolationem, sicut nos dividimus hostias; pronuntiet Eminent. unam dimidiam partem, alius aliam, confessio fiat utrique; & audeo dicere etiam cum unico dolore confici duplex Sacramentum; quemadmodum cum una prolatione verborum Consecrationis conficiuntur plura Sacramenta Eucharistiæ, si hostiæ, super quas proferuntur, actu sint distinctæ & ab invicem divisæ, quamvis una localiter sit conjuncta alteri, sive contigua. Quippe sola contiguitas plurium rerum, v. g. duorum hominum, sicut non facit ex illis unum numero hominem, ita sola contiguitas plurium hostiarum consecratarum, non efficit illas unum Sacramentum.

Responsio.

Utì nec simultanea earum sumptio, aut Consecratio. De Consecratione patet ex Sacramento Pœnitentiæ & Baptismi; quippe eâdem & unicâ formaliter formâ verborum plura simul administrantur Sacramenta, si suscipientes plures sint: ergo etiam eisdem verbis Consecrationis semel prolatis, effici possunt plura Sacramenta Eucharistiæ, si hostiæ consecrandæ actu fuerint plures; quamvis enim sit unica Consecratio activa, passiva tamen multiplex, actu quidem, & formaliter, si hostiæ nunc sint multiplices; virtualiter autem, si una continua in plures divisibilis.

113. Sæpe multiplex est Sacramentum, ubi unica & eadem est forma verborum.

Quid si & ipsam Consecrationem activam dixero virtualiter multiplicem? Reverà eadem videtur ratio formæ Eucharisticæ, quando profertur supra plures hostias, & formæ Sacramenti Pœnitentiæ aut Baptismi, quando plures simul absolvuntur aut baptizantur.

Consecratio activa plurium hostiarum potest dici virtualiter multiplex.

Quod attinet ad sumptionem, quis ambigat simul sumi posse cibum & potum, v. g. partem hostiæ; quæ in calice est, unà cum vino? Et tamen sunt Sacramenta plura, ad minus numero. Idem argumentum formari potest de locali separatione, aut conjunctione. Ergo simi-

114. Ex unitate sumptionis,

aut locali conjunctione non sequitur unitas Sacramenti,

similiter plures hostiæ simul in altari existentes, aut simul sumptæ, non ex hoc amittunt diversitatem suam numericam, quam haberent, si successivè acciperentur ab eodem, aut eodem tempore à diversis, vel si in diversis altaribus collocarentur.

Lugo.

Respondet Card. suprà n. 26. Neg. Conseq. Sicut enim, inquit, duo cibi diversi, v. g. carnes, & poma, quando sunt simul in mensa, dicuntur duo cibi; plura tamen poma ejusdem rationis simul posita non dicuntur plures cibi, sed unus: sic Corpus & Sanguis Christi sub speciebus diversis dicuntur duo Sacramenta, quia heterogenëitas facit pluralitatem: duæ tamen hostiæ simul positæ non dicuntur duo Sacramenta, sed unum; quia in his homogenëis separatio facit pluralitatem, & conjunctio unitatem.

115. Sed hoc est quod quæritur: An sola separatio localis faciat pluralitatem numeralem, & conjunctio unitatem. Et retorquendo responsionem in Auctorem: sicuti duo homines sibi mutuò contigui, v. g. in eodem lecto, non dicuntur unus numero homo, sic neque plura poma ejusdem rationis posita in eadem scutella rectè vocantur unus numero cibus, secùs specie; ac per consequens plures hostiæ localiter conjunctæ in eadem pixide, quamvis sint idem Sacramentum specie, non tamen propterea idem numero.

Et ulteriùs, licèt in calice sit unum numero Sacramentum, tamen plures ex eodem bibentes, plura numero recipiunt Sacramenta; non præcisè propter diversam sumptionem, aut localem separationem specierum à se mutuò, sed per divisionem partium unius entis contigui à toto: sicut ex una aqua fiunt duæ per separationem, sive sublationem, non contiguitatis seu localis approximationis, sed continuationis. Ac propterea additur in Conclusione: *Factam, etiam post Consecrationem.*

nè nec multiplicitas præcisè ex diversa sumptione aut locali separatione specierum.

116. De cætero eadem hostia sumpta ab uno, & evomita; rursusque ab altero, vel ab eodem resumpta; tametsi diversos causet effectus gratiæ, idem erit numero Sacramentum; intellige, permanens, de quo intelligitur nostra Conclusio: nam transiens aliud, si verum est, sumptionem in ejus involvi essentiâ, & in recto importari dicendo: *Sumptio Eucharistiæ est Eucharistia transiens.* Atque idem communiter existimo de reconsecratione earumdem specierum, si consumptæ reproducerentur, modò hæc propositio admittatur: *Consecratio est Eucharistia transiens.* Patet, quia in casibus positis est verè duplex numero sumptio & Consecratio.

Eadem hostia bis sumpta idē Sacramentum permanens;

sed aliud Sacramentum transiens,

Ut ut sit de Sacramento transeunte; cùm Eucharistia permanens ante usum sit verum Sacramentum, & indifferens ut ab uno, vel pluribus accipiatur, non satis perspicio, quomodo ab usu pendeat ejus unitas, vel pluralitas; similiter ab effectu gratiæ sanctificantis, qui prius est Eucharistiæ transeunti, & ad quem actu causandum, unum, vel multiplicem, plures hostiæ sunt indifferentes, imò & unica hostia plures in se complectens partes, quæ seorsim pluribus possent distribui; præsertim cùm ratio Sacramenti non consistat in actuali causatione gratiæ, sed aptitudinali in subjecto disposito.

Unitas vel pluralitas Sacramenti permanentis non pendet ab usu, aut effectu gratiæ sanctificantis,

Intentio etiam Ministri, quâ intendit uni, vel pluribus dare, est nimis extrinseca: unus quippe potest habere intentionem dandi uni, alter pluribus.

Sed dices IV. cum Card. suprà n. 32. de eodem tritico & pane omnibus dabat Joseph Gen. 47. & tamen dicitur v. 12. quòd præbebat *cibaria singulis.* Et rursùs v. 22. Quòd Sacerdotibus *statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur.* Posset ergo similiter Eucharistia propter distributionem & separationem appellari multiplex cibus. 117. *Lugo.* *Gen. 47.*

Respondeo; si per separationem intelligas divisionem unius entis continui, v. g. magnæ hostiæ in suas partes; concedo Sacramentum multiplicari penes multiplicationem partium, quæ separantur: alioquin sicuti triticum illud, de quo omnibus dabat Joseph, non erat unum aliquâ verâ unitate, sed solùm aggregatum plurium rerum numero distinctarum; quemadmodum cumulus lapidum, in quo omnes lapides sunt verè numero distincti; ita in præsenti per distributionem plurium hostiarum, pluribus hominibus factam, non fiunt plura Sacramenta, quæ antea erant verè unum Sacramentum; sed dumtaxat amittunt denominationem cumuli Sacramentorum: veluti si plures lapides simul congregati, à se mutuò localiter separentur, ampliùs nequeunt appellari cumulus lapidum.

Sacramentum multiplicatur penes multiplicationem partium, quæ separantur.

Objicies V. Singulæ partes unius hostiæ, etiam ante divisionem, sunt distinctæ per suam hæccëitatem: ergo etiam ante separationem, sive fractionem hostiæ sunt plura Sacramenta. 118. Sed cur non multiplicetur ante fractionem?

Respondeo Neg. Consec. Non enim sic sunt distinctæ per suam hæccëitatem, quin constituant unam aliquam numero hostiam continuam, adeoque unum numero Sacramentum; post fractionem autem sicut constituunt diversas numero hostias, ita & diversa numero Sacramenta. Simile sit in aqua continua, cujus partes (esto ante separationem per suam hæccëitatem distinctæ) non sunt plures numero aquæ, nisi post sublatam continuationem, neque rursùm constituent unum aliquod numero ens, qualitercumque sibi mutuò approximentur, nisi per novam earum continuationem.

Quia tunc partes constituunt unam aliquam numero hostiam continuam:

post fractionem verò constituunt diversas numero hostias, adeoque diversa numero Sacramenta.

Quæ cùm ita sint: persisto in Conclusione, & iterum dico: Sacramentum Eucharistiæ permanens in rigore philosophico multiplicatur numero penes multiplicationem specierum, factam sive ante, sive post Consecrationem, impertinenter se habente locali approximatione, aut disjunctione; similiter simultaneâ, aut successivâ sumptione ab uno, vel à pluribus; item 119.

uno

Quamquam uno vel multiplici effectu: quamquam non rarò in communi sermone, propter simultaneam positionem in eodem loco; vel unicam sumptionem, aut etiam effectum, plures species unum simpliciter dicantur Sacramentum, & potissimùm propter unitatem rei contentæ, de qua intelligitur Divus Ambrosius in Epistola ad Heb. cap. 10. & ponitur de Consecratione dist. 2. cap. 53. *Una*, inquit, *est hostia, non multæ .... Sicut enim quod ubique offertur unum est Corpus, & non multa Corpora: ita & unum Sacrificium.*

Addere potuisset: *Et unum Sacramentum*, scilicet, quia una numero hostia, quæ sæpiùs significatur nomine Sacrificii; & unum numero principale significatum, quod etiam non rarò, ut suprà diximus, appellatur Sacramentum. Cæteroquin etiam plura esse Sacrificia, sive, ut ita loquar, Sacrificationes, nemini potest esse dubium, quippe Sacrificatio idem est quod Consecratio. Quis autem ambigat plures in Ecclesia Dei esse Consecrationes?

Quod autem aliqui objiciunt: Si Verbum assumeret plures naturas, non essent plures homines, sed unus, nullam habet difficultatem. Nam imprimis id posset negari; quia tamen communiter à Scotistis, tamquam ex mente Scoti, admittitur; Respondeo Neg. Conseq. quia secundùm nostra principia solæ species sunt Sacramentum permanens. Deinde Corpus Christi non est propriè subjectum specierum, ut proinde non requiratur ejus multiplicatio, ad multiplicationem concreti, sive Sacramenti.

110. Petes pro fine, an Eucharistia permanens numero & specie distinguatur à Sacramento transeunte, v. g. species quatenus practicè significant Corpus & Sanguinem Christi, à speciebus quatenus practicè significant gratiam inhærentem?

Ex hypothesi quòd Corpus & Sanguis Christi sint vera pars essentialis Sacramenti transeuntis, responsio affirmativa est indubitata; sed quia hypothesis ab aliquibus negatur, hinc ab eisdem negatur hujusmodi distinctio. Sed quæ ratio? Quia, inquiunt, licèt Corpus Christi sit conditio requisita ut species efficaciter significent gratiam inhærentem, ipsique possit tribui aliqua moralis efficacia gratiæ, quatenus intuitu præsentiæ illius Deus uberiorem gratiam per hoc Sacramentum confert; nullo tamen modo est signum practicum, cùm non sit sensibile. Ab aliquibus negatur specifica distinctio inter Eucharistiam trãseuntem & permanentem.

Nec satisfacit, quod dicunt alii, esse sensibile per species, sicuti contritio est sensibilis per confessionem: quippe longè alio modo contritio cognoscitur per confessionem, quàm Christus per species: inter illa enim est connexio naturalis tamquam inter causam & effectum, causa autem bene dicitur sensibilis per effectum: at inter species & Corpus Christi solùm est connexio voluntaria fide cognita, per quam non videtur illud fieri sensibile.

Sed hæc ratio est parvi momenti. Quid enim refert sive causa fiat sensibilis per effectum, sive effectus per causam? Vel ex quo probatur ad sensibilitatem Sacramenti requiri connexionem naturalem inter causam & effectum, & non sufficere voluntariam fide cognitam? Profectò infallibilior est, imò omnino infallibilis connexio inter species consecratas, tamquam causam, & Corpus Christi, ut earum effectum; cùm tamen sæpissimè fallat connexio confessionis cum vero animi dolore. Illorum fundamentum solvitur.

Hæc de modo loquendi. Pergo ad rem, materiam, inquam, hujus Sacramenti; pro qua statuitur

SECTIO SECUNDA.

De Materia Eucharistiæ.

1. Materia remota Eucharistiæ duplex est, panis, & vinum. Matth. 26.

LOquimur de materia remota, seu ex qua tamquam termino à quo hoc Sacramentum efficitur, quę duplex est, altera panis pro consecrando Corpore, altera vinum pro Sanguine. Cœnantibus quippe *eis*, inquit Matth. cap. 26. v. 26. 27. & 28. *accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; Discipulis suis & ait: Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

Dubitas forrè, quis liquor fuerit in calice? Auscultà quod sequitur v. 29. *Dico autem vobis: non bibam amodò de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.*

Similibus, imò pene eisdem verbis explicatur institutio hujus Sacramenti Marc. 14. & Luc. 22. Ut propterea nullus relinquatur ambigendi locus, etiam ipsis Acatholicis, de hac veritate, accedente præsertim traditione, & unanimi consensu Ecclesiæ.

Ratio principalis est (utor verbis Doctoris Subtilis 4. dist. 11. q. 6. n. 1.) *quia Christus talem materiam consecrandam instituit, & in signum institutionis tali materiâ consecrandâ usus est.* Congruentiam accipio ex eodem Doctore in fine ejusdem numeri: *Quia cùm Sacramentum illud sit signum nutrimenti spiritualis, in illis congruè instituitur, quæ sunt signa principalis nutritionis corporalis.* Ratio principalis voluntas Christi. *Scotus.* Congruentia.

Princi-

Principale autem nutrimentum, quantùm ad cibum, est panis triticeus, quantùm verò ad potum, vinum de vite. Itaque

CONCLUSIO I.

Materia essentialis Eucharistiæ ex qua, ut termino à quo, conficitur Corpus Christi, est panis triticeus usualis.

2. Panis latè sumptus ex triplici rerum genere conficitur.

PRænotandum primò; panem latè sumptum ex triplici rerum genere posse confici. Primò ex fructibus arborum, ut castaneis, amigdalis &c. Secundò ex leguminibus, ut fabis, pisis &c. Tertiò ex granis, quæ generali nomine frumenta dicuntur, ut sunt illa, quæ crescunt in aristas, ut triticum, spelta, secale, seu siligo, avena, hordeum &c. Equidem extra controversiam est, panem ex quibusvis fructibus, vel leguminibus confectum, non esse materiam aptam Consecrationi.

Dissentiunt Doctores quænam grana sint verè triticum.

Prænotandum secundò; Doctores valde dissentire, quænam grana frumentorum sint verè triticum: nam siliginem, far, & speltam multi putant essentialiter esse triticum, plures negant; de hordeo, avenâ, & similibus granis omnes negant. Hæc dissensio præcipuè oritur inde, quòd prædicta nomina ubique non idem significent, nec prædicta frumenta eodem modo in omnibus regionibus nascantur. Utcumque sit, non apparet repugnantia in hoc, quòd sint plura tritica specie distincta, sicuti sunt plura vina de vite specie distincta.

3. Panis triticeus usualis est materia hujus Sacramenti,

His prænotatis; Conclusio est Doctoris Subtilis suprà, & aliorum Theologorum communiter contra paucos, qui existimant materiam hujus Sacramenti posse confici ex quovis frumento, ex quo fit panis, qui absolutè & sine additamento sic vocatur, qualem putant esse confectum ex spelta, & siligine; imò (si consequenter velint loqui) ex hordeo; quippe panis hordeaceus, de quo fit mentio Joannis 6.

Joan. 6. v. 9. *Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos*, ab aliis Euangelistis simpliciter appellatur panis Mar. 6. v. 38. *Quot panes habetis?*

Mar. 6. Et infrà v. 41. *Et acceptis quinque panibus, & duobus piscibus* &c.

Luc. 9. Luc. 9. v. 13. *Non sunt nobis pluspiam quinque panes.* Et infra v. 16. *Acceptis autem quinque panibus, & duobus piscibus* &c.

Probatur ex Florentino.

Contra hos itaque Doctores probatur sententia communis ex Florentino in decreto Unionis, ibi: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Materia, inquam, essentialis; alioquin nihil certi haberetur ex Concilio Florentino de materiis & formis essentialibus Sacramentorum: eodem quippe modo posset quis dicere, aquam naturalem (& sic de cæteris) non esse materiam essentialem Baptismi, sed tantùm magis congruam. Sanè omnes unanimiter admittunt, vinum de vite esse materiam necessariam necessitate Sacramenti. Quidni ergo & panis triticeus?

Et quamquam Concilium non utatur expressè illâ voce, *Essentialis*, (utì neque in materiis, & formis aliorum Sacramentorum) equidem rem ipsam non obscurè significat, aliter planè loquendo de aqua, quæ solâ necessitate præcepti adhibenda est, quàm de vino: non enim dicit, *vinum aquâ mixtum*, aut *vinum lymphatum*, sed, *vinum*, inquit, *de vite, cui ante Consecrationem aqua modicissima adhiberi debet*, scilicet ex præceptò.

4. Ratio à priori est voluntas Christi. *Catech. Rom.*

Ratio à priori hujus veritatis est voluntas Christi, quam *Apostolica traditio* (verba sunt Catechismi Romani parte 2. cap. 4. §. 12.) *nos docuit, & Ecclesiæ Catholicæ auctoritas firmavit.* Accedat factum Christi: non enim verosimile est panes azymos (quibus in solemnitate Paschæ, in qua, ut suprà sect. 1. concluf. 2. probavimus, Christus hoc Sacramentum instituit, Judæi utebantur) ex hordeo, aut simili materia fuisse, & non potiùs ex tritico, quod simpliciter est hominibus cibus accommodatissimus: atque ut Scotus suprà loquitur: *nutrimentum principale*; alia quippe frumenta in defectum ejus adhibentur.

Unde & panes propositionis (de quibus Levit. 24. v. 5. quique fuerunt figura hujus Sacramenti) ex simila, id est, farina tritici conficiebantur, tamquam digniore, & magis confortativa, ideòque præfigurativa dignitatis, & efficaciæ hujus admirabilis Sacramenti.

5. Ratio congrua assignatur à Scoto.

Aliam congruentiam accipit Scotus suprà ex illo verbo Joan. 12. v. 25. *Nisi granum frumenti* &c. *Vbi Christus*, inquit Doctor, *se grano frumenti comparat. Vnde Aug. ibi: Cùm sint multa grana frugum, nulli se comparat nisi illi. Vnde mos cœpit Ecclesiæ, de hoc solo grano confici Corpus Christi.* Sed illa verba in textu non reperio. Quare Hiquæus in suo commentario ad illum locum Scoti num. 5. notat, non esse Divi Augustini, sed Glossæ.

Cujuscumque sint, per *frumentum* intelligit solùm triticum (quamvis aliquando generalitùs accipiatur) juxta illud Deuteron. 8. v. 8. *Terram frumenti, hordei, ac vinearum* &c. Ubi expressè distinguit Scriptura frumentum à cæteris granis, intelligens per *frumentum*, triticum, prout etiam intelligit Gen. 44. v. 1. *Imple saccos eorum frumento*, id est, tritico. Nam v. 25. sic lego: *Revertimini, & emite vobis parùm tritici.* Et alibi non rarò eâdem utitur acceptione. *Deuter. 8.* *Genes. 44.*

Quâ etiam usi fuerunt Concilia & Pontifices, qui dixerunt materiam Eucharistiæ esse panem ex frumento confectum, id est, ex tritico, quod inter frumenta potissimum est, & maximè usitatum.

Perinde

Sufficit triticum cuiuscumque speciei.

Perinde autem est, cujuscumque speciei (si plures dentur) triticum assumatur, dummodò à peritis certò judicetur, & communiter appelletur triticum: alioquin materia, aut absolutè erit insufficiens, aut saltem dubia, quod satis est, ut quilibet ab ea sub gravi peccato teneatur abstinere; cùm vix possit occurrere tanta necessitas, quæ usum materiæ dubiæ excuset ab irreverentia.

6. Sed cur additur in Conclusione ly *Vsualis?* Resp. ut excludantur à materia consecrabili pasta, id est, massa farinæ, aquæ subacta, nondum cocta, panes dulciarii, & similia, quæ quamvis fortè à communi pane specie physicâ non distinguantur; attamen nomen panis vel non sortiuntur, sed aliud distinctum; vel non nisi cum addito, ut patet in exemplis allatis.

Ad difficult. prim. & cō. dem ipse, n. 2. panis dicitur cō. fecta.

Oportet itaque quòd sit farina triticea, aquâ elementari coagulata, ab igne cocta per modum assationis in furno, sub cinere, ferro calido, aut simili modo; illa quippe sola simpliciter appellatur panis, & hujusmodi communiter homines utuntur: Scripturæ autem, & definitiones Conciliorum simpliciter & propriè intelligendæ sunt, nisi aliquid obstet.

7. Communiter cō. tra Doctō. n.

Hæc est doctrina communis, quam tradit Scotus suprà ibi: *De hac etiam farina triticea, aquâ elementari coagulatâ, debet panis formari: quia ita supponitur panem illum fuisse formatum, quo usus est Christus consecrando: nec sufficit pasta; sed panis, quia sic constitutum est.*

Idem docet eâdem quæstione n. 3. inquiens: *Quoad secundum dubium, bene probabile est, quòd pasta, & panis non differunt specie: quia per decoctionem pastæ in furno, vel alio modo ab igne, non fit nisi exhalatio humoris commixti cum partibus farinæ, & hæc mixtio est per iuxtapositionem: talis autem separatio non mutat speciem, quia nec etiam mixtio. Nec tamen de pasta potest confici (Sacramentum) quia noluit Christus in Sacramentis suis istam subtilem disputationem de differentia specifica imponere nobis, sed quòd panem triticeum usualem haberemus communiter pro materia Consecrationis, ut sic secundum Damascenum l. 4. cap. 14. illud, quod communiter consuevit esse nutrimentum corporale, ipsum vel simile esset nobis Sacramentum institutum spirituale.*

Tribus cōclusionibus Scoti.

Et si arguas, inquit: *Panis sit pasta per modicam compressionem in digitis, aut per madefactionem, quare nec post talem compressionem à digitis, aut madefactionem, videtur materia consecranda, sicut ante decoctionem?*

Resp. hoc probat, quòd non differt specie panis à pasta, sed non probat, quòd pasta sit materia consecrabilis. Et si quæras de pane tali recenti, & reducto in pastam an sit consecrabilis? Resp. quòd sic; quia quantumcumque remittatur in illo consueta duritia, quæ consuevit esse in pane cocto: tamen ex quo semel coctus est, & panis fuit, nisi manifestè recedat à ratione panis usualis, non recedit à ratione panis consecrabilis.

Aliàs siquidem, quando hostia in ore madefieret, statim amitteret accidentia panis, & per consequens Consecrationem, quod nemo asserit. Et contrarium constat experientiâ in speciebus evomitis ita integris apparentibus, ac si recens fuissent positæ in ore, saltem non notabiliter corruptis.

Et hinc signanter dixit Doctor: *Nisi manifestè recedat à ratione panis usualis.* Posset quippe tanta fieri compressio aut madefactio, ut perderet nomen panis, & consequenter rationem materiæ consecrabilis.

Aliud dubium movet ibidem Scotus n. 2. de amydo, seu amylo; an ex ipso possit fieri, panis consecrabilis? *Et videretur*, inquit, *primâ facie, quòd talis panis esset consecrabilis: tum quia ille usualiter reputatur panis triticeus, & Christus instituit Sacramentum in pane triticeo usuali: tum quia illæ depurgationes, quæ fiunt circa amydum præparandum, non videntur alterare à specie farinæ triticeæ: non enim fiunt ibi, nisi decolationes, & purgationes & huiusmodi: hæc autem non videntur alterare medullam tritici à specie sua.* Hæc pro parte affirmativa.

8. qui movet dubium de amydo, an ex ipso fieri possit panis consecrabilis.

Fundamenta partis affirmantis.

Pro parte negante: *Si credatur*, inquit, *expertis in rebus de qualitatibus consequentibus eas, quæ innotescunt ex operationibus, per quas qualitates cognoscimus, & distinguimus substantias; aliter enim non cognoscimus distinctionem ignis ab aqua, nisi per ea, quæ innotescunt nobis ex operationibus: & secundum Medicos quælibet species habet qualitatem, & operationem à tota specie, quæ non competit sibi per talem mixtionem, sed consequitur formam propriam talis speciei, & huiusmodi qualitas & operatio alia est in tota specie in amydo, & alia in pane triticeo, sicut apparet cernentibus eas, & assignantibus proprietates tales, & tales quantum ad effectus, ex quo videtur quòd amydum sit totaliter alterius speciei à pane triticeo: Et confirmatur istud: non enim per aliud probamus acetum & agrestam differre specie à vino, & per consequens, non esse materiam Consecrationis quantum ad vinum, nisi quantum ad qualitates & operationes, quia scilicet acetum est à tota specie frigidum: vinum autem à tota specie calidum.*

& negantis proponuntur.

9. Resolutio Scoti.

His pro utraque parte maturè expensis resolutio Doctoris, & nostra est: *Cùm certum sit, farinam tritici purgatam secundum communem purgationem, eo modo scilicet, quo pistores solent eam purgare, esse materiam convenientem ad faciendum panem consecrabilem: & dubium sit, an amydum sit huiusmodi materia: & pars negativa multum sit probabilior, non sine peccato aliquis se exponit tali dubio, maximè ille, qui præparat hostias consecrandas, quia sibi simpliciter est certū, quòd de tali materia præparat.* Quale sit illud peccatum, vide disp. 1. sect. 7. concl. 15.

Solùm hîc adverte ad hujusmodi quæstiones resolvendas, non tam debere attendi unitatem, vel diversitatem specificam physicam materiæ, quàm moralem, id est, an juxta communem usum reputetur pro pane triticeo talis materia, nec ne: nam, ut bene Scotus suprà n. 3. *Noluit Christus in Sacramentis suis istam subtilem disputationem de differentia specifica imponere nobis, sed quod panem triticeum usualem haberemus communiter pro materia Consecrationis.*

Maximè attendendum, utrùm sit panis usualis.

Hinc non vitiat materiam consecrabilem mixtio paucorum granorum alterius speciei, aut butyri, lactis, saccari, mellis, aquæ rosaceæ & similium substantiarum in tam parva quantitate, ut adhuc moraliter æstimetur, & simpliciter indigitetur nomine panis triticei.

qualis est, licèt pauca alterius speciei grana misceantur.

10. Scotus.

Interrogas, azymi, an fermentati? An utriusque? *Hoc dubium*, inquit Doctor suprà n. 4. *includit maiorem difficultatem. Græci enim dicunt, quòd necesse est conficere in fermento, & ideo negant Latinos conficere: Et Antecedens nituntur probare per Euangelia*: scilicet ex facto Christi. *Dicunt enim quòd Christus passus est lunâ quartâ decimâ, ut impleretur figura legis de Agno Paschali, qui immolabatur lunâ 14. Dicunt autem tunc inter Iudæos panem fermentatum esse in usu; non enim erat eis interdictus panis fermentatus ante 14 diem mensis primi ad vesperam. Ex hoc concludunt Christum tunc usum fuisse fermento, & per consequens ipsum confecisse in fermento.*

Verùm cùm sect. 1. conclus. 2. longè ac latè nimis, atque, ut arbitror, satis evidenter probaverimus factum contrarium Christi, scilicet comedisse Agnum Paschalem lunâ 14. ad vesperam, quando Judæi non utebantur pane fermentato, sed azymo, ac propterea in azymo confecisse: hinc pono sequentem Conclusionem & dico:

CONCLUSIO II.

De necessitate panis consecrabilis non est, quòd sit azymus, neque quòd sit fermẽtatus. Equidem in Ecclesia Occidentali præcipitur azymus, in Orientali fermentatus.

11. Prima pars Conclus. probatur ex Florent.

PRima pars est Concilii Florentini in decreto Fidei ex communi consensu Latinorum & Græcorum definitione tertiâ, quæ sic se habet: *Item* (definimus) *in azymo, sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici; Sacerdotesq; in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.*

Ubi cùm audis, *debere*, non convenientiam tantùm intellige, aut permissionem; sed strictum præceptum, de quo post hanc definitionem nemo dubitat, accedente præsertim communi intellectu utriusque Ecclesiæ; neque Catholicè quis ambigere potest de veritate Consecrationis in utroque pane.

Hinc Græci schismatici sunt, & verè hæretici; non quia in fermentato consecrant, nam ad id obligantur, durante præsenti consuetudine; verùm quia damnant Latinos in azymo consecrantes, pertinaciter docentes Consecrationem ejusmodi esse invalidam.

quam ante Florentinum docuit Scotus;

Porrò veritatem Apostolicam ante Florentinum scripto evulgavit Doctor noster suprà n. 6. his verbis: *Hoc ergo simpliciter tenendum est, quòd de necessitate panis consecrabilis non est, neque quòd sit azymus, neque quòd sit fermentatus.* Rationem adjungit: *Quæ secundùm Anselmum, libro suo de azymo & fermentato, non differunt substantialiter azymus & fermentatus*, id est, uterque panis verè est, & propriè dicitur panis.

quia uterque panis propriè dicitur panis.

De fermentato nulla est ratio dubitandi. De azymo patet ex Scriptura Luc. 24. Ubi simpliciter appellatur panis v. 30. *Et factum est cùm recumberet* (Jesus) *cum eis*, (discipulis in Emaus) *accepit panem, & benedixit* &c. qui tamen panis fuit azymus; cùm illo die, qui juxta Græcos erat secundus, juxta nos, tertius dies Azymorum, nullus posset esse fermentatus in mensis, aut domibus Judæorum.

De fermentato non est ratio dubitandi. Luc. 24.

De azymo probatur ex Scriptura.

Et si objicias; quia de facto homines communiùs utuntur pane fermentato, quàm azymo: admitto, idque quia fermentatus panis dat gratum aliquem saporem: Ergo panis azymus non est panis usualis; Neg. Consequ. quippe ad hoc sufficit, quòd illo utamur tamquam vero pane, qui habeat eundem effectum nutritionis cum pane fermentato, licèt homines propter aliquod accidens rariùs illo utantur.

12. Objectio. Solvitur.

Sicuti ex eo, quòd homines rariùs utantur aliquo vino propter aliquem ingratum saporem, malè infertur, illud non esse materiam consecrabilem, sive vinum usuale: proculdubio enim eundem effectum nutritionis habet cum aliis vinis; & in communi sermone simpliciter appellatur vinum: quemadmodum & panis azymus simpliciter nominatur panis, à quocumque tandem ly *Panis* deducatur.

Panis azymus simpliciter nominatur panis.

Constat siquidem ex etymologia nominis (quæ sæpè est strictior, aut latior significatione vocis) frivolum duci argumentum. Sic *Invidentia*, & *Invidere* derivatur ab *in*, & *videre*, & tamen secundùm omnes pertinet ad voluntatem. Et ita in pluribus aliis contingit, ut nomina significantia unam rem, deducantur à nominibus plures & diversissimas res significantibus. Solùm ergo valet illud argumentum, quando non constat aliunde, quòd nomen derivatum ab alio nomine, significet aliud, aut quando non est inconveniens, quòd significet eandem rem, quam significat nomen, à quo derivatur.

Quamquam & in præsenti, etymologia nominis *Panis*, græcè ἄρτος ab αἴρω, quod significat tollo, vel, attollo, pani azymo conveniat: quippe non ideo dicitur panis ἄρτος, quia fermento attollatur; sed quia hominem nutriendo, vim habet eum attollendi ad justam staturam, sive quia attollit vires corporis, spiritus excitat, & quasi jacenti homini vires præbet ad surgendum, quod æquè competit pani azymo ac fermentato.

Ei convenit etymologia nominis panis.

Quod attinet ad factum Christi, non magis probat necessitatem unius, quàm alterius panis. in quocumque dicatur cõsecrasse; sicuti non probatur necessitas vini illius speciei, in quo Christus instituit

13. Factũ Christi non magis probat

instituit Sacramentum Sanguinis, dummodò sit verus panis triticeus usualis, & verum vinum de vite.

Nec obstat, quòd SS. Patres doceant, non aliud debere fieri, quàm quod Christus fecit: intellige namque quoad substantiam rei, id est, non debere offerri nisi panem, & vinum aquâ mixtum. Ita explicat Concilium Carthaginense III. cap. 24. & refertur de Consecrat. dist. 2. cap. 5. *In Sacramento*, inquit, *Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aquâ mixtum.* Et infrà: *Nec amplius in Sacrificio offeratur, quàm de uvis & frumentis.*

Et *ideo* cum Doctore nostro, & totâ Ecclesiâ Latinâ, quamvis verius sit Christum in azymo consecrasse, *non negamus verè conficere Græcos* in fermentato. *Quod etiam patet*, inquit Scotus, *quia tempore Leonis Papæ fuit constitutum, quòd conficeretur in fermento* (in Ecclesia Latina) *sed fuit ad tempus, ad extinguendam hæresim Ebionitarum, qui dixerunt, quòd necessarium erat Christianos Iudaizare, & per consequens Paschæ suum in azymo conficere, sicut fecerunt Iudæi: & ad extinctionem huius hæresis fuit ordinatum consecrare in fermento. Sed post, hæresi illâ extinctâ, rediit Ecclesia Occidentalis ad primam consuetudinem, quæ conformis est institutioni Christi, & promulgationi factæ per eius Vicarium Petrum.*

14. Neque alicujus momenti est, quod aliqui objiciunt ex Apostolo 1. Corinth. 5. vers. 6. *Nescitis quia modicum fermentum totam massam corrumpit?* Scimus corrumpere totam massam, si fermentum diu maneat, antequam ex ipso & farina coquatur panis; cæteroquin solùm communicat aliquas qualitates massæ, eamque disponit ad panem magis communem & sapidiorem.

Omitto, fortè ibi ly *corrumpit* idem esse, quod, *fermentat*, ut multi explicant. Hoc certum, panem fermentatum esse verum panem usualem, quod sufficit, ut sit materia verè consecrabilis.

Sed (pergit Scotus suprà) *de necessitate ministri, ad minus in Ecclesia Latina, est hodie conficere in azymo.* Addit (quod videtur repugnare ultimæ parti nostræ Conclusionis) *Et forte etiam graviter peccant Græci, qui non se conformant Ecclesiæ Petri: maximè cùm hic habeatur fundamentum solidum, quòd sic Christus instituit istud Sacramentum celebrandum, ad minus, licet non necessariò, quin aliter fieri posset, tamen sic magis congruè celebratur.* Utique quia panis azymus est purior, adeòque aptior ad significandum Christum sine virili semine conceptum, ac puritatem conscientiæ, quam hoc Sacramentum requirit, & promovet.

15. Aſt quomodo Græci graviter peccant, non se conformando Ecclesiæ Petri, cùm ipsa Ecclesia Petri in Concilio Florentino suprà, & novissimè Pius V. Constit. 12. jubeat (profectò sub gravi obligatione; quia in materia gravi) singulis servare suum ritum, revocans omnes licentias Græcis concessas celebrandi Latino more, & Latinis more Græco?

Resp. Doctorem Subtilem scripsisse ante Concilium Florentinum, & constitutionem illam Pii V. consuetudine Græcorum necdum satis (saltem patenter) approbatâ. Unde loquitur dubitanter dicens: *Fortè*: reducitque peccatum illud, non in necessitatem præcepti sic consecrandi; sed magis in contumaciam & contemptum ipsorum, ex quibus videntur recessisse à ritu Latinorum: & peccatum illud grave est ex suppositione erroris, in quantum sic consecrant, quasi esset necessarium necessitate Sacramenti, adeòque culpantes Ecclesiam Latinam, quasi invalidè consecret. Quem errorem Græcorum citat Doctor ibi n. 4. dicens: *Tertium dubium includit maiorem difficultatem, Græci enim dicunt &c.* Vide suprà.

Ostenditur ex Scoto,

Hunc itaque contemptum culpat Doctor, non ipsum ritum secundùm se: quippe eodem libro dist. 3. q. 2. n. 6. admittit, formam Baptismi particularem Ecclesiæ Græcæ licitam esse Græcis; imò obligantem, si in Conciliis suis particularibus ordinaverint inter se talem formam esse servandam.

16. culpante contemptum, non ipsum ritum secundùm se,

Et tunc ly *Fortè*, non tam significat dubitationem, quàm certitudinem, ut idem sit quòd *Certè*; sic quippe (teste Anselmo Laudunensi, qui est Auctor Glossæ interlinealis) sæpiùs accipitur in Scriptura, imò semper, quando attribuitur Deo, in quem non cadit dubitatio; quoniam infallibiliter scit omnia futura, etiam contingentia libera.

Et reverà nullum dubium esse potest, quin talis formalis contemptus, & error Græcorum sit peccatum mortale. Eo secluso, non solùm licitum, sed etiam præceptum est (ut habet Conclusio) unicuique, celebrare secundùm ritum suæ Ecclesiæ, Latinis utique in azymo, Græcis in fermentato. Quin imò multi Recentiores, propter constitutionem Pii V. prædictam, constanter asserunt; Græcum peregrinum non posse se conformare Ecclesiæ Latinæ, in qua peregrinatur, & è converso Latinum Ecclesiæ Græcæ. Nihilominus sit

qui formalis contemptus est peccatum mortale.

CONCLUSIO III.

Sacerdos peregrinus potest, non debet, se conformare in consecrando panem azymum, aut fermentatum Ecclesiæ in qua peregrinatur. Latinũ non posse, ad communicandum infirmũ, celebrare in fermentato in propria Ecclesia, probat auctoritas; at ratio favet opposito.

17. Peregrini obligantur legibus

SUppono ex Tractatu de Legibus, peregrinos obligari legibus loci, in quo morantur per majorem partem anni, imò probabiliter sufficere,

loci, in quo morantur per majorē anni partem.

cere, si maneant tempore proportionato ad legem implendam. Videtur sententia Divi Augustini Epistolâ 118. (& refertur dist. 12. cap. *Illa*). ibi: *Nec disciplina ulla est in his* (quæ liberas habent observationes citra particularis alicujus Ecclesiæ legem) *melior gravi, prudentiq; Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam ad quamcunque forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum est.*

Videtur sententia D. Augustini,

confirmantis hoc ex responsione D. Ambrosii,

Confirmat responsione Divi Ambrosii, dicens: *Mater mea Mediolanum me consecuta, invenit Ecclesiam Sabbatho non ieiunantem, cœperat perturbari & fluctuare, quid ageret, cùm ego talia non curabam, sed propter ipsam consului de hac re beatissimæ memoriæ virum Ambrosium. Respondit se nihil docere me posse, nisi quod ipse faceret, quia si melius nosset, id potius observaret. Cumq; ego putassem nullâ redditâ ratione, auctoritate solâ suâ nos voluisse admonere, ne Sabbatho ieiunaremus, subsecutus est, & ait mihi: Cum Romam venio, ieiuno Sabbatho, cum hîc sum, non ieiuno. Sic etiam tu, ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serva, si cupiam non vis esse scandalo, nec quempiam tibi. Hoc,* subjungit Augustinus, *cùm Matri renuntiassem, libenter amplexa est. Ego verò de hac sententia etiam atque etiam cogitans, ita semper habui, tamquam eam cœlesti oraculo susceperim.* Quis ergo dubitet de ejus veritate?

Hinc idem Sanctus Doctor l. 3. Confess. c. 8. (& ponitur dist. 8. cap. 2.) *Quæ autem contra mores hominum sunt flagitia, pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis, aut gentis consuetudine, vel lege firmatum, nullâ civis aut peregrini libidine violetur.* Quæris rationem? *Turpis enim omnis pars est suo universo non congruens.* Hæc si non injiciant obligationem peregrino, saltem tribuunt licentiam accommodandi se legibus loci, in quo peregrinatur.

& allegantis pro ratione turpitudinem partis discordantis à toto.

18.

Peregrinus non obligatur legibus proprii territorii.

Suppono II. peregrinum non obligari legibus proprii territorii; argumento cap. 2. de Constit. in 6. ibi: *Extra territorium ius dicenti non paretur impune.* Ratio; ne alioquin imperia sint confusa; unde ita postulat bonum commune, cui commensuratur potestas legislativa.

Florent. Præceptum de celebrādo in azymo, vel fermentato, non tam est personale, quàm locale. *Leo VIII.*

Suppono III. præceptum de celebrando in azymo, vel fermentato, non tam esse personale, quàm locale. Ostendo ex Concilio Florentino suprà, ubi vocat Ecclesiæ consuetudinem, *Iuxta suæ*, inquit, *Ecclesiæ sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem.* Similiter loquitur Leo VIII. aliàs IX. Epistolâ ad Michaëlem Constantinopolitanum Patriarcham cap. 29. ibi: *Siquidem cùm intra, & extra Romam plurima inveniantur Græcorum Monasteria, sive Ecclesiæ, nullum eorum adhuc perturbatur, vel prohibetur à paterna traditione, sive sua consuetudine, quin potiùs suadetur & admonetur eam observare.*

19.

His suppositis, quòd Sacerdos non debeat se conformare in consecrando panem azymum, vel fermentatum Ecclesiæ in qua peregrinatur, probatur ex praxi, sciente & probante Pontifice. Nam Romæ, inquit Suarez hîc disp. 44. sect. 3. §. *Illud verò*, ita sæpè fieri vidimus: & certò scimus nostros Latinos Sacerdotes, peregrinantes inter Græcos non schismaticos, in azymo solitos esse celebrare. Quare per mutuum consensum Ecclesiarum non videtur hîc habere locum communior doctrina de obligatione peregrinorum ad leges & consuetudines locorum.

Sacerdos non debet se conformare Ecclesiæ, in qua peregrinatur; *Suarez.*

Et meritò, quia difficillimum videtur Sacerdotem in re tam gravi obligare ad mutandam antiquam & patriam consuetudinem, solùm propter transitum per aliam Ecclesiam. Et consequens esset, etiam totum alium ritum Missæ debere mutari, quod est penè impossibile moraliter loquendo.

quia hoc nimis difficile.

Confirmatur ex Leone suprà citato, qui reprehendit Græcos, quòd cogant Latinos apud se morantes servare suos ritus. *Vt enim*, inquit, *fertur, omnes Latinorum Basilicas penes vos clausistis, Monachis Monasteria & Abbatibus tulistis, donec vestris viverent institutis. Ecce in hac parte Romana Ecclesia quantò discretior, moderatior, & clementior vobis est. Siquidem* &c. ut suprà.

Leo Papa.

Et siquidem Ecclesia Romana permittit Græcos, etiam qui fixum habent domicilium inter Latinos, in propriis Ecclesiis & Monasteriis observare ritus Græcanicos, quantò magis peregrinos?

20. Multi putant nequidem posse se conformare,

Imò multi docent, non solùm non debere talem peregrinum, v. g. Græcum, in Ecclesia Latina celebrare in azymo, sed nequidem posse, non tantùm in proprio templo, ubi illud habent inter Latinos (quod omnes concedunt; quandoquidem tunc perinde sit, ac si in Ecclesia sua ageret) sed simpliciter in ullo loco, quod est oppositum prioris partis nostræ Conclusionis.

fundantes se in constitutione 12. Pii V. apud Cherubinum:

Fundantur maximè in constitutione 12. Pii V. apud Cherubinum, quæ incipit: *Providentiæ Romani Pontificis*, & §. 1. sic habet: *Sanè cùm ad notitiam nostram pervenerit, quòd nonnulli Presbyteri tam Græci, quàm Latini antiquum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum, tam in celebratione Missarum, quàm aliorum divinorum Officiorum pervertere satagentes, diversas licentias & facultates, Missas, & alia divina Officia Græci Latino more, ac Latini Græco ritu celebrandi ab Apostolica Sede, vel eius Legatis, ac etiam maiore Pœnitentiario pro tempore existente, variis prætextibus impetrarunt, illisq; iam pridem utantur, hoc ab antiquo Catholicæ Ecclesiæ instituto, Sanctorumq; Patrum decretis deviare considerantes; propterea hunc abusum ab Ecclesia Dei extirpare, & submovere volentes, omnes & singulas licentias & facultates huiusmodi, hactenus etiam motu proprio, vel quorumvis, etiam Imperatorum, Regum & aliorum Principum contemplatione, & ex quibusvis causis quomodolibet concessas, ac Apostolicas & alias litteras desuper confectas, illarum omnium tenores pro sufficienter*

cienter expressis habentes, Apostolicâ auctoritate ex certa scientia, hâc præsenti nostrâ perpetuò valiturâ constitutione revocamus, cassamus, annullamus, & irritamus, quibusvis Presbyteris, tam Græcis, quàm Latinis in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub indignationis nostræ, ac perpetuæ suspensionis à divinis pœnis districtius inhibentes, ne deinceps Presbyteri Græci, præcipuè uxorati, Latino more, & Latini Græco ritu, huiusmodi licentiarum ac facultatum, aut alio quovis prætextu Missas aut alia divina Officia celebrare, vel celebrari facere præsumant. Hactenus Pius V.

Sed cùm lego *licentias & facultates* (utique particulares à Pontificibus, eorum Legatis, aut Pœnitentiariis obtentas) *& alium quemvis prætextum* (ut omittam non constare de sufficienti, saltem generaliter, publicatione hujus Bullæ, sicut & plurium aliarum) facilè suspicor hunc Pontificem non magis voluisse revocare jus commune, quo peregrini possunt se accommodare legibus locorum, per quæ transeunt, in jejuniis, festis, & similibus, quàm Concilium Florentinum suprà, aut Leo IX. Epistolâ citatâ ad Michaëlem Constantinopolitanum Patriarcham; solùmque voluisse prohibere, ne deinceps Presbyteri Græci in loco proprio, vel alieno, ubi habent proprias Ecclesias, vi hujusmodi licentiarum, quas omnes revocat, aut alio quovis prætextu, id est, causâ aliquâ fictâ, præsumant celebrare more Latino, & similiter Presbyteri Latini more Græco.

Porrò licentia, quam nos concedimus peregrinis, non est aliquod speciale privilegium à Pontifice, vel alio ejus nomine obtentum, aut prætextus alius, quocumque loco celebrandi ritu alieno; sed est jus commune ex primo nostro supposito, quo datur potestas, imò imponitur obligatio peregrinis observandi consuetudines locorum, per quæ iter faciunt. Ad quod jus non arbitror Pium V. respexisse; non enim quis ideo peregrinatur, ut possit antiquum ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ in celebratione Missarum, & aliorum divinorum Officiorum pervertere.

Enimverò non pervertitur ritus Ecclesiæ Græcæ, quando Latinus peregrinus in Græcia illum observat, sed potiùs stabilitur. Similiter non pervertitur ritus Ecclesiæ Romanæ, quando Græcus per terram Latinorum iter habens, illi se conformat, sed magis roboratur & assistentes ædificantur, atque ex contrario potiùs scandalizantur, juxta illud Divi Ambrosii suprà apud Divum Augustinum: *Ad quam fortè Ecclesiam veneris, eius morem serva, si cuipiam non vis esse scandalo.*

Hinc appositè Suarez suprà: Dico sine scrupulo posse Sacerdotem Græcum peregrinantem per Ecclesiam Latinam, & Latinum per Græcam, suæ Ecclesiæ ritum servare, cum consensu & facultate Pastorum ejus Ecclesiæ, in qua versatur, quam ipsi, si nullum timeant scandalum, præstare possunt & debent, si nulla rationabilis causa obstet.

Non illi igitur satagunt pervertere antiquum ritum, qui proprium uniuscujusque Ecclesiæ observant; sed qui vi privilegiorum, in Ecclesia Latina observant ritum Græcum, cùm ipsi sint Latini, & è contra. Adeoque de similibus loquitur Pius V. ut patet ex principio textûs, & non de peregrinis, qui accommodant se moribus Ecclesiæ, in qua celebrant. Et quamquam semper, aut ferè semper aliter practicent, hoc est quia possunt, non quia debent; suntque mori suo singuli affecti.

sed quando Latinus hoc facere attestat in propria Ecclesia.

23.

Hâc itaque constitutione Pii V. relictâ tamquam minùs efficaci ad probandum intentum: considero aliam Bullam ejusdem Pontificis 64. quæ incipit: *Quod à nobis*, & communiter præfigitur Breviario Romano, in qua approbat Breviarium Romanum, præcipiens universi Orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & locis, illius usum, & prohibens usum aliorum Breviariorum, præterquam à primæva institutione Ordinis à Sede Apostolica, vel à consuetudine supra annos ducentos approbatorum.

Proponitur alia Bulla Pii V.

Expendo, inquam, illud præceptum, & hanc prohibitionem, & quæro; si Frater Minor (cui per Bullam illam præcipitur usus Breviarii Romani, & prohibetur usus cujuscumque alterius) veniret ad Ecclesiam, seu Monasterium, v.g. Benedictinorum, quod utitur alio Breviario à primæva institutione Ordinis à Sede Apostolica approbato, an secluso speciali privilegio posset se conformare Benedictinis in recitatione divini Officii?

præcipientis usum Breviarii Romani;

quod præceptum Frater Minor apud Benedictinos existens observare deberet;

Negat communis sententia. Sed quare minùs, quàm Sacerdos Latinus, transiens per Ecclesiam Græcam, potest se illi Ecclesiæ conformare in celebratione Missæ?

Quia, respondet aliquis, præceptum recitandi horas juxta Breviarium Romanum, est personale, quod sequitur & inhæret personæ ubicumque fuerit; præceptum autem consecrandi in azymo, vel fermentato, ut diximus supposito 3. est locale. Sed unde id constat? Nonne eodem modo præcipit Florentinum unicuique Sacerdoti celebrare secundùm consuetudinem suæ Ecclesiæ, sicuti Pius V. præcipit Religiosis recitare divinum Officium juxta consuetudinem sui Monasterii?

quia est præceptum personale;

celebrandi autem in azymo vel fermentato, locale;

24.

Minimè, inquis, & festinè cognoscitur differentia ex ipsis verbis Bullæ Pii V. quæ sunt: *Omni itaque alio usu, quibuslibet, ut dictum est, interdicto, hoc nostrum Breviarium, ac præcandi, psallendiq; formulam in omnibus universi orbis Ecclesiis, Monasteriis, Ordinibus, & Locis, etiam exemptis, in quibus officium ex more & ritu dictæ Romanæ Ecclesiæ dici debet, aut consuevit, salvâ prædictâ institutione, vel consuetudine ducentos annos superante, præcipimus observari.*

quod cognoscitur ex verbis Pii V.

Et ut scires illam obligationem non tam esse localem, quàm personalem, ac personæ inhærere, post pauca verba, sic inquit Pontifex: *Ac quoscumque, qui horas Canonicas ex more & ritu*

ipsius Romanæ Ecclesiæ, iure vel consuetudine dicere, vel psallere debent, propositis pœnis per Canonicas sanctiones constitutis in eos, qui divinum Officium quotidie non dixerint, ad dicendum & psallendum posthac in perpetuum horas ipsas divinas, & nocturnas ex huius Romani Breviarii præscripto, & ratione omnino teneri: neminemq; ex iis, quibus hoc dicendi psallendiq; munus necessariò impositum est, nisi hâc solâ formulâ satisfacere posse: idque, ut habetur versu sequenti, *tam in Choro, quam extra illum,* quæ manifestè sonant obligationem concomitantem personam quocumque ierit.

asserentis, obligationi recitandi horas hâc formâ solâ satisfieri posse, tam in Choro, quàm extra illum.

Porrò de Consecratione in azymo, aut fermentato definit Florentinum utramque esse validam, addens, unumquemque debere sequi consuetudinem suæ Ecclesiæ, scilicet quando est in loco, ubi illa consuetudo obligat. Eodem modo, quo Tridentinum mandat omnibus Regularibus, ut observent festa Episcopalia sess. 25. De Regul. cap. 12. ibi: *Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos idem Episcopus præceperit, ab exemptis omnibus, etiam Regularibus, serventur,* scilicet qui in Diœcesi illa morantur. Ac si diceret, unumquemque Religiosum in celebratione festorum debere sequi consuetudinem, sive debere celebrare festa juxta Ecclesiæ suæ consuetudinem.

Aliter loquitur Florentinum de conficerando in azymo vel fermentato:

& Tridentinum de observandis festis Episcopalibus à Regularibus,

existentibus videlicet in sua Diœcesi.

Ex quo tamen non bene concluditur, peregrinantem in Ecclesia, ubi non est festum, ibi diem festum suæ Diœcesis debere servare, estò possit. Ergo similiter Græcus transiens per terram Latinorum, non debet ibi, quamvis possit, conficere Corpus Christi in fermentato; similiter Latinus iter agens per Græciam in azymo: quandoquidem materia Consecrationis non minùs intelligatur affixa huic loco sive Ecclesiæ, quàm dies festus huic Diœcesi sive Episcopatui.

25. Latinus in Græcia, aut Græcus in Latina Ecclesia habens domicilium, sequi debet ritum Ecclesiæ, in qua fixit domicilium;

Hinc ex communi sententia, Latinus in Græcia, aut Græcus in Latina Ecclesia domicilium habens, aut figens, non solùm potest, sed, secluso speciali privilegio, etiam tenetur sequi ritum Ecclesiæ, tam in Missa, quàm in cæteris divinis Officiis, in qua fixit domicilium; nam ratione illius fit incola: & sicuti respectu aliarum legum censetur Græcus, qui anteà erat Latinus, & è conversò; ita etiam respectu Missæ aliorumque Officiorum divinorum, nisi aliter fuerit ordinatum; hoc est, nisi auctoritate publicâ assignentur ipsis speciales Ecclesiæ, in quibus Divina more antiquo peragant.

sicut Sacerdos sæcularis factus Benedictinus observare ritum Benedictinorum.

Simile sit in Sacerdote sæculari, qui tenetur legere horas Canonicas juxta Breviarium Romanum; si hic profiteatur Religionem, in qua aliud Breviarium est in usu, v. g. Sancti Benedicti, eo ipso solvitur à priori obligatione, & tenetur persolvere horas suas secundùm consuetudinem Religionis, quam professus est: quippe per professionem mutavit statum suum, & ex Sacerdote sæculari, factus est Sacerdos Benedictinus; sic quoque Sacerdos Latinus per mutationem domicilii fit Græcus, & è contrà.

Equidem hæc omnia, quamvis ostendant Conclusionem nostram multùm probabilem, tamen non convincunt. Video quippe sustineri posse, & non absque fundamento, obligationem consecrandi in hac, vel illa materia, æquè personalem esse, ac obligationem recitandi hoc, vel illud Officium divinum. Ne tamen longior sim quàm oportet, diligenter consideret Lector quæ dicta sunt, & facilè reperiet, quod quærit. Ego ad alia pergo.

Probabile est obligationem cõsecrandi in hac vel illa materia esse personalẽ.

26. Profectò cùm satis constet ex dictis, præceptum seu legem consecrandi panem azymum in Ecclesia Latina, solùm esse humanum; superest dubium, an liceat Latino Sacerdoti in Ecclesia Latina consecrare in fermentato propter aliquam occurrentem necessitatem, v. g. (inquit Suarez disp. 44. sect. 3. §. *Unum verò*) ne proximus sine Viatico decedat, vel ne populus totus diu Sacrificio privetur.

Dubium est, an liceat Latino cõsecrare in fermentato ob necessitatem,

Et Respondet ipse cum aliis communiter, nullâ ratione esse talem licentiam concedendam; quia præceptum divinum communicandi in articulo mortis est affirmativum, adeòque non obligans, nisi quando commodè, & cum debitis circumstantiis fieri potest. Porrò expedit, ut in hoc Sacramento conficiendo summa reverentia servetur, & ideo oportet ut universalis Ecclesiæ consuetudo non facilè violetur, ne aperiatur via contemnendi Ecclesiasticos ritus; sicuti censent ferè omnes de Consecratione sine vestibus sacris, vel quæ fieret à non jejuno.

Respondet Suarez cum aliis communiter negativè

Verùm hæc ratio non est adæquata, neque convincens, & ideo partem affirmativam, & praxim ei conformem, secluso scandalo & perturbatione, non audet damnare Tannerus de Eucharistia disp. 5. dubio 4. in fine, in quam sententiam ne eam (inquit Dicastillo disp. 2. dub. 4. n. 67.) sola multitudo Doctorum in contrarium me retardat.

sed ratio ejus non est adæquata,

Quare oppositum non damnat Tannerus.

Sed retardat Dicastillonem multitudo Doctorum,

Ne autem quis putaret omni Auctore esse destitutam, citat in principio illius numeri Majorem, dicens: Oppositum tamen (communis sententiæ) docet Major dist. 9. q. 3. ad 5. & sanè communis sensus Doctorum me firmissimum tenet in priori sententia, quamvis non negem suas pati difficultates in favorem sententiæ Majoris. Hæc ille. Si verè sententia Majoris est, nam diu multùmque quæsitam, invenire non potui; distinctio siquidem nona duabus absolvitur quæstionibus, sed neque in his, neque in toto quarto Sententiarum libro, quem penes me habeo, quidquam tale reperio. An fortè q. 3. ad 5. habeatur in libro, quo usus est Dicastillo, nescio: fides sit apud Auctorem & Lectorem.

qui citat pro parte affirmante Majorem.

27. Quidquid sit de Majore; iterum dico, rationem Suarii pro communi opinione neque esse adæquatam, neque convincentem. Primùm ostendo; quia etsi concederemus ad communi-

Rejicitur ratio Suarii supra posi-

candum

candum infirmum non esse licitum conficere Sacramentum in fermentato, quod solùm probat ratio adducta, si aliquid probet: non tamen inde sequitur, etiam id esse illicitum in quacumque alia occurrente necessitate, v.g. in exemplo à Suario assignato, ne totus populus diu Sacrificio, & Sacramento privetur.

Constat quippe tempore persecutionis fideles maximam consolationem, & in fide confirmationem accipere ex hoc Sacramento & Sacrificio; unde fortè olim tot erant fortissimi Martyres, quando Christiani quotidie sumebant hoc Sacramentum. Quid ergo faciet Sacerdos, si videat ex defectu Eucharistiæ periclitari multorum fidem, nec habeat panem azymum, an sinet perire animas, Christi Sanguine redemptas, & non magis consecrabit in fermentato, ut salvæ fiant?

Herculè non ausim judicare, Ecclesiam cum tanto rigore velle, imò posse obligare ad ceremoniam ex institutione divina liberam. Quin plures docent non peccare eum, qui metu mortis, ut lateat sub hæreticorum persecutione, in terris, quibus rarus est Sacrificii usus, celebrat sine sacris paramentis: quantò ampliùs in pane fermentato, aut azymo, contra Ecclesiæ suæ consuetudinem?

Enimverò universalis consuetudo est totius orbis, tam Ecclesiæ Latinæ, quàm Græcæ uti sacris vestibus in Sacrificio Missæ, neque memoriæ proditum est unquam Ecclesiam generaliter, vel particulariter in illa ceremonia dispensasse; cùm tamen certum sit ex Concilio Florentino suprà, non esse universalem consuetudinem totius Ecclesiæ celebrare in azymo, etiam, usque in hanc diem, Græcis Romæ in Ecclesia sibi propria, sciente & approbante Pontifice, in fermentato consecrantibus.

Et si credimus Scoto suprà, Divo Thomæ 4. dist. 12. q. 2. a. 2. q. 3. & aliis Doctoribus (quidquid nonnulli contradicant) Leo Papa suo tempore, ad extinguendam hæresim Ebionitarum, constituit, ut generaliter per universum orbem in fermentato conficeretur.

Demus itaque Suario, non esse licitum celebrare sine vestibus sacris ad communicandum moribundum; adhuc non convincitur, esse similiter illicitum, ad eumdem finem consecrare in fermentato, aut etiam consecrare post sumptum cibum, ut suo loco videbimus, utpote ceremoniæ ac ritus minùs graves, in quibus aliquando dispensatur, numquam autem in usu sacrorum paramentorum.

Quapropter, ut dicam quod in hac re sentio, si permaxima utilitas Viatici excusat celebrantem à lege jejunii, juxta probabilem multorum opinionem, judico non improbabile, salvâ communi auctoritate Doctorum, eandem utilitatem excusare Sacerdotem ab obligatione, quam habet consecrandi in azymo, aut fermentato juxta Ecclesiæ suæ consuetudinem.

Neque est quòd timeat Suarius apertionem viæ ad tractandum indignè hoc Sacramentum, & contemnendi Ecclesiasticas ceremonias; tum, quia non aperitur hujusmodi via, quando aliquis non jejunus communicat causâ vitandæ infamiæ, Sacrificii perficiendi, Viatici accipiendi, & probabiliter dandi; imò in mortis articulo propter solam utilitatem Communionis; tum etiam, quia casus rarissimus: etenim in Ecclesia Græca panis fermentatus faciliùs ubique invenitur, quàm azymus; in Ecclesia autem Latina in omnibus templis bene ordinatis, ubi reperiuntur vestes sacræ & alia necessaria ad celebrandum, vix unquam deest panis azymus. Omitto quòd in Sacrario Eucharistia pro communicandis infirmis asservetur. neque inde sequitur indigna Sacramenti tractatio, aut ceremoniarum Ecclesiasticarum contemptus.

Quod autem idem Auctor suprà addit; majus esse periculum irreverentiæ, superstitionis, & scandali, in discedendo propter privatas necessitates, vel rationes, à consuetudine Ecclesiæ Capitalis, id est, Latinæ, quàm alterius partis, hoc, inquam, nullum habet fundamentum in re: siquidem contendimus, nullam fieri irreverentiam, superstitionem, aut scandalum, sive in una, sive in altera Ecclesia, cùm ob rationabilem causam discreditur à patrio more. 29. aut periculum irreverentiæ, & superstitionis.

Et sanè (licèt Suarez id neget) obligatio Græcorum tam certa est, ac tanta, tamque solidâ auctoritate firmata; atque Latinorum, scilicet auctoritate Concilii Florentini, quod jubet, ut vidimus suprà, unumquemque celebrare juxta consuetudinem suæ Ecclesiæ. Manente itaque in vigore consuetudine Ecclesiæ Græcæ celebrandi in fermentato, tam certa est, ac tanta obligatio Sacerdotis Græci conficiendi Sacramentum in illo pane, ac Latini Sacerdotis in pane azymo.

Hactenus de materia Consecrationis Corporis; sed quæ Sanguinis? Respondeo:

CONCLUSIO IV.

Materia essentialis Consecrationis Sanguinis est vinum de vite. Valet mustum, aut vinum actu congelatum; secùs succus uvis inclusus.

30. Materia Consecrationis Sanguinis est vinum de vite. Clarè hoc expressit Florentinum.

De prima parte nulla est controversia, vel saltem cum hæreticis. Probationem ex Scriptura vide suprà in proœmio hujus Sectionis.

Clariùs Florentinum exprimere non potuit, quàm dicendo: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia* (utique pro Consecratione Corporis) *panis triticeus, &* (pro Consecratione Sanguinis) *vinum de vite.*

Confirmatur ex perpetuo usu & traditione Eccle-

Confirmat usus & traditio Ecclesiæ.

Ecclesiæ, quæ numquam alium liquorem admisit pro materia calicis, eò quòd nullus alius liquor, quàm vitis, habeat substantialem rationem vini, & simpliciter sine addito in communi sermone vinum appelletur.

Consonat doctrina Doctoris Subtilis.

Hinc Doctor Subtilis 4. dist. 11. q. 7. n. 1. *Ad secundam quæstionem, dico, quòd vinum artificiale, sive quodcumque aliud vinum, quod non est vinum vitis, utpote vinum pomorum, & huiusmodi, non est vinum, nisi secundùm quid, & æquivocè. Vnde nullum tale est aptum consecrari in Sanguinem.*

Aliqua excluduntur, quia non propriè vinum.

Utì nec agresta sive omphacium, id est, liquor ex immaturis uvis expressus, nec acetum ex vino, quando vinum est essentialiter corruptum. Non sufficit quoque vinum coctum ex aqua, uvis jam expressis, infusâ, quia non est simpliciter vinum, neque vini habet substantiam. Ex qua ratione à contrario:

31. Quale requiritur, & sufficit, cujuscumque sit speciei;

Colligo; quodcumque vinum de vite, album, rubrum, ex utroque mixtum, cujuscumque regionis, etsi unum ab alio specie distinctum foret (quod aliqui negant, existimantes omnia esse ejusdem speciei, solùmque differre accidentaliter) esse materiam aptam Consecrationi.

quodlibet enim habet veram & essentialem rationem vini;

Etenim quodlibet habet veram & essentialem rationem vini, nihilque adest unde vel leviter conjici posset, unam potiùs vini speciem, quàm aliam esse institutam, quandoquidem omnes illæ species habeant eundem usum humanum in ordine ad sustentationem: quippe sustentant per modum potûs; quin imò ex praxi Ecclesiæ constat oppositum. Equidem cavendum à vino hispanico, quia quandoque mulsum non potest ab eo distingui, & subinde fit deceptio.

32. ùtì etiam vinum acescens;

Similiter validè consecratur vinum acescens, utpote verum vinum, etsi tendens ad interitum; sicut animal, quando tendit, sive incipit disponi ad mortem, adhuc est animal.

quod tamen notabiliter alteratum nequit consecrari;

Verumtamen si ita sit alteratum, ut nequidem probabiliter possit discerni esse vinum potiùs, quàm acetum, numquam licet citra gravissimum sacrilegium in eo celebrare, nequidem ut populus audiat Sacrum in die festo, aut eidem detur Communio Paschalis; prævalet quippe præceptum naturale reverentiæ, debitæ huic Sacramento, præcepto humano audiendi Sacrum, aut communicandi; quod non obligat, nisi quando commodè fieri potest.

secùs si tantùm acescere incipiat, & adsit necessitas.

Quod si tantùm acescere incipiat, ita ut non sit notabiliter acidum, & moraliter certò adhuc sit substantialiter vinum, licitè in eo fit Consecratio occurrente aliquâ necessitate. Extra illam videtur illicitum, fortè etiam graviter, ut significant Rubricæ Missalis Tit. de Defectibus cap. 4. n. 2. ubi sic lego. *Si vinum inceperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea seu alterius distillationis, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.*

Secluså necessitate est illicitum, fortè graviter. *Rub. Missa.*

Quis ergo adhuc ambigat mustum valere? Præterquam enim quòd substantialiter sit vinum, ejusdem fortè speciei cum vino defæcato, solùm differens in dulcedine, calore, & aliis qualitatibus penes magìs & minùs, etiam simpliciter appellatur vinum in Scriptura Luc. 5. v. 37. *Nemo mittit vinum novum in utres veteres.* Jeremiæ 48. v. 33. *Vinum de torcularibus sustuli.* Et è converso Actor. 2. vinum appellatur mustum v. 13. *Quia musto pleno sunt isti.*

33. Mustum validè consecratur.

simpliciter enim appellatur vinum in Scriptura. *Luc. 5. Jerem. 48. Actor. 2.*

Unde occurrente necessitate posset in eo, etiam licitè, consecrari, argumento can. 7. *Cùm omne crimen* de Consec. dist. 2 ibi: *Nam quod de expresso* (scilicet post Consecrationem, ut notat Glossa V. *Expresso*) *botro, id est de uvarum grani populus communicatur, valde est omnino confusum: sed si necesse sit, botrus in calice comprimatur, & aquâ misceatur.* Ita Julius Papa Episcopis per Ægyptum. Qui liquor dubio procul solùm erit mustum. *Julius Papa.*

Extra necessitatem illicitè consecratur, ob impuritatē & fæces permixtas;

Porrò extra necessitatem non licet; utique propter impuritatem, & fæces permixtas, quæ non consecrantur; sicuti illicitè consecratur vinum aliis liquoribus, vel etiam aromatibus permixtum: imò tanta & talis posset esse permixtio aliarum substantiarum, quòd Consecratio esset invalida, si videlicet non retineret formam vini, sed transiret in speciem distinctam, saltem moralem.

Aliud est, quando talia corpora admiscentur, quæ relinquunt substantiam vini integram & potum usualem, ut priùs, qualia sunt sulphur, lac, & similia, quæ adhibentur ad conservationem, vel melioriationem vini, ut proinde non reddant vinum, etiam minùs purum, quàm antèa erat. Interim universim notandum est, graviter interdum peccari posse consecrando, utì in pane, ita & in vino minùs puro, quod judicio prudentis relinquimus.

utì interdum graviter peccatur consecrando in pane, vel vino minùs puro.

Sed quid dicendum de Consecratione vini actu congelati? Autumo eam esse validam: quippe per congelationem non amittitur forma vini, sicut nec forma aquæ, olei, & similium liquorum: etenim post liquefactionem habent eundem colorem, odorem, saporem, cæteraſque qualitates, saltem præcipuas, & in gradu remisso. Quemadmodum ergo aqua congelata est vera aqua, oleum congelatum verum oleum, & sic de cæteris: ita quoque vinum congelatum verum vinum. Est etiam potus communi existimatione. Quidni igitur validè consecretur, & possit Christum primò recipere, sicuti certùm est ex Rubricis Tit. de Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus cap. 10. n. 11. *Si in hyeme Sanguis congeletur* &c. Christum retinere? Sanè vinum congelatum æquè demonstrabile est per ly *Hic*, quàm non congelatum.

34. Vinum congelatum validè consecratur;

quia verum vinum, 36.

Rub. Miss.

Dices; non est potus liquidus, sive, non potest potari. Resp. cum distinctione, manens

conge-

congelatum, sive proximè, Transeat; simpliciter, Nego; potest enim liquefieri, etiam per solum calorem oris, & sic bibi; sicuti nux simpliciter est cibus, & potest comedi, licèt necesse sit priùs eam frangere, & sicuti panis indura-
tus debet emoliri, ut comedatur, & tamen adhuc est cibus, ac materia Consecrationis. Sufficit ergo quòd sit per se potabile.

Accedit vinum congelatum etiam proximè posse potari, si non instar liquidi per infusionem, sanè per deglutionem, sive per partes, sive totum simul glutiatur: quippe potare non est aliud, quàm sumere potum: sicut ergo potest sumi, sic potari. Et quocumque modo sumitur, non frangit jejunium; quia tantùm sumitur potus, idque in ordine ad finem potationis. Non tango, unicam guttam posse per se consecrari, quæ tamen non potest per se potari, & salva venire ad orificium stomachi.

35. Dices II. Si vinum resolvatur in vapores, manet substantialiter vinum, adeoque maneret sub speciebus, sic post Consecrationem resolutis, ipse Christus; & tamen non possunt isti vapores primò consecrari.

Resp. disparitatem esse, quòd non possint demonstrari per ly *Hic*, uti nec minima particula panis, quæ idcirco Consecrationem non amittit (ut infrà suo loco videbimus) quamvis defectu demonstrabilitatis non possit primò consecrari. Cæterùm quin si vapor sit adeò crassus, ut demonstrari possit, & dixeris eum retinere Consecrationem priùs factam; die consequenter esse primò consecrabilem. An autem Consecrationem retineat, videtur quòd non; quia requiritur vinum, quod sit tale in morali æstimatione.

Interim communis doctrina est, Christum manere sub speciebus consecratis, quamdiu mansisset substantia panis, & vini, non obstantibus alterationibus accidentalibus; prout etiam tamdiu manet in stomacho Christus, etsi interea facilè tantùm alterentur species consecratæ, quantùm alteratur vinum per resolutionem in vapores.

Cæterum ex illa ratione dubitandi liquet profectò, adhuc esse distinctionem inter vinum congelatum, & vinum resolutum in vapores: quippe aliter per congelationem, aliter per resolutionem censetur immutari ratio vini; nec etiam vapores tam facilè reducuntur ad propinquam, ut sic loquar, potabilitatem, quàm bene vinum congelatum.

36. Dices III. Vinum consecratum offæ imbibitum manet consecratum, & tamen nequit inibi primò consecrari.

Resp. Neg. Subsumptum, ex hypothesi, quòd in offa maneat satis sensibile; licèt enim panis & vinum in offa sint loco conjuncta, & quasi penetrata; utrumque tamen verè est præsens, adeoque seorsim demonstrabile. Veluti si quis ante se haberet particulas triticeas, & non triticeas, posset, si vellet, demonstrare per ly *Hoc*, solas triticeas, similiter solas non triticeas, estò omnes sint æquè demonstrabiles. Panis itaque se habet instar spongiæ, cui vinum si imbibatur, & sensibile maneat, quidni validè possit consecrari? Quemadmodum si artifex conficeret vas argenteum porosum instar panis triticei, posset utique vinum ei infusum consecrari.

Sed contrà: vinum offæ imbibitum non habet rationem potûs, sed cibi, instar succi uvis incluſi; ergo sicut hic invalidè consecratur, ut habet sequens pars Conclusionis, ita & illud.

Resp. Neg. Antecedens; quippe in uva omnia sunt per modum cibi, & verus cibus solvens jejunium: in offa non omnia; etsi enim illam dicimur manducare, & per hoc frangere jejunium, id non est ratione vini, sed panis, qui velut materia crassior, & sensibilior prævalet.

Deinde vinum quandoque imbibitur offæ, ut possit potari, sive sumi, exprimendo illud, uti ex spongia; nec facit cum pane unam substantiam, prout facit succus uvarum cum uvis, utpote pars earum substantialis.

Denique ut vinum in offa primò consecrari non posset, quod plures docent, foret ideo, sive quia non est ibi simpliciter demonstrabile, sive quia non est ibi per modum potûs, quorum neutrum habet locum in vino congelato (quod & est demonstrabile, & manet simpliciter & moraliter potus) & utrumque dici potest requiri, ut primò aliqua materia consecretur, quamquam ut consecrata permaneat, sufficiat manere substantiam.

Et per consequens non erit improbabile (imò fortè magis probabile, quàm oppositum) vinum in vapores resolutum non posse primò consecrari, sive quia non est demonstrabile; sive, estò quòd sit, quia non est moraliter potus, seu vinum potabile.

37. Ex quo quæro resolutionem hujus casûs: Quidam Sacerdos, dum severissima hyems omnia liquida congelaret, Missam celebrat; ubi ad communionem pervenit, reperit sacrum calicem congelatum. Juxta communem Doctorum sententiam ignem adhibet, glaciemque iterum in vinum convertit. At quia dum calix caleficbat, fumum exhalantem percepit, subdubitare incepit, an vini fumus vaporve, sit verè vini pars, & quia nulla est in consecrato calice, quæ non sit consecrata, dubitabat an illæ vini particulæ, quæ ignis violentiâ exhalabantur, non fuerint consecratæ, & inopinato sacrilegio Sanguis Christi per aërem diffunderetur? Sic dubium, inquit Caramuel Theol. fundamentalis (primæ editionis) fundamento 67. num. 1326. in fine, proponere libuit; tu Lector quæstionem resolves. Sed quam? Arbitror, an suppositâ Consecratione istorum vaporum, inopinato sacrilegio Sanguis Christi fuerit diffusus?

Resp. nec inopinato, nec opinato; quippe non violatur res sacra, quando eo modo tractatur, qui ab Ecclesia præscribitur, suprà in Rubricis

Rub. Miss. bricis generalibus, ubi sic lego: *Si in hyeme Sanguis congeletur in calice, involvatur calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in calicem non intret, donec liquefiat.*

Et ostenditur nullum esse sacrilegium vinum congelatum dissolvere:

Quid autem refert sive igne, sive aquâ ferventi glacies dissolvatur? An fortè violentiâ ignis, & non violentiâ ferventis aquæ exhallabitur particula vini? Sed cur non violentiâ utriusque? Diffundatur Sanguis Christi per aërem: sed quid tum? Nonne consultiùs est reverentiæ debitæ Sacramento, pauculas species facilè corrumpi in aëre, quàm Sacrificium manere imperfectum, cujus integritas est juris divini? Vel dicet aliquis, novum vinum assumendum, de novo consecrandum, & statim sumendum? Non puto; obsistente sibi universali sensu Ecclesiæ.

38. Si instes; Ecclesia non præcipit adhibere ignem, sed pannum calefactum, aut aquam fervent em. Resp. non propter irreverentiam, quæ fieret Sacramento ob fortè majorem abundantiam vaporum, qui exhallantur per ignem; sed quia minùs per pannum, aut aquam calefactam nocetur calici aureo vel argenteo, quàm per ignem, si propiùs ei admoveatur, ut tantò citiùs glacies dissolvatur. Sanè non est verosimile Ecclesiam in illa constitutione respexisse ad vapores, qui exhallantur, cùm nullam prorsus eorum faciat ibi, vel alibi mentionem.

cùm præscribat Ecclesia dissolutionem esse faciendam.

Perinde est quo modo fiat.

Imò à paucis Doctoribus illa quæstio hodie movetur: adeoque judico perinde esse, quo médio vinum liquefiat, sive aquâ calidâ, sive igne: Ecclesiam autem significasse medium magis commodum; sine tamen obligatione; quin praxis ignem videtur præferre, qui solet tempore hyemali, quando est periculum congelationis, poni in Altari, partialiter in illum finem.

Adverto etiam, modicum calorem, qui regulariter sufficit ad degelationem vini congelati in calice, vel nullos, vel pauciſſimos, ac tenuissimos fumos, sive vapores extrahere. Et dato casu, quòd intensus valde calor esset necessarius, meliùs arbitror, & decentiùs, quòd pereant aliqui vapores, quàm quòd tota species corrumpatur, si diutiùs maneat congelata.

Qui conficerat vinum congelatū, peccat.

Petes; an ergo liceat vinum congelatum primò consecrare, postea dissolvendum, atque ita Sacrificium perficiendum? Resp. Minimè licet, non quia materia non sit moraliter certa (quidquid pauci sine fundamento contradicant) sed quia contravenitur consueto Ecclesiæ usui. Nullum tamen peccatum erit, si vinum ante Consecrationem liquefiat, imò consultiùs apparet, si vinum congeletur post factam oblationem, illud ipsum, adhibitis calidis, degelatū consecrare, quàm aliud de novo assumere; nisi ex mutatione coloris, aut saporis, aut aliundè dubitetur de vini corruptione, quæ rarissima est; imò vix moraliter fieri potest tam brevi temporis spatio.

39. Objicitur IV. & ultimò: aqua congelata non est materia valida Baptismi; ergo nec vinum congelatum materia Consecrationis Sanguinis.

Objectio quòd aqua congelata non sit materia valida Baptismi.

Resp. Neg. Conseq. quippe non sola aqua, sed ablutio in aqua est proxima & essentialis materia Baptismi; constat autem illam non posse fieri in aqua congelata. Porrò Eucharistia est Sacramentum permanens, institutum sub speciebus panis & vini, per modum cibi & potûs, antecedenter ad actualem comestionem, aut potationem. Jam autem vinum congelatum verè est, & communi æstimatione censetur potus, etsi per accidés non sit proximè potabile, sicut panis, qui præ duritie non est proximè comestibilis, nihilominus verè est, & censetur ab omnibus cibus.

Responsio.

Ex his, sine longo discursu, cognoscitur veritas ultimæ partis Conclusionis, quam disertis verbis docet Scotus suprà ibi: *Vinum etiam illud debet esse expressum de uva, quamdiu enim liquor est in uva tantùm, habet magis rationem comestibilis, quàm potabilis: illud autem Sacramentum pro secunda parte sui essentialiter continet Sanguinem, & pro signo aliquo, quod est per se potus.*

40. Liquor, quamdiu est in uva, non est verus potus. Scotus.

Et quamvis forsitan talis liquor specie physicâ non differat à vino, differt tamen specie morali, neque solet vinum communiter appellari; atque ideo non intelligitur demonstrari per pronomen *Hic* in forma Consecrationis positum, utpote quod solùm demonstrat substantiam, quę communi usu vocatur vinum, & habet accidentia vini usualis; uva autem habet alia accidentia ab illo liquore contento, qui est tamquam pars ejus, velut sanguis in homine, adeoque sicut demonstrato homine, non rectè dicitur: *Hic est sanguis*, sic demonstratâ uvâ non rectè dicitur: *Hoc est vinum*, & consequenter demonstratis speciebus uvæ, *Hic est sanguis.*

Neque eâ muniter appellatur vinum, etsi forsan non differat specie physicâ à vino.

Sed quid, si gutta vini consecrata reponeretur in uva, an propter hoc perderet suam Consecrationem? Non habeo fundamentum sufficiens affirmandi; siquidem per illam repositionem non amitteret substantiam vini, sive non amitteretur substantia vini, si non esset consecrata, licèt jam videatur multis magis habere rationem cibi, quàm potûs, & idcirco non posse primò consecrari defectu demonstrabilitatis, quæ non requiritur, ut materia ritè antea consecrata, Consecrationem suam retineat.

41. Gutta vini consecrati uvæ imposita non amittit suam Consecrationem.

Et verò, si vinum offæ imbibitum, modò maneat satis sensibile, potest, juxta superiùs dicta, validè consecrari, quidni etiam gutta expressa, reposita sensibiliter? Sanè per illam repositionem non amittit rationem vini, & potus; cùm non fiat rursùm pars substantialis uvę, sicut priùs; sed solùm jungatur localiter, & imbibatur, sicut in offa aut spongia.

imò posset primò consecrari, si sit sufficienter sensibilis.

Aliud est de succo uvis incluso, qui est pars substantialis, & continua compositi substantialis viventis & vegetantis, instar succi pomorum, & similium fructuum, qui, nisi expressus, non dicitur simpliciter potus, sed cibus. Nemo autem dubitat, quin materia apta Consecrationi in Sanguinem

Aliud est de succo uvis incluso.

guinem debeat esse, & dici simpliciter potus vinalis. Quare?

42. *Principalis*, inquit Doctor suprà, *ratio est, quia sic Christus instituit. Bona congruentia: quia secunda pars principalis nutritionis, id est potus, principaliter consistit in vino; ut in potu principali.* Vino, inquam, sive naturali de uva expresso, sive miraculosè facto ex aqua, aut alia materia, quale fuit in nuptiis Cana Galileæ; quod dicitur vinum de vite, quia quoad essentiam, usum, & cætera, ejusdem planè rationis est cum vinis naturaliter expressis, & ideo materia consecrabilis. Secùs dicendum de vino adusto sive sublimato, quod vel non est in substantia vinum, vel si ejusdem essentiæ, non habet verum statum vini usualis, prout habet vinum miraculosum.

Similiter valet vinum aquâ modicâ permixtum, in quo etiam creditur Salvator noster Sacramentum Sanguinis sui instituisse; ut propterea ab aliquibus dubitetur, an hæc mixtio non sit de essentia Sacramenti. Quin esse de essentia, asserit Armacanus l. 9. de qq. Armenorum cap. 9. Aliis paucis placet præceptum divinum: nostra sententia cum Scholasticis communiter asserit:

CONCLUSIO V.

Ex solo præcepto Ecclesiæ, vino consecrando miscenda est in calice modicissima aqua, sub gravi obligatione.

43. QUòd vino ante Consecrationem aqua admisceri debeat, docent omnes Catholici cum Ecclesia universali in Concilio Florentino contra Armenos. Verba Concilii in decreto super unione Armenorum sunt hæc: *Tertium est Eucharistiæ Sacramentum, cujus materia est panis triticeus, & vinum de vite, cui ante Consecrationem aqua modicissima admisceri debet.*

Probationem adjungit triplicem, dicens: *Aqua autem ideo admiscetur, quoniam, iuxta testimonia SS. Patrum, creditur ipsum Dominum in vino aquâ permixto hoc instituisse Sacramentum. Deindè quia hoc convenit Dominicæ Passionis repræsentationi. Inquit enim B. Alexander Papa V. à B. Petro; In Sacramentorum oblationibus, quæ intra Missarum solemnia Domino offeruntur, vinum & aquâ permixtum offerri debet, quia utrumque, id est, Sanguis, & aqua, ex latere Christi profluxisse legitur. Tertiò etiam convenit ad significandum huius Sacramenti effectum, qui est unio populi Christiani ad Christum. Aqua enim populum significat* &c.

Eandem veritatem, iisdem rationibus suffultam, novissimè, contra Hæreticos nostri temporis, tradidit Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 7. his verbis: *Monet deinde Sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant; tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam, quia è latere eius aqua simul cum Sanguine exierit, quod Sacramentum hâc mixtione recolitur: & cùm aquæ in Apocal. B. Ioannis populi dicantur, ipsius populi fideles cum Capite Christi unio repræsentatur.* Alia Concilia, Pontifices, & Patres magno numero vide apud Bellar. de Eucharist. lib. 4. cap. 16. & alios. aliaque Cõcilia, & Patres apud Bellarminũ.

Ex quibus omnibus perspicuè manifestum est, hanc mixtionem fuisse in usu à principio Ecclesiæ. Sanè factum Christi testatur Divus Jacobus in sua Liturgia ibi: *Similiter postquam cœnavit accipiens calicem, & permiscens ex vino, & aquâ* &c. Probatur insuper ex facto Christi,

Neque dubitandum, Apostolos ad ejus imitationem idem fecisse, & ita faciendum præcepisse. Hinc appositè Alexander I. Epistolâ 1. ad omnes Orthodoxos cap. 4. *Non debet enim (ut à Patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum.* Qui illi Patres, nisi Apostoli, & Pontifices prædecessores? *Alexander I.* Apostolorum, & Pontificum,

44. Quòd si objicias, Sanguis & aqua, quæ fluxerunt ex latere Christi, manserunt impermixta. Resp. etiam separatim infundi aquam & vinum. Deinde in terra simul fuerunt Sanguis & aqua, & in calice simul sunt vinum & aqua.

Nullius quoque momenti est, quod opponitur ex Isaiæ cap. 1. v. 22. *Vinum tuum mixtum est aquâ.* Quod interpretatur Divus Hieronymus in illum locum de amissa Judæorum sinceritate. Quis enim nesciat unam & eandem rem, secundùm varias considerationes, posse significare bonum & malum? Sic quippe leo significat Christum Apoc. 5. v. 5. *Ecce venit leo de Tribu Iuda* &c. Significat etiam Diabolum 1. Petri 5. v. 8. *Quia adversarius vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* *Isaiæ 1.* *Apoc. 5.* *1. Petri 5.*

Porrò in Eucharistia non fieri commemorationem solius Passionis Christi, ut Hæretici volunt, sed etiam unionis Christi cum Ecclesia, in terminis docet Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. ibi: *Pignus præterea id* (Sacramentum Eucharistiæ) *esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeoq; symbolum unius illius Corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos tamquam membra, arctissimâ Fidei, Spei, & Charitatis connectione adstrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.* & ex unione Christi cum Ecclesia. *Trident.*

Unde ipse Christus, qui Lucæ 22. v. 19. dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; etiam dixit Matth. 26. v. 27. *Bibite ex hoc omnes.* Et Apostolus 1. Cor. 10. postquam dixisset v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Statim subinfert v. 17. *Quoniam unus panis, unum Corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane participamus.* *Luc. 22.* *Matth. 26.* *1. Cor. 10.*

45. Sed cùm hæc satis inter Catholicos constent, controversia tamen est, quę, aut qualis sit necessitas hujus mixtionis, an Sacramẽti, an solius præcepti? Si præcepti, an Divini, aut dumtaxat Ecclesiastici? Conclusio nostra est communis Scholasticorum, & specialiter Scoti suprà n. 2. ubi sic lego: Misceri debet ex solo præcepto Ecclesiæ,

ut fatetur Scotus,

lego: *Huic autẽ vino* (consecrando) *apponere aquam non est simpliciter necessarium de necessitate Sacramẽti, quia etiam quando apposita est, non convertitur in Sanguinem, nisi priùs sit conversa in vinum, & ita modica est apponenda, & ita tempestivè, quòd ante Consecrationem posit conversa fuisse in vinum. Græci etiam non apponunt aquam, ut dicit Innocentius de Officiis Missæ parte 3. c. 4. vel 5. Est tamen de necessitate Ministri propter præceptum Ecclesiæ: & etiam Christus vinum, cum quo fuit aqua mixta, consecravit, iuxta illud Damasc. libro 4. cap. 14.* Christus calicem ex vino & aqua tradidit Discipulis suis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus &c. *Congruentia appositionis aquæ in vinum est propter mysterium, ut significetur populus uniri Christo iuxta illud de Consec. dist. 2. cap. Omne:* Cùm in calice aqua vino miscetur, populus Christo unitur, *id est, copulandus significatur per fidem, & dignam Sacramenti perceptionem.* Hæc Doctor Subtilis.

referens Damascenum.

Ubi noto, quod de Græcis refertur ex Innoc. (apud me lib. 4. Mysteriorum Missæ cap. 32.) & docet Magister in littera; hoc, inquam, non subsistere, ut clarè potest ostendi ex pluribus auctoritatibus Græcorum Patrum, Damasceni, Clementis Alexandrini, Justini, & aliorum, utì etiam ex ipsorum Liturgiis, in quibus mixtio aquæ, etiam ante Consecrationem, præscribitur.

Mixtio aquæ etiam Græcis præscribitur ante Consecrationem,

Alia tamen est ceremonia, quâ Græci utuntur paulò ante communionem, miscendi calicem consecratum aquâ fervente, quæ objecta est eis ab Eugenio Papa in Concilio Florentino. Fortè ex hac aliqui interpretati sunt, eos non miscere calicem ante Consecrationem, & inde talis de ipsis percrebuit opinio.

Unde neque Innocentius, neque Magister absolutè affirmant ita esse, sed inquiunt, *Græcorum Ecclesia dicitur aquam non apponere.* Prima quoque probatio Scoti patitur non modicam contradictionem, etiam ab his, qui in assertione principali conveniunt, ut videbimus Conclusione sequenti.

46. Non est de necessitate Sacramenti;

Itaque mixtionem aquæ non esse de necessitate Sacramenti, colligunt communiter Doctores ex Concilio Florentino, & Tridentino suprà commemoratis. Enimverò Florentinum non dicit materiam calicis esse vinum ex vite, mistam aquâ, sicut asserit materiam Corporis esse panem triticeum, aut materiam Confirmationis esse Chrisma confectum ex oleo & balsamo; sed, *Vinum de vite, cui ante Consecrationem aqua modicissima adhiberi debet*, scilicet ex præcepto; prout intellexit Concilium Tridentinum suprà monens: *Præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo miscerent.* Et ideo sess. 13. ubi expresè agit de hoc Sacramento, nullam aquæ, sive mixtionis facit mentionem, vinum tantummodò nominans tamquam materiam essentialem.

ut manifestè tradidit Tridentinũ.

Confirmatur ex Rubricis generalibus Titulo de Defectibus cap. 4. n. 8. *Si autem celebrans ante Consecrationem calicis advertat non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, & proferat verba Consecrationis. Si advertat post Consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.*

Confirmatur ex Rubricis generalibus.

Idem insinuant Patres, dum tantùm dicunt consuetudinem hanc esse servandam, ut ex ipsorum verbis ponderat Suarez disp. 45. sect. 2.

& satis insinuatur à SS. Patribus, Suarez.

Nec obstat factum Christi: sic quippe panis azymus, juxta doctrinam Ecclesiæ Latinæ, esset de necessitate Sacramenti, & fermentatus secundùm sententiam Græcorum. Quid si etiam Christus consecraverit vinum rubrum, eritnè hoc propterea essentiale?

Nec obstat factum Christi.

Sufficit profectò substantiam rei, quam Christus consecravit, manere immutatam. Porrò per additionem, vel substractionem aquæ non mutatur substantia vini, saltem in morali æstimatione hominum, qui vinum purum & lymphatum pro eodem potu usurpant. Quo ergo fundamento asserere potero, mixtionem illam aquæ esse essentialem, cùm ex traditione & doctrina universalis Ecclesiæ potiùs constet oppositum?

Nullum ergo est fundamentum dicendi mixtionem esse essentialem.

47. Objicitur auctoritas D. Cypriani;

Dices: *Calix Domini non est aqua sola* (verba sunt Divi Cypriani lib. 2. Epistolâ 3. aliàs Epistolâ 63.) *aut vinum solum, nisi utrumque sibi misceatur: quo modo nec Corpus Domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque adunatum fuerit & copulatum, & panis unius compage solidatum.* Et paulò antè in eadem Epistola sic ait: *Quando autem in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credidit, copulatur & coniungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut commixtio illa non possit ab invicem separari.*

item Julij Pontificis.

Similiter loquitur Julius Papa, & ponitur de Consec. dist. 2. cap. 7. ibi: *Ergo cùm in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs ei, in quem credit, copulatur & iungitur. Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini sic miscetur in calice Domini, ut mixtio illa non possit separari.*

D. August.

Ante Responsionem nota ex Divo Augustino lib. 4. de doctrina Christiana cap. 21. *Beatus*, inquit, *Cyprianus submisso dicendi genere utitur in eo libro* (sic appellat Epistolam citatam) *ubi de Sacramento calicis disputat. Solvitur quippe ibi quæstio, in qua quæritur, utrùm calix Dominicus aquam solam, an eam vinò mixtam debeat habere &c.*

Agit itaque hîc Cyprianus contra Aquarios, qui solam aquam in Sacrificio offerebant, probans ex multis Scripturæ locis, mixtionem vini esse traditionem Dominicam, adeoque necessariam, necessitate etiam Sacramenti.

Agit D. Cyprian. contra Aquarios solam aquam offerentes.

48. Vasquez & Præpositus putant eum esse in contraria opinione;

Hoc notato, difficilia adhuc sunt verba Cypriani, quem idcirco Præpositus & Vasquez admittunt esse in contraria opinione. Ego autem respondeo, omnem comparationem claudicare, adeo-

adeoque tantùm velle, ita solum vinum consecrari illicitè, quamvis validè; sicuti sola farina, aut aqua sola consecratur illicitè & invalidè: breviter, æquiparare illa in ratione illiciti, non in ratione invalidi.

Colligo ex verbis immediatè præcedentibus: *Sic autem in sanctificando calice Domini offerri aqua sola non potest, quo modo nec vinum solum potest* (scilicet licitè) *nam si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi incipit esse sine nobis* (ergo valet Consecratio) *si verò aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo* (ergo invalida oblatio) *quando autem utrumque miscetur, & adunatione confusâ sibi invicem copulatur, tunc Sacramentum spiritale & cœleste perficitur.* Spiritale utique & cœleste, etiam ipsi consecranti; alioquin vinum solum offerenti, utpote mortaliter peccanti, potiùs mors, quàm vita spiritualis.

Accedit, quòd Divus Cyprianus in Epistola illa totus sit in probanda necessitate vini contra Hæreticos Aquarios, parùm solicitus de necessitate aquæ, quam illi admittebant, & per consequens de gradu necessitatis; sed, supponens ipsorum errorem, ex necessitate essentiali aquæ conatur ostendere necessitatem essentialem vini.

Comparat ergo aquam, & vinum quoad necessitatem illam, etiam quoad gradum in errore illorum Hæreticorum, non tamen juxta verum & communem sensum Ecclesiæ, à quo non suspicor tantum virum voluisse recedere; & estò recessisset, veluti cùm docuit, ab Hæreticis baptizatos esse rebaptizandos, malumus sequi doctrinam totius Ecclesiæ universalem, quàm unius Cypriani particularem.

Nam quod attinet ad Julium Pontificem, satìs colligitur ex fine illius decreti, ly *Non posit*, in verbis prælegatis, non esse particulam irritantem, sed dumtaxat prohibentem; sic quippe concludit: *Et ideo nulli deinceps licitum sit aliud in Sacrificiis divinis offerre, nisi, juxta antiquorum sententiam Conciliorum, panem tantùm, & calicem vino & aquâ permixtum. De cætero aliter quàm præceptum est, faciens, tamdiu à Sacrificio cessabit &c.* Ubi nulla fit mentio invaliditatis.

Ergo quando in eodem decreto dicit; *Ut mixtio illa non possit separari*, supple, licitè; nam id simpliciter possumus, quod jure possumus, & simpliciter non possumus, quod licitè facere non possumus. Vel, ut loquitur Innoc. III. lib. 4. de Myster. Missæ cap. 32. *Non potest, id est, non debet, quia non dicitur posse fieri, quod de jure non fit*, argumento L. *Filius* 15. ff. de Conditio. instit. ibi: *Nam quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est.*

Certè in antiquis Conciliis non apparet vestigium sententiæ invalidantis Consecrationem solius vini. Et hinc Pontifex immediatè subdit verbis objectis: *Nam si vinum tantùm quis offerat, Sanguis Christi esse incipit sine nobis* &c. ut suprà apud Cyprianum.

Et si instes: ergo tunc non manet significatio unionis Ecclesiæ cum Christo. Resp. illam non esse de essentia Eucharistiæ; sed neque significatio aquæ, quæ profluxit ex latere Christi. — Objectio solvitur.

Quæris à me, quæ igitur sit significatio essentialis seu sacramentalis? Dico breviter, significatio Corporis & Sanguinis Christi, per modum cibi & potûs animæ; quamquam & in hoc ipso, quòd Eucharistia sit cibus vel potus animæ, quis non videt significari gratiam sanctificantem, per quam anima unitur Christo, ut alimento spirituali? Estò ampliùs, & alio titulo illa unio significetur per mixtionem aquę cum vino, sed non nisi ex institutione Ecclesiæ, adeoque non sacramentaliter, ut jam ostendo. — Quæ significatio sit de essentia Eucharistiæ.

50. Verosimiliùs est Christum non determinasse nisi materias, & formas essentiales Sacramentorum; cætera reliquisse dispositioni suæ Ecclesiæ: atqui ex dictis certum est, mixtionem aquæ non esse materiam essentialem; ergo veriùs apparet non à Christo, sed à sola Ecclesia præceptam. Et quidem præceptum Ecclesiæ nemo negare potest, nisi velit contradicere Concilio Tridentino suprà sess. 22. cap. 7. simpliciter id asserenti. — Mixtio aquæ non est præcepta à Christo,

Scio idem præcipi posse à Deo & ab Ecclesia; sed etiam non ignoro, præcepta sine necessitate minimè esse multiplicanda. Et quæ hîc necessitas præcepti divini? Aut si præceptum divinum, cur Florentinum illud tacuit? Cur Tridentinum istud non proposuit Sacerdotibus, celebrare volentibus, sicuti communicare volentibus sess. 13. cap. 7. proposuit præceptum divinum: *Probet seipsum homo.* 1. Cor. 11. v. 28. & omnibus post Baptismum lapsis sess. 14. c. 5. jus divinum integræ Confessionis? — *Trident.*

Respondet aliquis; quia præceptum mixtionis erat controversum, & qualiscumque obligatio sufficiebat proposito Concilii. Acute! Sed quæro; quis ergo indicavit tibi obligationem juris divini? Nam & aliis Conciliis satìs erat obligatio humana; Traditio autem rem certam facit, vel si etiam de Traditione disputatur, quis Judex, nisi Ecclesia? Et verò Ecclesia nullibi rem determinavit, ut fateris; ergo talis obligatio gratìs asseritur. — cùm tale præceptum nullibi exprimatur,

51. Dices; ipse Christus facto & verbo sententiam pronuntiavit, miscens aquam vino ante Consecrationem, & dicens Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*; cui consonat Apostolus 1. Cor. 11. v. 24. & 25. *Et gratias agens fregit & dixit: Accipite & manducate: Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem postquam cœnavit dicens: Hic calix novum Testamentum est in meo Sanguine; hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* — *Luc.* 22. — 1. *Cor.* 11.

Quæ utique verba sic interpretatur Divus Cyprianus in Epistola suprà citata: *Quòd si & à Domino præcipitur, & ab Apostolo eius hoc idem confirmatur & traditur, ut quotiescumque bibemus in* — *D. Cyprian.*

commemorationem Domini, hoc faciamus, quod fecit & Dominus; invenimus non observari à nobis, quod mandatum est, nisi eadem, quæ Dominus fecit, nos quoque faciamus, & calicem Domini pari ratione miscentes à divino magisterio non recedamus. Quid clarius dici poterat?

neque ex facto Christi colligatur;

Resp. sed contra Aquarios, qui vinum non ponebant in calice; non autem contra communem Ecclesiæ doctrinam, quæ pro materia essentiali agnoscit vinum, miscendum aquâ ex præcepto Apostolico. Quòd autem Cyprianus ibi loquatur de præcepto Christi, consecrandi vinum, & non solam aquam, patet ex his verbis ejusdem Epistolæ: *Miror*, inquit, *satis unde hoc usurpatum sit, ut contra Euangelicam & Apostolicam disciplinam quibusdam in locis aqua offeratur in Dominico calice, quæ sola Christi Sanguinem non possit exprimere.*

52. verba enim ejus Luc. 22. de substantialibus sunt intelligenda:

Profectò indubitatum esse debet apud omnes, illa verba Christi: *Hoc facite in meam commemorationem*, non esse intelligenda, nisi de his, quæ erant de substantia Sacramenti & Sacrificii, ut patet in multis accidentalibus circumstantiis, id est, quæ moraliter non mutant substantiam facti, seu moraliter non mutant substantiam rei à Christo consecratæ. Sic v. g. fermentum non extrahit à ratione panis, & ideo panis fermentatus valet (imò licet in Ecclesia Græca) quamvis Christus in azymo consecrasset.

adeoque valet vinum impermixtum.

Similiter ergo in præsenti, valet vinum impermixtum, non obstante facto Christi, quia impermixtio aquæ non extrahit à ratione vini; & consequenter valeret vinum aquâ mixtum, etsi Christus in vino puro Sacramentum instituisset; quia illa mixtio non mutat moraliter substantiam vini, imò liceret Consecratio in vino puro, nisi Ecclesia præcepisset mixtionem.

Aliud esset, si loco vini apponeretur lac, mel, aut sola aqua, vel si farina foret subacta butyro, saccaro, aquâ rosaceâ &c. hæc enim sunt vel physicè, vel saltem moraliter diversa substantia ab illa, in qua Christus primùm consecravit.

Non omnia enim quæ Christus fecit, nos facere debemus,

Et sanè ipse Cyprianus in Epistola citata clarè indicat, quòd non omnia eadem, quæ Christus fecit, nos quoque facere debeamus. Verba ejus sunt: *At enim non mane, sed post cœnam mixtum calicem obtulit Dominus. Numquid ergo Dominicum post cœnam celebrare debemus, ut sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus?*

secundùm D. Cyprianum,

Respondet: *Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa Sacrificii ostenderet occasum & vesperam mundi* &c. *Nos autem Resurrectionem Domini mane celebramus. Et quia Passionis eius mentionem in Sacrificiis omnibus facimus (Passio est enim Domini, Sacrificium quod offerimus) nihil aliud quàm quod ille fecit, facere debemus*; puta quoad substantiam rei; non autem quoad omnes circumstantias accidentales, alioquin sibi ipsi in illis verbis contradiceret.

53. Explicantur verba aliorum Patrum de oblatione solius aquæ, lactis, &c.

In eodem sensu interpretamur verba aliorum Patrum, aut Conciliorum, quæ contra communem sententiam proferuntur; ut videlicet nihil aliud velint, quàm ex præcepto divino & necessitate Sacramenti vinum in calice esse offerendum, & non puram aquam, aut aliam, moraliter, vel physicè, substantiam v. g. lac, mel, &c.

Carthag. III.

Sic intelligo verba Carthag. III. cap. 24. *Ut in Sacramentis Corporis & Sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquâ mixtum, nec amplius in Sacrificiis offeratur, quàm de uvis & frumentis.*

Africanum.

In Concilio Africano cap 4. (inquit Card. Lugo disp. 4. sect. 2. n. 32.) eadem verba habentur, & redditur ratio illius decreti his verbis: *Primitiæ verò, seu mel, & lac quod uno die solemnissimo in infantium mysterio solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionem, ut à Sacramento Dominici Corporis & Sanguinis distinguantur.* Attamen cùm multa sint Concilia Africana, in nullo illorum, quæ videre potui, verba ista, vel similia reperio. Fides ergo maneat penes Auctorem.

Can. 3. Apost.

Lego Canonem 3. Apostolorum, qui sic habet: *Si quis Episcopus aut Presbyter præter ordinationem Domini, alia quædam in Sacrificio offerat super altare, id est, aut mel, aut lac; aut pro vino siceram, & confecta quædam, aut volatilia, aut animalia aliqua, aut legumina, contra constitutionem Domini faciens, congruo tempore deponatur.*

Aurelian. IV.

In Concilio autem Aurelianensi IV. cap. 4. ita scriptum invenio: *Ut nullus in oblatione sacri calicis, nisi quod ex fructu vineæ speratur, aquâ mixtum offerre præsumat; quia sacrilegium indicatur, aliud offerri, quàm quod in mandatis sacratissimus Salvator instituit.*

vel mandatum Christi latius accipiunt pro ejus exemplo.

Ubi cùm audis: *Sacratissimum mandatum Salvatoris*, cogita vel per ly *Aliud*, intelligi substantiam specie distinctam à vino aquâ permixto; vel certè mandatum Christi latius accipi pro exemplo ejus, aut providentia divina, quâ fit, ut Ecclesia sic ordinet, secundùm illud Leonis Papæ Sermone 4. de Quadragesima: *Magna divinæ institutionis*, id est, providentiæ, *salubritate provisum est, ut 40. nobis dierum exercitatio mederetur.* Loquitur de jejunio quadragesimali.

Leo Papa.

Iom. 13.

Concordat illud Christi Joannis 13. v. 14. & 15. *Et vos debetis alter alterius lavare pedes.* Quo debito? *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis:* ad exercitium utique humilitatis, non ex stricta & rigorosa obligatione. Unde præmiserat eodem vers. 14. *Si ergo ego lavi pedes vestros Dominus ac Magister* &c. Quis autem ignorat magistros, qui in scholis docent, præceptores appellari, eorumque doctrinam præceptum?

54. Docuit Christus facto suo a- quam esse

Docuit itaque Christus facto & exemplo suo, aquam miscendam vino in calice: quam doctrinam sapientissimi Magistri, Ecclesia Sancta,

Sancta, Catholica, & Apostolica, Capitis sui inhærens vestigiis, membris omnibus, ad id muneris specialiter deputatis per sacram Presbyteratûs Ordinationem, proposuit; idque sub gravi obligatione, ut habet commnis ac certa Theologorum sententia, & colligitur ex Rub. Missalis Tit. de Defectibus cap. 4. n. 2. *Si*, inquit, *vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis, conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.*

Inter actiones namque, ad essentiam Sacramenti non pertinentes, hæc potissima est, & proxima iis, quæ sunt de essentia; non præcisè secundùm se, sed propter repræsentationem seu significationem, tum Dominicæ Passionis, tum effectus hujus Sacramenti, qui est unio populi Christiani ad Christum.

Certè si communio post comestionem, etiam minimæ quantitatis, omnium judicio est peccatum mortale, multò magis omissio hujus ceremoniæ, quæ ex antiquissima traditione in tota Ecclesia observatur, & graviores, imò gravissimas habet rationes. Unde si quis oblitus fuisset aquam apponere, & ante Consecrationem calicis recordaretur, ut habent Rubricæ suprà n. 7. *Statim ponat eam*: secùs si tantùm advertat post Consecrationem; quia, ut ibidem dicitur; *Non est de necessitate Sacramenti*, & nihil non consecratum, miscendum est consecrato, præsertim contra receptum Ecclesiæ usum.

Qui usus præterea docet, non sufficere, quòd aqua misceatur vino in dolio, sed quòd debeat misceri in calice; siquidem illa mixtio facienda est per modum ceremoniæ. Et ideo signanter dixi in Conclusione: *Miscenda est in calice.*

Qualis, & quanta? Resp. naturalis, & modicissima. Naturalis quidem, ut demonstrat praxis universalis Ecclesiæ, & manifestè colligitur ex Rubricis suprà allegatis, ubi docent graviter peccare, qui consecrant vinum mixtum aquâ rosaceâ seu alterius distillationis. Arbitror, quia non est simpliciter & propriè aqua, qualis tamen exivit de latere Christi, teste Innocentio III. cap. *In quadam* 8. de Celeb. Missarum ibi: *Restat igitur, ut qualiscumque fuerit illa aqua* (quæ de latere Christi profluxit) *sive naturalis, sive miraculosa, sive de novo divinâ virtute creata, sive de componentibus ex parte aliqua resoluta, proculdubio vera fuit.*

Alioquin, ut paulò superiùs dicit: *Neque per hoc posset vero argumento probari, quòd in Sacramento Eucharistiæ admiscenda sit aqua vino* (utique naturalis) *si de latere Christi non aqua, sed phlegma profluxisset.*

Modicissima autem, terminus est Concilii Florentini, quo revocat constitutionem Concilii Triburiensis cap. 19. quæ est talis: *Non debet in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua sola offerri: sed utrumque permixtum, quia utrumque ex latere eius profluxit: sed sic ut duæ partes sint vini, tertia verò aquæ; quia maior est Maiestas Domini, quam fragilitas populi, qui per aquam designatur.*

56. Putat Lugo suprà n. 38. Concilium illud Provinciale non fuisse ab Ecclesia universali, seu à Pontifice approbatum; quod sive verum sit, sive falsum, certè nullum exinde sumitur fundamentum asserendi, etsi tertia pars calicis esset aqua, totum mixtum ante conversionem aquæ in vinum, adhuc fore materiam aptam Consecrationi; estò in illa Provincia sic practicaverint, quia vinum adeò præstans, ut duæ partes tertiam partem aquæ in se possent facilè convertere.

Sint liberè sex, aut septem stillæ, vel, ut Lugo, quinta aut sexta pars.

De cætero cùm vinum in aliquibus regionibus valdè tenue sit, meritò Ecclesia ordinavit modicissimam aquam (sint liberè sex, aut septem stillæ, vel, ut Lugo suprà, quinta, aut sexta pars) propter periculum corruptionis substantiæ vini per copiosiorem aquæ admixtionem; & ex consequenti periculum invalidæ Consecrationis.

Adde, per notabilem excessum vini super aquam, meliùs significari excessum quasi infinitum divinæ majestatis super fragilitatem populi; citiusque aquam in vinum converti, alioquin non convertendam in Sanguinem, ut communior & probabilior habet opinio, quam examinandam, propono his verbis:

CONCLUSIO VI.

Aqua, vino in calice admixta, non convertitur in Sanguinem, nisi priùs fuerit conversa in vinum.

57. Conclusio hæc est Scoti, D. Thomæ, aliorumque communiter.

EST Scoti 4. dist. 11. q. 7. n. 2. ibi: *Quia etiam quando apposita est* (aqua) *non convertitur in Sanguinem, nisi prius sit conversa in vinum.* Divi Thomæ 4. dist. 11. q. 2. art. 4. quæstiuncula prima, & tertia parte q. 73. art. 8. aliorumque communiter tam Antiquorum, quàm Recentiorum, exceptis ferè Patribus Societatis.

eamque approbat Innoc. III. in cap. *Cùm Marthæ.*

Et videtur eam amplecti tamquam veriorem & probabiliorem Innocentius III. in cap. *Cùm Marthæ* de Celeb. Missarum, ubi relatâ triplici opinione Scholasticorum; Prima, asserentium vinum & aquam, quæ miscentur in calice, divinâ virtute mutari in Sanguinem, & aquam, quæ fluxerunt de latere Christi, utique vinum in Sanguinem, aquam in aquam: Secunda, existimantium aquam cum vino transubstantiari in Sanguinem, *cum in vinum*, inquit, *transeat mixta vino, licèt physici contrarium asseverent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari:* Tertia, dicentium, quòd aqua non transit in Sanguinem, sed semper remanet prioris vini accidentibus

tibus circumfusa, ita quòd vini saporem assumit.

admittens secundam, rejectis duabus aliis opinionibus.

His, inquam, opinionibus recensitis, nullâ factâ mentione sententiæ, quæ docet immediatam conversionem aquæ in Sanguinem, subjungit Pontifex: *Verùm inter opiniones prædictas, illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino transmutari; ut expressiùs eluceat proprietas Sacramenti.* Ubi approbatur secunda opinio, quæ est nostra.

Audio Card. disp. 4. num. 45. Non dixit: *Aquam conversam in vinum*; sed, *Aquam cum vino* transire in Sanguinem Christi; & licèt quando retulit sententiam secundam, quam postea videtur approbare, subjunxerit rationem; *quia aqua transit in vinum*, postea tamen, cùm ex mente propria loquitur, illâ ratione non utitur, sed Conclusionem astruit, aquam scilicet cum vino transire in Sanguinem, & probat ratione Theologicâ ex eo, quòd ita meliùs significatur unio Ecclesiæ cum Christo. Ita Lugo.

Contrariatur Cardinalis Lugo,

Qui propterea putat suam opinionem non alienam videri à mente Innocentii III. in dicto cap. *Cùm Marthæ*. Imò (addit Eminent.) ipse Innocentius lib. 4. de Myst. Missæ cap. 11. videtur supponere aquam transire immediatè in Sanguinem, dum dicit: *In Sacramento Corporis est trinitas specierum, videlicet panis, vinum, & aqua.*

58. qui frustra quærit Patronum ipsum Innocentium,

Profectò si sententia Lugonis nullum alium habeat Patronum, quàm Innocentium, omni prorsus destituitur. Enimverò quilibet non præventus, qui vel leviter introspexerit verba Pontificis in cap. *Cùm Marthæ*, libenter fatebitur, Innocentium simpliciter approbare unam ex opinionibus in controversiam coram se deductis, ait quippe: *Inter prædictas opiniones.* Et sanè nemo tunc disputantium poterat dubitare (nec hactenus prudenter ullus dubitavit) quin Papa tulisset sententiam pro secunda opinione; illa autem loquebatur de transmutatione mediata, ut clarùm est.

Neque necesse erat, quòd explicitè uteretur illâ ratione physicâ: *Quia aqua transit in vinum*; quippe intrinseca erat ipsi sententiæ, quam approbabat; utpote docens aquam converti in Sanguinem non simpliciter, sive immediatè, sed priùs conversam in vinum; & ideo superaddit aliam rationem Theologicam: *Ut*, inquit, *expressiùs eluceat proprietas Sacramenti.* In quo? *Nam cùm aquæ multæ sint populi multi, juxta quod alibi legitur*: Beati qui seminatis super omnes aquas; *ideo vino aqua unitur, ut Christo populus adunetur.*

Hoc autem significatur perfectius, si aqua sic vino uniatur & faciat unum cum vino, ut etiam in vinum transeat, sicque in Sanguinem, qui ponatur sub symbolis unionem populi cum Christo designantibus, non solùm per quamdam juxtapositionem; sed etiam per substantialem aquæ in vinum, dein in Sanguinem conversionem.

59. approbante etiam rationem physicam secundæ sententiæ, ut patet ex lib. 4. de Myst. Missæ c. 30.

Porrò Innocentium etiam approbasse rationem physicam, manifestum fit ex lib. 4. de Myst. Missæ cap. 30. ibi: *Quibusdam verò non absurdum videtur, quòd aqua cum vino transit in Sanguinem, eâ videlicet ratione, quòd aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per Consecrationem transit in Sanguinem. Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum infunditur aquæ?* Malo ego cum Pontifice de hoc transitu non dubitare, quàm cum aliquibus Physicis illum negare, de quo statim plura.

Quomodo intelligendum quod ait Innoc. sup. cap. 11.

Ex quo deduco, sensum Innocentii, in illo dicto cap. 11. ejusdem libri suprà allegato, non esse eum, quem Card. prætendit, scilicet in calice consecrato manere species aquæ nondum in vinum conversæ; sed in calice offerendo mixtum fuisse vinum cum aqua, per Consecrationem in Sanguinem convertendum, remanentibus formaliter solis speciebus vini. Patet, quia non dicit: *In Sacramento Corporis manet trinitas specierum, panis, vini, & aquæ*, prout deberet loqui ad intentum Card. sed inquit, *In Sacramento Corporis est trinitas specierum, videlicet panis, vinum, & aqua*, quasi diceret; hæc tria sunt materia transiens hujus Augustissimi Sacramenti: fidei quippe est post Consecrationem non manere panem, vinum, & aquam; ita quòd ly *Species*, non significet accidentia panis, vini, & aquæ; sed magis ipsas substantias, quæ principaliter & simpliciter significantur per ly *Panis, vinum, & aqua.*

60. Objectio Dicastillonis,

Sed hîc nondum statim finis. Nam, inquit Dicastillo disp. 2. n. 151. quamvis concederemus Pontificem illam sententiam censuisse probabiliorem, nihil ad rem. Neque enim dixit absolutè probabiliorem; sed, inter opiniones prædictas illa (inquit) probabilior judicatur. Ergo si nostra sententia non est illa, nec altera ex illis duabus, ut patet; tantùm definivit Pontifex, quòd comparatione ad alias duas sit probabilior illa; non tamen ideo censetur definire probabiliorem esse cæteris omnibus sententiis, quæ possent cogitari; nec præcludere aditum ad hanc, quæ solùm differt in ratione, & convenit in eo; quòd præcipuè quæritur, scilicet, utrùm transeat in Sanguinem. Hæc ille.

Solvitur.

Resp. approbari simpliciter tamquam probabiliorem: siquidem facta erat discussio veritatis, propositis rationibus dubitandi, & diversis circa eam opinionibus. Incredibile autem est, opinionem illam in lite ista non fuisse referendam, si omnes alias in probabilitate excessisset; imò argumentum hoc est, quòd tunc non fuerit nota, aut certè non digna relatu.

61. Objectio Pauli Aresii.

Contrà insurgit Paulus Aresius speciali tractatu de hac controversia sect. 4. Non opus fuit, ut Innocentius eam tamquam ab aliis diversam referret; præcipuè cùm rationem, ab aliis allatam, ipse refutasset physicorum auctoritate; si enim à secunda sententia illam rationem auferas, ne hilum quidem discrepabit à nostra.

Præterea,

Præterea ignorare non potuit Innocentius multorum sententiam esse, aquam in vinum non transmutari, & tamen in Sanguinem verti. Nam ante annos 24. jam apud Gallos percrebuerat hæc sententia, & de ea Gaufredus Romam scripserat, ut refert Card. Baronius ad annum Domini 1188. cùm Innocentius floruerit anno Domini 1212. & illi ipsi, ad quos scribebat Innocentius, supponebant aquam non converti in vinum, & ambigebatur, an converteretur immediatè in Sanguinem; inquit enim Innocentius: *Quæsivisti etiam, utrùm aqua cum vino in Sanguinem convertatur*; si enim supposuissent aquam in vinum verti, dubium esse non poterat in Sanguinem transmutari.

62. Affirmat, & docet Innocentium agnovisse conversionem mediatam.

Sed, pace dixerim tanti viri, qui totus fuit in probanda immediata conversione aquæ in Sanguinem, certùm est Innocentium agnovisse conversionem mediatam: illa enim erat secunda opinio ab ipso relata; scivit quoque, secundùm Aresium, quæstionem instituisse de conversione immediata, & potuisset respondere si voluisset, aquam immediatè in Sanguinem transmutari sive transire in Sanguinem, etsi priùs non transierit in vinum. Cur ergo non fecit, si illa erat ipsius sententia? Imò teste Baronio suprà (ut eum intelligunt Adversarii) sententia, quam credidit, & custodivit semper Sancta Romana Ecclesia? Equidem elegit Pontifex inter prædictas opiniones secundam. Et quæ ista? Aquam priùs converti in vinum, quàm in Sanguinem.

Porrò quod dicit Aresius, si à secunda sententia illam rationem auferas, ne hilum quidem discrepabit à nostra, idem est, ac si dicat, mediatæ conversioni substitue immediatam, & secunda opinio erit nostra. Quis dubitat?

Sed auferamus rationem, quia ita placet Aresio, quid remanet? *Aqua cum vino transubstantiatur in Sanguinem.* An hoc negant, qui astruunt solam conversionem mediatam? Minimè. Quomodo ergo secunda opinio non distinguitur à sententia Adversariorum, qui docent transubstantiationem immediatam?

Quia, inquis, transubstantiatio mediata non est conversio aquæ simpliciter in Sanguinem; sed vini, seu aquæ vinum factæ, juxta illud Joannis 2. v. 9. *Vt autem gustavit Architriclinus aquam vinum factam.* At verò Sancti Patres passim inculcant, aquam & vinum, sive aquam cum vino transubstantiari in Sanguinem.

Joan. 2.

Aqua simpliciter & verè quod dicit conversio aquæ in Sanguinem.

Resp. simpliciter verum est dicere: *Panis convertitur in nostram carnem*, etsi immediatiùs in chylum & sanguinem convertatur: & ita simpliciter dicere potuisset Scriptura mox allegata: *Vt autem gustavit Architriclinus aquam*; addidit autem, *vinum factam*, ad commendationem miraculi.

63. Objectio.

Contrà: dic ergo etiam herbam, quam bos comedit, mutari in tuam carnem. Resp. non esse usitatum modum loquendi; quia illa prima conversio est nimis remota. Unde etiam aër, ex quo forsitan aqua, quæ miscetur vino, dudum facta fuerat, non dicitur transire in Sanguinem. Solvitur.

Contrà: saltem eâ ratione dici poterit triticum, vel massa cruda consecrari, quia consecratur panis. Resp. etiam non esse usitatum modum loquendi; alioquin bene intellectus, verus est: *Frumenti adipe*, inquit Ecclesia, *satiat nos Dominus.* Præterea, ideo Ecclesia dicit aquam transubstantiari, & tacet de farina, vel massa cruda; quia hæc satis subintelligitur in ipso pane, secùs aqua in vino, cùm possit esse vinum purum: ut ergo significet, aquam vino esse miscendam, pronuntiat eam converti, scilicet mediatè. Alia objectio. Solvitur.

Redeo ad Aresium, & inquiro; an referre sententiam alicujus Auctoris, sit refutare oppositam? Quis ita loquitur? Et verò Pontifex in cap. *Cùm Marthæ*, quid aliud facit, quàm proponere duplicem sententiam, unam asserentem conversionem aquæ in vinum, alteram negantem? Referens cujusdam Auctoris sententiam, non eo ipso refutat oppositam.

Dices; si non approbat sententiam negantem conversionem aquæ in vinum, cur ergo eam non refellit? Sicut paulò infrà non recipiens dictum Philosophicum; *Quòd accidentia non mutant subiectum*, reddit rationem; *cedit quippe natura miraculo, & virtus supra consuetudinem operatur.* 64. Objectio. Solvitur 1.

Respondeo primò, & consimiliter argumentor: si Innocentius ibi non approbat sententiam asserentem conversionem aquæ in vinum, cur eam non refellit? Solùm enim ait Physicos contrarium asseverare ibi: *Licet Physici contrarium asserverent, qui aquam à vino per artificium posse asserunt separari.*

Respondeo secundò: quamvis in illo capite explicitè non refellat sententiam negantem conversionem aquæ in vinum; equidem haud obscurè significat se oppositæ adhærere, quando inter prædictas opiniones amplectitur secundam, quæ supponebat aquam converti in vinum; tertiam rejiciens, quæ supponebat aquam non posse converti in vinum. Solvitur 2.

Non ergo correxit Innocentius Pontifex, ut vult Aresius, quod priùs dixerat tamquam privatus Doctor lib. 4. de Myst. Missæ cap. 30. *Quis ambigat aquam in vinum transire, cùm multo vino modicum infunditur aquæ?* Sed magis confirmavit, eligens sententiam eorum, qui, contra judicium minus fundatum aliquorum Physicorum, constanter asserebant, aquam converti in vinum, & ideo in Sanguinem. Non correxit Innocentius Pontifex id, quod docuerat priùs tamquam Doctor privatus.

Porrò hanc conversionem aquæ in vinum, non esse sententiam noviter inventam contra commune Patrum judicium, nimis manifestè colligitur ex Doctissimo Alano lib. 1. de hoc Sacramento cap. 13. ibi: *Probabilius est, quod omnium penè Ecclesiasticorum Scriptorum iudicio defenditur, aquam modicè infusam, in vini* 65. Conversio aquæ in vinum non est novum inventum; *Alanus.*

sed approbata à Catechismo Pii V.

substantiam prorsus desinere. Accedat Catechismus Pii V. parte 2. cap. 4. q. 16. ibi: *Nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententiâ & iudicio, aqua illa in vinum convertitur.*

cujus verba leviter nimis à Lugone rejiciuntur, intelligente ea de conversione morali:

Hæc verba Catechismi leviter rejicit Lugo disp. 4. n. 59. credo, quia contraria suæ sententiæ; nam disp. 1. num. 53. ut probet verba Consecrationis esse partem Sacramenti, inquit: Qui modus explicandi non leviter confirmatur ex modo loquendi Catechismi Pii V. Hîc autem quid? Respondetur, inquit, vel Theologos illos habuisse eam sententiam, sicut alii plures tenent, quod non negamus; vel locutos solùm de conversione latè sumpta, quoad denominationem vini prædominantis in illo composito.

de quâ etjam Aresius intelligit verba hunc.

Et de eadem conversione, seu transitu morali intelligit Aresius suprà Innocentium lib. 4. de Mysterio Missæ cap. 30. statim citato, de quo, inquit, nemo certè ambigit.

Confirmat ex verbis Pontificis ibidem paulò post subsequentibus: *Quid autem si plus apponatur aquæ quàm vini, erit irritum Sacramentum?* Respondet; *Oportet quidem quòd tantùm vini ibi ponatur, ut aqua commixtum saporem vini retineat.* Hoc autem, ait Aresius, quid aliud est, quàm aquam esse conversam in vinum moraliter, sive accidentaliter? Hoc igitur existimat sufficere, ut Sacramentum irritum non sit, & aqua vertatur in Sanguinem. Sicuti & cap. *Perniciosus* de Celeb. Miss. nil amplius requirit Honorius III. qui proximè ei successit, quàm ut in calice plus vini, quàm aqua ponatur. Hæc Aresius. Quæ non carent difficultate.

cap. Perniciosus de Celebr. Miss Honorius III.

66.

Interim non dubito, Pontificem intellexisse transitum physicum; loquitur quippe de illo transitu aquæ in vinum, de quo fit mentio in cap. *Cùm Martha* de Celeb. Miss. ut inspicientem verba non potest latere; atqui in cap. *Cùm Martha* agit de conversione physica. Patet; quia tertia sententia, quam rejicit, admittit conversionem moralem, id est, circumfusionem accidentium vini, ibi: *Præterea potest dici quòd aqua non transit in Sanguinem, sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quòd vini saporem assumit.*

Sed malè, cùm in cap. *Cùm Marthæ* fiat mentio de conversione physica.

Nullus siquidè Scriptor Ecclesiasticus potuit dubitare de morali. *Alanus.*

Certè ridiculum est, Ecclesiasticos Scriptores statuere sententiam de conversione latè dicta, cùm nullus sanæ mentis de ea possit vel leviter ambigere. Verba Alani suprà nullam admittunt tergiversationem: *Probabilius*, inquit, *est quod omnium penè Ecclesiasticorum Scriptorum iudicio defenditur, aquam modicè infusam, in vini substantiam prorsus desinere*, id est physicè in vinum transire. *Et tamen si id non fieret*, id est, si aqua physicè non transiret in vinum, *sed existeret aqua in varias & abditas vini partes diffusa* (quis dubitet moraliter conversam?) *facerent nihilominus unum non specie, sed permixtione, & totum illud, modò vinum prædominantem partem obtineret, converteretur in Sanguinem Dominicum.*

Hinc ad confirmationem Respondeo Neg. Conseq. aliud quippe est, Sacramentum non esse irritum; aliud, aquam converti in Sanguinem; etenim purum vinum validè consecratur; ergo etiam vinum mixtum, licèt aqua, aut quælibet alia substantia mixta non transubstantietur, dummodò non tantùm denominativè, sed etiam essentialiter maneat vinum, id est, ut loquitur Innocentius, *saporem vini retineat*; non quia omne quod sapit vinum, sit materia consecrabilis: experientia siquidem docet, & cervisiam & siceram aliquando imbui sapore vini; sed quoniam sapor remanens, Pontificis signum est, substantiam vini nondum esse corruptam per admixtionem aquæ, aut alterius substantiæ. 67. Responsio ad confirmationem.

& ad cap. Perniciosus de Celebr. Miss.

Nec aliud intendit Honorius III. quàm ad validitatem Sacramenti requiri majorem partem vini, ne alioquin per majorem partem aquæ substantia vini corrumpatur. An autem sit licitum apponere aquam in quacumque quantitate, infra quantitatem vini, illi Pontifices nec asserunt, nec negant; sed Eugenius IV. in Concilio Florentino, ut suprà expendimus, præcipit adhiberi aquam modicissimam, ob plures rationes, inter quas unam existimo, ut tantò facilius mutetur in vinum, & consequenter in Sanguinem: adeoque, quantùm fieri commodè potest, evitetur mixtio non consecrati cum consecrato, de quo plura infrà.

68. Exponitur sensus Gaufredi Cisterciensis Monachi.

Venio ad Gaufredum Monachum Cisterciensem Discipulum olim Sancti Bernardi, qui (teste Baronio ad annum Christi 1188.) de hac re scripsit Epistolam ad Episcopum Albanensem, Clementis Papæ III. Vicarium. *Quid autem rescripserit*, inquit Baronius, *ad petitam consultationem Cardinalis Episcopus Albanensis, non invenimus: sed aliud rescribere non potuisse certum est, quàm quod credidit & custodivit semper Sancta Romana Ecclesia, minimùm aquam simul & vinum transubstantiari in Sanguinem Christi.* Utique, secundùm Adversarios, immediatè; nam de illa conversione disputabatur, ut colligunt ex fundamento partis negantis, quod his verbis refert Gaufredus in sua Epistola.

Cæterùm innituntur potissimùm uni verbo, quòd principales Sancti in duabus speciebus panis, & vini, Consecrationem perfici perhibentes, nullam in verbo illo alicuius diversæ speciei, nullam aquæ fecerint mentionem. Cui fundamento facilè potuisset satisfacere pars affirmans, dicendo; ideo non fieri mentionem aquæ, quia quando hæc convertitur, amplius non est aqua, sed vinum. Sed hoc non respondit.

Quid ergo? *Ad quod*, inquit, *respondetur ei, quòd non consuevere homines mixturam vini & aquæ, nec si quantitas aquæ prævaleat, aquam nuncupare, sed vinum. Præterea calicem Dominus legitur accepisse, non vinum, quamvis continens Euangelista posuerit pro contento.*

Dicastillo.

Intelligebant ergo, inquit Dicastillo disp. 2. num.

num. 135. quæstionem utraque pars disputantium de mixtura vini & aquæ, quæ mixtura adhuc esset vinum & aqua, & non solum vinum, & de hac quærebant; an tota converteretur in Sanguinem.

69. Resp. Neg. Conseq. & dico controversiam tempore Clementis Episcopo Albanensi à Gaufredo propositam, & postea sub Innocentio III. resumptam fuisse; An aqua ullo modo converteretur in Sanguinem. Communior sententia, teste Baronio suprà, quam Innocentius cap. *Cum Marthæ* elegit, affirmabat aquam aliquo modo converti, scilicet priùs in vinum conversam. Negabant alii; quia ex opinione aliquorum Physicorum putabant, aquam non posse converti in vinum, ac proinde manere in proptia substantia, circumfusa accidentibus vini.

Colligo ex Epistola Gaufredi, ibi: *Et affirmantium quædam assertio est, nullatenus esse credendum, quòd in calice Domini purum fuerit vinum, præsertim cùm in regione illa sic habeatur in usu commixtio aquæ, ut de Sapientia quoque legatur, quia nascuit vinum: nec nisi mixtum in illis maximè regionibus facilè soleat propinari.* Ecce prima ratio partis affirmativæ.

Sequitur secunda: *Aiunt etiam, quòd cùm substantia aquæ, quæ ad conficiendum panem miscetur similæ, post Consecrationem aqua non maneat: incongruum fore videtur, ut mixta vino similiter in Consecratione non mutetur.*

Adjiciamus tertium fundamentum. *Postremò cùm elementa quatuor, ignis, aëris, aquæ, & terræ supernus Artifex sic connexerit; ut non tam elementa simplicia, quòd ex eis elementata sunt, quæ videntur, si ab illa mutatione excipere cæperit alius ignem, alius aërem, alius terram, sicut isti* (Negantes) *aquam excipiunt, non mediocris inde confusio consequetur.*

70. Si has rationes seu fundamenta eorum, qui affirmant conversionem aquæ in Sanguinem, maturè Dicastillo expendisset, festinè cognovisset, in illa Epistola non asseri conversionem immediatam, sed mediatam. Alioquin neque secunda, neque tertia ratio esset ad propositum.

Quæro siquidem, An aqua, quæ miscetur similæ ad conficiendum panem, immediatè transeat in Corpus Christi? Quis nisi cæcus non clarissimè intuetur priùs eam transire in panem? Quid enim aliud panis est, quàm farina aquâ coagulatâ ab igne cocta per modum assationis in furno aut simili modo? Et verò activitas ignis, qui necessarius est ad coquendum panem, planè sufficiens est ad ejus corruptionem substantialem. Ergo sicuti aqua non convertitur in Corpus Christi, nisi priùs fuerit conversa in panem; ita quoque ex judicio Affirmantium, aqua mixta vino non convertitur in Sanguinem, nisi priùs fuerit conversa in vinum.

Sanè si defendere voluissent aquam immediatè converti in Sanguinem, ad quid tertia ratio; quia elementa in mixtum convertuntur? Quam profectò addiderunt, ut probarent aquam in vinum converti, & ita in Sanguinem contra Adversarios, quos probè noverant mordicùs negare conversionem aquæ in vinum.

Et ideo ad fundamentum ipsorum, suprà ex Gaufredo relatum, planè incongruè respondissent: *Quia quando aqua iam convertitur, amplius non est aqua; sed vinum:* hoc enim Adversarii supponebant falsum. Optimè ergo responderunt: quòd non consuevere homines mixturam vini & aquæ, aquam nuncupare, sed vinum, si quantitas vini prævaleat, utì solet prævalere in casu proposito. Sed quid si quantitas aquæ prævaleat? Existimo planè non solere ubique homines talem mixturam appellare vinum.

Unde hæc verba: *Nec si quantitas aquæ prævaleat*, sic fortè intelligenda: *Nisi quantitas aquæ prævaleat.* Alioquin secundùm Adversarios consequenter dicendum foret, etiam tunc, quando quantitas aquæ prævalet, aquam illam convertendam immediatè in Sanguinem. Quod an verum sit, ipsi viderint.

71. Idem status quæstionis fuit tempore Innocentii.

Cæterùm eundem fuisse statum quæstionis tempore Innocentii, non potest esse dubium inspicienti textum; ideoque gratis dicit Aresius suprà, illos, ad quos scribebat Innocentius, supposuisse aquam non converti in vinum, & solùm dubitasse, an converteretur immediatè in Sanguinem; si enim supposuissent aquam in vinum verti, dubium esse non poterat in Sanguinem transmutari.

Resp. nec unum, nec aliud supposuisse; sed simpliciter quæsiviisse, an aliquo modo aqua transubstantiaretur in Sanguinem. Quapropter Pontifex diversas adfert opiniones, quarum una supponit aquam converti in vinum, altera autem negat.

Instantia Dicastillonis. *Baronius.*

Instas cum Dicastillone suprà: Baronius eodem Tomo anno 1192. cùm narrasset miraculum aquæ versæ in Sanguinem, propter particulam hostiæ, quæ in vasculum casu ceciderat, abluente Sacerdote digitos post administratam Eucharistiam puellæ ægrotanti; his verbis concludit hanc historiam, & annum illum: *Confutavit idem miraculum hæresim hoc sæculo obortam, negantium aquam vino mixtam mutari in Sanguinem.* Dubitandum ergò non est Baronium in hac fuisse sententia. Hæc Dicastillo.

72. Negantes immediatam conversionem non sunt hæretici.

Sed quæ illa sententia? Affirmans, inquis, aquam vino mixtam mutari in Sanguinem; nam negans, hæresis est. Quid audio? Hæresis, inquam, est. An ergo omnes Hæretici, qui negant immediatam conversionem aquæ in Sanguinem? Num fortè Baronius privatam habuit revelationem hujus veritatis? Vel si communis extat, quo loco Scripturæ? In quo Concilio? Certè neque conversio mediata ullibi reperitur definita: ut vel ex isto solo, Baronius minoris esse debeat auctoritatis in hoc puncto.

Baronius. Accedit, quòd ibidem immediatè ante verba citata sic habeat: *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem. Hæc de tranſubſtantiatione aquæ in Sanguinem Chriſti per commixtionem Corporis Chriſti divinitùs facta, quod ſemper fieri in vino* (nota bene) *cùm commixtio intercederet, antiquitas exiſtimavit. Vnde illud Romani Ordinis de Officio Miſſæ in fine: Vinum autem non conſecratum, ſed Sanguini Domini commixtum, ſanctificatur per omnem modum.* Vellem ſcire, quænam ſit illa antiquitas, vel qui ſint iſti Antiqui, qui docent vinum tranſubſtantiari per mixtionem Corporis Chriſti, aut vini conſecrati.

73. *Innoc. III.* Neque verum eſt vinum tranſubſtantiari per mixtionem Corporis Chriſti. Sanè contrarium in terminis docet Innocentius III. lib. 4. de Myſt. Miſſæ cap. 31. in principio. Hæc ſunt ejus verba: *Si verò poſt calicis Conſecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non tranſit in Sanguinem, nec Sanguini commiſcetur, ſed accidentibus prioris vini commixtum, corpori, quod ſub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfuſum.*

Et infrà: *Quidam autem* (an forſitan illi antiquitas?) *voluerunt adſtruere, quòd ſicut aqua pura per aquæ benedictæ contactum efficitur benedicta, ſic vinum per Sacramenti contactum efficitur conſecratum, & tranſit in Sanguinem, quorum aſſertioni ratio minimè ſuffragatur.*

Neque Ordo Romanus, qui commodè intelligi poteſt de qualibet ſanctificatione inferiori, naturaliter quaſi reſultante ex contactu, & quaſi intimâ præſentiâ Corporis & Sanguinis Chriſti: ſecùs de Conſecratione, quæ totaliter dependet à voluntate Chriſti, cujus ne veſtigium quidem reperitur vel in Scriptura, vel in Conciliis generalibus, aut Traditione.

Hactenus pro vindicatione Pontificis Innocentii, ſive reſponſionis ejus in cap. *Cùm Martha* de Celeb. Miſſ. quæ, quia Adverſarios torquet, etiam viciſſim ab ipſis mirabiliter torquetur: at lavant, communi proverbio, Æthiopem.

74. Julius I. non patrocinatur Adverſariis. Fruſtra quoque advocant, & in Patronum eligunt Julium I. qui ſcribens Epiſcopis per Ægyptum hæc habet verba (& referuntur à Gratiano de Conſecr. diſt. 2. cap. 7.) *Quæ copulatio & coniunctio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Domini, ut mixtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vinum tantùm quis offerat, Sanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis, ſi verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto.*

Hinc autem, inquit Areſius ſuprà, primò habemus, vinum & aquam debere offerri, id eſt, conſecrari; ita enim ſolent Patres hoc verbo uti. At ſi aqua in vinum ſemper converteretur, jam ſolum vinum offerretur.

Nego Subſumptum. Enimverò non offertur ſolum vinum, quando conſecratur vinum, aquâ in calice permixtum, ſive illa aqua jam converſa ſit in ſubſtantiam vini, ſive non, de quo ibi minimè diſputat Pontifex, cujus non videtur alia intentio fuiſſe, quàm rurſus, juxta antiquorum ſententiam Conciliorum, præcipere, aut præceptam oſtendere mixtionem aquæ cum vino in calice offerendo. qui ſolum oſtendit præceptum miſcendi aquam vino.

Ex quo patet ſolutio ad ſecundum: Secundò, inquit Areſius, additur: *Quæ copulatio & coniunctio ſic miſcetur, ut non poſſit ſeparari.* Ubi nota, appellari copulationem & conjunctionem, aquæ mixtionem cum vino, ad quod ſufficit, ut ſit mixta vino, non autem requiritur, ut corrumpatur; imò ineptè diceretur, aquam non poſſe ſeparari à vino, ſi non ſupponeretur adeſſe: quod enim non exiſtit, fruſtra dicitur ſeparari non poſſe. 75.

Sed quis noſtrum dicit, aquam non poſſe miſceri vino, niſi corrumpatur? Hactenus nemo; omnes enim fatentur ſatisfieri præcepto Eccleſiaſtico mixtionis, ſi aqua immediatè ante Conſecrationem infundatur calici, etiam moraliter certò non corrumpenda, adeoque non convertenda in Sanguinem.

Similiter quod addit: Imò ineptè diceretur &c. non eſt ad propoſitum. Siquidem non ait Pontifex, ita aquam debere miſceri vino, ut factâ commixtione non poſſit ſeparari à vino, ſive per artificium, ſive communi modo (etenim communi modo non poſſe ab omnibus ſupponitur, an per artificium, multi dubitant) ſed mens Julii fuit, & verba ſic ſonant, ita aquam miſcendam eſſe vino, ut ipſa mixtio non poſſit ſeparari, id eſt, non poſſit licitè omitti, ad quod impertinens eſt, ſive adſit aqua tempore Conſecrationis, ſive non; dummodò offeratur vinum anteà aquâ permixtum. Maneat itaque Julium Pontificem nec uni, nec alteri parti patrocinari. Eamque docet ſic eſſe neceſſariam, ut non poſſit licitè ſeparari, id eſt, omitti: ad quod impertinens eſt, ſive adſit aqua tempore Conſecrationis, ſive non.

Pergamus ad Concilia, quæ Areſius ſuprà contendit favere ſuæ opinioni; nos autem exiſtimamus ſententiam communem non modicum confirmare. 76.

Et primò quidem ex Concilio Florentino pro noſtra Concluſione ſic argumentor: Materia calicis eſt vinum de vite, cui ante Conſecrationem aqua modiciſſima adhiberi debet, idque, ut antè probavimus, ex ſolo præcepto Eccleſiaſtico: ergo aqua non eſt materia apta Conſecrationi; Eccleſia namque per ſuum præceptum non poteſt facere materiam conſecrabilem, quæ de ſe non eſt talis. Aqua non eſt materia conſecrabilis,

Reſpondent Adverſarii, & ex iiſdem verbis pro ſe concludunt; ergo aqua eſt pars materiæ, quia Pontifex cum vino ſimpl mentionem facit de aqua, id eſt, ſtatuit pro materia conſecrabili vinum mixtum aquâ, ſive dilutum, quod ſimpliciter eſt vinum uſuale juxta illud Proverb. 9. v. 5. *Bibite vinum, quod miſcui vobis*; diverſimodè tamen de illis loquitur, ut oſtendat aquam non eſſe de neceſſitate Sacramenti, ſicuti ſi diceret; *Materia Corporis eſt panis, cui fermentum miſceri debet.* Proverb. 9. 77.

Contrà; non dicit Concilium: *Materia calicis eſt vinum mixtum aquâ, ſive dilutum*; ſed, *vinum de vite,*

Vinum de vite pur.

de vite, utique purum; quia loquitur de illo vino, cui adhuc aqua miscenda est, non dubium quin per modum ceremoniæ: cur enim aliàs non sufficeret mixtum fuisse in cavea? Et sanè quod non est de necessitate Sacramenti, non non potest habere aliam rationem, quàm ceremoniæ.

Meminit autem Concilium hujus magìs ceremoniæ, quàm aliarum, propter ejus præstantiam, desumptam tum ex facto Christi, tum ex multitudine, perfectione, & diversitate eorum, quæ per illam repræsentantur: ac potissimùm, quia aqua transiens in vinum, transubstantiatur in Sanguinem Christi.

Lug. Ad simile, quod est Lugonis suprà n. 62. Respondeo: illam propositionem simpliciter esse falsam; quippe non pani, sed massæ farinaceæ, ut sic loquar, miscetur fermentum, ex quo mixto, igne decocto, sive quod mixtum, igne decoctum, est panis fermentatus, qui est materia apta Consecrationi. Porrò vinum de vite substantialiter existit ante commixtionem aquæ, & hinc etiam antecedenter ad illam validè consecratur; aqua autem permixta tunc solùm, & semper validè consecratur, quando eo modo est una cum vino substantia, quo modo farina & fermentum est unus substantialiter panis.

Quid ante commixtionem aquæ.

Instat Aresius: cur non dicemus quoque, cùm dixit Pontifex, materiam Corporis Christi esse panem triticeum, panem quidem spectare ad materiam, triticeum autem ad ceremonias, si nostro arbitratu licet verba Pontificis dividere, & alia ad materiam, alia ad ceremonias referre?

78. Contradictio in adjecto.

Respondetur. Resp. nos non dividere proprio arbitratu verba Pontificis, quæ seipsis divisa sunt; quamque divisionem Concilium supposuit unumquemque facilè posse cognoscere, cujus animum non occupaverit falsa de hac re opinio. Forsitan etiam clariùs noluit exprimere, ut Aresius haberet materiam, subtilitatem ingenii sui omnibus patefaciendi.

Sed quanta subtilitas præfati argumenti! Quasi idem sit modus loquendi, *panis triticeus, panis ex tritico confectus*, &, *vinum de vite, cui debet misceri aqua*, vel (quia ita placet Adversariis) *vinum mixtum aquâ*, quo termino non utitur Concilium, quamvìs Sancti Patres sæpè ita loquantur. Quis, inquam, adeò hebes fuerit, ut non primo intuitu videat diversitatem?

Interrogo siquidem, panis triticeus, seu ex tritico confectus, est verus panis sine tritico? Quis adeò ignarus ut affirmet? Peto rursum: consecrari potest panis triticeus, & non triticum? Negant, qui intelligunt. Non gravetur Lector, si tertiam propono quæstionem: vinum de vite, cui misceri debet aqua, est vinum substantialiter sine aqua? Consecrari potest vinum, & non aqua, quæ misceri debet, vel etiam est actu mixta? Quis non illicò affirmabit? Ecce quanta disparitas inter panem triticeum, & vinum mixtum aquâ.

Alioquin sicut panis triticeus est materia essentialis; cur non sic etiam vinum mixtum aquâ? Resp. Aresius, vinum purum non esse quidem materiam perfectam, & qualem voluit Christus & Ecclesia; esse tamen materiam sufficientem. Sed quare non similiter dicit, panem v. g. siligineum, aut hordeaceum, non esse quidem materiam perfectam, & qualem voluit Christus, & Ecclesia, esse tamen materiam sufficientem? Certè non aliunde colligitur differentia, quàm ex modo loquendi Concilii & communi sensu Ecclesiæ.

79. Aresius docet vinum purum non esse materiam perfectam, sed solùm sufficientem,

Non credo quempiam posse prudenter formidare, quin Christus, si voluisset, sic instituisset vinum mixtum aquâ materiam calicis, ut tamen aqua manens incorrupta non transiret in Sanguinem; & nihilominus verum esset dicere: *Vinum mixtum aquâ transit immediatè in Sanguinem*, scilicet quatenus est verè & substantialiter vinum.

Sed dices cum Aresio: Doctissimus vir Gregorius Hieromonachus, qui Concilio Florentino interfuit, post ipsum Concilium Marco Ephesino pro defensione ipsius Concilii respondens, & calicis materiam explicans, docet, eam esse, vinum & aquam. Et infrà ait: Semper panem, vinum, & aquam transmutari in Corpus, & Sanguinem Christi.

& citat quemdam Gregorium Hieromonachum, docentem materiam calicis esse vinum & aquam:

Resp. sed non eodem modo, panem utique & vinum immediatè; aquam autem mediatè, quod Gregorius, quia doctissimus, satìs notum existimavit Marco Ephesino ex ipsis verbis Concilii, & communi tunc sensu Ecclesiæ.

sed debet explicari de materia mediata, cùm dixit aquam esse materiam.

Dices II. cum eodem Auctore: Creditur, teste Eugenio in præfato Concilio, ipsum Dominum in vino, aquâ permixto, hoc instituisse Sacramentum: ergo aqua non ad ceremoniam, sed ad materiam spectat.

80. Urget ulteriùs Aresius ex facto Christi;

Resp. si priùs conversa fuerit in vinum; cæteroquin mixtionem aquæ ceremoniam esse, & fuisse, non minùs, quàm fuerit gratiarum actio, benedictio &c. quæ Christus præmisit Consecrationi Corporis, & Sanguinis sui, non video quomodo aliquis possit dubitare.

sed hoc arguit tolùm aquam esse adhibendam per modum ceremoniæ;

Profectò si aqua mixta vino, tametsi non conversa in vinum, creditur materia hujus Sacramenti, quì fieri potuit, ut nullus Euangelistarum vel verbo eam indicaverit?

Quia, inquis, sub vino satìs intelligitur; cùm Judæi non solerent bibere, nisi vinum aquâ mixtum. Sed unde id constat? Et esto; unde scitur aquam illam non priùs fuisse conversam in vinum, & non ideo totum mixtum à Scriptura simpliciter appellari vinum?

Sanè hæc conversio prævia videtur una ex rationibus, propter quas idem Concilium præcipit misceri aquam modicissimam, ut tantò citiùs convertatur in vinum, & evitetur permixtio rei non consecratæ cum consecrata.

81. & adhibetur modica, ut citiùs convertatur in vinum,

Respondent Adversarii; plures alias esse rationes hujus modicitatis, & illius rationis neque Concilium, neque quemquam SS. Patrum meminisse.

Præceptum Ecclesiæ de simili mixtione.

eâtò sint aliæ istius modicitatis rationes,

Non diffiteor, etiam alias rationes communiter assignari; Prima, ne vinum convertatur in aquam; Secunda, ut aqua moraliter saltem convertatur in vinum; Tertia, ad significandam parvitatem nostram comparatione divinitatis, & similes: equidem ad quas sufficeret aqua modica. Malè ergo Concilium Florentinum requisivisset modicissimam, nisi insuper considerasset notabilem quantitatem aquæ, v.g. tertiam partem, quam permiserat Concilium Triburiense cap. 19. non tam facilè brevi temporis spatio converti posse in substantiam vini.

& illa non fuerit ab Eugenio allata in textu Concilii.

Non posuit autem Eugenius illam rationem in textu Concilii, sicuti nec alias; quia in lege non solet exprimi ratio legis, maximè quando obvia est, ut erat ista (de qua tractamus) ex Innocentio III. cap. *Cum Marthæ.* quod ignorare non potuit Eugenius IV. Quare frustraneum judicavit, rationem illam legi inferere.

82. Cur Ecclesia ordinaverit, ut mixtio aquæ fieret tempore oblationis.

Ex eodem motivo, saltem partiali, putamus Ecclesiam ordinasse, ut mixtio aquæ fieret tempore oblationis, & oblatio aliquo tempore præcederet ipsam Consecrationem regulariter & per se; quamvis fortè Christus immediatè ante Consecrationem miscuerit, quod tamen incertum est: sicut etiam non constat, quantùm aquæ adhibuerit; quàm forte & præstans fuerit vinum; & an non per miraculum, quemadmodum poterat, statim aquam in illud transmutaverit.

Objectio Lugonis.

Contrà (inquit Card. Lugo suprà num. 51.) ergo in nullo prorsus casu liceret illud temporis intervallum omnino prætermittere, ne committatur sacrilegium, si maneat aqua in sua substantia admixta Sanguini Christi, sicuti numquam licet apponere lac, vel mel in vino consecrando.

83. Solvitur

Resp. Neg. Conseq. Ecclesia namque columna & firmamentum veritatis, judicat melius esse Sacramento, si ei misceatur non consecratum, quàm si omittatur illa mixtio; utique propter ejus significationem: præsertim cùm in aliis casibus mixtio hujusmodi sine irreverentia ab Ecclesia concedatur.

ex ordinatione Rubricarum,

Sic quippe legimus in Rubricis generalibus Titulo de defectibus cap. 10. n. 8. *Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat vinum & sumat.* Quis ambigit in tali casu vinum non consecratum tangere hostiam consecratam?

& praxi celebrantium, qui sæpissimè, immo semper miscent vinum non consecratum consecrato,

Quin semper, moraliter loquendo, in prima ablutione calicis, vinum, quod infunditur, miscetur Sanguini Christi; siquidem ordinariè aliquis remanet in calice post sumptionem.

Adde Ecclesiam expresè præcipere Sacerdoti celebranti feria 6. in Parasceve, ut mittat partem hostiæ consecratæ in calicem non consecratum; *Tunc*, inquit, *celebrans factâ reverentiâ usque ad terram, supponit patenam Sacramento &c. & statim supra calicem* (utique non consecratum) *dividit in tres partes, quarum ultimam mittit in calicem more solito.* Quidni igitur Ecclesia possit præcipere, ut immediatè ante Consecrationem in casu extraordinario aqua misceatur vino, quamvis moraliter certum sit totam aquam non convertendam in vinum; adeoque, secundùm nos, nec in Sanguinem?

84. Responsio Adversariorum primo.

Respondent Adversarii Primò; Innoc. nec non plurimos SS. Patres generaliter dicere, aquam non remanere post Consecrationem; item, aquam & vinum transubstantiari in Sanguinem, & similia.

& eidem satisfit.

Verùm quis nesciat locutiones generales sæpè sæpiùs admittere varias exceptiones? Et verò quid dicit Reg. Juris 81. de Regulis Juris in 6.? *In generali*, inquit, *concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Ergo similiter in generali locutione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie excepisset. Et impræsentiarum, in generali locutione Innocentii, non comprehenditur casus particularis, in quo non obtinet ejus ratio. Quæ illa? *Cùm in vinum transeat mixta vino,* communiter, & per se, si non tota, saltem pro aliqua parte.

Atque ut in casu particulari nihil converteretur, adhuc generalis locutio Innoc. & SS. Patrum non minùs vera foret, atque illa Apostoli Rom. 5. v. 12. *In quo* (Adamo) *omnes peccaverunt*, tametsi Immaculata semper Virgo Maria non peccaverit, secundùm illud Divi Anselmi (vel quisquis est Auctor) in cap. 5. 2. ad Corinth. *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, demptâ Matre Dei.* Et istud Divi Augustini lib. de Nat. & gratia cap. 36. *Inde enim scimus, quòd ei plus gratia collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quòd concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum.*

Rom. 5.

D. Anselmus.

S. Augus.

85. Instantia Aresii 1.

Sed contrà: Vidimus (inquit Aresius sect. 9.) indefinitè dici; vinum verti in Sanguinem, panem in Corpus Christi, neminemque dubitare, an hæ propositiones semper, vel aliquando tantùm sint veræ.

Responsio.

Quid mirùm, cùm nulla subsit ratio dubitandi? Quippe sunt materia essentialis, & necessaria ex institutione divina; cùm tamen aqua, etiam in sententia Aresii, non sit materia essentialis; imò, in communiori opinione, neque necessaria ex præcepto divino. Ergo quemadmodum hæc propositio indefinita: *Vinum & aqua sunt materia calicis* (quam admittit Auctor prædictus sect. 4.) non æqualiter verificatur in utraque specie: nam omne vinum est materia, non sic omnis aqua; sed illa duntaxat, quæ mixta est vino; ita quoque hæc indefinita propositio: *Vinum & aqua transubstantiantur in Sanguinem,*

guinem, quamvis generaliter sit vera in vino, non tamen propterea in aqua, de qua est longè alia ratio, ut ex dictis satis colligitur, ad quæ remitto Lectorem, ne sæpiùs eadem cum tædio & nimiâ prolixitate debeam repetere.

86. Instat Aresius: Præterea, etsi non omnes propositiones indefinitæ æquivalerent universalibus, saltem hoc verum esset de negativis: negatio enim, ut dialectici docent, hac vi pollet, ut totum, & omnino neget, & universali æquivaleat.

Confirmat: Quocirca etiam divinæ legis Interpretes docent, præcepta negativa obligare semper, & ad semper. *Non occides*, inquit Deus indefinitè, & quis tam impius vel plumbeus est, ut dicat, prohiberi tantùm, ut non semper occidamus, non verò ut aliquando?

Certè plumbeus sit, ne dicam impius, qui audet affirmare, omnem occisionem esse prohibitam, contra Apostolum Rom. 13. v. 4. *Si malum*, inquit, *feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: Vindex in iram ei qui malè agit.* Quid aliud clamant quotidiana bella, quàm aliquando occisionem esse licitam?

Quod si respondeas, subintelligendum esse: *Non occides innocentem & iustum:* Respondeo & ego subintelligendum esse. *Aqua convertitur in Sanguinem, prius conversa in vinum*, quæ in omni casu vera est. Insuper hæc propositio: *Nec infans, cuius unius diei est vita super terram, mundus est à sorde*, nonne negativa est? An ideo ab illa erroneè excipitur Beata Virgo MARIA?

Sed urget Aresius ex ratione: Vel ex eo quod aqua remaneat, sequitur aliquod inconveniens, vel nullum: si nullum; cur ergo non poterit remanere semper? Curvè illa sententia damnatur, ad quam nullum sequitur incommodum? Si aliquod sequitur, cur aliquando concedemus permanere? Numquid quia rarò accidit, permittendum erit aliquod incommodum contra Sanctissimi Sacramenti dignitatem & reverentiam? Quis hoc affirmare audeat?

Resp. Nemo affirmat, sed omnes docent, vel docere debent (quod miror virum alioquin doctissimum non advertisse) plurima, quæ extra necessitatem essent contra reverentiam Sacramenti, in necessitate ab omni hujusmodi incommodo excusari; imò positivam potiùs esse reverentiam: v.g. si Eucharistia ab Hæreticis est profananda, pedibus conculcanda, conspuenda &c. consulitur honori Sacramenti, si à peccatore sumatur, quæ tamen sumptio extra illum casum esset positiva irreverentia. Et nonne præcipitur Sacerdoti ministrari Sacramentum peccatori occulto ad vitandam ejus infamiam, cùm aliàs communicare peccatorem publicum sit grave sacrilegium?

Applico ad propositum: indubiè irreverentia est rem non consecratam sine ulla ratione miscere, aut mixtam permanere rei consecratæ: nec tamen minùs certum, ex suprà ad oculum demonstratis, in aliquibus occurrentiis istiusmodi mixtionem nullam prorsus continere indecentiam. Quapropter etsi admitteremus indecens & incommodum esse, si aqua regulariter & per se remaneat in sua substantia mixta vino consecrato; consequens adhuc minimè esset in casu extraordinario, quando aliter mixtio fieri non potest, eandem aut similem reperiri indecentiam seu irreverentiam. Exemplificatur in mixtione rei non consecratæ alicui consecratæ.

Numquid ergo (interrogat Aresius suprà sect. 9.) natura Sacramenti mutabilis est, ut hoc nunc deceat, quia commodum nobis est; paulò post dedeceat, quia nobis incommodum? Quis non videat, quàm incommodè hæc dicantur? Hæc ille. 88. Neque ideo Sacramenti natura mutabilis est;

Imò quis non videat, quàm commodè hæc dicantur? Non quòd natura Sacramenti sit mutabilis; sed quoniam eadem physica actio pro ratione diversarum circumstantiarum nunc induit rationem cultûs & honoris, paulò post inhonorationis ac despectûs seu vilipensionis, ut mox exemplificavimus, & rursum exemplifico in illo, qui ex metu mortis ad evitandum proprium incommodum administrat Sacramentum indigno, secundùm aliquos, sine peccato, quod aliàs, si commodè posset Sacramentum negare, absque dubio incurreret. quod enim modò est indecens; mutatis circumstantiis fit decens.

Prudentissimè itaque ordinavit Ecclesia, ut communiter mixtio aquæ tanto temporis spatio præcedat verba Consecrationis, quòd moraliter loquendo requiritur, ut aqua convertatur in vinum, aliàs non convertenda in Sanguinem; sic tamen ut rationabiliter etiam præcipiat in casu oblivionis, eandem fieri immediatè ante Consecrationem, quamvis moraliter certum sit, non totam aquam in Sanguinem transubstantiandam.

Et verò, sicut Ecclesia Græca statuit generaliter mitti aquam ferventem in calicem consecratum, cur similiter Ecclesia universalis, si ratio poposcisset, non potuisset statuere, ut mitteretur aqua in calicem non consecratum, semper permansura in sua substantia?

Dices primò: cur ergo damnatur tertia sententia relata in cap. *Cum Marthæ*, quæ asserebat aquam semper permanere? Resp. non damnari in illo capite, nisi approbare unam sententiam tamquam probabiliorem, apud Aresium idem sit, quod cæteras omnes damnare: quippe nullum verbum in illo textu reperitur, quod vel à longè redolet damnationem; sed Innocentius inquit: *Inter prædictas opiniones illa probabilior iudicatur, quæ asserit aquam cum vino transmutari in Sanguinem*, non propter irreverentiam aut sacrilegium, quod aliàs committeretur, sed, *ut expressiùs eluceat proprietas Sacramenti.* 89. Aquam semper manere, non damnatur in cap. *Cum Marthæ*,

Si qui alii damnent, ipsi viderint. Hoc scio, justè damnari non posse tamquam hæreticam, suspectam, temerariam, aut erroneam, nisi suppositâ transmutatione in vinum, quæ, teste Alano suprà, omnium penè Ecclesiasticorum Scripto- neque justè damnari potest;

Scriptorum judicio defenditur. Verisimile ergo est illos Patres gravius censurantes permanentiam aquæ in sua substantia, id est, non transubstantiationem in Sanguinem, illo judicio communi fuisse innixos.

90. neque inde forma Consecrationis redditur quandoque falsa;

Si inferas: ergo forma Consecrationis aliquando poterit esse falsa; quippe significat totum, quod est in calice per modum potûs, converti in Sanguinem Christi.

Resp. Negando Conseq. Ad probationem dico: formam significare totum, quod est in calice per modum potûs, non simpliciter, sed quatenus est substantialiter vinum; alioquin si admisceas lac, mel, succum limonis, citrei, aut alterius pomi, vel forma erit falsa, vel omnes istæ substantiæ cum vino transubstantiabuntur in Sanguinem: præsertim cùm vinum propterea non mutet suam appellationem magis, quàm si aqua misceatur. Imò sæpissimè vina lacte & melle condiuntur ad diuturniorem eorum conservationem, & tamen Adversarii nolunt admittere conversionem hujusmodi substantiarum in Sanguinem.

non magis quàm si vino misceretur parùm lactis, vel mellis:

Aresius. Respondet Aresius sect. 8. discrimen esse, quòd admixtio mellis, & similium substantiarum sit contra intentionem Christi & Ecclesiæ; secùs admixtio aquæ, quæ fit ex institutione Christi & Ecclesiæ.

Verùm quod attinet ad institutionem Christi, illam suprà negavimus, nisi per institutionem intelligas exemplum. Et gratis admisso præcepto; ex quo constat Christum præcepisse aquam, tamquam materiam, & non potiùs instar ceremoniæ? Porrò præceptum Ecclesiæ eandem patitur explicationem, cùm solius Christi sit determinare materias & formas Sacramentorum, ut latè probavimus disp. 1. sect. 3.

est etiam Christus præcepisset mixtionem aquæ,

91. Nec satisfacis dicendo, Ecclesiam quidem non posse instituere novam materiam, posse tamen quoad usum determinare veterem, sicut modò determinavit panem azymum pro Ecclesia occidentali, & posset determinare ex justa ratione vinum album aut rubrum: non satisfacis, inquam; quia aliud est quærere, an Ecclesia materiam, alioquin essentialem ex institutione Christi, possit reddere necessariam necessitate præcepti, quod omnes affirmant; aliud, an Ecclesia per suum præceptum possit materiam, antecedenter ineptam, facere aptam Consecrationi, quod nos negamus.

Fruſtra etjam recurritur ad præceptum Ecclesiæ.

Fruſtra ergo hîc recurritur ad præceptum Ecclesiæ. Quid si enim Ecclesia non præciperet appositionem aquæ, sicuti aliqui putant Græcos non apposuisse? Quid si ex rationabili causa præcipiat miscere lac, aut mel? An ideo aqua non erit materia, & lac aut mel erit?

Proponitur sententia Dicastillonis.

Si Christus (inquit Dicastillo disp. 2. n. 149.) non apposuisset aquam, nec Ecclesia id præcepisset, nihilominus esset, & appellaretur simpliciter vinum, etiamsi quis quantumvis arbitrio suo apponeret tantillùm aquæ, non tamen ideo diceremus, illam aquam, supposito quòd non fuerit conversa in vinum, convertendam esse in Sanguinem.

Idem Auctor n. 162. docet eandem esse rationem de butyro, lacte, melle, & similibus (si semel ex his admixtis fiat panis usualis, ita ut absolutè censeatur panis usualis) atque de grano hordeaceo, admixto granis tritici, in farinam cum illis redacto, & permixto. De hoc autem (inquit Dicastillo) S. Thomas affirmavit converti.

Et aliquot lineis interjectis, addit, quòd adhuc non est omnino eadem ratio in his mixtionibus, atque in mixtione aquæ in vino. Nam, ut omittam (inquit) Christum hoc fecisse, non illud; adhuc habet peculiare, quòd aquæ mixtio in vino sit multò magis usualis, & ordinaria pro communi & ordinario potu vini.

92. Subtilis certè speculatio! Farina hordeacea convertitur immediatè in Corpus Christi, butyrum, mel, &c. quia ex his admixtis fit panis triticeus usualis, estò Christus in tali pane non consecraverit, nec Ecclesia illam mixtionem præceperit: at verò aqua non converteretur immediatè in Sanguinem, tametsi mixtio ejus sit magis usualis, & relinquat vinum simpliciter & usuale, si Christus eam non adhibuisset, nec Ecclesia præcepisset. Non vides Lector quàm inconsequenter loquantur, quorum animus opinione quadam præoccupatus est?

Sed refutatur.

Dic ergo, vel farinam hordeaceam, butyrum, mel &c. non converti, quia nec Christus illa adhibuit, nec Ecclesia præcepit; vel admitte etiam aquam convertendam (imò quemcumque liquorem, qui non variat appellationem vini usualis) etsi Christus eam non adhibuisset, nec Ecclesia præcepisset.

Et illa videtur fuisse sententia Alani lib. 1. de Eucharistia cap. 13. ubi sic habet: *Imò est hoc ipsum de totius liquoris conversione tam receptum, ut si aqua rosacea, vel quicumque alius exoticus succus in ea quantitate admisceretur, quâ nunc aqua, non minùs conficeretur Sacramentum, quàm si nihil tale esset admixtum.* *Alanus.*

93. Ex dictis concludo; Sacerdotem consecrantem juxta receptum modum Ecclesiæ, etsi certò sciat aquam non esse conversam in vinum, nullum prorsus committere sacrilegium; sive ratione intentionis, utpote, quæ conformiter intentioni Christi & Ecclesiæ, solùm fertur super id, quod est consecrabile in calice; sive ratione verborum formæ, quæ similiter feruntur super liquorem ex Christi institutione consecrabilem; talem autem esse aquam, nondum conversam in vinum, nunquam Adversarii satis probabunt ex facto Christi.

Sacerdos consecrans & certò sciens aquam non esse in vinum conversam, non peccat,

neque ratione intentionis, neque ratione falsitatis formæ:

Nam in primis non constat de quantitate aquæ appositæ, cùm hæc mixtio facta fuerit non temperandi potûs causâ, sed ratione mysterii. Secundò incertum est tempus interpositum inter mixtionem & Consecrationem. Tertiò potuit

potuit Christus conversionem in vinum accelerare, & de hoc Apostolos monere. Denique estò non fuerit conversa in vinum, quis Euangelista testatur ejus conversionem in Sanguinem?

Matth. 26. An putas, quia Christus dixit Matth. 26. v. 27. & 28. *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus?* Nescitis quoniam à majori & principaliori parte sumitur denominatio? Idcirco, quemadmodum secundùm Adversarios, ante Consecrationē verè dicitur de toto mixto: *Hoc est vinum*, licèt aliqua pars sit substantialiter aqua; ita verissimè post Consecrationem dicere poterat Christus, & hodie dicitur: *Hic est Sanguis*, estò aliquid substantiæ aqueæ in calice remaneat.

Quid si enim musca ceciderit in calicem ante Consecrationem, & eâ permanente ex inadvertentia Sacerdos consecret, an propterea falsa erit forma *Hic est calix Sanguinis mei?* Et si inciderit post Consecrationem, nonne Rubricæ Tit. de Defectibus cap. 10. num. 5. præscribunt: *Si non fuerit ei* (Sacerdoti) *nausea, nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine?* Et tamen ante sumptionem dicit Sacerdos: *Sanguis Domini nostri Iesu Christi* &c.

Nec refert quòd musca ibi non sit per modum potûs; hoc enim est quod quæritur, an omne, quod ibi est per modum potûs, debeat converti in Sanguinem, ut propositio illa sit vera: & ex confessione Adversariorum clarum est quòd non; nam si admisceatur alius liquor, ille non consecratur, nec tamen propterea forma erit falsa.

Omitto, quòd Græci calici consecrato admisceant aquam calidam, quę non convertitur in Sanguinem, & tamen verè pronuntiant: *Hic est Sanguis Christi.* Quid dicam de guttis internè calici adhærentibus, quæ vi generalis intentionis, secundùm diversos Auctores, non consecrantur?

Verum clamantes audio Adversarios, idololatria, idololatria; adorat quippe populus totum, quod est in calice per modum potûs.

Sed quis hoc eis indicavit? An ergo Græci idololatræ, quia adorant Sanguinem mixtum aquâ calidâ non consecratâ? Similiter illi omnes, qui adorant calicem, cui interiùs adhærent aliquæ guttæ non consecratæ? Quid si vinum confectum sit melle & lacte, prout sæpiùs vina hispanica ab Oenopolis conficiuntur? Certè nimis bono pretio vendunt hi Auctores peccatum idololatriæ.

Hinc Card. Lugo disp. 4. n. 46. Nolo, inquit, illo argumento uti, quia posset aliquis contendere non obesse, quòd maneat aliqua pars aquæ in calice, quò minùs possit adorari Sanguis ibi existens: sicut nec si existeret ibi musca, vel gutta olei, impediret veram adorationem: adoratio quippe fertur ad Sanguinem Christi, qui ibi est, præscindendo ab aliis rebus minutioribus, quæ fortè intra calicem adjunctæ sunt. Aliud dicendum foret, si nullus Sanguis esset in calice defectu Consecrationis.

Hoc ergo argumento relicto, transit Card. n. 47. ad aliud non magis efficax. Sacerdos, inquit, sumens calicem intelligitur manere jejunus; ergo non sumpsit aquam; ergo in nullo casu manet aqua post Consecrationem. Antecedens probatur; quia Ecclesia permittit Sacerdotem tertiò celebrare in Natali Domini, etiam tunc quando in prima Missa aqua immediatè ante Consecrationem fuisset apposita, cùm tamen prohibeat sumere ablutionem, ne jejunium frangat; ergo judicat talem Sacerdotem adhuc esse jejunum; adeoque aquam illam immediatè fuisse conversam in Sanguinem.

Resp. primò; de illo casu, utpote rarissimo, Ecclesiam expresè nihil disposuisse. Unde dubitant aliqui, an possit talis Sacerdos secundò, & tertiò celebrare. Faciliùs, inquit Lugo supià, posset responderi, non violari jejunium, ad Eucharistiam requisitum per sumptionem aquæ, quæ unà cum Sanguine Christi per modum unius potûs, ex præcepto ipsius Ecclesiæ sumitur: nam sicut non violatur jejunium requisitum ad secundam Missam per sumptionem alicujus partis terræ fortasse cum speciebus panis admixtæ, ita multò minùs per partem aquæ, ex præcepto Ecclesiæ speciebus vini admixtæ.

Neque est periculum frangendi jejunium requisitum ad Eucharistiam.

Sed hoc frivolum est secundùm Aresium sect. 8. quia etiam purificatio calicis semper sumitur cum aliqua Sanguinis particula; & tamen per eam Ecclesia frangi jejunium existimat. Præterea per illius aquæ sumptionem reverà jejunium naturale solvitur, quod tamen, secundùm omnes, prærequiritur ad celebrationem, & confirmatur; quia cùm Ecclesia strictissimè velit hoc jejunium observari, non decet absque illius auctoritate, quæ hîc non adest, aliquam exceptionem fieri.

97. Contrariùm conatur ostendere Aresius,

sed frustrà

Frivolæ certè instantiæ; quæ enim comparatio Sanguinis Christi, cui gutta aquæ infunditur, cum purificatione calicis, quæ tota est substantia vini cum admixtione guttæ Sanguinis? Perexigua; quoniam unum mixtum appellatur Sanguis Christi, alterum vinum. Aqua modica immixta Sanguini pro nihilo reputatur, adeoque non per se potatur, sed potiùs transit per modum salivæ, seu insensibiliter; vinum autem purificationis, quis dubitat per se sumi, ideoque frangere jejunium naturale?

aqua enim modica Sanguini mixta pro nihilo reputatur:

98. & estò frangeret jejunium naturale;

Accedit, nullam hîc fieri exceptionem absque auctoritate Ecclesiæ, quæ sola sicuti requirit jejunium, ita in illo potest dispensare, seu explicare quomodo, aut qualiter illud sit acciendum. Porrò Ecclesiæ præceptum est, in casu oblivionis aquam miscere immediatè ante Consecrationem; permissio quoque Ecclesiæ est, idque generalis, ter celebrandi in Natali Domini: neque ignorat plurimorum sententiam esse, aquam in illo eventu non transire in Sanguinem: igitur vel censetur in præcepto suo dispensare, vel ita illud interpretari, ut ab initio talis sumptio aquæ cum Sanguine non fuerit illâ prohibitione comprehensa.

id permittit Ecclesia.

Contrarium omnino constat de purificatione

calicis, quam in terminis prohibet in die Natalis Domini ante tertiam Missam cap. *Ex parte* 5. de Celeb. Missarum: *Postulationi vestræ taliter respondemus, quòd semper Sacerdos vino perfundere debet* (manus) *postquam totum acceperit Eucharistiæ Sacramentum; nisi eum eodem die aliam Missam debuerit celebrare, ne, si fortè vinum perfusionis acciperet, celebrationem aliam impediret.*

Cõtrarium constat de purificatione calicis ex cap. *Ex parte* de Celebrat. Missarum.

Plura argumenta congerit Aresius sect. 8. ut probet incertitudinem & indeterminationem materiæ, quibus, utpote minoris momenti, duximus supersedendum; unico tantùm verbo Respondeo, intentionem Ecclesiæ, & Sacerdotis consecrantis non ferri super liquorem, qui non est vinum, sed solùm super liquorem, qui est substantialiter vinum, & certò certiùs scitur calici infusus, & secundùm se determinatus est; licèt fortè aliquis alius liquor sit immixtus, qui à vero vino discerni non possit: atque hæc certitudo & determinatio per se sufficit ad licitam, & validam Consecrationem, quando major haberi non potest, de quo diffusiùs infrà.

Plura Aresii argumenta, utpote minoris momenti, prætermittuntur.

99. Sequitur hîc tertia principalis probatio nostræ Conclusionis, quæ accipitur ex Concilio Tridentino, quod sess. 13. per totam, in qua tamen expresè agit de institutione Augustissimi hujus Sacramenti, ejus materiâ, formâ, transubstantiatione panis & vini, nullam prorsus facit mentionem aquæ; signum ergo est, quòd non agnoverit illam pro materia essentiali, nisi conversa priùs esset in vinum. Unde can. 2. definit, *Mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.*

Tertia principalis probatio Conclusionis ex Conc. Trident.

non agnoscēte aquam tamquam essentialem materiam.

Respondet Aresius sect. 4. ideo Concilium hîc non facere peculiarem mentionem de aqua, quia de ipsa clarissimum erat testimonium Concilii Florentini: neque modò contra Armenos disputabat, qui illam negabant, sed contra alios Hæreticos; non omisit tamen sess. 22.

Responsio Aresii.

Sed cur hoc? An fortè tempore istius sessionis jam deserat clarissimum testimonium Concilii Florentini? Vel fortasis in illa sessione disputabat contra Armenos, & non contra alios Hæreticos? Cur ergo sess. 22. agit de mixtione aquæ, & non sess. 13.? Certè non ob aliam rationem, quàm ut ostenderet solam substantiam vini esse materiam essentialem Sacramenti Eucharistiæ, de quo specialiter agit sess. 13. mixtionem autem aquæ ceremoniam quamdam solemnem Sacrificii Missæ, de quo peculiariter tractat sess. 22. Hinc

Refutatur.

100. Aliter respondent Adversarii: sicuti nomine vini Concilium intelligit etiam aquam admixtam; ita quoque à speciebus vini can. 2. allegato non excludere species aquæ, quæ cum illis integrant unum potum usualem; sed tantùm vel ipsam substantiam vini & aquæ (agebat quippe Concilium contra negantes transubstantiationem) vel certè species alterius substantiæ, quæ usualem potum vini non integrant.

Alia respõsio Adversariorũ, comprehendi aquam sub vino,

Imò, inquiunt, ex hoc loco non modicùm confirmatur immediata conversio aquæ; nam in aliorum opinione non solùm species aquæ, verùm & ipsa substantia quandoque remanet post Consecrationem; cùm tamen Concilium doceat, solas species panis & vini remanere.

eò quòd Concilium Tridentinũ asserat facta Consecratione solas species panis & vini remanere:

Sed contrà Primò: non erat quæstio Patribus Tridentini cum Hæreticis, an post Consecrationem cum Corpore & Sanguine Christi remaneret substantia aquæ, olei, &c. quæ non sunt materia Consecrationis; sed an remaneret substantia panis & vini; sic enim incipit Canon: *Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini, unà cum Corpore & Sanguine Domini nostri Iesu Christi* &c.

Porrò Concilium nomine *Vini* intellexisse etiam aquam, quo fundamento asseris? Et non magis vinum purum, cui ex præcepto Ecclesiæ debet misceri aqua? Pauxillum quidem aquæ vino admixtum, non extrahit à ratione potûs usualis, sive vini usualis; sed neque tantillum alterius liquoris: num ideo totum mixtum simpliciter vinum?

sed illud fundamentum nullum est.

Verùs dixeris vinum dilutum, sive vinum, ut loquitur Scriptura, quod miscui; si autem simpliciter aliquando sic appelletur, non nisi in quantum à majori parte sumitur denominatio, quæ tamen non sufficit, secundùm communiorem Adversariorum sententiam, ut nomine vini Concilium intelligat liquorem ab aqua distinctum.

Sic etiam per *Panem* non venit intelligenda aqua, quâ madefactus est, aut aër inclusus in poris, aliaque extranea admixta; consequenter nec furfures (quidquid de his reclamet Lugo suprà n. 64.) estò relinquant cibum, seu panem usualem; idque quia non sunt tota, nec pars substantiæ panis, sicuti nec aqua vino admixta, tota, aut pars substantiæ vini.

101. Per *Panem* non intelligitur aqua, qui madefactus est, aut aër inclusus in poris, neq; furfures. Lugo.

Admittit Card. de Sacramento Pœnitentiæ disput. 14. sect. 8. num. 118. non esse peccatum mortale secundùm se, & seclusâ Ecclesiæ prohibitione, si panis consecrandus decoris & ornatûs gratiâ, aliqua ex parte leviter aureis punctis, vel lineis depingeretur, licèt illa particula auri non posset verè consecrari. At cur minùs quàm furfures?

Non est peccatum mortale, per se loquendo, consecrare panem leviter inauratum secundùm Lugo.

Quia, inquis, massa furfurea, licèt, ut condistinguitur à farina pura, non sit panis, ipsa tamen cum farina pura componit panem usualem, non defæcatum & purum; sed tamen panem humanum & communem, quem qui comedit, dicitur comedere panem. Ita Lugo suprà de Eucharistia n. 64.

qui & admittit furfures cum farina pura componere panem usualem.

Et numquid, qui comederet hostiam punctis aureis leviter depictam, diceretur comedere panem? Similiter, qui comederet panem madefactum? Si ergo furfures consecrantur, quia componunt panem usualem, quidni & aurum illud,

illud, vel aqua? Respondes; quia aurum, & aqua non componunt panem, sed sunt aliquid merè extrinsecè appositum.

Et verò furfures componunt panem? Affirmas. Interrogo, quâ compositione, essentiali, accidentali, integrali, quâ? Si massâ furfurea est pars integralis, cur non potest seorsim consecrari, sicuti quælibet pars integralis panis aut vini? An fortassis est essentialis, uti farina & aqua, quæ suo modo substantialiter componunt corpus illud mixtum, quod vocamus panem?

Si ais; cur igitur massa furfurea igne cocta non est per se materia Consecrationis, sicut massa farinacea? Quomodo ergo furfures componunt panem? Sanè non aliter, quàm quælibet alia substantia, farinæ admixta, scilicet per extrinsecam juxtapositionem, quandoquidem non transeat in corpus mixtum, sicuti transit farina, & aqua.

Herculè si furfures verè consecrantur, mirandum planè panem furfuratum, ut sic loquar, nusquam esse in usu; si namque furfures sunt pars essentialis, quemadmodum farina, nulla in tali pane cernitur impuritas, propter quam debeat postponi alteri pani non furfurato. Neque Ecclesia ullibi admixtionem furfurum prohibuit, nisi solâ consuetudine, supponens utique ex se satis manifestum esse, illam non licere, defectu consecrationis furfurum.

Atque hæc ratiocinatio adhuc magis obtinet in aqua, quæ apponitur extrinsecè vino, manens, secundùm Adversarios, semper in sua substantia incorrupta; adeoque non aliâ ratione pars vini, vel etiam pars mixti, quàm lapis est pars acervi lapidum.

Unde argumentor II. contra Adversariorum responsionem ad Concilium Tridentinum, argumentor, inquam, sic; can. 3. ejusdem sess. dicitur: *Sub unaquaque specie, & sub singulis cuiusq; speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri.* Ergo per *Species vini* non intellexit can. 2. species veræ aquæ, vino mixtæ; alioquin sub illis speciebus separatis maneret totus Christus: ergo etiam seorsim aqua poterit consecrari.

Respondet Lugo suprà de Eucharistia num. 67. (quem sequitur Dicastillo disp. 2. n. 160.) non manere Christum sub specie aquæ separatæ, sicut nec ipsa species tunc manet species vini usualis; eatenus autem tantùm sub se continere Christum, sicuti aqua eatenus tantùm consecratur, quatenus est pars vini usualis. Eodem modo loquitur Eminent. de furfure admixto pani, & de aqua, secundùm aliquos, in pane remanente, si posset per aliquod artificium extrahi.

Attamen mirùm, per solum motum localem tolli Consecrationem specierum. Respondent, non tolli per meram separationem, quod dumtaxat damnat Tridentinum; verùm per hoc, quòd aqua desinat esse vinum, sive quòd species, quæ remanserant, ampliùs non sunt species vini; ac proinde licèt non corrumpantur in seipsis, utpote quia statim recuperant formam substantialem aquæ, desinunt tamen esse in sua appellatione, quoniam ampliùs dici nequeunt species vini.

& species aquæ continere Christum quatenus sunt species vini.

Sed contrà: non omne, quod appellatur vinum, est materia Consecrationis; sed quod verè est, & appellatur. Sicut ergo aqua mixta, seu vinum quâ dilutum non est verum vinum, quamvis ita appelletur; ita nec species aquæ mixtæ sunt veræ & propriæ species vini; estò aliquando ita vocentur.

Refutatur responsio Lugonis.

Nec dicas cum Aresio sect. 12. & alibi (ut putat ex Scoto) in materia Sacramentorum non debere attendi subtilitates physicas; quia non attendimus hîc subtilitates physicas, sed essentias. Scotus quidem 4. dist. 11. q. 6. n. 3. docet, pastam non esse materiam consecrabilem, licèt fortè sit ejusdem speciei physicæ cum pane, idque, *quia noluit Christus in Sacramentis suis istam subtilem disputationem de differentia specifica imponere nobis.* Verumtamen nusquam legitur in Scoto, quòd vel furfures, vel aqua, vel aliqua alia substantia, quæ non est substantialiter panis aut vinum, sint materia consecrabilis, sive per se, sive per accidens, libera, aut necessaria.

104. Objectio Arelii solvitur.

Scotus numquam asseruit furfures, vel aquam esse materiam consecrabilem.

Unde non videtur hic Auctor legisse Doctorem Subtilem, minùs intellexisse, quando sect. 7. citat ipsum pro sua opinione, inquiens: *De Scoto id probabilius dici potest* (scilicet, per conversionem aquæ in vinum, eum intellexisse, non mutationem substantialem, sed moralem, & in ordine ad usum hominum) *cùm apertè asserat in hac materia non esse quærendas subtilitates physicas.*

quem malè pro sua opinione citat Aresius.

At bene essentias physicas; alioquin, cur diceret Scotus suprà q. 7. n. 2. *Et ita modica* (aqua) *est apponenda, & ita tempestivè, quòd ante Consecrationem posit conversa fuisse in vinum?* Si hæc verba legisset Aresius, non tam subtiliter, imò non tam turpiter errasset, pervertens verba & mentem Doctoris Subtilis.

105. pervertens verba & mentem Doctoris Subtilis.

Quid enim manifestius, quàm Doctorem nostrum requirere modicam aquam, tempestivè appositam eo fine, ut possit physicè converti in vinum? Quippe moralis conversio, secundùm aliquos, videtur stare etiam cum majori quantitate aquæ: nam sect. 12. §. *Ad octavum* admittit Aresius, posse consecrari mixtum, in quo major pars aquæ adesset, dummodò hoc mixtum ex vino & aqua communi usu appellari soleat vinum, & aqua mixta saporem vini retineat.

An requiratur modica aqua ad conversionem moralem.

Et sect. 11. ait: Doctores citari in Epist. Gaufredi testantur, vinum aquâ mixtum, etiamsi aqua prævaleat, nuncupari tamen simpliciter vinum. Et paucis interjectis: Plutarchus Opusculo de Ratione valetudinis observandæ idem sentit: *Vinum enim*, inquit, *aquâ mixtum, etiamsi maior sit aqua infusa, quàm vinum; vinum tamen vocamus.* Ita Aresius sect. 11.

At verò sect. 12. §. suprà allegato, contrarium insinuat, dicens: Quò minùs est aqua vino apposita, eò verius & absolutius solet

illud appellari vinum: nam si major sit quantitas aquæ, quàm vini; refugiunt sæpè homines illud appellare vinum, & dicunt potiùs esse aquam, sed vino permixtam; quàm vinum aquâ dilutum. Hæc ille.

Infero ego: Ergo vel Aresius contradicit Doctoribus citatis in Epist. Gaufredi, qui dicunt, consuevere homines illud mixtum appellare vinum; vel illi Doctores non agunt de mixto, in quo major pars est aqua, ut suprà insinuavi; aut explicandi sunt de vino tam excellenti, ut etiam majorem partem aquæ facilè in se possit convertere.

Si dixeris; in uno loco illud mixtum solet appellari vinum, secùs in alio; infero, ergo in uno loco illa major quantitas aquæ erit materia Consecrationis; secùs in alio: cùm tamen materiæ Sacramentorum debeant esse certæ, nec ullo modo conveniat eas variari ex usu, & modo loquendi hujus vel illius loci. Itaque non illud est materia Consecrationis, quod solùm vocatur panis aut vinum, sed quod à parte rei est substantialiter panis aut vinum, & ita communiter appellatur.

106. An requiratur ut tempestivè aqua apponatur.

Atque ut requireretur modica aqua ad conversionem moralem, nunquid etiam in sententia Aresii requiritur ad moralem conversionem, ut tempestivè aqua apponatur? Contrarium liquet manifestissimè ex toto ipsius Tractatu. Accipe ejus verba: Intelligatur hæc præconversio moraliter, & omnia præclarè cum veritate & ritibus S. R. E. convenient; hæc enim conversio tempore non indiget. Ita hic Auctor in Appendice cap. 15. Ergo Scotus requirens tempestivam appositionem, sine dubio loquitur de conversione physica.

Catechis. Rom. loquitur de conversione physica.

Prout etiam Catechismus Romanus parte 2. cap. 4. n. 16 dicens: *Illud autem Sacerdotibus advertendum est, quemadmodum in sacris Mysteriis aquam vino adhibere oportet, sic etiam modicam infundendam esse; nam Ecclesiasticorum Scriptorum sententiâ & judicio, aqua illa in vinum convertitur*, utique physicè; nam moralis conversio (juxta Adversarios) pendet à communi hominum judicio, prout ipsi mixtum ex vino & aqua vocant, vel non vocant vinum.

Honorius III. In majori quantitate de aqua ponere, quàm de vino, est pernicioſus abusus.

Nec refert quòd Honorius III. cap. *Pernicioſus* 13. de Celeb. Miss. solùm appellet pernicioſum abusum, *quòd in maiori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio, quàm de vino*; non autem declaret irrita hujusmodi Sacramenta: non refert, inquam; quia etiam non docet totum mixtum fuisse conversum in Sanguinem.

Potuit ergo Sacramentum fuisse validum quoad vinum, suppoſito quod maneret incorruptum, & nihilominus appositio majoris partis aquæ *contra rationabilem*, ut loquitur Pontifex, *consuetudinem Ecclesiæ Generalis*, quæ non solet per se loquendo apponere aquam, nisi in tali quantitate, quæ ante Consecrationem facilè possit converti in substantiam vini.

107. Trident. explicatur de conversione physica.

Hinc etiam Trident. suprà (quod bene advertendum est) generaliter loquitur de separatione quarumlibet specierum consecratarum, supponens nempe nullam esse speciem consecratam, aut ejus partem, quæ separata à toto non contineat Christum, quem continebat in toto: non ob aliam certè rationem, quàm quia judicabant Patres aquam non consecrari, nisi priùs physicè fuisset conversa in vinum.

Hinc frustra hîc recurritur ad distinctionem partis integralis & componentis, quasi Tridentinum per *Partem* solùm intellexerit integralem, qualis non est species aquæ; loquitur siquidem Concilium de illis partibus, de quibus suprà cap. 3. *Totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit*, quocumque demùm nomine vocentur, sive componentes, sive integrales, perinde est.

Certùm autem debet esse apud Adversarios, sub illis partibus comprehendi speciem aquæ, utpote quæ secundùm ipsos immediatè convertitur in Sanguinem, & manens in toto, continet integrum Christum. Ergo similiter separata continet juxta can. 3.

Quapropter alii concedunt totum; sed negant inde sequi, aquam seorsim posse consecrari; quia plùs requiritur ad generationem, quàm ad conservationem: sic anima separata à corpore non potest accipere characterem Baptismi, acceptum tamen retinet.

Quid mirùm, cùm non possit accipere Baptismum, qui solus eum imprimit? Retinet equidem; quia ipsi immediatè, & indelebiliter imprimitur. Porrò aqua pura, si potest retinere Consecrationem, cur non primò consecrari? Vel si vinum est conditio sine qua primò non consecratur, cur non etiam similis conditio conservationis?

108. In Consecratione secundum Aresium aqua est pars componens,

Dices cum Aresio sect. 12. In Consecratione aqua est pars componens; quoniam in materiis Sacramentorum non attenduntur subtilitates physicæ, sed judicium, sensus, & hominum usus: at verò in conservatione Sacramenti, in qua respicitur ipsa rei veritas, se habet ut pars integrans, ac proinde licèt non possit sola esse materia Consecrationis, poterit tamen esse conservationis.

in conservatione integrans;

adeoque poterit esse hujus materia, eſtò non illius;

Confirmatur: nam ad hoc ut non censeatur adesse Corpus Christi sub aliqua specie, non sufficit ut illa species sensibus corrupta videatur, sed oportet ut ita sit à parte rei, etsi in fragmenta tam minima hostia dividatur, ut aciem oculorum fugiant; dum tamen sub ipsis possit conservari substantia panis, verè sub illis erit Corpus Christi, quamvis primò non potuisset sub eis poni. Hæc ille.

ex quo infertur Christum instituisse aquam materiam Consecrationis aliter,

Infero: Ergo Christus instituit aquam materiam Consecrationis aliter, quàm à parte rei est: quippe, secundùm Auctorem illum, instituit aquam, tamquam partem componentem, cùm in rei

in rei veritate sit integrans. Vide quousque homines deveniant, ut præconceptam semel opinionem tueantur.

S. August. Verissimè S. Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana cap. 10. *Si animum præoccupavit alicuius erroris opinio, quidquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur.* Et nulla est ratio tam evidens, quam cavillationibus obscurare non tentant. Verè defecisti Aresi scrutans scrutationes, dum Patronos adhibes tuæ opinioni falsos hominum sensus, seu homines aliud sentientes, quàm ipsa rei veritas se habet.

109. Responsio ad confirmationem Aresii. Sed age: minima, inquis, pars hostiæ retinet Consecrationem, & tamen non potest primò consecrari. Bene dicis. Scire vis rationem? Quia se sola nequit demonstrari per ly *Hoc*, ut statim videbimus. Num aqua separata similiter indemonstrabilis est? Minimè ais: at se sola non est materia primæ Consecrationis. Et quis vobis quæso revelavit, magis esse materiam conservationis Sanguinis Christi, quàm primæ acceptionis?

Nihil est quod potius aquam magis esse materiam consecrationis quàm conservationis, quàm primæ acceptionis.

Peccata venialia, quæ sunt materia libera, & quasi per accidens Sacramenti Pœnitentiæ, quibusque assimilare vultis aquam vestram materiam liberam, & per accidens Consecrationis: nonne & hæc ipsa sola sufficiunt ad validam absolutionem? Quis audeat dubitare? Cæteroquin infinitæ confessiones hodie erunt invalidæ.

Cur ergo similiter non dicitis, aquam, etsi materia sit per accidens, & libera, separatam tamen à vino sufficere, non tantùm, ut retineat Consecrationem, sed etiam ut primò recipiat? Certè nihil video, quod magis probet retentionem, quàm primam Consecrationem.

110. Aliud argumentum Aresii. Est quod & magis mireris Lector: enim verò Aresius, non contentus suâ responsione ad auctoritatem Concilii Tridentini, insuper ex can. 2. suprà commemorato sic argumentatur pro immediata conversione aquæ in Sanguinem. Manent, inquit, in calice post Consecrationem species dumtaxat vini, ergo non manet substantia aquæ; ergo est conversa in Sanguinem.

Solvitur. Argumentum insolubile! Quidni inquis? Aperi oculos, & videbis solutionem. An fortè dices, etiam muscam, immersam vino, immediatè converti in Sanguinem? Minimè reponis; siquidem Concilium per ly *Dumtaxat*, non excludit, nisi substantiam rei consecrabilis.

Quando Concilium definit non examinare species vini, nisi de earum substantiam consecrabilem. Optima Responsio, & unà solutio propositi argumenti: ut enim antè ostendimus, aqua permanens in sua substantia, non est materia Consecrationis, nec super illam verba Consecrationis proferuntur. Alioquin posse cum Sanguine aliam substantiam esse in calice, clarè docet ritus Græcorum, quo aquam calidam mittunt in calicem consecratum.

Aliam enim adesse posse substantiam, clare demonstrat ritus Græcorum.

Nec dicas hunc morem Græcorum esse damnandum; nam teste Aresio in fine sect. 10. ab Ecclesia Romana permittitur, & ejus meminit S. Germanus Patriarcha in Theoria rerum Ecclesiasticarum, qui floruit circa annum Domini 1228.

ab Ecclesia permissus.

111. Instantia Aresii. Instabis cum præfato Aresio: Concilium sub vini nomine aquam admixtam intelligit; nam eâdem sess. cap. 1. dicit: *Hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Constat autem Christum benedixisse etiam aquam.

Trident.

Solvitur. Respondeo; sed in vinum conversam. Unde & illam sub nomine vini intelligimus, & iterum asserimus esse materiam Consecrationis, etiam, si fieri possit, ab alio vino separatam, utpote vinum de vite; quia de vite venit, quòd hæc aqua naturam vini habeat, id est, quòd sit liquor ejusdem cum vino essentiæ ac substantiæ, qualis non est aqua mixta vino permanens in sua essentia, licèt totum mixtum vinum appelletur.

112. Argumentum 2. Aresii ex Tridentino. Equidem perplacet audire secundum argumentum Aresii, deductum ex verbis Tridentini sess. 14. can. 3. Sic, inquam, argumentatur sect. 4. Totum illud, quod est in calice post Consecrationem per modum potûs, censetur species Sanguinis Domini; propterea enim si quælibet gutta effundatur, ea diligentia adhibetur circa eam, quæ Sanguinem Domini decet. At si aqua non converteretur in Sanguinem, essent sub illis speciebus plures guttæ, quæ non continerent Sanguinem Domini: ergo malè crederet Ecclesia sub singulis cujusque speciei partibus totum Christum contineri.

Sed facilè solvitur attento ritu Græcorum.

Non arbitror hoc argumentum indigere novâ solutione. Quæro tantùm ab Aresio: an si à Græcis gutta calicis effunderetur post aquam calidam admixtam, non ea diligentia adhiberetur circa illam, quæ Sanguinem Domini decet? Non dubito quin affirmaret, si viveret. Quidni enim, cùm moraliter certum sit, aliquid saltem Sanguinis guttæ illi esse admixtum?

113. uti & aliud ab eodem allatum. Aliud argumentum, quod eâdem sectione adfert Aresius pro sua opinione, non potui sine risu legere. Est autem tale: Ecclesia dum Acolythos ordinat, inquit: *Accipe urceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi:* Et in Oratione pro iisdem: *Et ad suggerendum vinum & aquam ad conficiendum Sangumem Christi.* Ubi notandum, inquit, aquam proximiori loco poni, quàm vinum, ante illa verba, *ad conficiendum Sanguinem*, ne diceres aquam converti mediante vino, id est, ita ut priùs convertatur in vinum.

Sufficit difficultatem, aut potiùs nugacitatem proposuisse. Dicere debuisset; ideò vinum præponi aquæ, quia ipsum solum est materia essentialis, primo loco ab Acolytho Sacerdoti suggerendum, & calici infundendum.

114. Docēt multi Physici aquam quātumcumque modicam, numquam in vinum converti;

Supereſt quæſtio cum nonnullis Phyſicis, qui docent, aquam quantumcumque modicam, etiam multo vino infuſam, numquam in illud converti.

Primò; quia aqua eſt corpus ſimplex, quod nequit tranſire in mixtum, niſi concurrentibus aliis tribus elementis. Unde teſte Philoſopho de ſenſu & ſenſato contra Pythagoricos, nec ſola alere poteſt.

quorum prima ratio refellitur,

Reſpondeo; aquam noſtram plerumque eſſe impuram, & experimur in his, qui aquam bibunt, converti in ſubſtantiam, vel ſaltem mixta excrementa. Unde quod aliqui dicunt, aquam non nutrire (& ideo minùs aptam eſſe ad ſignificandum effectum hujus Sacramenti) intelligi debet, de per ſe; quia primariò ad nutritionem non eſt ordinata, neque fortè immediatè nutrit, ſed mediante permixtione alicujus ſolidi per modum cibi. Ita veriſimile eſt, aquâ potiſſimùm paſci Cicadas; aëre Chameleontem; igne Pyrauſtas, & alia id genus, quæ etiam ſalubriter in ardore ignis vivere cenſet Auguſtinus.

115. Secundò arguunt: quia vinum generatur actione vitali in vite; adeoque ſicuti ſanguis, qui elaboratur tantùm in jecore animalis, ſeparatus non habet vim tranſmutandi aliud in ſe, ita quoque vinum uvis expreſſum, ſeu ſeparatum à vite.

uti & ſecunda.

Reſpondeo Neg. Conſeq. Diſparitatem aſſigno: quia ſanguis ſeparatus non retinet ſuum vigorem, ſed ſtatim connaturaliter diſponitur ad corruptionem, ſatiſque habet, quòd ſe aliquantiſper conſervet. Forſitan ebulliens ſanguis Martyrum, qui alicubi aſſervatur, converteret aliud in ſe.

Porrò vinum de vite, etiam ab illa ſeparatum, tanti eſt vigoris ac fortitudinis, ut ſic loquar, teſte experientiâ, quòd quæcumque immiſſa, etiam integra cadavera animalium cum pelle & oſſibus, penitus conſumet, & quaſi in ſe convertat, quantò magìs pauxillum aquæ?

Adde, ſanguinem elaboratum eſſe per potentiam nutritivam, cùm ſit ſubſtantia ex ſe ordinata ad nutrimentum animalis, inſtar ſucci illius, quo immediatè alitur arbor vel planta: non ſic vinum ex natura ſua ordinatur, ut convertatur in ſubſtantiam vitis; verùm ut uvis expreſſum ſit pars præcipua alimenti hominis.

116. Inſtantia.

Inſtas: equidem non tota aqua poteſt converti, ſed neceſſariò remanent aliqua excrementa; ſicut etiam in nutritione ex delicatiſſimo cibo evenit, & ignis, licèt activiſſimus, relinquit cineres & favillas.

Solvitur. *Tannerus.* *Regius.*

Reſpondeo cum Tannero de Euchariſtia quæſt. 2. dub. 6. (ubi mordicùs defendit noſtram Concluſionem contra Regium de Sacramentis q. 74. art. 8. dubio unico) alimentum,

Alimentum dum in ſubſtantiam viventis redigitur, pluribus tranſmutationibus, & exactâ concoctione opus habere, qualis in aliarum rerum mutationibus non eſt neceſſaria, quæ proinde etiam totæ in ſe invicem, aut in tertium commutari poſſunt.

bus tranſmutationibus opus bet; non ſic aqua dum converteretur in vinum.

Et peculiare eſt ligno, quòd ab igne in cineres reſolvatur; multa enim alia ignis alimenta cinerem nullo modo relinquunt, ſed in ignem tota convertuntur; ut in vino aduſto, oleo, butyro, & ſimilibus accidit: niſi fortaſſis cùm aër in ignem convertitur, cineres aliqui, aut excrementa reperta ſint.

Cur vinum inde debilitetur; & cur non reducat ſe.

Petis; cur ergo vinum inde debilitetur? Reſpondeo; quia repatitur. Urges: quare ſe non reducit, ſicuti ignis comburens lignum? Reſpondeo, non omne paſſum ſemper, & continuò, ſuo ſe vigori poſſe reſtituere, ut patet in viventibus, quorum calor vitalis ob eam ipſam cauſam tandem extinguitur. Ratio à priori non eſt alia, niſi talis, vel talis natura paſſi. Sanè non mirùm in igne illam repaſſionem ſenſibus occultari; quippe novus ſemper ignis ex nova materia generatur, priore igne expirante, ut in candela videre eſt.

117. Tertia Adverſariorum ratio vanè elicitur.

Nihilominus pergunt Adverſarii, & opponunt Tertiò: quia poteſt aqua poſt mixtionem iterum ſeparari; ergo non fuit converſa in vinum.

Reſp. primò Neg. Conſeq. nam qui docent elementa formaliter manere in mixto, admittunt ea poſſe extrahi, eſtò ſubſtantiam mixti conſtituant.

Reſp. II. Neg. Antecedens, ſi mixtio debitâ proportione facta ſit, & debitum temporis ſpatium interceſſerit.

Solvitur replica.

Si replices: factum eſt; ergo poteſt fieri. Reſp. rurſum Neg. Antecedens; quippe quod ex vino, aqua ſic permixto, eximitur, non aqua eſt, ſed liquor vini, aquæ ſimilis, nondum videlicet decoctus, qualis etiam ſecundùm multos ex vino puro elici poteſt.

118. Inſtantiæ Dicaſtillonis.

Sed contrà inſurgit Dicaſtillo ſuprà n. 143. vel ille humor conſecratur, vel non. Si primum dixeris, ergo aliquid præter vinum conſecratur: nam omnes fatentur illum liquorem non eſſe vinum; ergo etiam aqua extrinſecùs appoſita poteſt conſecrari. Si ultimum elegeris; ergo ſemper miſcetur aliquod non conſecratum, conſecrato.

Solvitur primò.

Reſp. hoc non eſſe inconveniens, quando ſine eo non reperitur ſubſtantia conſecrabilis. Patet in aëre ſemper poris vini incluſo.

Solvitur ſecundò.

Reſpondeo II. etſi liquor ille per ſe non ſit vinum, eſt tamen aliquid ex natura rei vino intrinſecum, eo ferè modo, quo aqua, ſi fortè aliqua ſemper remaneat (quod non credo) eſt intrinſeca pani.

Eſto aqua intrinſeca vino converteretur immediatè in ſanguinem;

Quemadmodum ergo non bene ſequitur: *Aqua intrinſeca pani conſecratur; ergo etiam aqua extrinſecùs appoſita*, ſic meritò negatur hæc conſequentia: *Aqua intrinſeca vino convertitur immediatè in Sanguinem, ergo etiam aqua extrinſecùs admixta: ergo aliquid præter vinum.* Siquidem ly *vinum* ſignificat omnem ſubſtantiam ſibi intrinſecam;

trinsecam ; utì ly *Panis*, significat farinam aquâ coagulatam, igne decoctam.

Unde etiam non sequitur : *Consecratur farina & aqua ; ergo aliquid præter panem* ; quia hæc sunt intrinseca ipsi pani, & ut talia dumtaxat consecrantur. Aliud est de aqua extrinsecùs apposita vino, quæ facit, ut jam non simpliciter vinum, sed magìs dilutum appellari debeat.

119. Objectio fortissima.

Dices ; aqua extrinseca convertitur in vinum secundùm nos ; ergo magìs intrinseca. Resp. Neg. Conseq. obstat ejus connaturalitas : alioquin quomodo ex omni vino posset extrahi ? Unde sicuti ipsa non alterat vinum, sic nec vicissim ab ipso alteratur. At verò quemadmodum aqua extrinsecè conjuncta vino, non obstante aliquali symbolizatione in qualitatibus formalibus, adhuc alterat vinum, & vim habet aliud convertendi, atque ita aggenerandi sibi aliquam aquam (sicuti ignis ex ligno aggenerat sibi alium ignem) cur similiter multum vinum modicam aquam non alterabit, & in se convertet ? Quia, ais, Aristoteles negat.

Vinum convertit in se aquam. Objectio.

Imò affirmat, dicens lib. 1. de Generatione cap. 5. textu 34. *Quando & illic quoque* (in aquæ cum vino mixtione) *quod evincit ac superat, in ipsa mixtione augeri dicitur, ceu vinum. Nam universa mixtura, vini, non aquæ functionem exercet.* Ita legunt Conimbricenses.

Hiquæus.

Clarius ad nostrum propositum Hiquæus in suo Commentario ad locum Scoti suprà citatum dist. 11. q. 7. n. 38. citans cap. 10. ejusdem libri : *An alterius*, inquit, *remaneat substantia, id est, mixti ; alterius non remaneat, ut succi, alteriusve rei ? Cùm in hac quoque mixtione, id quod imperat, id est, prædominatur ; ut si id vinum fuerit, excreviisse dicatur : omnes enim ipsius mixtionis congestæ partes, non aquæ, sed vini naturam retinent, & illius opera efficiunt.*

Sed illa verba non reperio in versione Conimbricensium : sed hæc, quæ subjungo ex textu 89. *Nam alterum in id, quod evincit, verti solet, ut gutta vini decies millenis aquæ mensuris non misceatur. Etenim forma vini perit, atque vinum in totam aquam vertitur.*

120. Tannerus ex mente Aristotelis infert aquæ guttulam in multum vinum infusam corrumpi.

Ex quo rectè (inquit Tannerus suprà num. 193.) ex mente Aristotelis infertur, etiam aquæ guttulam in multum vinum infusam corrumpi, & in vinum converti à paritate rationis ; cùm præsertim vinum ob calorem, quem continet, in suo genere majorem vim agendi habeat, minusvè corruptioni obnoxium sit, quàm aqua. Quid enim citiùs putrescit, quàm exigua aquæ quantitas in vase clauso servata ?

Regius.

E contrario argumentatur Regius suprà num. 178. Si, inquit, vinum in parva quantitate diu relinquas in vase aperto, fiet paulatim quasi aqua. Secùs est de aqua, quæ & difficillimè omnino corrumpitur, & est planè inepta, ut naturaliter immediatè convertatur in vinum. Hæc ille. Tu Lector experientiam consule, & citò apparebit veritas.

Hoc unum ego scio, omnium penè Ecclesiasticorum Scriptorum judicio defendi, teste Alano suprà, aquam modicè infusam, in vini substantiam physicè prorsus desinere. Quis dubitat, an naturaliter ? Porrò judicium aliquorum Philosophorum (sit etiam inter illos Aristoteles, cujus auctoritas hodie valde imminuta est, & quotidie magìs vilescit) præponere judicio omnium penè Ecclesiasticorum Scriptorum, qui & ipsi ordinariè Philosophi sunt, non autumo rationi consentaneum. & constat ex omnium penè Ecclesiasticorum Scriptorum judicio, cui non officit paucorum Philosophorum placitum & opinio.

Et verò si illam communem sententiam bene ponderasset Aresius, non tam facilè falsam illam proclamasset : nescio ex quibus rationibus Theologicis, frivolis certè & nullius momenti ; duas, aut tres subjicio, & rejicio. 121.

Primam accipit ex fine, propter quem miscetur aqua vino, quem omnes fatentur esse significationem. Significatio, inquit, hujusmodi est sacramentalis ; ergo non est dicendum, aquam converti in vinum, antequam conficiatur Sacramentum. Secundùm Aresium definitur aquæ, definit ejus sacramentalis significatio ;

Probat Consequentiam : Quia si aqua in vinum convertitur ; ergo tempore Consecrationis, quando conficitur Sacramentum, non erit ampliùs aqua in calice : ergo aqua numquam ante Consecrationem potest converti in vinum ; alioquin omnes significationes, quæ ab aqua desumuntur, peribunt ; quia quod non est, significare non potest : ergo numquam poterunt tribui Sacramento Eucharistiæ, quia quando aqua est præsens, nondum adest Sacramentum Eucharistiæ ; quando verò sit præsens Sacramentum Eucharistiæ, jam aqua desiit esse. Ita Aresius sect. 10.

122. utpote fluxus aquæ & Sanguinis ex latere Christi, *Alexander I.*

Rogas fortè, quæ sint illæ significationes sacramentales ? Primò, inquit, significat ex latere Christi aquam & Sanguinem fluxisse. Ita Alexander I. Epistolâ 1. Decretali, ut habetur in cap. 1. de Consecrat. dist. 2. Secundò significat unionem Ecclesiæ cum Christo ; quia per aquam significatur populus Apoc. 17. Hoc tradit Cyprianus Epistolâ 62. & alii permulti post ipsum. Tertiò significat introitum in vitam æternam, ut notat Divus Thom. ex D. Ambros. lib. 1. de Sacramentis dicente : *Redundat aqua in calicem & salit in vitam æternam.* Quartò duplicem naturam in Christo, divinam in vino, & humanam in aqua ex Nicephoro lib. 1. cap. 53. unio Ecclesiæ cum Christo. *S. Cyprianus.* introitus in vitam æternam. *D. Ambros.* & duplex in Christo natura. *Nicephorus.*

In quibus licet advertere, contineri illas tres significationes, quas recolit Ecclesia in Antiphona : *O Sacrum Convivium* &c. Recolitur enim memoria Passionis ejus, dum aqua repræsentatur, quæ ex latere Christi exivit ; gratia, quâ mens impletur, significatur in unione populi cum Christo : & futuræ gloriæ nobis pignus datur, dum juxta tertiam rationem introitus significatur in vitam æternam. Illæ autem significationes sunt maximè sacramentales ; ergo sacramentalis quoque est significatio aquæ, præcipuè

præcipuè cùm ad hoc fuerit instituta à Christo Domino: cùm igitur habeat significationem sacramentalem, non potest non spectare ad Sacramentum. Hucusque Aresius.

123. Planè non potest non spectare ad Sacramentum, quoniam prævièad Sacramentum ordinata, non autem quasi ipsa sit Sacramentum. Et ideo in prima mixtione aquæ cum vino omnia hæc Mysteria sufficienter commemorantur: estò dum Sacramentum conficitur, ampliùs nulla aqua existat.

Sed salvatur hæc significatio in prima mixtione aquæ cum vino.

Enimverò non quia aqua convertitur in Sanguinem, idcirco significat aquam, quæ ex latere Christi profluxit, aut populum, qui Christo unitur per gratiam Sacramenti; sed quia ante Consecrationem in ordine ad illam miscetur vino, sive postmodum in vinum conversa transeat in Sanguinem, sive permaneat in sua substantia, præsens Sanguini in eodem calice per juxtapositionem, sicut aqua coexistebat Sanguini, simul profluenti ex latere Christi.

Significat itaque aqua quando est, hoc est, quando miscetur; significat, inquam, aquam, quæ fluxit de latere, & populum, qui unitur Christo per gratiam sanctificantem, quam Deus infundit in perceptione seu usu Sacramenti, & ex consequenti ipsam gratiam, per quam populus unitur, sive ipsam unionem: significat introitum in vitam æternam; significat naturam humanam in Christo.

124. Infert Aresius: Ergo ante Consecrationem est ibi verum Sacramentum.

Si inferas cum Aresio: Ergo ante Consecrationem adest in altari verum Sacramentum; nam Sacramentum est signum sacrum à Deo institutum: hujusmodi autem est mixtio aquæ.

Falsitas illationis cõcluditur ex definitione propriè dicti Sacramenti.

Respondeo Neg. Conseq. Ignoro penitus ubi Auctor ille talem legerit definitionem Sacramenti, scilicet propriè dicti (de quo solùm potest esse quæstio) siquidem omnes unanimiter docent, ad rationem Sacramenti novæ Legis, non sufficere significationem rei sacræ, sed insuper requiri efficientiam ex opere operato gratiæ sanctificantis, aut gratuiti Dei effectûs.

Quamvis ergo ante Consecrationem in altari sit aliquod signum sacrum à Deo institutum, vel potiùs à Deo adhibitum, & ab Ecclesia præceptum: an ideo signum efficaciter significans gratiam, aut gratuitum Dei effectum?

Minimè, ais, & propterea debet aqua immediatè converti, ut species ejus non minùs sint Sacramentum, quàm species vini. Siquidem ex doctrina Patrum Sacramentum hoc institutum est in vino & aqua. Resp. sed diversimodè; in vino quippe essentialiter & formaliter; in aqua autem præsuppositivè, id est, debet poni aqua, quando jam inchoantur sacra Mysteria.

125. Est equidé admixtio aquæ cum vino sacramentalis. S. Bonavent.

Sic explicat Divus Bonav. 4. dist. 11. in expositione litteræ, ibi: *Dicendum*, inquit, *quòd admixtio aquæ cum vino est sacramentalis, unde solius est Sacerdotis, & est ad significationem, & ideo tunc debet poni, quando iam inchoantur sacra Mysteria.*

Non dicit; *quando complentur, aut perficiuntur, debet adesse aqua*, hoc est, in Consecratione, vel sumptione; sed, inquit, *quando inchoantur*, hoc est, in prima oblatione, sive in principio Missæ. Unde miror Aresium illa verba pro se ausum allegare.

Contrà: ergo etiam aqua, quæ farinæ miscetur, eandem habebit significationem.

Aqua panl admixta illam significationem non habet defectu institutionis.

Resp. non misceri, quando inchoantur sacra Mysteria; & quamvis adhiberetur in ipsa Missa, non significaret, defectu institutionis, quæ reperitur in aqua ex præcepto Ecclesiæ miscenda vino ante Consecrationem, sic quòd in ipsa Consecratione sit præsens, in se, vel in vino, in quod convertitur. Hinc non est par ratio, ut vult Aresius suprà, in extractione illius aquæ post mixtionem, & in corruptione sive mutatione in vinum; quia quando mutatur, manet in æquivalente, quando verò extrahitur, nec in se, nec in alio.

126. Dices cum Aresio; si vinum postquam oblatum est, ante Consecrationem omnino acetum fieret, non magis esset apta materia ad Eucharistiam conficiendam, quàm si omnino effusum fuisset: ergo par ratio est de extractione aquæ, & de corruptione.

Duæ Consequentiæ Aresii infirmantur.

Qualis Consequentia! Quasivero aqua, quæ convertitur in vinum, desineret esse apta materia Eucharistiæ, & non potiùs per illam corruptionem materia fieret.

Non magis valet hæc Consequentia ejusdem Auctoris ibidem: Si aranea cecidit in calicem ante Consecrationem, debet vinum ex præcepto Ecclesiæ projici subtùs altare, & aliud poni in calice, & aqua misceri: requiritur ergo, non tantùm ut mixtio præcesserit, sed etiam ut aqua mixta sit præsens.

Et quis unquam cogitavit, sufficere mixtionem illius vini, quod non consecratur? Stolidus profectò sit, qui id affirmaverit. Ergo requiritur ut aqua mixta sit præsens: si enim desiit, non est ampliùs vinum mixtum. Resp. Neg. Conseq.

Ad probationem dico; adhuc vinum rectè appellari mixtum, à mixtione præterita, factâ in ordine ad hoc Sacramentum; maximè cùm aqua adhuc sit præsens in suo æquivalenti, ut suprà dixi.

Neque Ecclesia ullibi requirit aliud, quàm quòd aqua misceatur vino ante Consecrationem, id est, quòd aqua vino apponatur, sive jam illa appositio sit mixtio propriè dicta, sive solùm juxtapositio, sive etiam conversio unius in alterum, perinde est ad præceptum Ecclesiæ, quomodo velis eam vocare; neque enim Ecclesia scrutatur subtilitates Physicas, sed essentias, id est, vult quòd ante Consecrationem, & in ordine ad eam, quando Mysteria inchoantur, in calicem infundantur substantiæ vini & aquæ. Et per hanc infusionem repræsentantur Mysteria omnia, quæ Ecclesia voluit significare per illam

illam ceremoniam, etiam tunc quando aqua non convertitur in Sanguinem.

128. Statuta practicari non possunt quæ Concilio contradicunt.

Si autem à me quæritur; quare ergo Ecclesia non præcipiat apponere aquam in casu oblivionis post Consecrationem: nam & tunc posset idem significare, & magis pertinet ad significationem sacramentalem id, quod fit circa Sacramentum jam existens, quàm id, quod circa materiam futuri Sacramenti efficitur.

quamquam possit præcipere.

Responsio est facilis; quia Ecclesia non vult. Quamquam enim legislator non possit omnia præcipere, quæ vult; non tamen etiam debet omnia præcipere, quæ potest. Noluit autem Ecclesia, tum quia deest exemplum Christi, tum quia judicat majorem esse irreverentiam, rei jam consecratæ miscere non consecratam, quàm consecrare aliquam materiam, cui admixta est materia non consecrabilis: tum denique quia post Consecrationem, etsi aqua, quæ apponeretur, significaret populum; ubi vinum, quod significat Christum & Sanguinem ejus?

126. Sanè præceptum reperio ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in calice offerendo misceant, non autem ut Sanguini: adeoque ante, & non post Consecrationem aqua apponenda est, sive in ipsa Consecratione maneat aqua, sive non. Imò, secundùm Adversarios, semper quando est Consecratio, jam desiit aqua. Respondent, manere species aquæ.

Contrà: non dicit Florentinum & Tridentinum per mixtionem specierum repræsentari Dominicam Passionem & unionem populi ad Christum; sed per mixtionem aquæ & vini, quæ propriè significant substantias, & non solas species.

129. Secundò principaliter fundamentum Areſii.

Secundò principaliter argumentatur Aresius suprà: Ecclesia illud intendit consecrare, quod post Euangelium Deo offert; sed si aqua verteretur in vinum frustraretur ejus intentio: ergo &c. Major est clara, ut quid enim offert, nisi ut consecret? Quare nec plùs, nec minùs offerri vult, quàm sit consecrandum; & si post oblationem advertit defectum in materia, præcipit, si sine scandalo fieri potest, ut denuò nova materia offeratur. Minor quoque est evidens; quia offerret vinum & aquam, & deinde vinum tantùm consecraret; ergo & aliquid consecraret, quod non obtulisset, illud scilicet vinum ex aqua genitum, & aliquid offerret, quod non consecraret, scilicet aquam.

si quod refertur, &c. etiam non esset unus offertorius, quinque est consecrationes pro oblatis.

Resp. quod parùm est, pro nihilo reputatur in moralibus: & ideo Ecclesia non curat offerri aquam, quæ omissa tempore oblationis, infunditur immediatè ante Consecrationem.

130. Sed contrà: hoc quidem probat, non esse hanc oblationem de essentia; non tamen, inquit Aresius, non esse contra intentionem Ecclesiæ, quæ vellet quidem offerri totum illud, quod est consecrandum, sed ut scandalum & alia incommoda vitentur, non fieri permittit.

Resp. quis unquam in Ecclesia Catholica obtulit solam aquam? Præterea, si celebrans ante Consecrationem advertat vinum priùs oblatum esse corruptum, debet secundùm Rubricas Tit. de Defect. cap. 4. n. 6. novum vinum ponere in calice, & offerre, saltem mentaliter; cùm tamen neque oblatio vini sit de essentia Sacrificii; & eadem incommoda sequi possint ex illa oblatione, quæ timet Aresius secutura ex oblatione aquæ. *Rubr. Miss.*

Cùm ergo aqua, quæ apponitur, modicissima sit, & per consequens vinum modicissimum, quod ex illa aqua aggeneratur vino oblato, non censetur Ecclesia illius habere rationem, essèque eandem numero oblationem in morali æstimatione, & secundùm intentionem Ecclesiæ. Cæteroquin dicamus novam guttam vini apponendam, si fortè aliqua pereat ex vino oblato.

est enim eadem moraliter oblatio vini anteà oblati.

Nescio quare Aresius magis sit sollicitus de eadem numero oblatione, quàm de eadem specie materia essentiali. Ecclesia materiam essentialem calicis vocat simpliciter vinum, & possumus retinere germanam significationem: ergo non debemus quærere extraneam. Ergo malè dicit Aresius sufficere moralem conversionem aquæ in vinum, id est, aquam moraliter esse vinum. Vel si hoc sufficit, quia Ecclesia, ut ipse ait, non attendit subtilitates physicas; quidni etiam sufficiat eadem moraliter oblatio? An fortè in oblatione attendit Ecclesia subtilitates physicas, & non in materia essentiali?

131. Tertium Aresii fundamentum.

Sed transeamus ad rationem tertiam, cæteris infirmiorem, &, si ita loqui placeat, morti proximam. Tertiò, inquit Aresius, principaliter sequeretur, aquam verè sacrificari Deo, essèque hoc Sacrificium diversum à Sacrificio Corporis & Sanguinis Domini.

nimirum fore hic diversum Sacrificium à Sacrificio Corporis & Sanguinis Domini.

Probatur illatio; quoniam Sacrificium est oblatio facta Deo in signum supremi cultûs alicujus rei permanentis, per quam illa res vel consumitur, vel ad consumptionem proximè ordinatur; vel, ut inquit Suarez: Est oblatio facta Deo per immutationem alicujus rei in signum legitimè institutum divinæ excellentiæ & reverentiæ; vel, ut ab aliis definitur: Sacrificium est externa ceremonia, quâ res per legitimum ministrum consecrata, cum quadam consumptione offertur Deo in cultum; atqui in nostra sententia aqua offertur Deo, & convertitur in vinum; ergo &c.

Ne iraſcaris Aresi, si unum verbum interrogavero antequam respondeo. Numquam legisti in Missa post oblationem panis & vini: *Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, & benedic hoc Sacrificium?* Legi, inquis, quotidie; sed cum hoc addito; *tuo sancto nomini præparatum*, non absolutum ac perfectum; quale est aqua oblata, & conversa.

132. Respondetur huic fundamento.

Non possùm mihi persuadere virum tam doctum fuisse in illa sententia: quia tamen verba sic præ se ferunt, Respondeo paucis, & iterum quæro; quis instituerit illam conversionem naturalem aquæ in vinum in signum

divinæ excellentiæ & reverentiæ? Audi præclaram resolutionem: Neque dicere possunt per accidens, & extra intentionem Ecclesiæ sequi aquæ desitionem, quia Suarez inquit, debere à Sacerdote aquam infundi vino, ut in ipsum vinum convertatur: ergo ab Ecclesia ordinatur aqua ad consumptionem.

aquam non converti in vinum in signum divinæ excellentiæ & reverentiæ;

Esto: ergo in signum divinæ excellentiæ & reverentiæ. Quomodo sequitur? Ecclesia ordinat candelas in altari ad consumptionem, imponit thus thuribulo, ut sit in odorem suavissimum domino: ergo incensio thuris, accensio & consumptio candelarum sunt Sacrificium; ergo offeruntur in signum excellentiæ & reverentiæ & protestationem summi Dei dominii, in vitam & mortem; quis non exsilibet hujusmodi argumentationem?

Vis autem scire, quare Ecclesia ordinet mixtionem aquæ & vini, ex qua naturaliter sequitur conversio? Ut aqua fiat debita materia Consecrationis sive immutationis, & conversionis in Sanguinem Christi, in qua immutatione consistit essentialiter Sacrificium.

adeoque oblationem aquæ & conversionem ejus in vinum non esse perfectum Sacrificium, sed imperfectũ dumtaxat, seu præparatum,

Itaque oblatio aquæ, & conversio ejus in vinum nequaquam est Sacrificium perfectum & completum; sed Sacrificium præparatum, id est, materia Sacrificii, qualis non esset aqua, nisi in vinum conversa, juxta nostra principia.

133. de quo fortè intelliguntur SS. Patres,

Et fortè de hoc imperfecto Sacrificio possent explicari verba SS. Patrum, quando dicunt, aquam offerri, benedici, consecrari &c. puta quia in prima mixtione præparatur ad oblationem perfectam, id est, conversionem realem in Sanguinem Christi. Si quæ autem verba hunc sensum commodè non patiuntur, sine ulla improprietate, torsione, metaphora, & similibus intelligi possunt de Consecratione mediata, quam semper pleraque pars Doctorum tenuit, & usque in hodiernum diem tenet, sciente & non contradicente Sancta Romana Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum sanctarum, teste Tridentino sess. 4. in Decreto de editione & usu sacrorum librorum.

Et hîc sit finis controversiæ, cujus utraque pars non caret suâ probabilitate. Elegimus equidem conversionem mediatam, utpote magìs consentaneam doctrinæ Conciliorum, ac antiquorum Theologorum, præsertim Magistri Subtilis Scoti, cujus partes in hoc tractatu suscepimus propugnandas.

Festino ad alia magìs proficua, & quæro quomodo materia debeat esse præsens consecranti? Responsio erit

CONCLUSIO VII.

Debet materia ab initio ita esse præsens, ut per sola verba essentialia formæ possit demonstrari. Taliter præsentes sunt hostiæ in pixide, etiam clausâ; secùs in Sacrario, aut latentes post tergum, parietem, vel sub mappa Altaris, imò etiam longiùs distantes, quamvìs visu percipi possint.

134. Pronomina *Hic, Hæc, Hoc*, diversimodè accipiuntur,

ADverte pronomina *Hic, Hæc, Hoc*, diversimodè accipi. Primò ad significandum, quòd nomen, cui præponuntur, sumatur pro re singulari, ubicumque illa sit. Secundò ad designandam vocem, sive significatum vocis ultimò denominatum in oratione. Tertiò ad designandum rem aliquam, præsentem quidem aliquatenus, sed adeò imperfectè, ut necesse sit adhibere adhuc aliud signum, v. g. extensionem digiti &c. Quartò, & propriissimè ad demonstrandam rem, tam propinquè, & perfectè præsentem, ut non sit opus ulteriori signo.

Conclusio requirit præsentiam talem, ut non sit opus alio signo.

Atque hanc postremam præsentiam requirit nostra Conclusio, ut panis ac vinum validè consecrentur. Quidni? Etenim Christus consecravit materiam taliter sibi præsentem, quòd per solum pronomen *Hoc*, independenter à discursu, nutibus, aliisque circumstantiis, aut signis posset demonstrari. Non dedit autem Apostolis potestatem, nisi faciendi id, quod ipse in substantia fecerat. Porrò quis ambigat significationem formæ esse substantialem?

Ratio à priori, est institutio Christi,

Ratio itaque à priori, est institutio Christi, quam confirmat universalis & perpetuus usus Ecclesiæ, quæ numquam adhibuit extensionem manûs, aut aliud quidpiam hujusmodi; sed semper verbis solitariè prolatis & acceptis significavit Corpus & Sanguinem Christi præsentia sub speciebus panis ac vini. Et verò à praxi communi, in re tanti momenti, non autumo facilè recedendum.

Accedit praxis à qua non facilè recedendum,

Pro qua juvat considerare formas reliquorum Sacramentorum, Matrimonio excepto, esse verba propriè dicta, quæ secundùm se significant effectum Sacramenti. Cur non ergo similiter forma Eucharistiæ?

135. Vasquez putat consecrari materiam à tergo existentem, modò

Nihilominus Vasquez disput. 171. cap. 4. numero 22. docet consecrari validè materiam à tergo existentem, si Sacerdos eam contingat, & percipiat tactu. Sequitur Dicastillo disp.

disp. 2. n. 192. addens: Ut plerique docent cum Majore dist. 11. q. 2. a. 3. Secùs verò si nec teneat, nec tangat. Ita Suarez disput. 43. sect. 5.

Verùm quod attinet ad Majorem, nihil simile reperio loco citato. Porrò Suarez citat Majorem quasi teneat (contra Divum Thomam, & alios communiter) materiam nullo modo debere esse coram homine. Ipse autem Suarez sic habet: Licet (materia) non sit coram facie, si tamen digito, vel alio simili signo indicetur, videtur per illud fieri sufficienter præsens, & satìs propriè designari pronomine *Hoc*; quia aliquo modo jam res illa est coram homine, quia homo ad illam ex parte se convertit; quamquam res hæc, ut minimùm, sit valde dubia; quia designatio tunc non videtur fieri ex vi solius vocis, sed ratione alterius signi conjuncti: unde graviter peccaret, qui contra usum Ecclesiæ hoc modo consecrare auderet, & se exponeret periculo nihil faciendi. Hucusque Suarez.

Qui ibidem bene notat, pronomen *Hoc* simpliciter & substantivè dictum, ex vi suæ significationis, majorem præsentiam requirere, quàm cùm alteri rei adjungitur. Ratio est; quia cùm illud pronomen adjectivè ponitur, per substantiam definitur ad illam rem indicandam, & hoc ipso non requirit aliam præsentiam, quàm illa res habeat. At verò quando simpliciter & substantivè dicitur *Hoc*, vel, *Hic*, est valde indifferens, & suspensa significatio; & ideo oportet, ut per ipsam rei præsentiam definiatur, & ita fit in hoc Sacramento, in cujus forma pronomen *Hoc* simpliciter, & substantivè prolatum, materiam designat.

Placet adjungere verba Lugonis, qui tractans hanc controversiam, sic inquit disput. 4. num. 124. Certum mihi est præsentiam significatam per ly *Hoc*, accipiendam esse strictè & in omni rigore; nam licèt in vulgari sermone possis dicere: *Hic est homo sapiens*, dum loqueris de homine, qui proximè anteà erat præsens, & jam abiit: ibi tamen non demonstratur subjectum per solum pronomen, sed per adjunctas circumstantias, & in ordine etiam ad discursum auditorum. At verò in Consecratione per ly *Hoc*, debet significari omnino res præsens independenter à circumstantiis, & ab omni alio nutu, vel signo. Hæc ille.

Sanè si sufficeret hostiam tactu percipere, jam etiam posset consecrari hostia existens post parietem, modò virgâ, quam manibus gesto, eam contingam: neque sic sola verba, sed etiam extensio illa virgæ, & contactus erunt partialis forma hujus Sacramenti: quod an debeat admitti, relinquo judicio Lectoris.

Nostra sententia est, istiusmodi exigi præsentiam materiæ ad veritatem formæ hujus Sacramenti, ut per pronomen *Hoc*, & *Hic*, sine aliquo addito verè & propriè designètur, sive ad sensum demonstretur: etenim Sacramenta, & per consequens formæ Sacramentorum, sunt signa sensibilia, & non tantùm intelligibilia.

Sunt qui existimant, materiam distantem 30. passibus, non esse præsentem. Aliqui putant sufficere, si existat intra distantiam 20. passuum. Meliùs consulitur communis hominum æstimatio, & prudentis arbitrium. Optimum est in praxi, ut pars secura & certa eligatur, ita ut dubitari non possit, quin veritas, & proprietas formæ retineatur, quod maximè fiet, usum Ecclesiæ servando. 138. Sunt qui putant materiam distantem 30. passibus non esse præsentem: sufficere putant alii distantiam 20. passuum; melius consulitur communis hominum æstimatio,

Quapropter ubi hostiæ in pixide consecrandæ sunt, discooperiat Sacerdos (juxta præscriptum Rubricarum) manu dextrâ pixidem, antequam proferat verba Consecrationis, ad clariorem hostiarum demonstrationem. secundùm quam hostiæ in pixide approximata sunt præsentes,

Cæteroquin contrarium etiam in praxi tutum est; quippe contentum in communi modo loquendi demonstratur per proximum continens: secùs per continens remotum, puta Sacrarium clausum, in quo asservatur calix cum hostiis consecrandis.

Enimverò nullus diceret me demonstrare aurum, vel argentum, quod sistæ inclusum in cubiculo clauso custoditur, si stans ante ostium cubiculi, pronuntiarem hæc verba: *Hoc est aurum*, vel, *argentum*; bene si adstarem ipsi sistæ, aut bursam in manu tenerem.

Eadem est ratio de hostia, quæ latet post tergum, parietem, vel sub mappa altaris, aut corporali, quidquid contradicat Bonacina disput. 4. quæst. 2. puncto 6. num. 4. ubi docet, validè consecrari hostias latentes sub mappa, vel etiam in Missali, modò existant coram Sacerdote, comparans illas hostias vino, quod continetur in dolio vel amphora; similiter hostiis repositis in pixide, vel latentibus sub aliis hostiis in uno aliquo cumulo. 139. & secundùm Bonacin. latentes sub mappa, vel in missali;

Ejusdem opinionis videtur esse Suarius suprà dub. 2. ibi: Quia non videtur dubium, quin panis & vinum velo lineo coopertum consecrari possit; quia hoc non tollit humanam præsentiam, & propriissimè potest per illam vocem, *Hoc*, designari, servatâ ejus proprietate & significatione. Idem docet Dicastillo suprà n. 193. citans inter cæteros Auctores pro sua sententia Regium, qui in terminis docet oppositum q. 74. n. 22. cujus opinionis videtur esse Suarius: Dicastillo, Regius.

Et verò licèt opinionem Bonacinæ non existimem omnino improbabilem, saltem ab extrinseco; equidem contraria videtur nobis verisimilior, propter hanc rationem: quia tales hostiæ, nec sunt præsentes in se, nec in proximo continente, ideoque haud demonstrabiles ad sensum communem hominum per ly *Hoc*, solitariè spectatum, magìs quàm si immediatè tegerentur lapide altaris. Contrarium est verius.

Aliud enim continens, aliud est cooperiens.

Aliud quippe est continens, aliud cooperiens, sive tegens: siquidem continens ab hominibus usurpatur, non ut rem contentam subducant quasi à præsentia corporali adstantium, & eam reddant insensibilem; ast potiùs ut ex calice v. g. continente hostias, circumstantes deveniant in cognitionem rei contentæ, quæ aliter nequit commodè sisti præsens consecranti. Hinc omnes videntes pixidem super corporali positam, statim judicant in illa contineri materiam consecrabilem.

Operimentum quippe ordinatur ad rem abscondendam; secùs continens.

Porrò operimentum sive tegumentum ex usu hominum ordinatur ad rem aliquam abscondendam, & ut, quod aliàs esset sensibile, actu non sentiatur. Quocirca audiens Sacrum, ex cognitione Missalis, aut corporalis, vel mappæ extensæ super altare, numquam vel leviter suspicari poterit, in illis, vel sub illis latere materiam consecrabilem: utì videns cumulum hostiarum super corporale, facilè per superiores elevatas, devenit in cognitionem inferiorum elevantium.

140. Ex his deducitur ultima pars Conclusionis. Enimverò in communi sermone, res longiùs distantes, non solent demonstrari per pronomen *Hoc*, tametsi visu, aut alio sensu possint percipi; sed tunc designantur per pronomen, *Illud*.

Res longiùs distantes designantur non per ly *Hoc*, sed per pronomen *Illud*.

Deinde illa perceptio rei ex tam longinquo, v. g. per tubam opticum ad unum, vel duo milliaria, est magis præsentia speculativa in ordine ad cognitionem, quàm practica in ordine ad operationem; ideoque demonstratio, quæ fieret, potiùs esset ad intellectum, quàm ad sensum. Requiri autem præsentiam practicam, colligitur; quia oportet panem præsentem transubstantiari à Sacerdote in Corpus Christi, si non physicè, saltem moraliter. Circa res verò tam distantes, nequit nostra operatio se extendere. Requiritur igitur moralis præsentia, qualis non est hæc, ut suppono, propter distantiam nimiam rei, estò aliquo sensu attingatur.

Requiritur moralis præsentia,

Sed numquid necesse est, ut res, quæ consecratur, actu sentiatur à consecrante? Hæc quæstio novam postulat Conclusionem: at præstat priùs præsentem enucleare. Ideoque interrogo, quid sibi velint hæc verba: *Ab initio?*

141. Responsio est communis & certa: quia si post prolatam partem formæ fiat præsens materia, quæ priùs non erat præsens, non consecrabitur: v. g. si primâ voce, *Hoc*, pronuntiatâ super principali hostia, apponerentur aliæ ante finem formæ, vel si calix ab initio non esset præsens, in medio autem prolationis formæ naturaliter, vel miraculosè, per se, vel per accidens sisteretur præsens consecranti: indubitatum est apud plerosque tales hostias, aut calicem minimè consecrari. Ratio est evidens; quippe quod non est, non consecratur, non benedicitur, non sanctificatur.

antequam pronuntietur ly *Hoc*;

Dices; ante finem formæ est panis, est vinum. Quid inde? An fortassis ly *Corpus meum*, Consecratio? ly *Sanguis meus*? Minimè, inquis; attamen illa pronomina *Hoc*, & *Hic*, non demonstrant Corpus & Sanguinem Christi, nisi pro ultimo instanti prolationis totius formæ.

Demus Vasquesio, quod petit, de quo sectione sequenti disputabimus: num ideo rectè concluditur; ergo non requiritur præsentia materiæ circa quam ante illud instans? A simili discite veritatem. Cùm ecce baptizatur, confirmatur, ordinatur &c. requiritur ab omnibus, quòd pro tota prolatione verborum sit præsens subjectum, quod per illam formam sanctificatur, & benedicitur, quamquam effectus illorum Sacramentorum non conferatur, nisi in ultimo instanti prolationis. Quidni ergo, etiam panis & vinum, debeant esse præsentia Sacerdoti à principio prolationis formæ usque ad finem? Non video sufficientem rationem disparitatis.

utì pro tota prolatione verborum requiritur præsentia subjecti pro formam significata in Baptismo, Confirmatione &c.

Nam sicuti forma Baptismi v. g. implicitè, vel explicitè dirigitur ad personam, quæ baptizatur; ita quoque verba Consecrationis ad panem & vinum, quæ consecrantur; non enim nudè significant Corpus & Sanguinem Christi, utcumque existentia & præsentia, sed sub his speciebus; ut sensus sit: Illud, quod sub his accidentibus panis, & vini est præsens post ultimum instans prolationis, est Corpus & Sanguis Christi: sic quòd pronomen demonstrativum, non tantùm significet Corpus & Sanguinem Christi, sed etiam accidentia, quamvis in obliquo: ergo illa ad minus debent esse præsentia ab initio prolationis; maximè si ly *Hoc*, & *Hic*, debeant poni ex parte subjecti. Imò dato quòd ponerentur ex parte prædicati, nihilominus ly *Corpus meum*, & ly *Sanguis meus*, diriguntur ad species præsentes, sub quibus erunt finitâ propositione. 142.

adeoque & præsentia materiæ in Eucharistia.

Hinc si sola aqua esset in calice, quamvis ante finem miraculosè esset conversa in vinum, non consecraretur: veluti si in principio prolationis formæ Baptismi esset præsens homo mortuus, & ante finem reviviscceret. Similiter ergo si aqua mixta vino convertatur in vinum, formâ jam inceptâ, in nostra sententia (contradicente licet Vasquesio disp. 201. n 42.) non transubstantiabitur in Sanguinem.

Hinc si sola aqua esset in calice, quamvis ante finem miraculosè esset conversa in vinum, non consecraretur.

Negant aliqui Consequentiam; quia pro nihilo debet reputari illa absentia, cùm moraliter certò post unum, aut alterum instans materia sit futura præsens: quando autem sola aqua esset in calice, vel nullus calix præsens, per accidens planè est, quòd materia fiat præsens. 143.

Respondeo; parùm referre, quòd per se, vel per accidens sit futura præsens, si reverà nondum est præsens: verba quippe Consecrationis propriè significant seu connotant rem actu existentem, & præsentem quando proferuntur.

Verba quippe Consecrationis propriè significant rem actu existentem & præsentem.

Alioquin, inquit Lugo disp. 4. num. 74. si nondum

Lugo.

nondum sit conversa aqua in vinum in ultimo instanti prolationis, & statim convertenda esset, sufficeret; quia illa conversio per se citissimè fiet, & quod parùm distat, nihil distare videtur; quare habebit etiam præsentiam moralem sufficientem: sicuti etiam hostia, quæ nunc non est præsens, naturaliter autem, v. g. per motum localem, intra brevissimum tempus erit præsens, quæ absque dubio absurda sunt, ideoque à nullo concedenda.

144. Addit prædictus Auctor n. 79. aliam rationem desumptam ex natura Sacrificii, in quo res oblata non est solùm Christus Dominus sub speciebus, sed etiam aliquo modo substantia panis & vini. Offertur autem & immolatur panis, & vinum potissimè, quatenus per Consecrationem destruitur in honorem Dei, quod non aliter facit Sacerdos, quàm per verba Consecrationis. Res autem, quæ offertur, & sacrificatur, debet præsupponi illi oblationi, nec solùm debet esse præsens, sed multò magis existens, non tantùm in fine Sacrificii, sed etiam in principio.

Hæc doctrina non bene probatur ex verbis Sanctorii. Equidem huic argumento non difficulter respondent Adversarii, Sacrificium potissimùm consistere in transubstantiatione, quæ non fit nisi in ultimo instanti prolationis verborum, adeoque sufficere, quòd tunc præsens sit materia sacrificanda, & idipsum requiri; ac proinde à præsentia morali panis, aut vini pro principio Consecrationis, quando verba adhuc nihil operantur, non rectè argumentari ad præsentiam moralem pro ultimo instanti; quando jam tunc realiter res est immutanda.

Sanè si quispiam concederet, etiam in aliis Sacramentis sufficere præsentiam subjecti ante finem formæ; nescio, quomodo efficaciter & evidenter redargueretur.

145. Sit sufficiens designare ex ministro hujus Sacramenti. Cæterùm insistendo communi sententiæ, licèt præcisè veritas formæ non requireret aliam præsentiam, quàm finalem; plùs tamen videtur exigere institutio hujus Sacramenti, ex vi cujus Sacerdos non potest designare accidentia, quæ non sunt sensibiliter species vini, nec potest uti verbis, nisi ad consecrandam materiam sibi præsentem, & capacem Consecrationis: nec denique potest exercere actionem sacrificandi, qualis est locutio illa sacramentalis, nisi circa hostiam præsentem. Ita Card. suprà n. 80. Qui potest capere capiat; & qui non vult credere, non propterea damnabitur. Ego ad novam propero Conclusionem, suprà promissam, quæ talis est:

CONCLUSIO VIII.

Non est necesse, ut materia Consecrationis aliquo sensu externo actu cognoscatur à consecrante, dummodò per se sensibilis sit, saltem secundùm majorem sui partem.

146. Quidam docent materiam consecrabilem actu debere percipi aliquo sensu; INveniuntur, qui docent, materiam consecrabilem, nisi sit exposita visui, actualiter debere percipi, aut tactu, aut olfactu, aut gustu, aut auditu: ast solido fundamento carent, & ideo rejiciendi; siquidem cæcus per ly *Hoc*, potest demonstrare panem ante se positum, tametsi eum non tangat, neque olfaciat, neque gustet, vel audiat.

sed non sunt audiendi; An fortè, si cæcus ante se posuisset aurum, & diceret adstanti; *Amice hoc est tuum*, putas non intelligeret sibi aurum donari? Credo quòd parùm curaret de tactu, olfactu, gustu, vel auditu; sed festinè aurum in bursam suam mitteret, & abiret.

sufficit enim, quòd per se res illa sit sensibilis, Sufficit ergo quòd per se res illa sit sensibilis, & quòd circumstantes possint cognoscere, me talem rem, licèt actu eam non sentiam, neque verba mea physicè eò pertingant, velle demonstrare.

& nihil aliud exigunt verba Consecrationis; Nihilque aliud videntur postulare verba Consecrationis, quæ potiùs audientibus, quàm mihi debent significare. Patet in exemplo suprà posito de hostiis pixidi inclusis, quas communissima sententia affirmat validè consecrari, etsi nec in se, nec in suo continente, puta Sacerdote solam hostiam, quam in manibus habet aspiciente, vel ex libro verba recitante, etsi, inquam, actu nec videantur, nec tangantur &c. imò nec proximè in se videri possint, ut coopertæ sunt.

ut patet ex Consecratione hostiarum in pixide latentium.

147. Miratus fui legens in Tribunali Sacramentali Petri Marchantii (viri alioquin in multis non adeò scrupulosi, & satis resoluti) Tom. 2. trac. 2. parte 2. tit. 4. q. 2. §. 2. dubio 1. in fine: Periculosum est Sacerdoti non discoopertis vasis, ubi sunt hostiæ, eas offerre, aut consecrare, & si ex negligentia culpabili, saltem sub Consecratione non discooperiat juxta Rubricas; nollem, inquit, eum excusare à peccato mortali: non ob Rubricæ transgressionem, sed quia non curat habere certitudinem omnimodam moralis præsentiæ hostiarum, & intentionis certò terminatæ ad illas: quæ negligentia in tali materia videtur gravis, maximè cùm contraria sententia ad minùs indicet gravem rei importantiam. Ita hic Auctor.

Circa quod scrupulizat Pater Marchantius.

qui circa alium casum resolutus est: Qui tamen in libello quodam, quem inscribit: *Notabiles resolutiones variorum casuum*, casu primo de Sacramento Ordinis resolutissimè docet (quidquid plures in oppositum sentiant) ordinationem Sacerdotis, quæ facta est per porrectionem calicis, & patenæ cum pane, omisso solo vino, validam & legitimam esse, nec reiterari debere, sed dubium, quod, inquit, speculativum tantùm reputo, deponi liberè posse.

148. Herculè curiosus sum audire, quæ sit ista contraria sententia, quæ indicat gravem rei importantiam, adeoque constituit, propter periculum invalidæ Consecrationis, peccatum mortale. Certè Diana, qui solet Auctores allegare pro & contra aliquam opinionem, ita pronuntiat de hac Consecratione parte 3. tract. 6. resol. 103. in fine: Nota quòd, si pixis posita super corporale non aperitur tempore Consecrationis, fit tamen Consecratio. Ita omnes Doctores.

inter quos casus non invenit Auctor rationem dispatitatis,

Estò tamen sint aliqui, qui contrarium doceant, an plures & majoris auctoritatis, quàm illi, qui docent Ordinationem, deficiente vino in calice porrecto, sub conditione iterandam? Quis audeat affirmare? Cur ergo attentâ contrariâ sententiâ minùs peccabit mortaliter consecrans cum dubio de potestate Ordinis, quàm consecrans cum dubio de præsentia materiæ? Vel si illud est dubium tantùm speculativum, adeoque liberè deponi potest: quidni & hoc?

149. quam conatur ostendere Marchantius,

Dices cum Marchantio suprà casu primo in principio resolutionis: Nullo reali fundamento vel Scripturæ, vel definitionis Ecclesiæ, vel traditionis in Ecclesia certitudinaliter receptæ, probari potest porrectionem calicis cum vino esse de essentia materiæ Sacramenti Ordinis sacerdotis. Et infrà: Omne dubium in materia vel forma Sacramentorum, ut verè & practicè dubium reputetur, debet fundari in aliqua Scriptura, vel decreto Ecclesiæ, vel traditione certâ, cujus transgressio dubium practicum movere possit. Non video autem allegari ab Auctoribus aliquid hujusmodi.

sed frustra:

Quidquid sit de veritate harum fundamentalium rationum, ut eas vocat prædictus Auctor, quas examinabimus Deo dante proprio loco: solùm inquiro, ubi Marchantius legerit aliquam Scripturam, vel definitionem Ecclesiæ, vel traditionem in Ecclesia certitudinaliter receptam, vel viderit aliquid hujusmodi allegari ab Auctoribus, quod probet requiri ad validam Consecrationem, materiam ita præsentem, ut in se proximè possit videri, aut alio sensu externo percipi. Expecto responsionem.

Et interim noto, ex eodem Auctore, loco citato ex Tribunali, facillimè dissolvi rationem dubitandi: Quia etsi, inquit ille, ut coopertæ sunt (hostiæ in pixide) hîc & nunc in sensu composito non sint sensibiles, moraliter tamen sunt sensibiles; cùm levi motu manûs discooperiri possint, & ex circumstantiis ad actum Consecrationis sint moraliter factæ præsentes, in quantum sensibiliter à Sacerdote, vel ministro, conscio Sacerdote, priùs præparatæ, vel loco competenti positæ sunt (ut supponitur) intentione eas consecrandi, & in moralibus accidentia extraordinaria (qualia sunt evanuisse hostias, aut ablatas esse) sub moralem considerationem non cadant.

150. Ubi igitur inveniet Marchantius reale aliquod fundamentum vel Scripturæ, vel definitionis Ecclesiæ, vel traditionis in Ecclesia certitudinaliter receptæ? Consulo ut non quærat, quia labor inutilis: magis autem excuset Sacerdotem ita celebrantem à mortali. Vel si consilium meum non placeat; certè non displiceat reiteratio Ordinis sub conditione; imò obligatio sub mortali reiterandi: quippe non minùs, imò multò magis dubia est hujusmodi Ordinatio, & confectio Eucharistiæ consequens, quàm Consecratio hostiarum in pixide clausa, secundùm omnes Doctores, teste Dianâ suprà, valida.

cùm multò magis dubia sit Ordinatio porrecto calice sine vino, quàm Consecratio hostiarum in pixide clausa.

Si ergo Consecratio illa hostiarum, aliquod peccatum, haud equidem mortale propter incertitudinem moralis præsentiæ, aut intentionis certò terminatæ ad illas hostias; sed ad summum erit veniale, propter transgressionem Rubricæ in materia levi: sicuti Auctore eodem Marchantio suprà in primo casu, omissio vini in calice est peccatum mortale, non quia exponitur Sacramentum Ordinis periculo invaliditatis; sed quia in re gravi significatio sacramentalis mutilatur in signo gravi, ab Ecclesia instituto. Hæc satis pro præsenti loco, & pro prima parte Conclusionis. Examinemus secundam.

Hæc Consecratio ad summum est peccatum veniale.

151. Requiritur aliqua sensibilitas materiæ,

Quòd requiratur aliqua sensibilitas materiæ, hîc suppono cum communi sententia: siquidem quod neque in se, neque in alio est sensibile, nequit sensibiliter demonstrari per ly *Hoc*, & *Hic*.

saltem majoris partis;

Porrò quòd sufficiat sensibilitas majoris partis, ut totum validè consecretur; inde colligo: quia sufficit ut totum demonstretur per pronomen *Hoc*, & *Hic*; v. g. si hostia per fenestram secundùm majorem sui partem appareat, licèt aliqua pars lateat, bene demonstro totum panem dicendo: *Hic est integer panis*, licèt enim illa pars latens non possit seorsim demonstrari: attamen quia non est extra sphæram propinquitatis necessariæ, & aliunde est continua cum parte, quæ apparet, totus panis censetur præsens moraliter loquendo.

non equidem potest totum mare consecrari, cujus major pars non est consecrantî præsens, neque sensibilis,

Si inferas; ergo homo stans in littore maris, posset totum mare consecrare, si esset vinum. Resp. Neg. Conseq. Disparitas est manifesta: quia in primis major pars maris non est illi præsens, neque sensibilis, sed penitus insensibilis. Et quamvis major pars sensibilis trahat ad se minorem; haud equidem pars minor, quæ videtur, & ideo consecrabilis est, reddit aliam partem majorem, quæ non sentitur, consecrabilem.

Enimverò demonstratâ majori parte, secundùm communem apprehensionem hominum, demonstratur totum; sicuti visâ majori parte bene dicitur: *video totum*. Quis autem stans ad littus maris, rectè dixerit: *video totum mare?* Ac propterea demonstratâ parte minori, non censetur demonstratum totum.

Accedit,

152. Accedit, neque totum, quod videtur, semper posse consecrari, quia, ut dictum est præcedenti Conclusione, non semper potest demonstrari per ly *Hoc*, propter nimiam distantiam: unde in casu Conclusionis supponitur propinquitas.

Atque ita intelligo Vasquesium disput. 71. n. 25. ubi finaliter concludit: Ergo satis videtur ad Consecrationem præsentia secundùm partem, dummodò reliquæ partes continuæ sint, ut tota materia quantumvis distans consecrari possit. Intelligo, inquam, per ly *Distans* non quamcumque distantiam, prout intellexit Lugo disp. 4. n. 126. citans Vasquesium pro sententia, quæ simpliciter asserit, sufficere præsentiam partis, ut tota materia consecretur; sed distantiam intra terminos propinquitatis.

Hanc esse mentem illius Doctoris, manifestè patet ex verbis præcedentibus, quæ sic se habent: Ego verò hoc difficile existimo (scilicet requiri præsentiam omnium partium) nam si materia aliqua ita apponeretur, ut à fronte tota videretur, reliquæ verò partes ejus non viderentur, nec videri possent, eò quòd in modum pyramidis procedentes, in cuspidem desinerent: ita tamen ut non multùm distarent (nota bene) nemo negaret talem materiam simul consecrari posse.

Aliud ponit exemplum. Præterea si in vase profundo esset magna vini copia, certè non videretur, neque secundùm se præsens esset, nisi secundùm exteriorem illam superficiem: & tamen totum vinum in vase illo consecraretur. Accedit, quòd nullum est corpus quantumvis parvum, quod secundùm omnem sui partem sentiatur, & oculo comprehendatur. Vel ergo Vasquez sibi ipsi contradicit in eodem numero, vel solùm docet nostram opinionem.

153. Vasquesio consonat Suarez (tametsi Lugo suprà ipsum alleget pro parte adversa) disp. 43. sect. 5. in fine dicens: Respondetur in universum seu physicè loquendo hoc non satis esse (scilicet ut pars sit præsens) quia propriè & in rigore non est mihi præsens totus aër, qui est usque ad cœlum, nec tota aqua maris, etiamsi aliquam ejus partem videam, quia licet in se corpus illud continuum sit, tamen in ordine ad humanam præsentiam id nihil refert. Unde tota illa pars, quæ eminùs, id est, quæ nimiùm distat, ita est absens, ac si esset res per separata.

Oportet ergo, ut tota materia secundùm omnes partes consecrabiles sit aliquo modo practicè & moraliter præsens, id est, ut omnes partes sint moraliter præsentes, ut in exemplis Vasquesii partes pyramidis, & partes vini.

Ecce quomodo inter se conveniant Suarez & Vasquez, qui tamen à Lugone citantur pro Adversariis. Cur putas, nisi quia textus non perspexit, vel certè quia voluit videri aliquid novi excogitasse? Etenim n. 127. sic incipit: Ego in re dubia neutri satis adhæreo. Adhæreat audacter utrique, & satis quidem; quia nihil alienum docent à sua sententia.

Hoc rectè notavit Suarez suprà, hanc distantiam, vel præsentiam non esse æqualem in omni materia; sed debere esse juxta proportionem & quantitatem magnitudinis ejus. Quod sequitur Lugo suprà n. 125. asserens eò minorem propinquitatem requiri, quò materia fuerit major; nam minor propinquitas requiritur in communi sermone ad demonstrandam civitatem per ly *Hoc*, quàm ad demonstrandam domum, vel arborem. 154. Notat autem Suarez præsentiam illam non esse æqualem in omni materia.

Sanè perdifficile est definitos terminos illius præsentiæ vel distantiæ semper designare. Interim certum existimo, illam partem continuam maris esse intra sphæram distantiæ, quæ licèt non esset continua, adhuc posset demonstrari. Difficile est designare terminos illius præsentiæ vel distantiæ.

Unde si quis adstans mari diceret: *Hoc est aqua*, esset vera propositio, etsi sola illa pars, quam video, esset aqua, & reliqua ulterior esset conversa in vinum: & econtrà esset falsa propositio, si prior pars non esset aqua, etiamsi alia ulterior esset aqua.

Si verò diceret: *Hoc mare est aqua*, sufficeret si longè major pars esset aqua, licèt non esset pars proxima: quia jam tunc loqueretur non de sola parte præsenti, sed de toto mari: quippe, ut dixi Conclusione præcedenti, ly *Hoc*, substantivè positum, non designat nisi rem moraliter præsentem; dum autem ponitur adjectivè, per substantivum definitur ad illam rem indicandam ubicumque sit.

His breviter notatis circa præsentiam materiæ, restat, ut aliquid dicamus de ejus determinatione. Et verò requiri aliquam determinationem materiæ, non solùm in hoc Sacramento, sed in cæteris omnibus, probavimus disp. 1. sect. 7. conclus. 10. Vide ibi dicta. 155.

Ex quibus inferunt communiter Doctores, eum, qui ex decem hostiis præsentibus vult solùm consecrare octo, non designando illas, nullam consecrare. Quippe vel omnes demonstrantur per ly *Hoc*, vel nulla: non omnes, quia Sacerdos non intendit omnes consecrare; ergo nulla, quia non est major ratio de una, quàm de alia; ergo nulla consecratur, quoniam non consecratur, quod non demonstratur. Hoc certum. Qui ex decem hostiis præsentibus vult solùm consecrare octo, non designando illas, nullam consecrat.

Dubitatur autem, an requiratur determinatio per intentionem actualem, an verò sufficiat determinatio virtualis? Pro resolutione ponitur

CONCLUSIO IX.

Qui initio Sacri constituit plures hostias consecrare, licèt tempore Consecrationis solùm cogitaverit de una, quam tenebat manu,

manu, reliquas tamen consecravit. Similiter guttæ interiùs calici adhærentes consecrantur, nisi per particularem intentionem excludantur.

156. Sicuti sufficit ad valorem Sacramenti intentio virtualis,

PRima pars debet esse certa apud illos, qui docent ad valorem Sacramenti sufficere intentionem virtualem. Si enim validè consecratur hostia, quam teneo manibus, tametsi actu perfecto & explicito de illa non cogitem, quando profero verba Consecrationis, dummodò in initio Sacri intenderim actu perfecto & explicito eam consecrare; quidni eâdem ratione sint consecratæ aliæ hostiæ, quæ positæ sunt in corporali eo fine, ut consecrentur; positæ, inquam, sunt loco, & modo debito, quamvis in Consecratione actu de illis non cogitem?

ita ad Consecrationē plurium hostiarum.

Dico *Loco & modo debito*; quia (ut notant aliqui Doctores) contrarium fortè verum est, si collocentur alibi juxta altare, v.g. in credentia, non ita defectu determinationis, quàm bene

Dicastillo. præsentiæ. Ego, inquit Dicastillo disput. 2. n. 205. non putarem consecratas hostias, quæ in aliqua pixide sunt in credentia, non in altari, etiamsi nequam aliquis Sacerdos, qui eas non videt in se, neque in pixide, dirigeret intentionem ad illas, neque enim censetur illas habere præsentes.

157. Propositio cujusdam casûs, qui frequenter potest accidere,

Non gravetur Lector si hîc apposuero alium casum, qui frequenter potest accidere. Sacerdos in sacristia, vel etiam jam existens in altari, habuit intentionem consecrandi particulas, quas vidit appositas super altare in cornu epistolæ, equidem ignorans, quòd extra aram, sive altare portatile; quæritur an remanserint consecratæ, si Sacerdos illarum ampliùs non meminerit?

Ratio dubitandi est, quia intentio ministri censetur esse rationabilis; porrò non esset talis, si vellet minister consecrare particulas positas extra aram, cùm graviter talis Consecratio sit

Resolutio ex Suario & Gavanto; prohibita. Et ideo Suarez suprà sect. 6. quem sequitur Gavantus in Rub. Missal. tom. 1. parte 3. tit. 6. n. 4. existimat regulariter illas hostias non esse consecratas, & ut minimùm rem esse valde dubiam.

Et idem consequenter dicerent hi Auctores de Consecratione hostiarum pixide clausâ, cùm

qui idem resolverent de Consecratione hostiarū pixide clausâ. & illa, ut suprà vidimus, sit contra Rubricas; nisi fortè Sacerdos jam anteà se determinaverit expresè, ad consecrandas hujusmodi hostias, si casu pixidis aperiendæ fuisset oblitus: tunc enim, inquit Tannerus de Eucharistia disp. 5. q. 2. dub. 2. n. 77. non videtur dubitari posse de valore ejus Consecrationis. Addit: Nec dubito licitum, imò consultum esse, talem intentionem concipere, ad scrupulos utrimque evitandos.

158. Idem Auctor ibidem n. 76. ad rationem dubitandi statim propositam, respondet: Tametsi quidem primò & per se non sit hæc voluntas Ecclesiæ, adeoque nec ipsius consecrantis, ut hostiæ extra corporale, sive extra aram, aut in clauso vase consecrentur: tamen ex hypothesi facta, quòd per inadvertentiam naturalem hostiæ rationabiliter, & voluntate quidem non retractatâ, sint ad Consecrationem destinatæ, & in altari, quamvis alieno situ positæ, per accidens & consequenter, idque meritò ac jure, velle tam Ecclesiam, quàm Sacerdotem consecrantem, ut hostiæ, etiam cùm hujusmodi situm, quem diximus, habent (non verò si omnino extra altare sint positæ) consecrentur; præsertim cùm ordinariè alioquin vel scandalum, vel saltem pertubatio gravis oriri soleat, si quando tali casu hostiarum propositarum Consecratio non valeret. Hæc Tannerus.

Secundùm Tannerum intendit ministrer consecrare hostias extra aram positas,

in casu oblivionis & inadvertentiæ.

Et prosequitur dicens: Quæ responsio, utì est probabilis, ita non videtur certa; dici enim potest, à toto genere, & ubi manifesta necessitas non cogit, aliter Ecclesiæ, ipsiusque adeò ministri mentem interpretari, nullàm esse causam usque adeò urgentem, ob quam Ecclesia, etiam factâ tali hypothesi, jure velle debeat à communi suo instituto, & more consecrandi recedere, aut recedendi facultatem concedere: nec verò aliunde ullum ejus voluntatis indicium sufficiens extare.

Quamobrem omnibus spectatis, quoties extra prædictum casum manifestæ necessitatis, modo explicato, materia consecranda eum situm non habet, quem juxta institutum Ecclesiæ habere debet, meo quidem judicio non omnino certa erit ejus Consecratio: quam proinde regulariter communicantibus non suaderem distribuendas, nisi fortè nova Consecratio supervéniat. Hæc ille.

Suadet equidem illas non esse regulariter distribuendas, nisi de novo consecrentur.

159. Proponitur argumentū in contrarium.

Suadenti libenter acquiescemus: si tamen priùs satisfecerit huic argumento. Secundùm ipsum eodem numero, licitum, imò consultum est ad scrupulos utrimque evitandos, hanc intentionem concipere: *Volo consecrare hostias etiam in pixide clausa contentas, si casu ex inadvertentia non aperiatur*: ergo similiter: *Volo consecrare hostias; si casu inculpabiliter non fuerint positæ supra corporale, aut aram*: Æquales enim scrupuli utrimque evitandi.

Procedat argumentum. Licita est, & consulitur talis explicita intentio, ergo excluditur in generali intentione consecrandi optimo modo totum, quod præsens positum est ad Consecrationem. Et quis consecrans non habet talem intentionem?

Num etiam quispiam dixerit, Sacerdotem invalidè consecrare vinum, infusum calici, quem inculpabiliter ignorat non esse benedictum? Non puto. Et tamen intentio consecrandi in tali calice mala est, imò peior, quàm consecrandi hostias positas extra aram, vel in pixide clausâ. Quomodo ergo continetur virtualiter in bona & honesta intentione?

Respon-

Respondes: quia melius est in illis circumstantiis velle consecrare vinum infusum calici nondum benedicto, quàm non consecrando, committere idololatriam materialem, & offerre Sacrificium imperfectum. Unde hîc & nunc talis voluntas bona est, & non mala, ac proinde jure meritissimo censetur involvi in generali intentione celebrandi juxta morem Ecclesiæ.

Fateor, majora inconvenientia sequuntur ex invaliditate unius Consecrationis, quàm alterius. Sed quid tum? Satis est, quòd talia soleant oriri, propter quæ Ecclesia rationabiliter potest velle recedere à communi modo consecrandi, & facultatem recedendi concedere: præsertim cùm Sacerdos inculpabiliter procedat, ut supponitur.

Hinc Præpositus 3. parte quæst. 74. art. 2. dub. 3. num. 19. absolutè, & sine aliqua ambiguitate docet, moraliter loquendo, censendas consecratas omnes formulas, quæ Sacerdote existente in altari afferuntur à ministro, & apponuntur consecrandæ, sed extra corporale, ibique relinquuntur à Sacerdote id advertente; quia non obstante naturali inadvertentiâ ejus, quòd facere debuerat (scilicet super corporale reponere) manet virtualis intentio has formulas consecrandi. Quantò magis si super corporale positæ sint, licet quando actu consecrat, de illis non cogitet, sed solùm de hostia principali, quam tenet in manibus.

Cæterùm, ut ad principalem casum revertamur, si ad validam Consecrationem hostiæ, quam teneo manibus, non requiritur actualis voluntas conficiendi Sacramentum; sed sufficit virtualis: quâ apparentia veri exigitur actualis determinatio? Neque enim determinatio materiæ magis essentialis est Consecrationi, quàm voluntas consecrandi.

Dices; voluntas consecrandi non significatur per verba Consecrationis, bene materia determinata per ly *Hoc*: ergo actu debet determinari materia, quando profertur ista vox; atqui non determinatur nisi per actualem cognitionem & volitionem; ergo &c.

Respondeo Primò, satis determinari per intentionem virtualem; sicuti per eandem determinatur Sacerdos ad proferendum verba in persona Christi.

Respondeo Secundò ad hominem; etiam potest contingere, ut quis non cogitet de guttis introrsùm adhærentibus calici, & tamen Adversarii admittunt eas consecrari.

Dant rationem disparitatis; quia Sacerdos semper implicitè cogitat de illis, in quantum aliquod unum morale constituunt cum vino principali: hostiæ autem illæ omnino sunt disparatæ ab illa, quam manibus tenet.

Sed hæc ratio non subsistit: quippe etiam omnes illæ hostiæ, dummodò positæ sint loco ordinario, unum quid moraliter constituunt cum hostia principali. Enimverò ideo guttæ interiùs calici adhærentes potiùs unum constituunt cum vino principali, quàm guttæ, quæ reperiuntur extra calicem, quia inveniuntur in loco, ubi communiter reponitur vinum consecrandum.

Quemadmodum ergo ly *Hic*, significat omnes illas guttas; ita quoque ly *Hoc*, omnes hostias positas loco debito ut consecrentur; tametsi actu de illis non cogitem: omnes siquidem circumstantes intelligent me loqui de illis hostiis, sicuti de illis guttis.

Petes; an sit eadem ratio de guttis proximè contingentibus vinum principale, & de aliis remotioribus? Affirmat secunda pars Conclusionis contra Regium q. 74. art. 2. dub. 3. num. 43. ubi docet legitimam intentionem solùm ferri circa guttas ita proximas, ut parvâ calicis agitatione reliquo vino misceantur. Pro qua sententia est hoc argumentum: Illud solum consecratur, quod est in calice per modum potabilis; atqui guttæ remotiores non sunt tales, ergo &c.

Sed Negatur Minor: nam, secundùm omnes, Sacerdos si vellet, illas guttas consecraret; cùm tamen non possit consecrari, quod non est potabile. Si ergo consecrantur particulæ hostiarum, quæ comestibiles sunt; cur non etiam omnes guttæ, quæ potabiles sunt? Et verò nimis difficile est discernere inter guttas proximas, & remotiores. Ut itaque materia sit magis determinata, communiùs, & meliùs dicitur, vel omnes consecrari, vel nullas.

Excipitur porrò in Conclusione particularis intentio, quia per illam omnes possunt excludi, & certæ aliquæ includi; & fortasis non est tanta irreverentia, si aliquis omnes excluderet: utì enim tunc est periculum ne consecratum misceatur non consecrato: sic etiam quando omnes consecrantur, periculum est (quamvis satis rarum, & ideo minùs curandum, quàm indeterminatio materiæ) ne postea non sumantur cum reliquo Sanguine, aut vino ablutionis, quod usque ad illas non pertingit; adeoque cum purificatorio non consecrato abstergantur.

Contrà; ergo non est ratio inclusionis præ exclusione. Resp. Neg. Consequentiam. Quæris quæ sit illa? Resp. nimis frequens periculum irreverentiæ; cum sæpè sæpiùs aliquę guttę proximè adhæreant liquori continuo, quæ certò certiùs miscendæ sunt vino consecrato.

Quid si ergo Sacerdos putet nullas guttas omnino existere, sive cùm offert calicem, sive in actuali Consecratione, an etiam tunc erunt consecratæ, si fortè aliquæ adhæreant? Idem quæri posset de hostiis, quæ inscio Sacerdote, à ministro debito loco ad consecrandum essent appositæ.

Et videri alicui posset responsio negativa non infundata: quippe Sacerdos illo casu nec habet

& significatur per ly *Hoc*, vel *Hic*, si sit posita loco debito.

161. Eadē est ratio de guttis proximè contingentibus vinum principale, & de aliis remotioribus *Regius*.

cùm habeāt omnes rationem potabilis.

162. nisi particulari intentione excipiantur.

163. Quid si Sacerdos putet nullas guttas omnino existere, sive cùm offert calicem, sive dum actu consecrat?

Nullas tunc consecrari probatur.

actualem voluntatem consecrandi illas hostias, aut guttas, nec virtualem, Primum patet: posterius probatur; quia tunc pronuntiatio formæ deberet, saltem mediatè, procedere ex actuali voluntate, quod dici nequit; quia numquam Sacerdos habuit actualem explicitam voluntatem consecrandi illas hostias, vel guttas; sed simpliciter celebrandi, ex qua sufficienter procedit pronuntiatio formæ cum Consecratione solius hostiæ, & vini principalis.

Nec etiam dici potest, quòd voluntas debitè celebrandi hîc & nunc implicitè includat voluntatem consecrandi illas parvas hostias, vel guttas: quia hoc tantùm verum est, quando celebrans scit, vel scivit illas parvas hostias, vel guttas ibi esse.

164. Sed contrarium est amplectendum;

His tamen non obstantibus, judico contrarium amplectendum. Et primò quidem certùm mihi est, quando anteà Sacerdos scivit hostias apponendas, aut guttas vidit adhærentes, & actu expresso voluit eas consecrare, verè manere consecratas, etsi in ipsa pronuntiatione formæ illarum nullatenus meminerit; quia tunc saltem habetur intentio virtualis.

tum propter virtualem intentionē particularē si adfuit,

Ideo namque virtualiter permanet voluntas consecrandi hostiam, quam manibus teneo, in me omnino distracto, quia præextitit voluntas actualis, & sine interruptione fuit continuata, secundùm ea, quæ diximus disput. 1. sect. 7. concluſ. 8. atqui in dicto casu eodem modo Sacerdos incepit suum Sacrum (vel aliquam illius partem) ex vera & actuali voluntate consecrandi omnes illas hostias, & guttas, illudque sine interruptione continuavit usque ad Consecrationem; ergo simili ratione omnes actiones sequentes eam voluntatem, ipsaque etiam Consecratio, virtute ex illa voluntate procedunt.

Et si objicitur: quia eodem modo procederent illæ externæ actiones, etsi non esset voluntas consecrandi illas parvas hostias, vel guttas: ergo ex illa non procedunt.

Resp. Distinguendo Antecedens: eodem modo procederent quoad esse materiale, concedo; quoad esse formale, & morale, sive quatenus sunt actus liberi & humani, Nego Antecedens. Cùm enim hoc esse pendeat ab intentione, & in utroque casu procedant à diversa intentione, etiam habent diversum tale esse. Ita ferè Regius quæst. 74. num. 41. & 42.

Regius.

165. tùm si illa defuit. propter intentionem generalem hîc & nunc debitam.

Sed hæc non solvunt plenè difficultatem propositam, in qua involvitur casus, quo Sacerdos numquam sciverit de hostiis apponendis, vel appositis, sive de guttis interiùs adhærentibus; imò suppositi nihil hujusmodi esse. Dico itaque tunc recurrendum esse ad intentionem generalem debitam hîc & nunc, quæ non tantùm locum habet, ut dicebant Adversarii suprà, quando Sacerdos scit alias hostias esse, sed etiam quando nescit; eodem modo sicuti, quando putat se unam hostiam manu tenere, & tenet duas, vel plures; quas tamen omnes docet communis sententia consecrari vi generalis intentionis consecrandi omnes hostias ad consecrandum appositas. Quidni ergo etiam parvæ hostiæ, quæ, inscio Sacerdote, loco ordinario reponuntur, & guttæ vini, quæ in calice reperiuntur? Nihil video disparitatis, seclusâ extraordinariâ intentione celebrantis.

Quapropter transeo ad secundam controversiam circa determinationem materiæ, quam majoris claritatis gratiâ sic propono. Petro Sacerdoti existenti in altari offeruntur plures hostiæ, quarum aliquæ sunt consecrabiles, aliquæ non (vel quia non triticeæ, vel quia anteà consecratæ) ita quòd nequeat inter illas discernere: quæritur, an valeat hæc intentio seu determinatio: *Volo consecrare illas hostias, quas Deus videt consecrabiles.* Vel si omnes sint consecrabiles: *Volo ex illis octo tantùm consecrare, quas Deus, vel circumstantes voluerint?* Respondeo & dico:

CONCLUSIO X.

Non oportet, ut Sacerdos possit humano modo discernere materiam consecrandam ab omni alia; adeoque si una hostia consecrata pluribus non consecratis admixta sit, posset eâ exceptâ, quamvis nesciat, quænam sit, cæteras omnes validè & licitè consecrare. Similiter unam solam non consecratam, pluribus consecratis immixtam. Utì & validè consecratur una ex multis, quam alius mente designat.

166. Probatur Conclusio, quia pronomina demonstrativa illam discernibilitatem non postulant.

FUndamentum sit: quia pronomina demonstrativa *Hoc*, & *Hic*, non postulant discernibilitatem, sed dumtaxat sensibilem perceptibilitatem: quippe materiam vel adæquatè, vel inadæquatè significant, id est, vel totam, vel partem ejus pro voluntate consecrantis: sic consecrari potest dimidium hostiæ, estò nequeat præcisè ab alia parte dimidia discerni: & de facto in nocte Nativitatis consecrant Sacerdotes sine aliquo scrupulo, & sine aliqua conditione, vinum, cui immixtæ sunt reliquiæ Sanguinis ex præcedenti Sacro.

Oppositum Conclusionis docet Lugo.

Oppositum nihilominus Conclusionis docet Lugo disp. 4. asserens n. 130. invalidam intentionē consecrandi ex pluribus illas octo, quas Deus, vel

vel Petrus voluerit, nisi Dei, vel Petri voluntas manifesta foret Sacerdoti ante Consecrationem. Ratio ipsius est; quia aliàs Sacerdos non posset designare per illud pronomen, de quibus hostiis loqueretur, & per consequens non demonstraret illas in ordine ad sensum, sed ad intellectum.

Ex quo (n. 136.) infert primò, si gutta vini misceatur postea speciebus consecratis, illam non posse validè consecrari; & idem est, si modica pars vini misceatur multæ aquæ, licèt non convertatur in aquam. Secundò, si multis hostiis consecratis misceatur una non consecrata, non posse postea illam consecrari, dum non dignoscitur, quæ sit.

Intellige illam solam; siquidem n. 139. admittit, Sacerdotem validè consecrare illam hostiam, si intendat consecrare totum, quod est in pixide, sub conditione, si non est consecratum; quia tunc per verba illa loquitur de omnibus hostiis ibi existentibus, licèt solùm sub conditione velit eas consecrare.

Et post pauca subjungit: An verò posset licitè consecrare sub conditione omnes, ut non maneret mixta illa alia non consecrata, non video necessitatem sufficientem ad reiterandam formam sub conditione super omnes illas hostias consecratas: omnia enim inconvenientia possent aliâ viâ facilè vitari, dando v. g. singulis in communione duas ex illis particulis; sic enim certum esset singulos accipere aliquam hostiam consecratam. Alioquin etiam liceret iterum sub conditione consecrare calicem, in quem post Consecrationem casu fuisset infusa gutta vini non consecrati.

Resp. disparitatem esse, quòd calix ab uno solo sumatur; non solent autem singulis distribui duæ hostiæ.

Pergit Card. Aliud esset, si è contra mille hostiis non consecratis admixta fuisset una consecrata, nec posset discerni; tunc enim deberent omnes sub conditione consecrari: sicut quando gutta consecrata misceretur amphoræ vini non consecrati, debet totum illud vinum conservari ad usus sacros, ut paulatim totum consecretur. Hæc ille.

Sed hoc est contra communem praxim Ecclesiæ, quæ in Natali Domini, ut statim dixi, consecrat hujusmodi vinum sine ulla conditione. Unde ad illam instantiam nec Lugo, nec alius Auctor, quem legere potui, satis respondet.

Ad primam instantiam, constat, inquit Card. suprà n. 138. latum esse discrimen; nam qui vult consecrare dimidiam hostiam, potest illam humano modo demonstrare, ut condistinctam ab altera dimidia, licèt non possit metaphysicè designare ultimum terminum hujus, vel illius partis; ad designationem enim & demonstrationem humanam non requiritur illa metaphysica designatio, sed crassa & humana: sic designamus hanc provinciam, hanc domum, hanc aulam, licèt non possimus designare ultimum terminum indivisibilem illius: sufficit quippe illa distinctio humana, ut homines agnoscant id, de quo loquimur.

At verò in nostro casu, nullo modo ostenditur hostia illa, prout distincta ab aliis; neque ex vi meæ locutionis possunt, qui audiunt, venire in cognitionem illius magis, quàm anteà. Imò si quis interrogaret me, quæ harum est? Non possem aliquam in particulari designare, sed solùm vagè, & in confuso aliquam ex illis.

Hinc sicut ridicula esset demonstratio, si quis, certò sciens, inter 100. homines præsentes adesse Regem, quem ipse non agnosceret, diceret: *Iste est Rex*; pari ratione meritò rideretur, qui inter 100. hostias præsentes, unam vellet demonstrare dicendo: *Hoc est* &c. cùm eam non agnosceret.

169. Refutatur.

Contrà; abundè satis est, ut demonstratio sit bona, quòd aliquis adsit, qui possit rem demonstratam ostendere. Ponamus itaque quòd determinationem reliquerim Petro, & Petrus adsit, hic poterit petenti respondere, & ostendere rem demonstratam; adeoque tunc saltem valida erit Consecratio, utpote facta per demonstrationem determinatam, etiam per ipsum Sacerdotem, si non proximè & immediatè, certè remotè in arbitrio Petri præsentis.

Sufficit determinatio Sacerdotis,

remota in arbitrio Petri præsentis,

Profectò si Pontifex Alexander VII. stans ante mensam plenam statuis aureis, & argenteis, dixisset Lugoni Cardinali: *Hæc quam Card. Hostiensis præsens designavit, est tua*; æstimas, quia Lugo risisset talem demonstrationem, & non magis institisset apud Dominum Hostiensem, ut statuam designatam traderet?

quæ non est ridicula?

Et si idem Alexander VII. dixisset: *Inter centum homines iste sit Cardinalis, quem Lugo voluerit*, credo quòd omnes risissent, non indeterminatam demonstrationem, sed propter spem Cardinalatûs, & tamen Pontifex interrogatus, nescisset respondere, quis esset, vel quam statuam demonstrasset. Sic ad propositum fieri potest, ut qui apposuit hostiam non consecratam consecratis, adsit consecranti, & noverit eam discernere, quamvis ipse consecrans ignoret. Numquid tali casu aliquid deerit hujusmodi demonstrationi? Certè nihil.

Quid si relinquatur determinatio Deo?

Quid ergo si relinquam determinationem Deo? Nonne & hic ubique adest, & optimè novit inter hostias illas discernere, & si velit, potest circumstantibus significare, quæ hostia ex omnibus illis præsentibus sit consecrata? Nemo ambigit. Quamquam nec hoc necessarium existimemus: videtur quippe sufficere, quòd à parte rei res sit determinata, & Deus, cujus est immutare, sive physicè transubstantiare, eam cognoscat, tametsi auditoribus nequeat innotescere, quænam sit, propter admixtionem aliarum rerum non consecratarum.

170. Responsio ad principale fundamentum Lugonis.

Ex quo respondeo ad fundamentum principale Lugonis, in casibus nostræ Conclusionis non solùm esse demonstrationem ad intellectum, sed etiam ad sensum; non quòd actu materia

illa sensu aliquo cognoscatur, aut proximè cognosci possit, sed quòd apta sit sensu percipi, si separata esset ab aliis rebus, vel si sciretur determinatio Dei, aut ipsius Sacerdotis, vel alterius hominis.

Addo, *ipsius Sacerdotis*; quia quando ex pluribus hostiis Sacerdos unam tantùm consecrat, quam mente designat (quod fieri posse nemo inficiatur) certè neque tunc vi præcisè illius pronominis *Hoc* scire possunt auditores, an hæc, vel illa hostia sit consecrata: scirent tamen, si viderent intentionem consecrantis; & ideo est demonstratio ad sensum, non tantùm respectu Sacerdotis, sed etiam circumstantium; ac proinde, quòd materia de facto non cognoscatur, non est defectu demonstrationis, sed alicujus conditionis requisitæ, puta, quia non est sola præsens.

Enimverò pronomen demonstrativum præcisè vi suâ æqualiter designat quamlibet rem præsentem, distinguens eam ab omni re non præsente; quòd autem ex pluribus rebus præsentibus una potiùs significetur, quàm alia, totum provenit ex intentione loquentis, qui potest uti illo pronomine, non quidem ad designandam rem absentem, sed unum ex pluribus præsentibus cum cæterarum exclusione.

Pendet ab intentione loquentis unam rem ex pluribus præsentibus designare per ly *Hoc*.

171. Responsio ad aliam rationem Lugonis.

Hinc patet responsio ad aliam rationem suprà ex Lugone relatam, quæ talis erat: In nostro casu nullo modo ostenditur hostia illa prout distincta ab aliis, neque ex vi meæ locutionis possunt, qui audiunt, venire in cognitionem illius magis, quàm anteà.

Patet, inquam, responsio: nam si Card. per ly *Aliis*, intelligat res, sive hostias non præsentes, falsitas est manifesta: sin verò hostias præsentes, jam diximus ly *Hoc* vi suâ præcisè non designare plùs unam rem præsentem, quàm aliam; ita quòd ex vi præcisè verborum Consecrationis non possint, qui audiunt, venire in cognitionem illius hostiæ, quæ consecratur, magis quàm cujusliber alterius præsentis, secùs absentis; adeoque magis cognosco illam unam hostiam non consecratam, inter centum consecratas, quàm anteà; quia jam cognosco præsentem, quam anteà ignorabam, existimans omnes consecratas.

Ex vi præcisè verborũ Consecrationis non potest audiens venire potiùs in cognitionẽ unius, quàm alterius rei præsentis.

172. Instat Lugo; fieri potest ut hostia non cõsecrata sit infra alias consecratas.

Instas cum Lugone suprà n. 136. potest contingere illam unam hostiam esse infra alias consecratas, & per consequens non habere sufficientem præsentiam: sicut si tegeretur tabulâ vel lapide superposito; nam licèt cum aliis simul posset consecrari, quia omnes illæ per modum unius habent præsentiam; tamen ipsa seorsim ab aliis non habet prædictam præsentiam expeditam secundùm se.

Responsio prima.

Secunda.

Resp. Primò, etiam posse fieri, ut illa una hostia sit supra omnes alias consecratas: ergo saltem tunc consecrabitur. Respondeo secundò, hostiam illam non consecratam cum cæteris consecratis constituere unum aliquem cumulum hostiarum, ratione earumdem specierum, (quæ solæ demonstrantur) sibi mutuò contiguarum, & ideo omnes per modum unius esse præsentes. Porrò quòd aliæ non consecrentur, minimè provenit ex defectu præsentiæ, sed intentionis. Sicuti ergo infima hostia esset præsens per alias, si illæ consecrarentur, sic etiam jam, cùm hoc quòd aliæ consecrentur, vel non consecrentur, nihil faciat ad præsentiam: sed, sicut dixi, ideo omnes censentur præsentes; quia sunt compositum aliquod unum, saltem per aggregationem, quale non exurgit ex hostia & lapide, vel tabula superposita.

Contrà urget Card. Nemo in communi sermone loquens de uno nummo aureo posito in profundo loco sub mille aliis argenteis, & omnino latente, dicet: *Hæc est moneta aurea*: illæ enim voces, quando ad unam solam ex multis applicantur, intelliguntur de illa, quæ est in prospectu, non de illa, quæ omnino latet. 173. Alia instantia Lugonis:

Respondeo I. inde sequeretur, quòd non posset consecrari infima hostia, etsi determinatè cognosceretur, quod puto non facilè Lugonem admissurum. ad eamdem responsio prima.

Resp. II. assignando disparitatem. Enimverò hostiæ omnes superpositæ; vel etiam sunt consecratæ, vel certè ejusdem infimæ speciei cum illa, quæ consecratur, & quasi signum illius; videns enim cumulum hostiarum, ex superioribus devenit in cognitionem inferiorum, & superpositæ censentur quasi proximum continens infimarum, & ideo omnes censentur sufficienter præsentes, ut vel solæ, vel cum aliis demonstrentur, & per consequens consecrentur. Responsio secunda.

Porrò nummus aureus sub mille argenteis, quamvis non omnino lateat, in quantum est aliquis nummus, secùs in quantum est aurum; omnes enim judicant totum, quod ibi vident, esse argentum, & idcircò non admitterent hanc demonstrationem: *Hæc est moneta aurea*, maximè cùm supponant sermonem esse de omnibus nummis præsentibus, nec intentio loquentis possit facere, ut potiùs hic nummus sit aureus, quàm ille: sicuti ab intentione Sacerdotis pendet, ut hæc potiùs hostia demonstretur, & sit Corpus Christi, quàm ista; quamvis utramque posset demonstrare, & consecrare.

Quin imò si quis diceret alicui: *Hæc moneta aurea tua sit*, vellem scire à Lugone, an nummus ille, repertus in profundo, non esset ipsius? Credo si dictum fuisset Lugoni, saltem dubitasset esse suum.

Cæterùm quæ dicta sunt hactenus de hostia, etiam similiter dicenda videntur (contra primam illationem Lugonis suprà) de gutta vini, mixtâ speciebus consecratis, videlicet ipsam posse sensibiliter demonstrari, & per consequens validè consecrari. 174. Gutta vini mixta speciebus consecratis potest sensibiliter demonstrari;

An sic etiam modica pars vini, si misceatur multæ aquæ? Non habeo sufficientem rationem negandi,

negandi, dummodò maneat incorrupta, & saltem secundùm se, & proximè sit præsens, & non tantùm ratione aquæ, in cujus fundo subsidet; nisi fortè defectu denominationis vini.

Petes; quomodo ergo Ecclesia rectè præcipiat in Rub. gener. Missarum Tit. de Defectibus §. 4. de defectu vini n. 4. *Si post verba Consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam, iterum vinum cum aqua ponat in calice, & consecret?* Potuit quippe fieri, ut modicum vinum fuerit admixtum, v. g. si minister loco vini ministraverit aquam, & è contra loco ampullæ aquæ, ampullam vini: quin contingit subinde, ut minister ex errore non modicum vinum misceat aquæ in ipsa ampulla, putans totum esse vinum, & sic offerat Sacerdoti; qui tamen gustans vinum mixtum, ne Sacrificium maneat imperfectum, rursum infundit vinum purum, & consecrat. Ut quid hoc, si vinum, etiam in modica quantitate mixtum aquæ, consecretur?

175. Resp. quia saltem dubitat de corruptione illius vini ante Consecrationem propter majorem quantitatem aquæ, & per consequens de invalida Consecratione, non defectu præsentiæ, sed materiæ. Certè Ecclesia loco citato n. 1. sic inquit; *Si vinum sit factum penitus acetum &c. vel admixtum tantùm aquæ, ut vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum.*

Igitur quia Sacerdos gustans vinum mixtum, nequit ordinariè discernere, sive probabiliter judicare, vinum non fuisse corruptum: hinc tutiùs faciet, si rursum infundat vinum purum, & de novo consecret; quin imò integralis perfectio Sacrificii, alioquin dubia, videtur id exigere.

Atque hæc satìs pro materiæ determinatione: pro quantitate autem instituitur

CONCLUSIO XI.

Parvitas, vel magnitudo materiæ, per se non officit Consecrationi. Equidem particula se sola insensibilis, licèt aliis conjuncta, & cum illis, & sine illis validè consecretur; secùs tamen si sit separata, quamquam per separationem, & insensibilitatem consequentem, non amittat Consecrationem.

176. PRima pars est communis. Ratio principalis voluntas Christi, qui non determinavit magnam, vel parvam materiam; sed simpliciter panem & vinum, ut patet ex generali definitione Conciliorum. Christi, qui non determinavit magnam vel parvam materiam. *D. Bonav.*

Neque contrarium docet Divus Bonaventura, asserens 4. dist. 10. art. 2. q. 4. non confici Sacramentum in quantacumque materia; nam, ut ibidem loquitur: *Non est defectus ex parte materiæ, sed intentionis ordinatæ.*

Et ideo additur in Conclusione ly *Per se*; quippe per accidens potest contingere, quòd vel minima materia propter insensibilitatem, ut habet sequens pars assertionis, vel maxima defectu præsentiæ nequeat validè consecrari; quoniam per ly *Hoc*, vel *Hic*, indemonstrabilis. Imò quæcumque materia sive magna, sive parva, non consecratur, nisi adsit intentio consecrandi, ut evidenter ostenditur disp. 1. sect. 7. concluſ. 3. Per accidẽs fieri potest ut vel minima, vel maxima materia nequeat validè consecrari.

Controversia itaque inter Doctorem Seraphicum Bonaventuram, & alios communiter Scholasticos in eo versatur, an Sacerdos validè, quamvis illicitè, intendat consecrare quantamcumque magnam materiam, id est, materiam tantæ quantitatis, ut secundùm probabilitatis judicium non sit habilis ad usum fidelium. Proponitur controversia inter D. Bonavent. & alios Scholasticos.

Negat Divus Bonaventura suprà, secutus Alensem 4. parte q. 10. mem. 4. a. 2. & q. 34. memb. 1. Verba Doctoris Seraphici sunt hæc: *Dicendum sine præjudicio, quod non sit virtute verborum conversio, nisi adsit intentio, & intentio concors institutioni, & intentioni Ecclesiæ, quia sicut dicit Hugo:* Omne Sacramentum irritum reputatur, si contra institutionem celebratur. *Intentio autem Ecclesiæ, & instituentis est, convertere ad usum fidelium.* 177.

Bene optimè, sed rationem expone. *Nec*, inquit, *est credendum, quòd Christus hoc daret* (nempe, si Sacerdos totum panem de foro intenderet conficere, consectum esse; & similiter totum vinum de cellario) *cùm nec sapiens homo dictaret hoc esse dandum, & ipse sapientissimè omnia fecit, & maximè sapienter hoc instituit Sacramentum.* Ratio Doctoris Seraphici exponitur,

Quis ambigat? Quippe attestante Psalmistâ Psalmo 146. v 5. *Sapientiæ ejus non est numerus*; & ideo *Omnia in sapientia fecit* Psalmo 103. v. 24. Verumtamen quis arguet Deum de insipientia, si talem dedit hominibus potestatem? & approbatur pro parte; *Psalm. 146. & 103.*

An insipiens Deus, quia dedit potestatem Sacerdotibus conficiendi Eucharistiam ad lucrum, ad veneficia, incantationes, ut projiciant in latrinam, conculcent pedibus &c.? *Si*, inquit Bonaventura suprà, *aliquis conficit intentione lucri, nihilominus conficit. Sed si aliquis conficeret non ad usum, sed ut projiceret in latrinam, dicitur ab aliquibus* (sed falsò) *quòd nihil faceret. Quidquid sit de hoc, tamen illud verum est, quòd oportet, quòd habilitas sit ad usum secundùm probabilitatis judicium.*

An ergo major irreverentia, & majus inconveniens non uti Sacramento, quàm positivè 178.

eo abuti? Quis non videt contrarium verum esse? Qui itaque concessit sapienter potestatem conficiendi Eucharistiam in finem malum, v.g. ut pedibus conculcetur: quo solido fundamento asseritur restrinxisse, sive limitasse potestatem ad materiam necessariam, sive habilem ad usum?

Omitto inconvenientia, quæ sequerentur ex tali limitatione. Etenim si tot hostiæ essent consecratæ, quot sunt necessariæ usui fidelium, non possent aliæ, etiam unica sola validè consecrari. Hoc autem non videtur ullatenus admittendum; quoniam valor præsentis Sacramenti non dependet ex præterito, sed ex propriis principiis & causis: si ergo adsit vera materia & forma & minister cum debita intentione, conficietur Sacramentum; etiamsi ab eodem vel à diversis Sacerdotibus Consecrationes in infinitum multiplicentur seu repetantur. Ita Suarez hîc disp. 43. sect. 8. §. *Dicendum est.*

pro altera parte reprobatur.

Et sanè, quis nobis definiet usum fidelium, & per consequens determinabit materiam maximam consecrabilem? An totus panis de foro, aut totum vinum de cellario? Sed secundùm Doctorem Seraphicum suprà; *Si tot essent fideles, quibus necesse esset habere tantùm de hostiis, quantùm de pane in foro, tunc ordinatâ intentione posset conficere*; & consequenter, si tot non essent, nec simul, nec successivè posset conficere.

179. adeoque non subscribit Auctor ejus opinioni.

Propter hæc, & alia, salvâ reverentiâ tanti viri, nequeo subscribere ejus opinioni: ast cum communi Scholasticorum assero, potestatem Sacerdotis non esse restrictam à Christo ad certam quantitatem materiæ, si cætera adsint.

Et quamvis graviter inordinatum sit, consecrare materiam superfluam (quia contra finem secundarium Sacramenti in materia gravi) non tamen propterea irritum, quia non caret fine suo primario, qui est præsentia Christi sub speciebus panis & vini.

Multa enim prohibentur quæ tamen facta tenent.

Nonne inordinatum est conficere Sacramentum in statu peccati mortalis, in excommunicatione, suspensione, degradatione? Quis tamen ideo dixerit, Sacramentum irritum? Satis erat Deo illa prohibuisse, ut omnia in sapientia fecisse nemo dubitaret. Multa quippe, etiam ab hominibus, sapienter prohibentur, quæ tamen facta tenent.

Quod autem aliqui respondent, potestatem Sacerdotis esse finitam, frivolum est; nam, præterquam quòd omnis materia sit finita, Sacerdos non consecrat virtute propriâ, sed Dei, quæ procul dubio est infinita; ipse autem solùm est minister, & instrumentum morale per verba.

180. Quantitas minima se sola insensibilis potest consecrari conjuncta aliis partibus.

Relictâ itaque quantitate maximâ, accedamus ad minimam, & videamus, an consecrari possit, quando se sola est insensibilis. Haud difficilis est responsio, & duplex quidem secundùm duplicem considerationem, sive statum hujusmodi minimæ particulæ. Enimverò si consideretur, ut conjuncta aliis, sive in tota hostia, certum est posse cum illa consecrari, sicut potest sentiri, & demonstrari. Quidni etiam sine illa, id est, sine reliquis partibus?

Suppositâ veritate præcedentis Conclusionis, sententia affirmativa nullam habet ambiguitatem: jam enim talis particula per seipsam sentitur, adeoque & demonstratur. Cur ergo non consecrabitur accedente intentione Sacerdotis? Quia licèt gratis admitteremus, naturaliter non posse separari à toto, & per consequens designari in toto, sufficit quòd sensibiliter ibi sit, & à Deo queat designari & separari.

Separet ergo Deus, vel homo, si potest, talem particulam, num ita separata validè consecrabitur? Negat communior opinio, quamvis oppositam Dicastillo suprà num. 236. vocet valde probabilem; imò Tannerus hîc disp. 5. q. 2. dub. 2. n. 53. probabiliorem: quia, inquit, ad materiam consecrabilem præter rationem specificam, quam hîc supponimus, plùs non requiritur, quàm ut per se sit sensibilis, & præsens consecranti; nec opus est ut de facto, & omnibus spectatis, possit sensu percipi; alioquin enim tecta, vel clausa in vase, non consecraretur, nec item si nemo adesset, qui reipsa eam sensu percipere posset. At verò talis materia reverà est per se sensibilis, utpote prædita colore, odore, sapore, & quantitate &c. nec ex parte præsentiæ quidquam desideratur; ergo &c.

181. Separatem posse, negat communior opinio, quamvis oppositam Dicastillo vocet valde probabilem. & Tannerus probabiliorem.

Quòd si ob defectum sensibilitatis consecrari non posset, tunc nec etiam consecrata manere posset post divisionem, cùm sit de ratione Sacramenti tam secundùm esse, quàm fieri, ut sit sensibile. Hactenus Tannerus, citans Sotum, & Valentiam.

Nostram Conclusionem, post Suarium, Vasquesium, & plurimos alios, docet Card. Lugo disp. 4. num. 115. & meritò; quia quòd hîc & nunc non potest sensibus percipi, quamvis per se sensibile sit, non potest hîc & nunc sensibiliter demonstrari per ly *Hoc*, & *Hic*; ergo non potest consecrari: atqui ex hypothesi particula illa separata, hîc & nunc, etsi omnia extrinseca necessaria ad sensationem ex parte potentiæ adsint, nequit tamen ullo modo sentiri, ergo &c.

182. Sententiam negans probatur: Lugo. & explicatur qualiter illa particula sit per se sensibilis.

Quòd si à me quæritur, quomodo igitur illa particula sit per se sensibilis? Resp. eo ferè modo, quo integra hostia est in tenebris per se visibilis, licèt hîc & nunc non possit videri: habet quippe entitatem, quæ, positâ conditione lucis, potest terminare actum visionis, & per propriam speciem eum efficere: simili ratione particula illa postulat, tamquam conditionem, concomitantiam aliarum partium, ut possit per propriam speciem visum, aut alium sensum immutare.

Dico, *Tamquam conditionem*; siquidem illæ aliæ partes non sunt hoc signum, nec virtus activa hujus signi sensibilis, quoniam non sentitur

titur per species illarum partium : ergo solùm conditio aliqua requisita, ut hæc particula producat sui speciem. Requisita, inquam, non ex parte potentiæ, sicuti requiritur lumen, vel apertio vasculi, ut res inclusa videatur; sed ex parte objecti, quod propter suam tenuitatem ab oculo, aut alio sensu, quantumcumque bene dispositio, se solo impossibile est sentiri. Ideoque conjunctio cum aliis partibus est quasi conditio intrinseca, cùm tamen lux, potentia visiva integra, amotio aliorum impedimentorum, quasi extrinsecè solùm requirantur.

Et idcirco hostia in tenebris validè consecratur; similiter in vase clauso; secùs autem particula illa ab aliis separata : quia nimirum homines per illa pronomina demonstrativa, *Hoc*, & *Hic*, intendunt significare rem ita præsentem, ut, quantùm est ex parte objecti, percipi possit, quamvis fortè hîc & nunc, defectu alicujus extrinsecæ conditionis, actu non sentiatur, nec proximè sentiri possit.

Constat ex usu : nam solent homines res in tenebris demonstrare illis pronominibus; minimè autem res imperceptibiles propter tenuitatem. Unde si aliquis diceret : *Hoc est aurum*, & nullus, etiam adhibito lumine, cæterisque extrinsecis impedimentis remotis, posset illud sentire, verè auditores dicerent, id esse falsum.

Putas adhuc (Lectorem meum alloquor) bene sequi : Particula se sola insensibilis, separata à toto, nequit validè consecrari; ergo cum toto consecrata, per separationem, & insensibilitatem consequentem amittit Consecrationem? An nescis plura requiri, ut res aliqua primò consecretur, quàm ut semel ritè consecrata Consecrationem retineat?

Etenim ut res primò consecretur, oportet illam demonstrari per ly *Hoc*, vel *Hic*; adeoque debet esse præsens præsentiâ sensibili : ut autem Consecrationem retineat, sufficit quòd species maneant incorruptæ, id est, nisi Christum continerent, existeret sub illis substantia panis, aut vini; præsentes sint, sive absentes, nihil refert; demonstrari possint, nec ne, impertinens est, sentiantur, vel non sentiantur, perinde est; dummodò sint per se sensibiles, id est, per propriam speciem sentirentur, si omnes conditiones tam intrinsecæ, quàm extrinsecæ adessent.

Et verò hæc sensibilitas, ut mox ostendimus, competit particulæ separatæ, in toto consecratæ; & ideo retinet Consecrationem : præsentia autem sensibilis non convenit, & ideo invalidè primò consecratur.

Unde etiam in hac particula separata verificatur generalis doctrina Concilii Tridentini sess. 13. can. 3. *Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri; anathema sit.* A qua utique doctrina sine solido fundamento non est facienda exceptio.

Sanè fundamentum Majoris facilè evertitur ex jam dictis. Tenet hic Auctor 4. dist. 11. q. 3. dabilem esse unam partem, ità parvam in toto, sub quâ est Corpus Christi, ita quòd si illa esset separata à toto, desineret Corpus Christi esse sub illa. Probat; quia Sacramentum est invisibilis gratiæ forma visibilis, hoc est, signum sensibile, quale non est ista parva materia. *Major.*

Contrarium probavimus; nec video quid amplius efficaciter possit opponi. Memento semper, aliud esse rem sensibilem, aliud rem sensibiliter præsentem. *Aliud est res sensibilis, aliud res sensibiliter præsens.*

Sed dicet aliquis : non quælibet minima aquâ est materia Baptismi; ergo non quælibet minima pars panis, materia Eucharistiæ. 186. *Objectio.*

Resp. Negando Consequentiam. Ratio disparitatis est; quia materia proxima Baptismi est ablutio, ad quam non sufficit quælibet minima pars aquæ, prout diximus disp. 2. sect. 1. concluſ. 4. Porrò Eucharistia consistit in re permanente, sive in continentia Corporis Christi: ubi autem potest contineri substantia panis, ibi etiam potest contineri Corpus Christi, nisi alia sit voluntas Christi, de qua nobis hactenus non constat. *Solvitur.* *Ad ablutionem non sufficit quælibet minima pars aquæ.*

Obstrepit rursum Alius; illa particula non est cibus. Resp. per accidens non est cibus; erit autem, & poterit comedi, quando concomitabuntur aliæ partes, vel consecratæ, vel non consecratæ. Sic gutta vini consecrata, quamvis sit tam tenuis, ut sola nequeat bibi; si tamen cum vino ablutionis sumatur, habebit suum effectum. *Minima pars panis, aut vini habet ratione cibi, vel potûs, per se loquendo.*

Sic etiam in naturalibus guttula aliqua quintæ essentiæ, tametsi per se sumi non possit, tamen alteri potui immixta, operatur suum effectum. Satis ergo est, quòd illæ minimæ species panis, sive vini, alteri cibo, vel potui admixtæ, possint comedi, aut bibi.

Unde bene dixit Divus Bonav. suprà: *Quantacumque sit parva quantitas, sine indecentia potest venire ad usum, ideo quantitas parva non impedit, quia quantumcumque modicum potest venire in usum*, si non seorsim, saltem mixtum alteri quantitati majori. *D. Bonav.*

Petes, quid si Deus supernaturaliter elevet oculum consecrantis, ad illam particulam minimam videndam; numquid saltem tunc poterit primò illam consecrare? Novit ille, qui elevabit oculum, mihi res incerta est. Probabile est (inquit Suarez suprà sect. 8. in fine) non posse; quia illa materia per se est insensibilis. In contrarium verò est, quia hîc & nunc jam sentitur, & potest tunc signo sensibili designari; nihil ergo deest ad veritatem Sacramenti. 187.

Disputant etiam hîc aliqui, an particula minor minimâ (si detur) validè consecretur. Negat Lugo suprà disp. 4. sect. 6. n. 91. affirmat Dicastillo suprà n. 243. Ego nolim tempus & & chartam consumere istis inutilibus, imò confictis *An particula minor minima validè consecretur? Negat Lugo; affirmat Dicast.*

fictis casibus. Videantur prædicti Auctores, & electio maneat libera. Ad graviores quæstiones vocat nos doctrinæ series, ad formam utique hujus Sanctissimi Sacramenti.

SECTIO TERTIA.

De forma Eucharistiæ.

1. NOn ago hîc de forma intrinseca componente Eucharistiam, ut est Sacramentum permanens; sed de forma extrinseca efficiente, id est, de forma Consecrationis Eucharistiæ, ut eam appellat Doctor Subtilis 4. dist. 8. q. 2. quæ talis est: *Vtrùm illa sit forma præcisa Consecrationis Eucharistiæ, quæ ponitur in Canone Missæ?* Respondet autem n. 3. *Hic*, inquit, *tria videnda sunt. Primò, si Eucharistiæ est aliqua una forma: Secundò, quæ: Tertiò, quid signat.* Et incipiens à primo: *Patet*, inquit, *ex solutione quæst. præcedentis; quia nulla verba sunt forma Eucharistiæ, neq; de essentia eius: sed verba aliqua sunt forma Consecrationis Eucharistiæ.*

Scotus.

Et sic intelligendo, dico cum Doctore nostro: *Quòd sicut istud Sacramentum est unum unitate integritatis, non indivisibilitatis, quia in se includit duo signa partialia, quæ primò signant duo propria signata, & proxima, scilicet Corpus & Sanguinem, & remota, scilicet cibationem, & potum spiritualem: ita etiam est una Consecratio unitate integritatis, & tamen duæ Consecrationes partiales: sicut enim aliqua res est una, sic est una eius inceptio; & sicut plures, sic plures eius inceptiones, & sicut Consecratio est plures*, una Corporis, altera Sanguinis, *sic eius inceptio est plures. Est ergo Consecratio plures partiales Consecrationes, tamen una unitate integritatis: sed tamen continens in se plures formas partiales.*

Forma Consecrationis est una unitate integritatis, non indivisibilitatis.

Dubitas de distinctione formarum illarum partialium? *Patet*, inquit Scotus, *quia una est efficax sine alia, quod manifestum est: alioquin enim fideles Corpus adorantes ante Consecrationem Sanguinis, essent idololatræ, quod falsum est.*

una enim est efficax sine altera.

Hæc certa de primo puncto. Incipiamus secundum, pro quo erit

CONCLUSIO I.

Forma Consecrationis Corporis essentialiter consistit in his solis verbis: *Hoc est Corpus meum.*

2. SAlvatorem consecrasse verbis, iisdemque, quibus hodie consecrat Ecclesia, satis expressè docet Concilium Florent. in decreto Eugenii IV. ubi assignans formam Sacramenti Eucharistiæ, sic inquit: *Forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur* (alii legunt *conficit*, nonnulli, & magis ad propositum, *confecit*) *Sacramentum.*

Salvator noster iisdem consecravit verbis, quibus hodie consecrat Ecclesia.

ut ex Florentino,

Non gravabor addere clarissima verba Tridentini sess. 13. cap. 1. *Maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis præbere, ac suum Sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est.* Tridentino,

Certè non aliis, quàm quibus Ecclesia Catholica à sui exordio usque ad præsentem diem ubique usa fuit in Consecratione hujus Augustissimi Sacramenti. Unde continuò subjungit Concilium: *Quæ verba à Sanctis Euangelistis commemorata, & à Divo Paulo postea repetita* &c.

Lege Euangelium Sancti Matthæi, & cap. 26. v. 26. scriptum reperies: *Hoc est Corpus meum.* Et v. 28. *Hic est enim Sanguis meus.* Eadem leguntur Marci 14. v. 23. & 24. Consonat Divus Lucas cap. 22. sui Euangelii v. 19. ibi: *Hoc est Corpus meum.* Et v. 20. ibi: *Hic est calix* (continens nominans pro contento) *novum Testamentum in Sanguine meo.* & Euangelistis manifestum &c. Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Quæris ubi Apostolus repetat ista verba? Resp. 1. Cor. 11. v. 24. *Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum.* Et v. 25. *Hic calix novum Testamentum est in meo Sanguine.* Nullus ergo relictus est ambigendi locus. 1. Cor. 11.

Unde bene Doctor Subtilis suprà n. 11. *Aut Christus confecit sine verbis, quod non est probabile; aut cum verbis: tunc, aut cum istis, aut cum aliis: non cum aliis à prædictis, quia non est probabile, quod aliâ formâ utatur Auctor, & ministri, quibus committit formam.* Scotus.

Accedat testimonium Innocentii III. in cap. *Cùm Marthæ* de Celeb. Miss. in principio. *Quæsivisti*, inquit, *quis formæ verborum, quam ipse Christus expressit, cùm in Corpus, & Sanguinem suum panem transubstantiavit, & vinum, illud in Canone Missæ, quo Ecclesia utitur generalis, adiecerit, quod nullus Euangelistarum legitur expressisse.* Accedit testimonium Innoc. III. in cap. *Cùm Marthæ* de Celeb. Miss.

Ex Patribus produco Tertullianum libro 4 contra Marc. cap. 40. ibi: *Acceptum panem, & distributum Discipulis suis, Corpus suum illum fecit, Hoc est Corpus meum, dicendo.* Tertullianus.

Nec minùs clara sunt verba Divi Damasceni lib. 4. de Fide cap. 15. *Sicut Deus dicendo, Fiat lux, fecit lucem; ita dicendo*, Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus, *perfecit Sacramentum: & quoniam dixit*, Hoc facite, *omnipotente eius* & D. Damasceno.

eius præcepto, donec ipse veniat, hoc perficitur.

Sanè si Christus esset viator, & jam proferret illa verba, indubiè consecraret; ergo & in ultima cœna illis consecravit. Quidni? Etenim Concilium Tridentinum suprà, non ex vi benedictionis, vel gratiarum actionis; sed ex vi verborum à Christo prolatorum, colligit realem præsentiam Corporis & Sanguinis ejus, sub speciebus panis, & vini.

Frustra ergo Christus aliis verbis, vel occultâ, & extraordinariâ potestate fuisset usus. Quamquam hoc ultimum existimet probabile Innocentius III. lib. 4. de Myst. Missæ cap. 6. in fine. *Sanè*, inquit, *dici potest quòd Christus virtute divinâ confecit: & postea formam expressit, sub qua posteri benedicerent.*

Equidem non negamus, quin Consecratio etiam possit vocari benedictio: sic quippe nominat eam Apostolus 1. Cor. 10. v. 16. dicens: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est?* Et Auctor Sermonis de Cœna Domini: *Panis iste substantialis, & calix benedictione solemni consecratus, ad totius hominis vitam, salutemq; proficit.* Sed an ideo benedictio, quæ præcessit verba Christi, Consecratio? Minimè.

Dices; illa benedictio fuit efficax. Resp. ast non pro eodem tempore; sed quando verba prolata fuerunt. Ita benedictio panum in deserto fuit efficax, & tamen non eodem momento multiplicati.

Contrà; Christus illa verba: *Hic est Sanguis meus*, dixit, postquam Apostoli biberant, Marci 14. v. 23. *Biberunt ex illo omnes.* Sequitur v. 14. *Et ait illis: Hic est Sanguis meus.*

Resp. per anticipationem præmisit illa verba, *Biberunt* &c. quemadmodum Sanctus Lucas bis commemoravit de calice, priùs antequam panem daret, deinde posteaquam panem dedit; quod sic interpretatur Divus Augustinus lib. 3. de Cons. Euang. cap. 1. circa initium: *Illud quod superiùs dixit, præoccupavit ut solet, illud verò quod ordine suo posuit, non commemoraverat superiùs. Vtrumque autem coniunctum hanc sententiam facit, quæ & illorum (Matthæi & Marci) est.*

His suppositis de modo, quo Christus consecravit, dubitant nonnulli de veritate Conclusionis, propter verba præcedentia: *Qui pridie quàm pateretur accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in cælum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit, fregit, deditq; Discipulis suis, dicens: Accipite & manducate ex hoc omnes*, quæ videntur essentialia, aut certè necessaria necessitate Sacramenti.

Porrò ut exordiamur ab illo, quod certum est; verba in Conclusione assignata esse essentialia, nemo Catholicorum ambigit, & abundanter ostenditur ex consensu Euangelistarum, atque perpetuo usu utriusque Ecclesiæ; cùm hactenus nullus, sive Græcus, sive Latinus, sine illis attentaverit consecrare.

Quæ proinde præscribuntur Armenis ab Eugenio IV. in suo decreto ibi: *Octavò traditimus, quòd in Consecratione Corporis Christi hâc uteretur formâ Ecclesia Romana*: Hoc est enim Corpus meum. *Sanguinis verò*: *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi, & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

& ideo præscripta Armenis ab Eugenio IV. in Concil. Florent.

Venio ad ea verba, quæ sunt dubia. Scotus suprà n. 4. in principio: *Verba*, inquit, *Consecrationis Corporis sunt quatuor, scilicet illud pronomen, Hoc, & verbum, Est, & in appositio, Corpus meum. Coniunctio, Enim, non est de essentia formæ: sed secundùm unum Doctorem ponitur ad designandum ordinem Consecrationis Sacramenti ad usum Sacramenti, quod patet ex verbis.* Accipite hoc est enim *&c. quasi diceret, quia talis est Consecratio, ideo utimini consecrato. Sed alia ratio potest assignari, scilicet quod* Enim *ponitur ad continuandum, ne illa verba, quæ sunt de forma, proferantur sine præcedentibus.* Hæc Doctor Subtilis, & omnes discipuli ejus, totaque Ecclesia Latina cum ipso.

6. De quibusdam aliis dubitatur. Scotus.

Dico; *Ecclesia Latina*; nam Græci putant essentialia illa verba: *Quod pro vobis datur*, quæ Lucas suprà adjungit Consecrationi Corporis. Attamen cùm alii Euangelistæ eorum non meminerint, & ab Ecclesia Romana, quæ sola est magistra veritatis, omittantur (quamvis fortè non incongruè possent addi, sicuti hæc adduntur Consecrationi Sanguinis: *Qui pro vobis & pro multis* &c.) profectò error in fide est dicere, absque illis Consecrationem non valere: sicuti hæreticum est dicere, Ecclesiam posse deficere in iis, quæ sunt necessaria ad salutem, contra promissionem Christi Matth. 16. v. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam.* Certè jam dudum prevaluerunt, si in Ecclesia Romana non consecratur Corpus Christi, & ex consequenti non sumitur sub speciebus panis.

Asserunt Græci hæc verba: *Quod pro vobis datur*, esse essentialia;

sed est error in fide, dicere, sine illis consecrationem non valere.

Matth. 16.

Hoc itaque errore explosò, *Hic est dubium*, ait Scotus suprà, *utrùm prætermissis verbis præcedentibus, per ista sola quatuor verba conficeret Sacerdos.* Et primò quidem proponit sententiam affirmantem cum sua probatione, inquiens: *Dicitur quòd sic, quia ista sunt præcisa forma: alia sunt propter reverentiam, vel propter orationem præmittenda.*

7. Dubitatur à Scoto de verbis antecedentibus, an sine illis valeat Consecratio.

Proponit sententiam affirmantem cum sua probatione.

Continuò autem subjungit rationem in oppositum dicens: *Sed contra istud arguitur, quia verba sacramentalia ex vi verborum debent significare illud, quod efficitur ex vi Sacramenti: sed ex vi Consecrationis huius efficitur ibi esse verum Corpus Christi: ergo verba sufficientia ex vi propria debent significare illud ibi contineri.*

Subjungit rationem in oppositum:

Subsumit Doctor: *Sed hæc verba:* Hoc est Corpus meum, *prolata sine præcedentibus, hoc non significant absolutè; quia ly* Meum, *significat referri ad personam ipsius loquentis: quia licèt minister* (occurrit responsioni quorumdam) *possit intendere, ut loquatur in persona Christi, non tamen propter hoc, significatum illorum verborum*

esset, quòd ly Meum, *demonstraret Corpus Christi, sed corpus loquentis.*

Probat à simili: *Sicut si ego inciperem loqui in persona Christi, dicendo sic,* Mea doctrina est ista, *sed intenderem loqui in persona Christi: tamen ex vi verborum non haberetur, quod ista doctrina sit Christi, sed illius, qui loquitur; sicut Angelus quando loquebatur in persona Dei,* Ego sum Deus Abraham, *& per consequens, non esset propositio falsa secundùm sensum, pro quo fieret: tamen non erat significatum proprie huius orationis, quod ly* Ego, *supponeret pro persona Dei.*

8. quam opinionem confirmat auctoritate D. Ambrosii,

Confirmat Scotus hanc opinionem auctoritate Divi Ambrosii lib. 4. de Sacramentis (& refertur de Consecratione dist. 2. cap. 55.) ubi postquam cap. 4. dixisset: *Ergo Christi sermo hoc conficit Sacramentum,* convertendo utique panem in Corpus Christi, & vinum in Sanguinem, cap. 5. sic incipit loqui: *Vis scire, quia verbis cælestibus consecratur? Accipe quæ sunt verba; dicit Sacerdos:* Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem *&c.* Accipite, & edite ex hoc omnes: Hoc est enim Corpus meum, quod pro vobis datur. Similiter etiam calicē *&c.* Accipite, & bibite ex eo omnes. Hic est enim Sanguis meus. *Vide, omnia illa verba Euangelistæ sunt usque ad* Accipite *sive Corpus, sive Sanguinem. Inde verba sunt Christi,* quibus conficitur hoc Sacramentum.

Unde post pauca subdit: *Antequam ergo consecretur, panis est: ubi autem verba Christi accesserint, Corpus est Christi.* Et ostendens, quæ sint ista verba: *Denique,* inquit, *audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes: Hoc est Corpus meum.*

qui videtur conjungere verba præcedentia tamquam verba Consecrationis.

Vbi ipse videtur (ait Doctor Subtilis suprà n. 5.) *conjungere illa verba præcedentia, scilicet* Accipite, *tamquam verba Consecrationis. Sed hoc non est intelligendum, tamquam sint essentialiter pertinentia ad necessitatem Consecrationis; sed tamquam necessariò præmittenda: & non solùm illa* (Accipite &c.) *sed alia plura præcedentia in Canone* (Qui pridie &c.) *ex quibus ex vi sermonis haberi potest, quòd illa,* Hoc est Corpus meum, *dicuntur in persona Christi.*

Vnde non sine causa Ecclesia ita connexuit totum Canonem Missæ, quòd ab illo loco, Communicantes, *usque ad illum locum post consecrationem,* Supplices te rogamus omnipotens Deus, *non est aliqua oratio, quæ non necessariò connectatur cum præcedente, vel per coniunctionem copulativam, sicut;* Hanc ergo oblationem, *& huiusmodi, vel per pronomen infinitum, ut:* Quam oblationem tu Deus, *&:* Qui pridie quàm pateretur, *& post Consecrationem:* Suprà quæ propitio, *vel per relationem, ut ibi: Simili modo.*

9. Propositis rationibus dubitandi, nihil resolvit Scotus;

Sic Doctor noster proponit rationes dubitandi, nihil tamen resolvens, sed concludens his verbis: *De isto articulo dicetur in generali simul cum dubiis, quid fuerit observandum.* Et quid illud? Postquam Scotus disputavit in eadem quæstione de verbis subsequentibus formam Sanguinis: *Novi & æterni Testamenti* &c. & allegavit rationes dubitandi de eorum necessitate; quærit tandem n. 10. *Sed quid si ante omnia verba prolata contingeret mori Sacerdotem, numquid haberetur esset Sanguis, tamquam verè consecratus?*

Respondet: *Dico hic, sicut in quodam casu superiùs præmisso, si quis Sacerdos inciperet sic loqui:* Hoc est Corpus meum, *non prædicens verba præmissa totaliter; quod in omnibus talibus non est adorandum, nisi sub conditione, si verè consecratum est.*

loquens magis argumentative, quàm assertivè;

Dubitat ergo Doctor de valore hujusmodi Consecrationis; non affirmat invaliditatem; adeoque superiùs locutus est argumentativè, non assertivè. Unde in Reportatis eâdem dist. & q. n. 3. *Aliqui dicunt, quòd sufficit ministro habere intentionem proferendi in persona alterius. Nescio tamen, si illud sufficit.*

Et in fine quæstionis: *Ad aliud dico, quod concludit pro me, quia de veritate non fiat ly* Meum *pro Corpore Christi, nisi rectè sequeretur ad præcedens: ideo forte non sufficit intentio ministri, nisi cùm hæc verba sunt colligata cum præcedentibus:* Fregit & dixit *&c. Illud tamen non dissimo.* Neque ego diffinio aliam necessitatem istorum verborum, quàm præcepti.

10. meritò eamen dubitavit.

Interim Scotum jure meritò dubitasse de necessitate Sacramenti probant rationes ab ipso suprà allegatæ. Quibus adde, verba non significare pro libitu proferentis, sed ex institutione: porrò ly *Meum*, est institutum ad significandum corpus loquentis, cùm sit possessivum, nisi aliud ex circumstantiis colligatur: & ideo, ut oratio aliqua fiat nomine Regis, debet per circumstantias determinari.

Ly Meum est institutum ad significandum corpus loquentis.

Certè videtur Ecclesia non ob alium finem præmittere verba illa: *Qui pridie* &c. quàm ad significandum, verba Consecrationis *Hoc est* &c. proferri in persona Christi: non enim sunt oratio; cùm illis nihil petatur; sed per illa laus Deo defertur, secundùm illud Divi Ambrosii suprà cap. 4. *Consecratio autem quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini IESV. Nam per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris.*

S. Ambr.

Per illa verba, qui pridie &c. narratur factum Christi;

Laudatur ergo Deus cùm factum Christi narratur. Nec hoc solùm; sed insuper significatur, Sacerdotem non suo, sed Christi nomine, verba illa pronuntiare *Hoc est Corpus meum*; quæ, illâ narratione prætermissâ, non Corpus Christi, sed loquentis designant.

11. quæ narratio dicit potest essentialis ut id quo,

Contrà; ergo illa narratio est essentialis. Resp. ut id quo, transeat; est quippe id, quo exprimitur verba subsequentia proferri in persona Christi. Cæterùm non est essentialis ut id quod, id est, non est pars essentialis, sive, ut Scotus suprà n. 5. loquitur: Verba illa non sunt *essentialiter pertinentia ad necessitatem Consecrationis, sed tamquam necessariò præmittenda.*

non ut id quod, Scotus.

ideoque non datur casus, in quo licitè omittatur.

Profectò nisi Ecclesia dubitet cum Scoto de necessitate illorum verborum, miror valde in nullo penitus casu posse ea omitti; sed etiam expressè præscribi in rarissimo eventu, quo

Sacerdos

Sacerdos moritur semiprolatâ formâ Sanguinis.

Rub. Generales Tit. de Defect. cap. 10. de Defectibus in ministerio n 3. *Si*, inquiunt, *semiprolatâ formâ Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta Consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. Si verò obierit semiprolatâ formâ Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eumdem calicem repetat integram formam ab eo loco: Simili modo postquam cœnatum est.* Cujus non apparet alia ratio, nisi quia illa verba: *Simili modo* &c. requiruntur, ut verba subsequentia, *Hic est enim* &c. proferantur sacramentaliter.

Hinc testimonio earumdem Rubricarum, eodem titulo cap. 3. n. 5. ab illis verbis: *Qui pridie quàm pateretur*, incipit Consecratio. *Si id* (puta hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam) *adverterit* (Celebrans) *post Consecrationem, etiam post illius hostiæ sumptionem, positâ aliâ, faciat oblationem ut suprà, & à Consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis: Qui pridie quàm pateretur.* Ergo ex mente Ecclesiæ illa verba sunt initium Consecrationis; adeoque pars ejus, saltem integralis.

Eadem autem est ratio horum verborum: *Simili modo postquam cœnatum est. Repetat*, inquiunt Rubricæ suprà, *integram formam ab eo loco: Simili modo* &c. ergo integritas formæ postulat istæc verba; adeò ut sine ipsis nemo hodie auderet consecrare, vel saltem in aliquibus circumstantiis. Quod planè sufficit ad prudenter dubitandum, nùm fortè sine illis Consecratio valeat.

Verùm enimverò communis sententia affirmat valere; quam aliqui probant, sed ineffi.aciter, exemplo aliorum Sacramentorum, in quibus minister non præmittit necessariò aliqua verba, quibus declaret se loqui, ut ministrum Dei.

Disparitas est nimis manifesta: nam in aliis Sacramentis, licèt minister loquatur ut minister Christi. & Dei; voces tamen, quibus loquitur, significant immediatè ipsum ministrum, ut in forma Baptismi: *Ego te baptizo*, ly *Ego*, non refertur ad Deum, vel Christum; sed ad ipsum baptizantem: quare eodem modo posset dicere: *Ego Ioannes te baptizo*. Et in Sacramento Pœnitentiæ: *Ego Petrus te absolvo*; quia reverà ipse est, qui absolvit, licèt auctoritate accepta à Deo. At verò in Consecratione Eucharistiæ (audite Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 2.) *Una eademq; est hostia, idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solâ offerendi ratione diversâ.*

Instituit quidem Christus, ut ibidem docet Tridentinum cap. 1. & can. 2. Apostolos Sacerdotes, ordinavitque ut ipsi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum; attamen non in persona propria; sed principalis offerentis, id est, ipsius Christi, ad quem indubiè referuntur verba Consecrationis, & non ad ipsum Sacerdotem loquentem; sic quippe apertissimè essent falsa: sed plura de hoc infrà.

Colligunt ergo alii sententiam communem, Primò, ex modo loquendi Conciliorum & Patrum, qui sæpè dicunt, hoc Sacramentum confici verbis Christi, & non aliis. Sufficiat Florentinum suprà ibi: *Forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris; quibus hoc conficitur Sacramentum.* 13. Melius probatur ex modo loquendi Conciliorum & Patrum. *Florent.*

Et Divus Ambrosius suprà cap. 4. ibi: *Per reliqua laus Deo defertur &c. Vbi veniunt, ut conficiatur venerabile Sacramentum, tam non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi; ergo sermo Christi hoc conficit Sacramentũ.* Conficit planè, de quo hactenus nemo dubitavit, neque Scotus. *S. Ambros.*

Ergo Ambrosius, dices cum Lugone disp. 11. sect. 3. n. 40. quem pro se afferebat Scotus, clarius est contra ipsum, ut bene retorquet Vasquez in præsenti disp. 198. n. 5. Constat siquidem apud omnes illa verba, *Qui pridie* &c. non esse verba Christi, sed Euangelistæ. *Lugo.*

Constat omnino; sed numquid etiam constat Vasquesium & Lugonem malè Scotum legisse, aut si bene legerint, malè intellexisse? Citant namque Doctorem pro particulari illa sententia, quam oppugnant, cùm tamen jam anteà ex ipsissimis illius verbis, luce meridianâ clarioribus, quasi digito demonstraverim, Scotum numquam circa præsentem controversiam quidquam definivisse, sed solum dubitasse, & rationes dubitandi proposuisse. Malè citant Vasquez & Lugo Scotum pro opposita sententia, cùm circa præsentem controversiam nihil definiverit.

Deinde dubium Scoti non erat; Utrùm omnia illa verba: *Qui pridie quàm pateretur* &c. essent necessaria ad conficiendum Sacramentum: sed, *Vtrùm prætermissis verbis præcedentibus* (quæcumque illa sint) *per ista sola quatuor verba* (Hoc est Corpus meum) *conficeret Sacerdos.* 14. Partem autem negativam confirmat per Ambrosium suprà, quia *Ipse*, inquit, *videtur coniungere illa verba præcedentia, scilicet, Accipite, tamquam verba Consecrationis.* Partem quidem negativam confirmavit per Ambrosium suprà,

Quid vobis videtur de Scoto? An hæc argumentatio explodenda: Divus Ambrosius dicit verbis Christi confici hoc Sacramentum: Divus Ambrosius inter verba Christi recitat *Accipite, & comedite*: ergo per ista sola quatuor verba: *Hoc est Corpus meum* non conficitur Sacramentum? sed hæc confirmatio non est explodenda.

Potiùs explodenda retorsio Vasquesii, sequentis tenoris: Cùm igitur dicat Ambrosius verbis Christi solis fieri Consecrationem, & hæc dicat incipere ab illis, *Accipite & bibite*, planè sentit, cætera nihil operari, ac proinde ad Consecrationem necessaria non esse: tantùm abest, ut Scotus, ex illo loco probet id, quod contendit, nempe verba etiam præcedentia necessaria esse ad consecrandũ.

Ecce benigne Lector, quàm ultrò ab Adversariis conceditur Scoto, quod intendit, & falsò illi attribuitur, quod numquam cogitavit. Fateor Doctorẽ ibidem post verba citata, paucis interjectis, hæc subjungere: *Et non solum illa* (Accipite & comedite) *sed alia plura præcedentia in Canone* &c. Sed ubi, quæso hoc probat Scotus auctoritate Divi Ambrosii? Nullibi certè. Quærat Vasquez, quærat Card. & cùm invenerint, renũrient

nec in suum Auctorem retorquenda.

mihi, ut sciam eos non falsò, sed verè; non malè, sed bene confirmationem Scoti ex Divo Ambrosio in suum Auctorem retorsisse.

15. Interea & nobis, & ipsis respondendum est pro communi sententia ad verba ex Divo Ambrosio jam citata. Quibus similia habet Divus Augustinus (vel, ut alii, Paschasius) & referuntur de Consec. dist. 2. cap. 72. in fine: *Vnde & Sacerdos dicit priùs Euangelistarum verba assumens.* Qui pridie quàm pateretur &c. *Porrò deinceps sunt verba Dei potestate, & omni efficientiâ plena:* Accipite & manducate; Hoc est Corpus meum. *In hoc ergo creatur illud Corpus.* Quid clariùs dici poterat? *Omni*, inquit, *efficientiâ plena.*

Paschasius.

Utique: ast non omnia verba, sed illa tantummodò, quæ significant effectum sacramentalem. Et quæ ista? *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* Siquidem effectus hujus Sacramenti est Corpus, & Sanguis Christi sub speciebus panis, & vini.

Et verò ita necessariò intelligendum esse Divum Ambrosium, patet; quia inter Christi verba etiam ponit sequentia: *Quod pro vobis datur.* Similiter ly *Enim*, quæ jam suprà probavimus, non esse sacramentalia.

Sufficit quòd verba Christi pro majori & principaliori parte sint efficacia.

Sufficit ergo, quòd verba Christi pro majori & principaliori parte sint efficacia. Sic dicitur Missa Sacrificium, & Sacerdos in Missa offerre Sacrificium, licèt non omnia verba, quæ in Missa recitantur, ad illud concurrant, sed sola Consecratio.

16. Argumentum Lugonis.

Mirùm sanè si essentialia sint: *Accipite & manducate*, & tamen ab Euangelista Luca non commemorata: nam solùm dixit cap. 22. v. 19. *Et accepto pane gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est Corpus meum.* Non est autem credibile, Euangelistam in re tanti momenti omisisse verba aliqua essentialiter requisita ad valorem formæ Consecrationis. Ita Card. suprà num. 48.

Luc. 22.

Respondetur primò. *Innoc. III.*

Sed facilè quis responderet, Primò cum Innocentio III. cap. *Cùm Marthæ* de Celeb. Miss. *Ipsi Euangelistæ mutuò inter se supplevisse leguntur, quæ ab eorum aliquo, vel aliquibus sunt omissa.* Unde cùm illa verba apud Matthæum & Marcum essent expressa, omisit illa Sanctus Lucas, & addidit, quòd alii duo omiserant: *Quod pro vobis datur.* Hinc etiam Joannes nullius verbi consecratorii meminit, puta, quia à cæteris Euangelistis omnia sufficienter posita.

Respondetur secundò.

Secundò dici posset cum Scoto; hæc verba non pertinere essentialiter ad necessitatem Consecrationis, quamvis necessariò sint præmittenda, sicuti & plura alia; intellige, *Qui pridie* &c. *Simili modo* &c. Quæ ideo fortassis à Sanctis Patribus, Ambrosio suprà, & aliis non annumerantur verbis Consecrationis, quia in veritate per illa non consecramus; quamvis prærequirantur ad Consecrationem, quæ fit solis verbis, & sermonibus Domini Jesu.

Quapropter, quamquam illa verba reductivè spectent ad formam, non sunt tamen ipsa forma, aut pars essentialis ejus.

Verba præcedentia spectant reductivè ad formã, non tamen tamquam pars essentialis.

Et si objicias cum Lugone suprà n. 41. quia concurrunt ut significantia, vel saltem consignificantia præsentiam Corporis Christi, cùm sine illis hæc præsentia non sufficienter significaretur. Ergo sicuti ly *Ioannes* in forma Pœnitentiæ; *Ego Ioannes te absolvo*, licèt non sit necessarium, de facto tamen pertinet ad formam, & integrat illam; quia clariùs explicat significatum vocis *Absolvo*: pari ratione illa verba: *Qui pridie* &c. cùm clariùs explicent significatum illius pronominis; *Meum*, & propter hoc necessariò requirantur, fatendum erit illa requiri, ut partes formæ.

17. Objectio Lugonis.

Resp. si Card. per partem formæ solùm intelligat partem integralem, me haud difficulter totum concessurum, exceptâ similitudine. Certè, ut suprà dixi, Rub. Generales Tit. de Defectibus cap. 10. n. 3. illa verba: *Simili modo*, distinctè appellant partem integralem ibi: *Repetat integram formam ab eo loco; Simili modo postquam cœnatum est.*

Respondetur.

Verba præcedentia vocantur in Rubricis Missa pars integralis.

Porrò si intelligat partem essentialem. Resp. Neg. Consequentiam; quia hoc solùm spectat ad substantiam sive essentiam formæ, quod requiritur ut sensus formæ intrinsecè sit perfectus & completus; jam autem hæc verba solùm requiruntur, ut exprimatur persona, à qua actio consecratoria procedit.

Apertiùs dico, illa verba non esse propriè essentialia, quia per illa nullo modo significatur effectus sacramentalis, qui est Corpus & Sanguis Christi sub speciebus panis & vini; sed tantùm deserviunt, ut verba essentialia hunc effectum significent; non quasi absolutè non significarent, sed quia æquivoca sunt, possuntque significare corpus loquentis, & Christi. Quemadmodum ergo in nostra doctrina, ipsa institutio vocum non est pars essentialis formæ, quæ tamen prærequiritur; ita nec illa verba præcedentia.

& deserviunt, ut verba essentialia effectum sacramentalem significent.

Ad simile Respondeo dissimilitudinem esse, quòd ly *Ioannes*, & similia verba, quæ possent interponi verbis consuetis formæ hujus, vel alterius Sacramenti, implicitè contineantur in verbis essentialibus; & ideo, quando exprimuntur ante positionem effectûs, censentur essentialia, id est, concurrere ad effectum. Quis porrò nesciat verba præcedentia, de quibus in præsenti controvertitur, planè esse distincta, & nullatenus contineri in verbis essentialibus?

18. Responsio ad simile Lugonis.

Alioquin, cùm verba illa de facto semper Consecrationi adjungantur, & concurrant ad reddendum clariorem sensum verborum sequentium, quàm si non præcessissent: quomodo non sequitur ex simili Card. etsi non forent necessaria, nihilominus de facto pertinere ad formam, & integrare illam?

Verba præcedentia concurrunt ad reddendum clariorem sensum verborum sequentium.

Respondet Lugo suprà n. 45. quia illa sola verba

Lugo

verba possunt constituere formam Sacramenti, quæ à Christo instituta sunt, id est, quæ dicuntur in persona Christi, juxta ritum ab eo præscriptum & usurpatum : verba verò præcedentia non dicuntur in persona Christi, sed historicè : illa ergo licèt deserviant extrinsecè, ut percipiatur facilius sensus verborum sequentium, non tamen component intrinsecè formam.

Sicut si Sacerdos ante absolutionem dicat pœnitenti : *Attende, nunc auctoritate Christi absolvam te* ; hæc quidem verba conducunt ad melius percipiendum sensum verborum sequentium, solùm tamen extrinsecè, neque componunt intrinsecè formam ipsam ; quia Christus non instituit pro forma illius Sacramenti quæcumque verba, quæ clariorem reddunt significationem absolutionis; sed illa solùm, quibus in actu exercito impenditur absolutio.

Optima responsio ; hoc enim est quod toties diximus, illa verba præcedentia, tametsi minimè sint essentialia, quia in actu exercito non significant Corpus & Sanguinem Christi ; necessariò tamen prærequiri, ut verba sequentia proferantur in persona Christi, adeoque significent Corpus & Sanguinem ejus.

Sed contrà cum Card. suprà : ergo sine illis forma nondum completè significat : ergo complent formam in ratione significantis ; ergo debent esse aliquid intrinsecum formæ in ratione formæ.

Resp. Neg. ultimam Consequentiam, vel distinguo primum, & secundum Consequens : sine illis forma non significat completè intrinsecè, nego ; extrinsecè, concedo. Porrò illa sola verba sunt essentialia, quæ complent significationem intrinsecè, id est, quæ in actu exercito significant effectum sacramentalem, non autem omnia illa, quæ solùm extrinsecè requiruntur, ut alia intrinsecè significent.

Numquid ergo recedendum à communi sententia ? Nequaquam ; sed respondendum ad fundamentum singularis illius opinionis (de cujus veritate meritò Scotus dubitavit, & quam immeritò Vasquez vocat improbabilem) dicendum, inquam, licèt sine illis verbis præcedentibus forma essentialis in sensu grammaticali, & speculativo verborum significet corpus loquentis ; attamen ex vi practica & sacramentali, importare Corpus Christi : quia videlicet verba sunt æquivoca, quæ ex intentione proferentis hìc & nunc in actu exercito determinantur ad hunc, vel illum sensum ; sicuti si Confessarius diceret alicui : *Ego te absolvo*; quamvis audientes putarent ipsum loqui de debito aliquo materiali, si tamen haberet intentionem absolvendi à peccatis, verè absolveret.

Profectò ut in Tragœdia ille, qui repræsentat Regem, intelligatur loqui in persona Regis, non est opus, quòd prius dicat : *Ego loquar in persona Regis*, vel, *Rex ita dixit* ; sed sufficit, quòd absolutè loquatur in actu exercito verba Regis.

Quantò magìs, qui viderent Sacerdotem in Altari indutum vestibus sacris, &, reliquo apparatu ad celebrandum proposito, audirent pronuntiantem hæc verba : *Hoc est Corpus meum* super hostiam, statim perciperent ipsum non loqui in persona propria, vel de proprio corpore, sed in persona Christi de Corpore Christi ?

dicendo illa verba : *Hoc est Corpus meum*,

Imò sola circumstantia Sacerdotii videtur sufficere, ut Sacerdos pro suo libitu loquatur in persona Christi, etsi nil dicat reflexè ; idque potest ab aliis cogitari, aut, si dubitent, inquiri : sicut etiam pendet ab arbitrio loquentis sumere vocem æquivocam in hoc, vel illo sensu, saltem quando auditores dubitare possunt, in quo sensu accipiatur.

satis determinari ex circumstantia Sacerdotii, ut Sacerdos loquatur in persona Christi.

Et hinc Angelus loquens Moysi de medio rubi Exod. 3. absque alia prænonitione dicebat vers. 6. *Ego sum Deus Abraham* &c. quia facilè Moyses poterat suspicari, eum, qui loquebatur, vel ipsum Deum esse, vel Angelum in persona ipsius. Sic etiam Vice-Rex, vel Concilium Regium sine alio præloquio dicunt : *Nos N. Rex* &c. quia dignitas illa satis significat vel significare debet audientibus, ipsos loqui, aut loqui posse in persona Regis.

Exod. 3.

21. Illa verba : *qui pridie* &c. instituta sunt ab Ecclesia.

Accedit, prædicta verba : *Qui pridie* &c. *Simili modo* &c. tantùm esse instituta ab Ecclesia, idque dudum post tempora Apostolorum. ergo non possunt censeri absolutè necessaria, cùm Ecclesia non potuerit facere necessarium ad valorem Sacramenti, quod tale non erat ex institutione Christi.

Objectio.

Dices ; Christus protulit illa verba de proprio Corpore & Sanguine, & mandavit Apostolis ut idem facerent ; ergo reliquit Ecclesiæ potestatem addendi talia verba, quæ hoc sufficienter significarent.

Solvitur.

Resp. solam intentionem ministri posse determinare verba essentialia ad illum sensum, quamvis fortè minùs proprium, & ideo minùs obvium audientibus, qui ignorarent proferentem esse Sacerdotem.

Ecclesia præcepit illa verba ad expressiorem commemorationem facti Christi.

Rogas, ad quid ergo Ecclesia præcipiat illa verba ? Resp. ad expressiorem commemorationem facti Christi.

22. *Lugo. Regius.*

Ast, nonne etiam clariùs significant Sacerdotem loqui in persona Christi, sive enuntiativè ? Respondet Cardinalis suprà n. 47. secutus Regium ad quæstionem 78. n. 24. potiùs impedire, quàm juvare ad hoc : videntur enim indicare, Sacerdotem recitativè proferre totam illam historiam, quam in verbis præcedentibus in persona sua incepit recitare & narrare. Unde eodem modo in Epistola Pauli recitantur omnia illa verba, & tamen non proferuntur in persona Christi.

Resp. hoc provenire ex defectu solius intentionis ; non autem quasi verba illa, *Hoc est Corpus meum*, ex conjunctione cum aliis minùs apta sint, ut proferantur in persona Christi : sic quippe Ecclesia ageret contra institutionem Christi,

adeoque nō destruunt significationem formarum essentialium:

præcipiens eā, quæ destruunt significationem formarum essentialium, adeoque ipsas formas, quas Christus voluit esse maximè sensibiles, & clarissimè significativas suorum effectuum.

Patet in formis aliorum Sacramentorum, quæ sunt verba propriè dicta (exceptâ formâ Matrimonii) ad majorem perfectionem significationis sacramentalis: cùm enim per verba magis distinctè possimus exprimere, quod mente concipimus: ideo, inquit Doctor Angelicus 3. parte q. 60. a. 6. in corpore, *Ad perfectionem significationis sacramentalis necesse fuit, ut significatio rerum sensibilium per aliqua verba determinaretur.*

D. Thom.

23. sed juvant, ut Sacerdos intelligatur loqui in persona Christi,

Sanè præcedentia verba: *Qui pridiè* &c. non impedire, sed juvare, ut Sacerdos intelligatur loqui in persona Christi, ostendo ex confessione Adversariorum. Fatentur siquidem illis verbis explicari, Sacerdotem postèà loqui de Corpore Christi, non de suo. Negare etiam non possunt, quin ut Sacerdos loquatur in persona Christi, debeat loqui de Corpore Christi: ergo verba, quæ juvant, ut intelligatur loqui de Corpore Christi, etiam consequenter juvant, ut intelligatur loqui in persona Christi.

Audientes enim illa statim concipiunt sermonem esse de Corpore Christi.

Quamquam enim sine illis verbis possit loqui in persona Christi, & de Corpore Christi; attamen seclusis omnibus aliis circumstantiis, audientes præcisè ista verba *Hoc est* &c. statim sine hæsitatione aliqua judicabunt ipsum loqui de proprio corpore, neque ulli incidet cogitatio de persona Christi; ubi tamen si audivissent verba præcedentia, festinè conciperent sermonem esse de Corpore Christi, & fortassis proferri in persona Christi.

Ostenditur exemplo Legati,

In simili; si Legatus aliquis ignotus est, ut homines sciant ipsum loqui tamquam Legatum, & verba ejus significent tamquam verba Regis, juvat plurimùm homines scire ejus qualitatem, ne alioquin accipiantur verba ejus tamquam hominis privati, & non ut verba Regis. Nec satis est scire ejus qualitatem, nisi etiam innotescat ipsum loqui in tali qualitate.

Quid si ergo hisce verbis ordiatur: *Rex meus, cuius hîc Legatus adsto, hæc, & hæc dixit*, an ideo minùs apprehendetur loqui in persona Regis, quàm si simpliciter diceret ipsa nuda verba Regis? Certè multò magis: jam enim cognoscerent auditores esse verba Regis, quæ aliàs possent esse cujusvis privati hominis: & ex se omnino indifferentia sunt ut in tali, vel tali significatione proferantur.

24. Hæc verba: *Accipite & manducate*, solùm continent præceptum circa usum Sacramenti;

Hinc, ut istò revertamur, unde paulisper digressi sumus, æstimo minus dubium posse esse de istis verbis: *Accipite, & manducate*, an requirantur ad valorem, quàm de illis: *Qui pridie* &c. Siquidem hæc posteriora adjuvant significationem sacramentalem, saltem extrinsecè: priora autem solùm continent præceptum circa usum Sacramenti, & absque illis verba essentialia habent perfectissimam significationem, etiam in propriissimo & magis obvio sensu, proferunturque in persona Christi.

Ex quo rectè infertur, nullo modo concurrere ad effectum hujus Sacramenti, quia videlicet nullatenus conducunt ad significandam vel consignificandam præsentiam Corporis Christi sub speciebus, sed habent planè diversam significationem.

adeoque nec concurrunt ad effectum hujus Sacramenti.

Non obstante particulâ *Enim*,

Solummodò obstare videtur particula *Enim*, quæ ponitur inter verba essentialia, & significat connexionem unius propositionis cum altera, vel ut Scotus suprà n. 4. *Ponitur ad continuandum ne illa verba, quæ sunt de forma, proferantur sine præcedentibus.* Ergo sine ipsis falsum erit dicere: *Hoc est enim Corpus meum.*

Scotus.

Sicut si quis diceret ex abrupto: *Quoniam ego petii librum*, esset illa propositio vel imperfecta, vel falsa; quia dat rationem præcedentis, cùm tamen nulla præcesserit, & significat continuationem unius cum altera, cùm tamen solùm sit unica.

25. quæ secundùm Theologos non est de essentia formæ,

Ad hæc facilis est responsio; quippe cum Scoto suprà communiter docent Theologi, ly *Enim*, non esse de essentia formæ, quamvis ex præcepto Ecclesiæ inter verba essentialia recitetur. Et idcirco etiam illa verba: *Accipite & manducate*, ex eodem præcepto necessaria sunt, & quidem sub majori obligatione; tum quia designant usum Sacramenti, qui est finis ejus secundarius; tum quia illorum absentia causat aliquam falsitatem in verbis sequentibus.

sed ex præcepto adhibendæ

Siquidem hæc propositio: *Hoc est enim Corpus meum*; æquivalet his duabus: *Hoc est Corpus meum*: &: *Hæc est ratio, quare debeatis accipere & manducare.* Quamvis autem prima propositio, quæ sola est sacramentalis, affirmans præsentiam Corporis Christi sub speciebus, sit perfectissimè vera: altera tamen est falsa, quia significat propositionem præcessisse, cujus hæc est ratio; cùm tamen nulla præcesserit.

nū de illo verbo: *Accipite & manducate.*

Propositio causalis potest esse falsa, tametsi utraque propositio simplex sit vera.

Porrò propositionem causalem posse esse falsam, etiam utraque simplici propositione existente verâ, patet in exemplo: *Petrus currit, quia Petrus est doctus:* quæ propositio causalis, si ita placeat eam vocare, vel potiùs argumentatio, falsa est; tametsi utraque propositio seorsim suam habeat perfectam significationem, & possit habere perfectam veritatem.

Quidni ergo etiam hæc propositio: *Hoc est enim Corpus meum* (sive appelles propriè hypotheticam, sive causalem, aut verius implicitam argumentationem) possit esse perfectissimè significativa, & vera quoad illam partem, quâ affirmat præsentiam Corporis Christi, id est, habere veritatem simplicem unius partis, licèt non habeat veritatem hypotheticam sive causalem?

26. Ly enim non ponitur ad significandā propositionem hypotheticam, sed ad continuandum sermonem;

Dixi, *Aut verius implicitam argumentationem*; quia non videtur poni ly *Enim* ad faciendam unam propositionem hypotheticam; sed ad continuandum sermonem, & ad reddendam rationem præcedentis dicti. Et in similibus non penderet veritas posterioris à priori, vel è contra,

adeo-

adeoque una potest causare aliquem effectum, licèt altera non concurrat.

Sicut si aliquis oblitus consecrare panem, inciperet: *Simili modo* &c. adhuc valide consecraret Sanguinem. Item si Sacerdos diceret nullo alio præmisso: *Deinde ego te absolvo* &c. esset sine dubio valida absolutio, & tamen significatur aliquod præcedens, quod non fuit. Retinent ergo verba Consecrationis sine præcedentibus *Accipite* &c. sensum suum, quantùm sufficit ad effectum sacramentalem.

Profectò si quis dicat: *Ego enim, testis mihi sit Deus, volo ambulare*, perjurus probatur, si desit animus ambulandi. Et si testator scribat: *Volo enim quod servus meus maneat liber*, jam libertas acquisita est. Ergo similiter Corpus Christi ponetur sub speciebus, sive, ut sic loquar, species acquirent præsentiam Corporis Christi per illa verba *Hoc est enim Corpus meum*, etsi nulla alia præcessissent, si reliqua adsint. Hæc fusiùs Card. Lugo suprà à n. 50. usque ad 60.

Atque hactenus de forma Consecrationis Corporis, quam Conclusio docet essentialiter consistere in his solis verbis: *Hoc est Corpus meum*, quod ex dictis arbitror omnibus satìs manifestum.

Sequitur forma Consecrationis Sanguinis, de qua pono sequentem Conclusionem.

CONCLUSIO II.

Forma Consecrationis Sanguinis essentialiter consistit in his solis verbis: *Hic est calix Sanguinis mei* (aut aliis æquivalentibus) ita ut verba subsequentia: *Novi & æterni Testamenti* &c. quamvis cum illis integrarent unam propositionem, non propterea essent essentialia.

DOctor Subtilis 4. dist. 8. q. 2. n. 6. sic orditur: *De verbis autem Consecrationis Sanguinis est dubium magis, quia quantùm ad duo; Primum est, quia formam, quâ utimur, nullus Euangelistarum recitat, ideo non videtur ex Euangelio certa. Græci etiam aliâ formâ utuntur, dicentes:* Hic est Sanguis &c. *& per consequens forma nostra non est præcisa.* Ita opponit Scotus contra ordinariam formam Ecclesiæ Latinæ.

Et continuò respondet: *Non dubito, quin forma nostra sit certa secundùm auctoritatem illam Innocentii* cap. *Cùm Marthæ* de Celeb. Miss. *Quia multa tradita sunt Ecclesiæ ab Apostolis, quæ tamen non sic scripta sunt in Euangeliis.*

Verba Innocentii subscribo: *Sanè multa tam de verbis, quàm de factis Dominicis invenimus ab Euangelistis omissa, quæ Apostoli vel suppleviſſe verbo, vel facto expressisse leguntur.*

Exemplificat Pontifex: *Paulus enim in Actibus Apostolorum sic ait:* Meminisse vos oportet verbi Domini Jesu, qui dixit: Beatius est dare, quàm accipere. *Hæc nullus quatuor Euangelistarum descripsit.*

licèt illam præcisè non tradiderint Euangelistæ.

Addit Doctor: *Nec obstat de Euangelistis, quia intendebant narrare rem gestam, non autem tradere formam consecrandi*; utique secundùm præcisa verba, quin æquipollentia sufficerent. Et ideo notanter adjunxi in Conclusione, *Aut aliis æquivalentibus.*

Ex quo colligitur responsio ad secundum de forma Græcorum, quam sic format Scotus. *Sed & de forma Græcorum Ecclesia non dicit eos non conficere. Unde dicunt aliqui, quòd forma eorum, & forma nostra, & quæcumque scripta in Euangelio*, utpote quia æquivalent quoad sensum, *sufficiens est ad Consecrationem: tamen in Ecclesia Romana est de necessitate ministri uti formâ, quâ utimur.* Hoc primum dubium, & plenissima ejus resolutio.

Sufficit illis æquivalens ut Sacramentum subsistat.

Secundum dubium, inquit Scotus suprà, *est, an ad formam, quâ utimur, pertineant omnia verba à loco isto*; Simili modo, *usque ibi: Unde & memores.* Et quidem de verbis præcedentibus patet quid dicendum sit ex Conclusione præcedenti.

28. Dubitatur an verba subsequentia, scilicet *Novi & æterni* &c. sint necessaria ad reliqua.

Verba sequentia sunt: *Novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum: Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.* Vel, ut legit Doctor noster ex Euang. Luca cap. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem.*

Luc. 22. Tenetur communiter quòd non quoad illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem.*

De his postremis *communiter*, inquit Scotus, *tenetur quod..... non pertinent ad illam formam hoc modo*, id est, necessitate Sacramenti.

Probat: *Quia non magis facit illud:* Hoc facite &c. *ad Sanguinem, quàm ad Corpus*; *præcepit enim Christus ita fieri Consecrationem Corporis, sicut Sanguinis.*

Imò Sanctus Lucas verba illa subjungit Consecrationi Corporis, & non Sanguinis: & Ecclesia satìs significat ad utrumque pertinere, quando dicit: *Hæc quotiescumque feceritis* &c. Quid enim refert ly *Hæc*, nisi Consecrationem Corporis & Sanguinis?

tum quia pari ratione requiruntur ad Consecrationem Corporis.

Ergo, concludit Doctor, *si illud pertinet* essentialiter *ad Consecrationem Sanguinis, pari ratione & Corporis, & per consequens quando hostia levatur, adhuc ibi non est Corpus Christi, & sic est idolatria, quod non est dicendum.*

Quin & Sanguis adoratur ante illa verba; nam secundùm Rubricas, *repositò calice super altare*, utique jam consecrato, *dicens secretò*: Hæc quotiescumque &c. *genuflexus Sacerdos Sanguinem reverenter adorat.*

29. tum quia præceptum de usu Con-

Probat Scotus secundò; *Quia præceptum de usu Consecrationis, non est de forma Consecrationis: hoc est præceptum usûs, ut verba ostendunt; ergò* &c.

Probat

consecrationis non est de forma Consecrationis;

Probat tertiò; *Per ista verba contulit Apostolis Christus potestatem consecrandi: hoc enim ordinavit eos Sacerdotes: collatio autem potestatis consecrandi non fit per verba pertinentia ad Consecrationem: quia verba Consecrationis materiam respiciunt, quæ consecratur, vel terminum, in quem consecratur: verba autem potestatem respicientia, respiciunt potestatem, quam conferunt, & illum, cui confertur. Hoc ergo tamquam certo supposito, numquid,* interrogat Doctor, *omnia verba usque illa* Hoc facite, *sunt de forma Consecrationis Sanguinis?*

tum etiam quia per ista verba contulit Christus Apostolis potestatem consecrandi.

30. Sententia affirmativa attribuitur Doctori Angelico 3. parte q. 78. artic. 3. in corpore, ibi: *Dicendum est ergo quòd omnia prædicta verba sunt de essentia formæ.* Quæris quo fundamento? Collige ex verbis ejusdem Doctoris immediatè præcedentibus: *Et inde,* inquit, *est quòd Sacerdos eodem ritu, & modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia hæc verba profert: Lucæ etiam 22. interponuntur verba sequentia verbis præmissis, cùm dicitur: Hic calix novum Testamentum est in meo Sanguine.*

D. Thomas docuit omnia verba usque ad illa *Hoc facite* &c. esse de forma Consecrationis.

Aliam rationem à priori ibidem assignat D. Thom. dicens: *Quia ea, quæ sequuntur, sunt quædam determinationes prædicati, id est, Sanguinis Christi: unde pertinent ad integritatem eiusdem locutionis.*

31. Sententia opposita est communior;

Nihilominus sententia negans est communior, & apparet verior. Colligitur quasi à posteriori primò: quia in illis verbis non est uniformitas per totam Ecclesiam; siquidem omnes Liturgiæ Græcorum omittunt particulam *Æterni*, &, *Mysterium fidei.*

Liturgia Jacobi. eò quòd in istis verbis non sit uniformitas per totam Ecclesiam;

Patet ex Liturgia Basilii, Chrysostomi, imò ipsius Jacobi Apostoli, in qua solùm dicitur: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis, & multis effunditur, & datur in remissionem peccatorum.* Quin etiam in variis Liturgiis Maronitarum (quas adscribunt S. Joanni Euangelistæ) tantùm habetur: *Hic est Sanguis meus*, teste Pontio Sum. Theol. disp. 44. n. 42. Cur autem dubitabimus, an illi verè consecrent; imò an exprimant totum, quod, etiam de integritate, jure divino est exprimendum?

Pontius.

nec Christus omnia illa dixerit;

Secundò nullus Euangelista, neque Apostolus Paulus, recitat Christum hæc omnia verba dixisse; & tamen commemorant præceptum Christi faciendi id, quod ipse fecisse narratur.

32. *D. Thom.*

Nec satisfacit responsio Doctoris Angelici suprà ad 9. *Dicendum*, inquit, *quòd Euangelistæ non intendebant tradere formas Sacramentorum, quas in primitiva Ecclesia oportebat esse occultas, ut dicit Dionys. in fine Eccles. Hierarchiæ* (cap. 7. parte 3. inter medium & finem) *sed intenderunt historiam de Christo texere.*

neque istorum Euangelistæ meminerint,

Non satisfacit inquam; quippe cùm (teste eodem Doctore) hæc omnia ferè verba ex diversis Scripturæ locis accipi possint, & jam principaliora omnes retulissent, quid causæ esse potuit, pauca illa, & minùs principalia occultandi, si erant necessaria, utì reliqua, necessitate Sacramenti?

Certè magìs exposita erant risui infidelium hæc verba: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, quam ista: *Novi & æterni Testamenti, mysterium fidei* &c. & tamen illa exprimuntur, aliqua horum omittuntur. Ut quid putas, nisi quia satìs erat narrasse essentialia?

Scio Innocentium III. cap. *Cùm Marthæ* de Celeb. Miss. (quem sequitur Doctor noster suprà allegatus) dicere, multa tradita esse Ecclesiæ ab Apostolis, quæ tamen non sic scripta sunt in Euangeliis, & inter illa Innocentium ponere prædicta verba: *Novi & æterni Testamenti* &c. Scio, & libenter acquiesco: fateor quoque cum Doctor. Angelico & Subtili, intendisse Euangelistas narrare rem gestam; non autem tradere formam consecrandi. 33.

qui non sunt censendi aliquid essentiale omisisse.

Sed numquid ex his sequitur, omisisse in suis narrationibus verba essentialia Consecrationis, aut his æquipollentia? An quia Christus adjunxit verbis Consecrationis Corporis: *Quod pro vobis datur*, ideo illa verba sunt essentialia, aut etiam pertinentia ad integritatem?

Estò igitur sint verba Christi (ut vult Innocentius) *Novi & æterni Testamenti, mysterium fidei* &c. an propterea ex præcepto Christi recitanda tamquam essentialia aut pertinentia ad integritatem? Sanè præceptum Christi de faciendo, quod ipse fecit, vel hæc non concernit, vel etiam concernit ista: *Quod pro vobis datur*, hoc dici non potest; ergo nec illud, cùm sit omnium eadem ratio.

Ratio cur in forma calicis dicatur: qui pro vobis &c. & non in forma Corporis: quod pro vobis datur.

Quæris à me, cur ergo Ecclesia in forma calicis retinuerit: *Qui pro vobis* &c. secùs in forma Corporis: *Quod pro vobis datur?* Resp. quia forma calicis posteriùs ordinariè adveniens complet oblationem Sacrificii, in qua proinde ad expressiorem repræsentationem Passionis Christi (cujus Sacrificium est commemoratio) id additur: & quia magìs aptè significatur Passio per effusionem Sanguinis, quo novum Testamentum, cujus Christus mentionem fecerat in Consecratione calicis, confirmari debuit. *Vbi enim testamentum est*, ait Apostolus Hebr. 9. v. 16. & 17. *mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est.* Hebræor. 9.

34. Probatur Conclusio quasi à priori.

Ex dictis hanc formo rationem quasi à priori: Christus verbis Consecrationis Corporis, tamquam determinationem quamdam prædicati, subjunxit: *Quod pro vobis datur*; & nihilominus sine illis verbis perfectè & completè significatur præsentia Corporis sub speciebus panis; ergo similiter absque hac determinatione Sanguinis: *Novi & æterni Testamenti* &c. præcedentia verba ex se perfectè & completè significant præsentiam Sanguinis Christi sub speciebus vini.

Subsumo: atqui quod Sacramenta significant, efficiunt; ergo antecedenter ad verba sequentia intelligitur conversio vini in Sanguinẽ; ergo

ergo non pertinent ad significationem formæ conversivæ; adeoque etsi integrarent cum verbis essentialibus unam propositionem, non propterea essent essentialia, jam enim intelligitur totus effectus positus, antequam illa proferantur; ubi autem effectus est, causa intercedat necesse est: & ubi causa sacramentalis adæquatè posita est, non est in potestate ministri suspendere effectum.

Unde quemadmodum nequit Sacerdos suspendere præsentiam Corporis sub speciebus panis, donec & usque pronuntiaverit: *Quod pro vobis datur*; pari ratione, etsi voluerit, non suspendet præsentiam Sanguinis Christi usque ad finem verborum sequentium: *Novi & æterni testamenti* &c. non magis, quàm si diceret tali intentione: *Hic est Sanguis meus de Virgine assumptus* &c.

Quod bene advertit Doctor Subtilis suprà n. 8. ubi respondens ad primam rationem Divi Thomæ (ultimo loco à nobis commemoratam) pro sententia affirmativa, inquit: *Possibile est aliqua multa addi in oratione consecrativa, quibus non expressis tota Consecratio haberetur, sicut Christus potuisset dixisse*: Hoc est Corpus meum assumptum de Virgine, & suspendendum in Cruce, *sicut dixit de Sanguine*, Qui pro vobis fundetur; *& tunc licet verba illa fuissent dicenda propter devotionem, non tamen fuissent simpliciter necessaria ad formam, licèt ad eandem orationem pertinerent.*

Enimverò, quando verba sequentia non variant sensum propositionis; sed dumtaxat serviunt ad illum magis explicandum (prout in præsenti) priora verba habent suam veritatem ante prolationem posteriorum, si ante illam prolationem habeant sensum perfectum: non enim requiritur ad veritatem propositionis, quòd ejus sensus explicatus sit omnibus modis, sed sufficit, si jam sit significatus per voces sufficientes, absque intentione limitandi, aut variandi illum per verba sequentia.

Quod ultimum addo; quia si quis diceret: *Hoc est Corpus meum aëreum*, non conficeret Sacramentum, bene si adderet, *carneum, pretiosum*, aut simile epythetum, etiam antequam illud esset prolatum. Ratio disparitatis est, quia ly *aëreum* adjicitur intentione variandi significationem ly *corpus*, ut videlicet significet corpus falsum seu fictum, quod tamen ex institutione sacramentali necessariò designat Corpus Christi verum & reale.

Hìc ergo deficit Sacramentum defectu debitæ intentionis, id est, quia Sacerdos suâ intentione immutat significationem illorum verborum. Contrarium cernitur quando additur ly *carneum, pretiosum* &c. quia illa non variant significationem præcedentium verborum; sed solùm magis explicant

Sicut si quis baptizans diceret: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Paracleti*, vel, *ab utroque procedentis*, nemo docet effectum Baptismi differendum usque ad prolationem postremi verbi; sed affirmant omnes ponendum esse, ubi primùm profertur ly *Spiritus Sancti*. Vide quæ diximus disp. 1. sect. 3. concluf. 4.

Profectò propositionem aliquam posse habere perfectum sensum, & veritatem ante prolationem omnium verborum, constat in institutione hæredis, hisce verbis: *Instituo hæredem fratrem meum*, valet institutio, si testator unicum habeat fratrem, tametsi voluisset, ad majorem explicationem, addere proprium ejus nomen, v. g. Petrum. Similiter si ultima syllaba formæ sacramentalis diutiùs protraheretur, ante absolutam totam pronuntiationem conficeretur Sacramentum statim atque sensus est perfectus.

37. Ostenditur exemplo, propositionem posse habere perfectum sensum ante prolationem omnium verborum:

Et verò quis credat absolutionem à peccatis fore invalidam, si quis diceret: *Ego te absolvo à peccatis*, & ex oblivione omitteret ly *tuis*? Aut irritam esse Ordinationem, nisi ad istlhæc verba: *Accipe potestatem Missas celebrandi*, accederet, *pro vivis & defunctis*? Nonne per dicta verba sufficienter significatur remissio peccatorum, & potestas Sacerdotii? Pluſquam sufficienter.

& pater in hac forma absolutionis: *Ego te absolvo à peccatis.*

Idem cernitur in applicatione materiæ, v. g. in ablutione, unctione &c. Etenim non suspenditur effectus prolatæ formæ Baptismi, aut Confirmationis quoadusque minister desinit abluere, aut ungere; sed, non obstante intentione ministri, quâ vult totam concurrere, statim ponitur posità ablutione, vel unctione, quæ per se sufficit, ut homo simpliciter dicatur ablutus, vel unctus, quod non pendet ab intentione abluentis, aut ungentis, ut clarùm est.

38. Idem cernitur in applicatione materiæ, per se sufficientis.

Ergo similiter minister in hoc Sacramento non potest facere, ut verba essentialia non significent, aut aliud significent, quàm ad quod significandum à Deo, & hominibus sunt instituta, per hoc præcisè, quòd velit addere aliqua verba ad majorem eorum explicationem seu determinationem.

Et maximè quando verba quæ adduntur sunt nova propositio, qualia in præsenti sunt: *Qui pro vobis, & pro multis* &c. Unde dicit Scotus suprà: *Multò minus etiam valet illa probatio de illo*, Qui pro vobis, *quàm de illo*, Novi & æterni. *Posset enim intelligi illa oratio in sensu compositionis, vel divisionis, sicut distinguitur illud sophisma*: Omnis homo, qui est alius à Sorte, currit; *licet in sensu compositionis, implicatio sit pars eiusdem orationis: & ita posset intelligi in proposito, ita quòd ante illud*, Qui, *non esset oratio perfecta, vel per ly* Qui, *inciperet oratio copulata præcedenti in sensu scilicet divisionis, & exponeretur secundum Priscianum ly*, Qui, *pro*, Et ille.

Maximè hoc habet locum, quando verba, quæ adduntur, sunt nova propositio

Consimiliter per illud, Novi testamenti, *intelligitur communiter secundùm Sanctos Confirmator, in quo intelligitur implicatio, Sanguinis mquam, qui est Confirmator novi & æterni testamenti* &c. Ut sensus sit: Hic est calix Sanguinis mei, qui est Confirmator novi & æterni testamenti, qui est mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur &c.

39. Quis jam adeò hebes, ut non intelligat significationem, & per consequens veritatem primæ propositionis, minimè dependere à significatione & veritate posteriorum? Quid si aliquis per integram horam velit discurrere de laudibus Sanguinis implicando omnia per relationem, *Qui*, aut similem; an ideo una erit oratio seu propositio, & suspensa manebit significatio & veritas primæ propositionis: *Hic est Sanguis meus*, usque in finem orationis?

tunc enim prima propositio non dependet à significatione & veritate posteriorum.

Vel si statim vera est, sequitur ex dictis, continuò Sanguinem Christi ibi esse præsentem, testimonium perhibente Concilio Tridentino sess. 13. cap. 4. *Quoniam*, inquit, *Christus Redemptor noster, Corpus suum id quod sub specie panis offerebat verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit; idq; nunc denuo Sancta hæc Synodus declarat per Consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis eius.*

Trident.

Vndè Patres ex veritate verborum Christi colligunt transubstantiationem.

Ubi Patres ex veritate verborum Christi colligunt transubstantiationem; adeoque realem præsentiam Corporis & Sanguinis sub speciebus panis & vini.

40. Objectio.

Dices; ergo Deus nequidem potuit sic instituere hoc Sacramentum, ut illa verba requirerentur; sicuti Deus non potuit facere, ut ad veritatem primi articuli symboli Apostolici, requireretur veritas omnium aliorum, qui ipsi connectuntur per relativum, *Qui*, aut per conjunctionem, *Et*.

Luc. 3. Similiter quòd tota series progenitorum Christi Lucæ 3. v. 23. *Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Mathat*, &c. quòd inquam propter falsitatem unius progenerationis, tota series esset falsa.

Responsiones. Lugo.

Respondent aliqui, ita potuisse à Christo fieri, sed non probari factum. Card. Lugo disp. 11. n. 67. concedit totum, retentis prioribus verbis in sua significatione rigorosa, quam nunc habent; & meritò, quippe, ut ostendimus, & probant clarè similia statim adducta, non est ibi una propositio, sed duplex, vel triplex, quarum prior in sua veritate nullo modo pendet à posteriori; sic quòd nisi verbis istis prolatis: *Hic est Sanguis meus*, Sanguis ibi præsens sit, propositio illa absolutè sit falsa, adeoque inefficax pro quocumque instanti præsenti, vel futuro.

Prolatis illis verbis: *Hic est Sanguis meus*, propositio erit falsa, si non sit ibi Sanguis.

41. Et si objicias; quia in forma Baptismi necessaria est invocatio Sanctissimæ Trinitatis, quæ est propositio distincta. Respondetur, priora verba: *Ego te baptizo*, esse vera, licèt pro tunc non habeant suum effectum sacramentalem, siquidem ex institutione hominum significant ablutionem materialem, quæ pro tunc supponitur præsens.

His verò prolatis: *Ego te baptizo*, haberur quidem veritas propositionis, non tamen effectus sacramentalis, qui pendet ab institutione Christi.

At verò ablutionem animæ à peccato non designant, nisi ex institutione divina, quâ procul dubio fieri potuit, ut eam non significarent, nisi post invocationem Sanctissimæ Trinitatis; præsertim cùm adhuc vera sint, licèt ablutio externa præcesserit, vel subsequatur immediatè prolationem; quia non significant ablutionem metaphysicè, sed moraliter præsentem.

Si ergo ad eorum veritatem non requiratur Physica præsentia objecti materialis; minùs Physica præsentia effectus sacramentalis. Quod in Sacramento Ordinis, & Confirmationis eodem modo procedit.

Idem apparet in Sacramento Matrimonii.

Apparet quoque in Sacramento Matrimonii, cujus forma non est vera, quia statim efficit gratiam; sed quia supponit consensum internum, quem ex hominum institutione significat: duobus autem consensibus externis in unum convenientibus, superadditur institutio sacramentalis ad significandam gratiam, sine qua adhuc essent veri, imò & obligatorii.

Nunc verò, etsi non semper statim conferatur gratia, defectu dispositionis subjecti, neque etiam, juxta probabiliorem sententiam, Sacramentum illud reviviscat: fuit tamen Sacramentum verum; tum quia causavit vinculum indissolubile, tum quia natum erat gratiam efficere in subjecto dispositio, quod sufficit ad veritatem significationis sacramentalis, ut ex alibi dictis constat.

42. Verba Eucharistica idem significant & naturaliter, & sacramentaliter.

Ad propositum: verba Eucharistica idem omnino significant naturaliter, id est, ex institutione humana, & sacramentaliter, id est, ex institutione divina, scilicet præsentiam Physicam Corporis & Sanguinis: licèt enim homines non dederint illis infallibilitatem in significando; dederunt tamen vim significandi Sanguinem præsentem, quando verba illa instituerunt ut humana; nec solùm præsentem moraliter, sed metaphysicè, seu mathematicè.

Et ideo dixit Card. *Retentis prioribus verbis in sua rigorosa significatione*, quam scilicet ex prima institutione hominum acceperunt. Quod ex se adeò clarum est, inquit Dicastillo disp. 3. n. 111. ut pudor esse possit terere tempus in ea re tam per se nota explicanda & confirmanda. Dicastillo.

Sed amabò, num minùs per se notum est, Christum, qui erat Deus & homo, potuisse mutare illam primævam significationem humanam, instituendo illas voces, ut significarent solam præsentiam moralem? Quidni ergo & pudor sit terere tempus in ea re tam clara explicanda & confirmanda?

Vel ob quam causam rem adeò claram, revocat

cat Dicastillo in dubium, dicens: Dubium incidens: An potuisset institui hoc Sacramentum ita ut essent omnia illa verba necessaria ad consecrandum?

Sanè mihi tam certum est & clarum, imò certius & clarius, potuisse Christum sic instituere illud Sacramentum in sensu Dicastillonis, nimirùm immutando illam primævam significationem, quàm non potuisse in sensu Lugonis, puta retinendo primævam significationem.

Ratio mea magis dubitandi est, quia non est satis clarum, verba illa *Hoc est Corpus meum*, ex primæva sua institutione non significare, nisi rem mathematicè præsentem; quippe secundùm Lugonem disp. 4. n. 124. in vulgari sermone possum dicere: *Hic est homo sapiens*, dum loquor de homine qui proximè antea erat præsens, & jam abiit. Cur eodem modo non possem dicere: *Hic est homo sapiens*, dum loquor de homine, qui moraliter tantùm est præsens, mox futurus physicè?

Non dubito Cardinalem id libenter admissurum; sed responderet, ut suprà respondet in primo casu, ibi non demonstrari talem hominem per solum pronomen, sed per adjunctas circumstantias, & in ordine etiam ad discursum auditorum. Jam autem in Consecratione per ly *Hoc*, debet significari omnino res præsens independenter à circumstantiis, & ab omni alio nutu, vel signo, adeoque præsens physicè seu mathematicè, nisi velis admittere, posse consecrari hostiam moraliter tantùm præsentem.

Et siquidem Christus non requisivisset demonstrationem illam strictam ac rigorosam, non dubium quin omnia illa verba, quæ de facto pronuntiantur in Consecratione calicis, & plura alia potuissent esse necessaria; tunc etenim ad veritatem istorum quatuor verborum *Hic est Sanguis meus*, satis esset præsentia Sanguinis in fine omnium istorum verborum.

Hactenus de prima ratione D. Thomæ. Discutiamus etiam secundam & tertiam. Secunda erat, *quòd Sacerdos eodem ritu & modo, scilicet tenendo calicem in manibus, omnia illa verba profert.* Addit Dicastillo suprà n. 74. *& etiam maiusculis litteris designentur in Missali:* quod ego nusquam reperio in Divo Thoma, ubi ipse legerit, nescio; fortè in aliquo Thomista.

Sed neque hæc ratio Doctoris Angelici, neque additio quidpiam convincit. Enimverò etiam ly *Enim*, eodem ritu & modo profertur à Sacerdote, & eisdem litteris scribitur. Quis tamen propterea docet hanc vocem esse essentialē?

Et verò ratio quare eodem ritu & modo proferantur, est; quia aliquo modo pertinent ad eandem orationem, adeoque sine inconvenienti nequeunt verba illa interrumpi. Deinde sic melius imitamur Christum, qui sine interruptione dixit.

Confirmatur à simili; formæ absolutionis eodem tenore additur: *In nomine Patris* &c. cùm tamen invocatio Sanctissimæ Trinitatis non sit essentialis. Accedit, non paucos celeriùs proferre, *Novi & æterni testamenti* &c.

Breviter, hæc est forma necessaria necessitate præcepti, sive hæc est forma, quâ utitur Ecclesia Romana: *Hic est enim calix Sanguinis mei, novi & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quibus verbis, ut loquitur Catechismus Romanus p. 2. cap. 4. §. 20. *comprehendi* formam essentialem *certò credendum est.* Omnia autem esse essentialia valde incertum.

Et quamvis Catechismus diceret, omnia esse essentialia, nolim mireris Lector; quia à Thomistis compositus est: & Pius V. cujus auctoritate & jussu primùm editus, quoniam & ipse Thomista, fecit expungi communem sententiam ex Commentario Cajetani in art. 3. q. 78. ægrè ferens Archithomistam in hoc recedere à sententia Divi Thomæ; absque tamen ullo præjudicio opinionis contrariæ, quæ, etiam post illam expunctionem, semper mansit communior.

Ad tertium itaque fundamentum Divi Thomæ suprà, admitto ly *Novum testamentum* apud Euangelistam Lucam cap. 22. v. 20. interponi verbis essentialibus ibi: *Hic est calix novum testamentum in meo Sanguine.* Sed quid tum? Etiam ly *Enim* interponitur, Matth. 26. v. 28. *Hic est enim Sanguis meus.* Præterea quis Euangelistarum interposuit: *Mysterium fidei, qui pro vobis* &c.?

Dato etiam gratis, quòd concurreret ad effectum, quando interponeretur; æstimas, quia inde rectè infertur: ergo de facto concurrit, quando postponitur? Noli sic argumentari; sed potiùs dicito: dum interponeretur, nondum forma haberet sensum perfectum, adeoque effectus minimè censeretur productus; dum autem postponitur, jam verba essentialia, quæ præcesserunt, perfectè significant, ac per consequens causant effectum; ergo verba, quæ subsequuntur, nequeunt ad eum concurrere.

Exemplum habes in forma Pœnitentiæ, ubi ly *A peccatis tuis*, secundùm plurimos, non concurrit ad remissionem peccatorum, si sequatur verbum, *Absolvo*, bene autem si præcedat: quia quando sequitur, jam invenit peccata remissa; secùs quando præcedit.

Et sicut, inquit Lugo suprà n. 81. illa vox *Calix*, necessaria non est (posset enim dici: *Hic est sanguis meus*) & tamen de facto concurrit ut essentialiter necessaria, quia sine illa non explicaretur sufficienter sensus cum illo genitivo, *Sanguinis mei*; requiritur quippe essentialiter vel *Sanguis meus*, in recto, vel aliud rectum cum Sanguine in obliquo: sic illud, *Novum testamentum*, sine quo posset esse Consecratio, si Sanguis diceretur in recto, concurrit tamen ut essentiale in illis verbis: *Hic calix novum testamentum est in meo Sanguine*, quia absque illis verbis, *Novum testamentum*, non significaretur sufficienter sensus, posito Sanguine in ablativo. Hæc ille.

&c. in forma absolutionis.

Assignatur forma necessaria necessitate præcepti. *Catech. Rom.*

Cajetanus.

45. Respondetur ad tertiam rationem Divi Thomæ.

Ly *Novum testamentum*, estò concurreret ad effectum si interponeretur;

secùs tamen si postponatur.

Exemplificatur in forma Sacramenti Pœnitentiæ,

46. *Lugo*, & in verbo isto *calix.*

Absque illis verbis *Novum testamentum*, secundùm Lugo non satis significatur sensus formæ.

Objectio. Audio reclamantem; si dixero: *Hic est Calix in Sanguine meo*, nonne rectum, *calix*, ponitur cum Sanguine in obliquo, adeoque sufficienter significatur sensus absque illis verbis, *Novum testamentum?*

Dubito; quippe ly *In Sanguine meo*, idem videtur esse, quod *ratione Sanguinis mei*, ut sensus sit: *Hic est calix ratione Sanguinis mei*, sensus herculè imperfectus, nisi addatur ly *Novum testamentum.*

Sed contrà: *In Sanguine meo*, idem videtur esse, quod *Sanguinis mei*, ac proinde sensus perfectissimus, idem planè cum sensu formæ communis: *Hic est calix Sanguinis mei novum testamentum*, sive, *Novi testamenti*, id est, quo novum testamentum conditur & firmatur. Improba efficaciter, si potes.

47. Forma S. Lucæ valida est. Interea, ly *Novum testamentum* estò sit verbum essentiale in forma S. Lucæ (quam validam existimo, quidquid aliqui sine ratione censuerint non valere; & de facto reperitur in *Missa S. Isidori.* Missa Sancti Isidori, quæ habetur in Ecclesia Toletana) certè non in hac: *Hic est calix novum testamentum*, seu, *novi testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur Sanguinis mei.*

Ly *A peccatis* dum præcedit verbum *Absolvo* est de essentia Sacramenti; Et si quæritur à me, quare minùs, quàm ly *A peccatis tuis*, quando præcedit verbum *Absolvo?* Resp. paucis; quia ly *A peccatis* est de necessitate & essentia Sacramenti, saltem quoad sensum, sic, ut non satis sit, *Absolvo te*, nisi quatenus tacitè intelligitur *A peccatis.* At, *Novi & æterni testamenti* &c. nequidem quoad sensum tacitè includitur, aut includi debet in verbis essentialibus formæ: *Hic est Sanguis meus.*

Veluti si quis diceret: *Hic est calix in ultima cœna oblatus, continens Sanguinem meum:* ly *In ultima cœna* &c. etsi interponatur verbis essentialibus, equidem non concurrit ad effectum; quia non spectat ad significationem sacramentalem, seu ad sensum formæ conversivæ: sicuti non concurreret ly *Glorioſum* interpositum verbis Consecrationis Corporis, dicendo: *Hoc est glorioſum Corpus meum.*

48. imò secundùm aliquos est de necessitate exprimendum. Adde, ly *A peccatis*, secundùm aliquos, de necessitate esse exprimendum, sic ut aliàs forma non valeret, de quo in materia de Pœnitentia. Docet etiam quidam Auctor, quando additur, semper concurrere, & suspendi effectum ad ejus positionem; quia, inquit, ly *Absolvo*, tunc sumitur in significatione sua generali, & indefinita, ac determinatur ad absolutionem à peccatis significandam, per ly *A peccatis.* Porrò ly *Absolvo*, in generica significatione sumptum, non sufficit ad significationem essentialem formæ.

Sed responderi posset ly *Absolvo*, satis determinari per internam intentionem absolventis; adeoque *A peccatis*, solùm addi ad majorem seu clariorem explicationem, ac proinde ad ipsius positionem non debere suspendi effectum.

Dices; saltem ly *Ego*, validè omittitur, dicendo; *Absolvo te, Baptizo te*, &c. Et tamen dum additur, concurrit. Resp. non mirum, quia pertinet ad significationem essentialem formæ, & quando ponitur, consignificat cum cæteris propositionis partibus; etsi omissum implicitè contineatur in verbo indicativi modi primæ personæ: hîc nihil horum. Ly *Ego* validè omittitur. Appositum consignificat cum cæteris propositionis partibus.

Sed quid si dicatur: *A peccatis tuis te absolvo ego?* Resp. non concurrere ad effectum, qui determinatissimè significatur, & consequenter causatur per verba præcedentia, & ipsum *Ego* determinatissimè includitur in ly *Absolvo.* nisi postponatur post verbum *Absolvo.*

Instas; secunda, & tertia ablutio in Baptismo sunt essentiales, & tamen sufficit una. Fateor, si præcedant completionem formæ; utì etiam quarta, & quinta, aut una copiosa, scilicet tamquam ablutio cum aqua naturali, quæ tota determinatur à forma; adeoque consignificat. 49. Objectio. Solutio.

Hinc si interponeretur inter primam, & secundam ablutionem cum aqua naturali, ablutio cum aqua rosacea, hæc nequaquam concurreret; quia scilicet non determinaretur à forma, utpote planè impertinens ad significationem sacramentalem.

Et ita se habet ly *Novum testamentum*, etiam dum interponitur verbis essentialibus in forma communi: quippe nullatenus significat, aut consignificat conversionem vini in Sanguinem Christi. Aliud esset si ultima syllaba ly *Calix*, aut ly *Sanguinis* longiùs protraheretur, quàm fit necessarium ad perfectam significationem; equidem tota concurreret, quia saltem consignificaret antepositionem effectus. Ly *Novum testamentum*, etiam interponitur verbis essentialibus, impertinens est ad significationem sacramentalem.

Urges cum aliquibus Thomistis; sicuti digitus non est de essentia & necessitate hominis, est tamen de integritate: & satisfactio pars substantialis & integralis Pœnitentiæ, tametsi non essentialis: ita quoque verba ista subsequentia, *Novi & æterni testamenti* &c. possunt esse pars integralis & substantialis, quantumvis non essentialis. 50.

Resp. hoc esse excogitatum imprimis contrà apertam mentem Divi Thomæ (quam tamen volunt salvare) ut patet ex ejus verbis q. 60. art. 8. in corpore ibi: *Manifestum est quòd si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia formæ sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum; & ideo non perficitur Sacramentum.* nec possit dici pars integralis Sacramenti. D. Thom.

Deinde sine ullo fundamento, quale habemus pro satisfactione sacramentali, quæ & habet specialem effectum, scilicet remissionem pœnæ temporalis, & constat, eam non esse essentialem, quandoquidem sequatur, aut certè sequi possit Sacramenti susceptionem, & gratiæ collationem.

Et digitus nonne communicat substantiam suam corpori, & informatur eâdem animâ rationali cum toto? Quæ ergo similitudo digiti cum verbis sequentibus? Sanè digitus instrumentum

mentum est operandi; verba autem posteriora nullam vim aut effectum conferunt Consecrationi.

Concludamus hanc controversiam verbis Doctoris nostri suprà n. 9. *De isto*, inquit, *secundo articulo dico breviter, quòd non est nobis traditum omnino certitudinaliter, an ad formam Consecrationis Sanguinis pertineant aliqua verba post illud*, Sanguinis mei, *vel an aliquod illorum sequentium usque illic*, Hoc facite &c. *Ideò periculosum est hoc asserere, de quo sufficiens auctoritas non habetur: non est autem periculosum ignorare, quia videtur ignorantia invincibilis.*

Hìc carpitur Doctor à Soto (cum omni tamen reverentia celeberrimi Auctoris, ut loquitur) quòd laxa hæc sit licentia ignorandi, quæ sit forma Sacramenti, neque sit valde tuta; nam cùm Ecclesia præscriptis formis Sacramentorum utatur, quamvis licitum sit, verbum aliud pro alio æquivalens usurpare, tamen non licet liberiùs rem extendere. Haud enim pium est credere, quòd Christus, ac subinde Apostoli in re tam necessariâ, quàm sunt materia, & forma Sacramentorum, Ecclesiam tam ancipitem & perplexam reliquerit.

Sed quid hæc ad Doctorem nostrum? Multùm, inquis; quippe verbis præallegatis continuò subjungit. *Ex hoc patet improbatio cuiusdam dicti minus discreti, quòd necesse est in quolibet Sacramento scire præcisè, quæ verba sunt de forma, ad hoc ut aliquis conferat Sacramentum. Istud enim manifestè falsum est, non solum in proposito; sed etiam in Baptismo, & Pœnitentia, & Sacramento Ordinis.*

Anne hoc verum non est? Alioquin undè tot altercationes inter Doctores de hac, vel illâ particula formæ, sive Baptismi, sive Pœnitentiæ, an necessaria necessitate Sacramenti, an solius præcepti? Hic asserit ly *Te*, in forma Baptismi requiri ad valorem; Ille negat. Iste prætendit formam Pœnitentiæ non valere nisi addatur ly *A peccatis tuis*; Hic docet valere sine tali particula, & ita in pluribus aliis verbis, imò & in ipsa materia plurimæ inveniuntur oppositæ sententiæ circa earum necessitatem.

Et cogitabimus unumquemque ministrum debere scire, imò posse scire præcisè, *quæ verba sunt de forma* ad hoc ut conferat Sacramentum? Certè puto nec ipsum Sotum tam insignem Doctorem id sciviſse.

Neque ideò Ecclesia perplexa est aut anceps: scit quippè certò communes formas semper esse sufficientes, & si adsit debita intentio, semper conficere Sacramentum, cæteris ex parte materiæ, & suscipientis concurrentibus.

53. Quare Scotus suprà n. 6. loquens de forma ordinaria Sanguinis: *Non dubito*, inquit, *quin forma nostra sit certa.* Et n. 9. post verba suprà recitata. *Fortè enim nullus est, qui sciat pro certo, nec Episcopus, nec ordinatus, quæ sint præcisa verba Ordinationis in Sacerdotem: & tamen non est dicendum, quòd nullus est ordinatus in Sacerdotem in Ecclesia. Consimiliter diversi utuntur diversis verbis in conferendo Sacramentum Pœnitentiæ, nec est certum de aliquibus verbis præcisis, quæ sint illa, non tamen dicendum est, quòd nullus absolvatur in Ecclesia.*

Quare? Quia omnes sciunt formam, quâ utuntur, esse certam; quamvis nesciant, an omnia verba, & quæ ex illis, & quæ non, sint essentialia. Vide candide Lector, quàm facili negotio verba Scoti possint explicari in bono sensu, vero, & Catholico ab his, qui bonæ sunt voluntatis.

Suffecit enim, quòd omnes sciant formam, quâ utuntur, esse certam; quamvis nesciant an omnia verba sint essentialia:

Quapropter placeat unicuique ministro consilium Doctoris nostri in hac re. Et quod illud quæso? *Dico*, inquit suprà, *quòd Sacerdos intendens facere quod facit Ecclesia, legens distinctè verba Canonis à principio usque ad finem, verè conficit: nec est tutum alicui se reputare valdè peritum de scientia suâ, & dicere, volo uti præcisè istis verbis pro Consecratione Sanguinis* (aut confectione alterius Sacramenti) *sed securior est simplicitas, Volo ista verba proferre sub ea intentione, sub qua Christus instituit ea esse proferenda, & quæ de Christi institutione sunt de forma, dico ut de forma, & quæ ad reverentiam, ad reverentiam.*

adeoque acceptandum consilium Scoti in hac materia.

54. Quòd si nondum quiescit animus; sed ulteriùs indagare satagit, atque interrogat: Si ante omnia verba prolata contingeret mori Sacerdotem, numquid habendus esset Sanguis tamquam verè consecratus? Resolvit Doctor, *Dico hic, sicut in quodam casu superiùs præmisso: si quis Sacerdos inciperet sic loqui:* Hoc est Corpus meum, *non prædicens verba præmissa tot aliter, quòd in omnibus talibus non est adorandum, nisi sub conditione, si verè consecratum est.*

Sed quid si Sacerdos moreretur ante prolationem omnium verborum formæ ordinariæ?

Rursumque inquirens: *Et numquid iteranda sunt verba?* Respondet, *quòd non absolutè. Sed numquid sub conditione? Dico quòd hic non est talis necessitas, sicut in Baptismo, quia ibi quando dubitatur de baptizatione, dubitatur de salute: ideo licitum est ibi quandoque sub conditione baptizare. Sed hic si probabiliter dubitatur in altero istorum casuum, an Consecratio sit completa, nullum periculum salutis imminet, si non iteretur, nec absolutè, nec sub conditione.* Ita Scotus suprà n. 10.

Resolvit Doctor Subtilis, non esse iteranda verba sive absolutè, sive sub conditione.

55. At verò, dicet aliquis, imminet quandoque periculum imperfecti Sacrificii. Quid enim si Sacerdos post Confecrationem Corporis semiprolatâ formâ Sanguinis obierit, & moraliter impossibilis sit alius calix? Num tali eventu non est Confecratio iteranda, nec absolutè, nec sub conditione? Sanè præscribunt Rubricæ Tit. de defect. cap. 10. n. 3. *Strobient* (Sacerdos) *semiprolatâ formâ Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, & super eundem calicem repetat integram formam ab eo loco:* Simili modo postquam cœnatum est. *Vel posset super alium calicem præparatum integram formam proferre, & hostiam primi Sacerdotis, & Sanguinem à se consecratum sumere, ac deinde calicem relictum semi-consecratum.*

Objectio.

Rubricæ.

Responsio. Fateor id præscribunt Rubricæ: sed quid intelligant per ly *semi-prolatâ formâ Sanguinis*, ibi non satis significant. Possent proinde intelligi hæc verba: *Hic est enim calix*; & tunc proculdubio repetenda foret integra forma absolutè super eundem, vel alium calicem.

56. Proponitur casus notabilis. Ponamus igitur casum, Sacerdotem ex oblivione omisisse ly *Novi & æterni testamenti* &c. factaque elevatione calicis ejus recordari, quid facto opus? Iteranda sunt verba sub conditione, ne fortè Sacrificium maneat imperfectum, & ut evitetur periculum materialis idololatriæ, nisi dixeris Consecrationem sine illis verbis: *Novi & æterni testamenti* &c. esse moraliter certò validam, ita ut Sacerdos probabiliter non possit dubitare se aliquid essentiale omisisse.

Rubricæ. Quippe sic lego in Rub. suprà cap 5. n. 3. *Si celebrans non recordetur se dixisse ea, quæ in Consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certò ei constet se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam Consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, & cætera prosequatur per ordinem. Si verò valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam, saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius.* Infero: ergo si in casu proposito Sacerdos non dubitet valde probabiliter se aliquid essentiale omisisse, non iteret formam, sed procedat ulteriùs.

Materiam dubiè consecratam non esse semper servandam, docet Scotus. De cætero rectè docet ibidem Scotus, materiam sic dubiè secundùm ipsum consecratam, non esse semper servandam; *Quia*, inquit, *putresceret; sed Sacerdos post communionem in sua Missa potest illam materiam recipere, sub intentione conditionata tali; si illud est consecratum recipio ut consecratum: sed si non, non, sed ut tale, de quo est incertum; nec in hoc potest esse periculum, quia tenuus est ante perceptionem vini ablutionis, & si non est Sanguis, quod percipit: non tamen facit irreverentiam Corpori & Sanguini iam perceptis, quia mox post Sanguinem iam perceptum, statim in altari percipimus purum vinum.* Hæc Doctor noster de præsenti controversia.

57. Impugnatur sufficientia formæ communis ex his verbis, quibus utuntur Græci: *Emitte Spiritum tuum &c.* Supereſt altera circa sufficientiam formæ communis, tam panis, quàm vini, quæ oritur ex usu Ecclesiæ Græcæ, in qua Sacerdos post verba Consecrationis prolata, sic deprecatur Deum: *Emitte Spiritum tuum, & fac hunc panem pretiosum Corpus Christi tui; quod verò in hoc calice est, pretiosum Sanguinem Christi tui* &c.

Quæ verba, vel æquipollentia habentur in Liturgiis Beati Jacobi Apostoli, & SS. Basilii ac Chrysostomi: imò & in Missa Clementis VIII. ut ipse refert in Const. Apostolicis lib. 8. cap. 17. Ex quibus videtur colligi, non fuisse factam Consecrationem per verba ordinaria, donec per invocationem S. Spiritus perficiatur.

58. Respondetur illa verba non esse Resp. unico verbo cum Lugone suprà sect. 1. n. 10. non peti illis verbis, panem illum fieri Corpus, & calicem Sanguinem Christi, sed panem hunc, qui est Corpus Christi, & calicem illum, qui est Sanguis, fieri nobis in salutem & remissionem peccatorum; ita ut ly *Corpus*, &, *Sanguis* non teneant se ex parte prædicati, sed subjecti seu appositivè, ut loquuntur Grammatici. consecratoria Corporis & Sanguinis,

Colligo ex Missa Æthiopum, quæ habetur tomo 4. Bibl. & verisimiliter composita est ab Apostolis, vel eorum discipulis, in qua hanc lego orationem post verba Consecrationis: *Oramus te Domine, ut mittas Spiritum Sanctum super hunc panem, & hunc calicem, videlicet Corpus & Sanguinem Domini & Salvatoris nostri Iesu Christi in sæcula sæculorum, Amen. Tribue simul omnibus ex eo sumentibus, ut fiat eis ad sanctificationem, & plenitudinem Spiritûs Sancti* &c. ut colligitur ex Miss. Æthiopum,

Similis oratio invenitur in Missa Romana post fractionem hostiæ: *Fiat commixtio, & Consecratio Corporis, & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi accipientibus nobis in vitam æternam.* Sic olim erat; nunc autem ut sensus sit clarior, ly *fiat*, positum est in fine: *Hæc commixtio, & Consecratio* &c. *fiat accipientibus* &c. item ex Missa Romana,

59. & ex relatione Bessarionis Cardinalis, Atque hoc modo fertur respondisse Bessarion Card. aliique Græci desuper interrogati in Concilio Florentino, causantes se istas preces addere, quo modo Latini suas post Consecrationem, magisque ad gratulatoriè propter Consecrationem factam, & ut ostendatur Spiritum Sanctum esse doni auctorem, quàm deprecatoriè. Undè etiam statim post verba Christi, Sacramentum proponunt adorandum, non exspectatis illis precibus seu adgratulationibus.

Nonne ex veritate, & vi verborum Christi, rectè colligit Tridentinum sess. 13. cap. 3. & 4. conversionem panis & vini, in Corpus & Sanguinem Christi? Liquet igitur illas preces nequaquam esse consecratorias; sed tantùm piam quamdam ceremoniam, ad excitandam fidem, & devotionem erga illud Augustissimum Sacramentum. item ex Conc. Tridentino, inferente ex vi verborum Christi conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi,

60. Vide plura apud Lugonem suprà, ubi distinctè examinat & explicat, secundùm sensum prædictum, verba Jacobi, Basilii, Chrysostomi, & Clementis.

Sufficere debet Romano Catholico definitio Concilii Florentini in Decreto Eugenii: *Forma huius Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur* (alii, *conficit*, alii, *confecit*) *Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum.* Clarum autem nimis est, illas orationes, vel quocumque alio nomine velis vocare, neque esse verba Christi, neque à Sacerdote proferri in persona Christi; adde, neque necessarias esse, ut verba Christi in persona Christi proferantur. & Florentino assignante formam ordinariam & necessariam hujus Sacramenti.

Verùm enimverò cùm audio mentionem fieri personæ Christi, subit animum cogitatio, & pariter dubitatio, an forma Consecrationis proferatur recitativè, an verò enuntiativè, seu significativè. Resolutio erit.

CON-

CONCLUSIO III.

Verba Consecrationis proferri debent de necessitate Sacramenti enunciativè in persona Christi: jam etiam proferuntur recitativè.

61. Quomodo verba debeant proferri ad rem. Dub. 17.

VErba proferuntur recitativè, seu historialiter, vel, ut alii, materialiter, quando loquens nihil intendit per illa affirmare; sed solùm referre, quid alius dixerit; ut Psalm. 13. v. 1. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Et ita communiter proferimus verba aliorum Auctorum, quorum auctoritati non acquiescimus; v. g. *Aristoteles dixit, quòd mundus fuit ab æterno.* Porrò enuntiativè seu significativè, vel, ut alii, formaliter proferuntur verba, quando loquens intendit affirmare vel negare, quod verba sonant.

Et verò qui aliqua verba solùm recitat, verum dicit, etsi verba illa sint falsa, modò sint ab alio prolata, sicut ipse recitat; qui autem ea refert significativè, falsum dicit, nisi verba sint conformia rebus significatis.

62. Vide Conferentias nostras de Deo Trino, & Incarnato.

Hoc supposito: verba Consecrationis tantùm dici recitativè & materialiter, censuit Innoc. III. lib. 4. de Myst. Miss. cap. 17. ibi: *Nam si opponatur de Sacerdote, quis tunc consecrat, quùm illa verba pronuntiat? Respondetur quòd Sacerdos nihil demonstrat, quùm illis verbis non utatur enuntiativè, sed recitativè, quemadmodum Christus ait:* Ego sum vitis vera, Ego sum lux mundi, *& innumera alia.* Innocentio subscribunt Durandus, Major, Catharinus, Mirandulanus.

Hanc sententiam latè probat Salmeron tom. 9. in Euang. tract. 13. cujus scripta (inquit Dicastillo suprà n. 144) si vidisset Vasquez, fortè huic sententiæ non ita facilè erroris notam inureret, quod immeritò facit disp. 200. n. 14. Hæc sententia mihi, præsertim viso Salmerone suprà §. *Tertia difficultas* valde probabilis apparet. Hucusque Dicastillo qui tamen jejuna satìs fundamenta adfert in favorem istius opinionis: nec fundamenta sententiæ communis solvere conatur.

Videtur Christum fecisse; infallibile.

Video posse concipi, Christum sic instituisse, ut quando Sacerdos verba Christi solùm recitaret, cum intentione tamen consecrandi, consecraret; loquens utique in persona Christi, quia juxta institutionem Christi: sicuti Ecclesiastes communiter dicitur nonnulla loqui ex persona impiorum, quæ tamen non affirmat, sed solùm recitat.

63. Attamen non sic instituisse, est communior & probabilior sententia.

Attamen non sic instituisse, est communior & probabilior sententia. Probatur primò ex verbis Concilii Florentini in decreto Eugenii: *Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum:* non loquitur autem in persona Christi, qui non enuntiat id, quod Christus enuntiavit, & jam enuntiaret, si consecraret. Non loquitur, inquam, in persona Christi propriè & in rigore, sicuti verba Conciliorum sunt intelligenda, nisi aliquid obstet. Probatur; quia loqui propriè non est simpliciter proferre verba, sed proferre verba cum animo significandi auditoribus conceptum mentis de rebus significatis.

quia secundùm Florentinum Sacerdos loquitur in persona Christi,

Sic dormiens non propriè loquitur, quamvis efformet sonos similes his, quibus in vigilia invicem alloquimur. Similiter psittacus, & similia animalia irrationalia, quæ ab hominibus voces edocentur; utì etiam qui efformat voces per instrumentum inanimatum; non ob aliam sanè rationem, quàm quia per illas voces, quamvis causent notitiam in aliis rei significatæ, tamen non ordinant illa signa ad significandum conceptum mentis de re significata.

64. quod non faceret si tantùm recitaret verba Consecrationis.

Ita ergo in præsenti, Sacerdos solùm recitans verba Consecrationis, non propriè loquitur in persona Christi, quia non significat conceptum mentis suæ de re significata, id est, de veritate Corporis sub speciebus panis, aut Sanguinis sub speciebus vini. Liquet: quia etsi cogitaret Corpus Christi, & Sanguinem non esse sub speciebus, nequaquam mentiretur, cùm tamen mendacium sit locutio contra mentem: secùs si conciperet Christum illa verba non recitasse; hoc quippe solùm propriè loquitur, non in persona Christi, ut manifestum est, sed in propria, & ideo mentitur, si conceptus mentis verbis non correspondeat.

Probatur exemplo Psalmistæ.

Quid clarius, quàm in exemplo suprà posito ex Psalmo 13. *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* An putas Psalmistam loqui illa verba: *Non est Deus?* Quomodo ergo non splendidè mentitur, cùm infinitis aliis locis asserat Deum esse; mendacium autem non sit aliud, quàm locutio contra mentem? Quid ergo loquitur propriè? Insipientem in corde suo hoc dixisse, quod verissimum est, quamvis dictum sit falsissimum.

65. qui non loquitur in persona insipientis dicentis: *Non est Deus* Psal. 13.

Sed numquid loquitur ibi Regius Propheta in persona insipientis? Resp. propriè non loqui *in persona eius:* quia non affirmat, quod ipse affirmavit; sed potiùs loquitur *ex persona eius*, ut suprà dicebatur de Ecclesiaste, id est, recitat illa verba, quæ insipiens aliquando dixit, sive affirmavit, quod est valde impropriè loqui *in persona alterius*, qualiter non debent intelligi verba Eugenii, nisi manifesta ratio obsistat.

Et hinc dixi in Conclusione: *Enuntiativè in persona Christi*; quia recitare tantummodò verba à Christo prolata, & secundùm ejus institutionem, etiam cum intentione consecrandi, non est loqui *in persona Christi*, nisi impropriè, ut ex dictis liquidò demonstratur. Neque est uti sermonibus Christi formaliter; sed dumtaxat materialiter,

Sacerdos hoc conficiens Sacramentum, non suis sermonibus, sed mitur sermonibus Christi:

materialiter, adeòque potiùs suis: cùm tamen secundùm divum Ambrosium lib 4. de Sacramentis cap. 4. *Vbi venitur, ut conficiatur venerabile Sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed utitur sermonibus Christi.*

66. Dices cum Salmerone tomo 9. in Evangel. tract. 13. ly *In persona Christi*, solùm denotare auctoritatem Christi, sive potestatem ab ipso acceptam; quemadmodum apud Apostolum 2. Cor. 2. v. 10. *Cui autem aliquid donastis, & ego. Nam & ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*, id est auctoritate Christi, cujus personam gero, qui dixit: *Quidquid solveritis super terram, erit solutum & in cœlis*, inquit S. Ambrosius, Anselmus & alij.

D. Ambros. Salmeron. 2. Cor. 2.

non tantùm quia facit aliquid auctoritate Christi,

Resp. cùm certum sit, Sacerdotem absolvere à peccatis, ab excommunicatione, aliisque censuris, concedere indulgentias, confirmare, ordinare &c. auctoritate sive potestate à Christo immediatè vel mediatè concessâ; nullibi tamen dicit Concilium Florentinum, aut aliud quodcumque, illa fieri *in persona Christi*, sicuti specialiter dicit de Sacramento Eucharistiæ, illam confici à ministro loquente *in persona Christi*, utique specialiori modo, quàm conficiantur alia Sacramenta: puta, quia formæ aliorum Sacramentorum, etsi proferantur auctoritate Christi, tamen principaliter denotant personam ministri; forma autem Eucharistiæ personam ipsius Christi.

qualiter etiam absolvit, confirmat, ordinat, &c.

sed quia profert verba denotantia personam Christi.

Omitto verba Apostoli aliam pati interpretationem, ut *in persona Christi*, idem sit, quod, *in iudicio divino coram Deo.* Ita Cornelius à Lapide in illum locum.

A Lapide.

67. Dices rursum cum eodem Auctore: Illud decretum Eugenij compositum fuisse à Ioanne Theologo, qui est Cardinalis Turrecremata Thomista, adeòque secundùm sententiam D. Thomæ.

Turrecremata.

Hæc doctrina non est fide certa, sed probabilior

Resp. inde ad summum sequi, hanc rem non esse fidei; maximè cùm decretum illud editum fuerit post absolutum Concilium Florentinum, occasione Armenorum, qui seriùs advenerant. Sed neque intentionis nostræ est, conclusionem hanc ostendere fide certam; attamen probabiliorem, non obscurè indicant verba illius decreti, à quocumque compositum sit. Certè ex eo, quòd aliquid sit sententia Divi Thomæ, haud reprobandum est sed ampliùs amplectendum, ubi non destituitur manifestis rationibus; utì non desunt nostræ doctrinæ solida fundamenta, quæ pergo in medium adducere.

68. Probatur itaque secundò; quia alioquin, contra communem sententiam, necessariò præmittendum esset ly *Qui pridie* &c. aut æquivalens; quia sine illis verbis non significat Sacerdos Christum dixisse: *Hoc est Corpus meum*, qui est sensus recitativus.

Secunda probatio Conclusionis, quia alioquin esset præmittendum ly *Qui pridie* &c

sed hoc concedit Salmeron,

Concedit Salmeron totum, allegans esse sententiam Scoti. Sed quamvis in hoc erret, ut suprà monstravimus, tamen ostendit dubitationem Scoti non esse adeò infundatam, quandoquidem & Salmeron & Innocentius & plures alij, qui citantur pro solo sensu recitativo, cũ Scoto ad minus debeant dubitare de valida consecratione, non præmissis illis verbis.

allegans Scotum.

Addit Salmeron, posse quoque responderi, quòd adhuc non adjunctâ historiâ, possent hæc verba per modum recitanis dici. Sed quis sit ille modus, non explicavit; fortè quia nescivit, & per verbum nescio solvitur omnis quæstio. Sanè non invenio alium modum, quàm intentionem proferentis, quâ ad beneplacitum suum eadem omnino verba possit determinare nunc ad sensum recitativum, postea ad enuntiativum: quod an verum sit, relinquo aliis examinandum, quia nostri non interest quid dicatur: cùm ex hac probatione non pendeat veritas nostræ assertionis.

Addit tamen hæc verba posse per modum recitantis dici, non adjunctâ historiâ.

Interea probatur tertiò; quia Christus jussit Apostolis facere totum secundùm substantiam, quod ipse fecit; atqui ad substantiam Consecrationis Christi pertinebat sensus enuntiativus, ut fatetur Catharinus, nec potest dubitari: ergo sicut Christus de re, quam manibus tenebat, seriò affirmabat esse Corpus & Sanguinem suum; ita etiam Sacerdos de re, quam manibus tenet, idem in persona Christi debet seriò enuntiare. 69.

Probatur Conclusio tertiò

ex facto Christi,

Alioquin quomodo rectè colligunt Theologi ex demonstrativis particulis *Hoc*, & *Hic*, præsentiam materiæ, saltem pro aliquo instanti prolationis verborum, ita ut possit illis pronominibus ad sensum demonstrari? Certè ut dicta fuerunt à Christo, & per consequens prout narrantur à Sacerdote, tanquam dicta à Christo, non designant materiam, quam Sacerdos manibus tenet; sed quam Christus in ultima cœna dedit discipulis suis.

Et per consequens quomodo efficaciter probatur præsentia Corporis & Sanguinis sub speciebus panis & vini, ex veritate istorum verborum? Siquidem tametsi Christus de facto non poneretur sub speciebus, adhuc verum esset dicere: *Christus de materia, quam habebat in ultima cœna præsentem, verè affirmavit esse Corpus & Sanguinem suum*, quod tantùm significant verba Sacerdotis recitativè prolata. 70.

& ex præsentia Corporis & Sanguinis sub speciebus vi verborum.

Verùm hoc argumentum (inquit Cardinal. Lugo disp. 11. n. 97.) non est omnino efficax: potest enim responderi, Ecclesiam collegisse præsentiam Christi in nostra Eucharistia, quia Christus didit Apostolis potestatem conficiendi idem Sacramentum, quod ipse fecit, recitando eadem verba.

Lugo.

Sed hoc est quod petitur; nam multò facilius respondetur, Christum dedisse quidem potestatem conficiendi idem Sacramentum quod ipse fecit: sed enuntiando eadem verba, prout ipse fecit.

Et hâc viâ efficacissimè ex veritate verborum Christi, ac proinde etiam ex veritate verborum 71.

borum, quæ hodie Sacerdos in persona Christi enuntiat, *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit* (verba sunt Tridentini sess. 13. cap. 4) *per Consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis eius.*

Et Corpus quidem, teste eodem Concilio cap. 3. existit sub specie panis, & Sanguis sub vini specie *ex vi verborum*, ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguis sub specie panis, animaque sub utraque *vi naturalis concomitantiæ*. Porrò quæ alia propria vis verborum, quàm eorum significatio?

Ergo de facto illa verba, prout prolata à Sacerdote, significant Corpus & Sanguinem Christi sub speciebus Sacerdoti præsentibus, ergo significativè proferuntur, & non tantùm recitativè; quandoquidem recitatio non magis significet in hoc præsenti calice esse Sanguinem, quàm Corpus, aut animam; & similiter in hac præsenti hostia potiùs esse Corpus, quàm Sanguinem, aut animam.

Quid miraris? Quippe, ut illicò diximus, recitatio illorum verborum nullatenus demonstrat hanc hostiam, aut hunc calicem, sed illam individuam materiam, quam Christus in nocte cœnæ consecravit; adeòque totum Sanguinem, qui tunc fuit positus, qui etiam nunc poni deberet: quia secundùm Adversarios illa ponuntur nunc ex vi verborum, quæ tunc significata fuerunt per verba, non quæ modò significantur. Constat autem ex communi sententia Theologorum, experientiâ comprobatâ, aliquas particulas Sanguinis relictas fuisse corruptas in spinis & lancea, adeoque aliquem Sanguinem in nocte cœnæ fuisse positū, qui jam non ponitur.

Equidem ad hoc non difficulter respondetur, illum Sanguinem tam exiguum fuisse, prout etiam Sanguis, qui non est effusus in Passione, ut illius non debuerit haberi ratio in Conciliis, & verbis sacramentalibus. Hinc

Probatur Conclusio quartò; quia in omnibus aliis Sacramentis enuntiativè significatur illud, quod efficitur: ergo etiam in hoc Sacramento. Subsumo: atqui hîc efficitur præsentia Corporis & Sanguinis sub his individuis speciebus; ergo illa enuntiativè significatur.

Respondet Salmeron suprà, illam formam: *Accipio te in meam*, nullam gratiam significare, sicuti nec illam; *Hoc est Corpus meum*, vel, *Hic est calix Sanguinis mei*. Quod si (inquit) forma non semper significat effectum gratiæ; multò minùs opus est, ut alius effectus Sacramenti significetur: nam character non videtur quomodo per formam Baptismi exprimatur, nec sanitas corporea per formam Extremæ Unctionis. Hæc ille

Contrà: forma Baptismi & forma Extremæ Unctionis habent duplicem significationem, alteram naturalem materiæ Sacramenti, v.g. externæ corporis ablutionis & unctionis, quæ moraliter simul debent existere cum ipsis formis, per quas enuntiativè significantur; alteram sacramentalem, sive ex institutione Christi, quâ significant gratiam sanctificantem, aliosque effectus sacramentales, qui causantur in corpore & anima. significationem in forma Baptismi & Extremæ Unctionis,

Similiter forma Matrimonii naturaliter enuntiat consensum internum voluntatis verè ac realiter præsentem, qui causat obligationem matrimonialem, & eâ mediante significat sacramentaliter gratiam sanctificantem, & auxilia actualia necessaria ad onera Matrimonii sustinenda, eaque efficit in subjecto disposito. item in forma Matrimonii,

Quid simile reperitur in forma Eucharistiæ solummodò recitatâ? Enimverò nullum habet significatum præter factum Christi in ultima cœna, id est, Christum hoc dixisse. Et quam quæso proportionem habet enuntiatio facti Christi, sive, Christum hoc dixisse, cum hac individua præsentia sacramentali? quæ non reperitur in forma Eucharistiæ tantùm recitatâ.

75. Majorem, inquis, quàm forma Matrimonii, sive contractus Matrimonii cum gratia sanctificante. Sicut ergo Christus annexuit illi contractui significationem gratiæ invisibilis inhærentis; quare similiter non potuit illi recitationi, sive narrationi Consecrationis Christi annectere significationem, & efficientiam præsentiæ Corporis, & Sanguinis Christi sub speciebus, de facto existentibus in manibus Sacerdotis, recitantis illa verba cum intentione consecrandi? Interim potuisset Christus, si voluisset, ei annectere effectum sacramentalem;

Respondeo; manifestum est sic potuisse facere: sed quòd fecerit, Scriptura non testatur, quin favet opposito per hæc verba Christi Lucæ 22. v. 19. *Hoc facite*. Non dixit Christus; *Hoc narrate me fecisse*, sed, *Hoc facite*, id est, hoc, quod ego jam enuntio seu affirmo de speciebus, quas manibus teneo, hoc vos postea enuntiate & affirmate de similibus speciebus, quas pro tempore præsentes habebitis. In Conciliis quoque & Patribus nullum apparet vestigium istiusmodi institutionis hujus Sacramenti; sed potiùs contrariæ, ut ex dictis patet. Quapropter, ut fateamur potentiam, factum tamen nihil est quod cogit asserere. quòd autem id fecerit, non probatur ex Scriptura; sed potiùs oppositum: *Luc. 22.*

76. Quidni veritas formæ? Siquidem verba illa significativè prolata, significant Corpus & Sanguinem Sacerdotis. Et dato quod loqueretur Sacerdos de Corpore & Sanguine Christi, quia loquitur in persona Christi, jam falsò demonstraret individuum panem sibi præsentem, quia illum non demonstravit Christus. neque colligitur ex veritate formæ.

Deinde falsum est, quod sequitur verba Consecrationis calicis: *Qui pro vobis & pro multis effundetur*; Sanguis enim Christi non ampliùs effunditur. Idem est de verbis, quæ à Græcis solent addi Consecrationi Corporis: *Quod pro vobis tradetur*; nam Christus semel mortuus non moritur ampliùs, Sacrâ Paginâ attestante Rom. 6. v. 9, *Christus resurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Rom. 6.

77. Aliqui putant illa verba: *Qui pro vobis* &c. solùm referri ad oblationem Christi incruentam. Alii solùm proferri recitativè: uti etiam ly *Enim*. Item: *Accipite* &c. Probabile est hæc ultima verba etiam proferri significativè. *Lugo.*

Respondent aliqui (incipio ab ultimo) illa verba non referri ad traditionem Corporis, vel effusionem Sanguinis in Cruce; sed ad oblationem Christi incruentam in Sacrificio Eucharistiæ. Ita uterque Jansenius. Sed quia hæc expositio videtur esse contra proprietatem verborum; ideo alii communiùs asserunt, verba illa tantùm proferri recitativè: uti etiam ly *Enim*, quoniam reddit causam præcedentium, scilicet, *Accipite & manducate*, *Accipite & bibite*, quæ & ipsa solùm recitantur.

Nisi quòd etiam probabile existimet Card. supra n. 120. hæc postrema verba, & consequenter etiam ly *Enim*, proferri significativè; Non enim, inquit, esset bona causalis: *Christus dixit, ut comederent id, quod offerebat sub illis accidentibus, quia id, quod habeo nunc in manibus, est Corpus Christi.* Ergo fatendum est verba illa, *Accipite* &c. & particulam *Enim*, referri ad idem, ad quod verba ista, *Hoc est Corpus meum*: atque ideo illa etiam verba proferri & materialiter seu recitativè, & significativè seu formaliter.

78. Videtur sententia Ambrosii & Paschasii.

Hoc etiam sensu ea videntur intellexisse D. Ambrosius & Paschasius suprà citati Conclusione primâ, qui inter verba Christi, quibus Sacerdos in persona Christi conficit Sacramentum, expressè ponunt, *Accipite & manducate & bibite: Hoc est enim.*

Item Eusebii Emisseni.

Adde Eusebium Emissenum relatum in cap. *Quia corpus* 35. de Cons. dist. 2. ibi: *Nam invisibilis Sacerdos visibiles creaturas in substantiam Corporis & Sanguinis sui verbo suo secretâ potestate convertit, ita dicens: Accipite & comedite: Hoc est enim Corpus meum* &c. Ubi omnia illa verba dicit proferri ab invisibili Sacerdote Christo per os nostrum, qui sumus visibiles Sacerdotes ad hoc specialiter deputati, ut nostro ministerio quotidie offerat Sacrificium.

Sicuti ergo Christus si adesset, omnia illa verba loqueretur non narrans, sed enuntians & operans, quod olim operatus est; ita quoque Sacerdos, specialiter ejus nomine, & ut minister, personam ejus repræsentando, immediatè consecrans, omnia illa verba enuntiat, operans, quod in nocte cœnæ operatus est Christus.

Sanè ut narraret solùm, aut recitaret, non erat necessaria ordinatio sive substitutio in locum Christi; quandoquidem quilibet possit ea recitare, & per modum historiæ narrare. Hæc pro sententia Lugonis.

79. Objicitur primò.

Sed contrà primò: illa causalis videtur bona: *Christus dixit* &c. ex hypothesi quòd Christus idem numero Corpus, & eadem specie accidentia habuerit in manibus, quæ jam habet Sacerdos; sicuti bene diceret Sacerdos: *Accipite, & comedite id, quod ego offero sub his accidentibus, quia illud idem, quod Christus obtulit in nocte cœnæ, fuit Corpus ipsius.*

Secundò.

Contrà secundò; multa verba possumus eloqui, quæ sunt Christi, licèt non in persona Christi. Patet quando legitur Epistola Pauli ad Corinthios, ubi eadem verba solùm dicuntur recitativè, quoniam non in persona Christi. Accedit, testimonia istorum Patrum satis verificari de solis verbis essentialibus. Certè Christus per illa verba dedit præceptum sumendi: Sacerdos autem non dat præceptum, sed solùm videtur narrare illud à Christo fuisse datum.

Tertiò; S. Ambr.

Contrà tertiò; Divus Ambrosius inter illa verba Christi etiam ponit: *Quod pro vobis datur*; consequenter & illud: *Qui pro vobis, & pro multis effundetur.*

80. Responsio ad tertium, probabiliter illa verba: *qui pro vobis* &c. proferri significativè.

Respondet quispiam, idcirco etiam hæc verba probabiliter proferri significativè. Enimverò videtur Sacerdos repræsentare totum, quod Christus fecit in ultima cœna; adeoque verè affirmare traditionem Corporis & effusionem Sanguinis, quæ erat futura respectu illius temporis; sic tamen, quòd eo modo enuntiet Corpus & Sanguinem nunc esse sub his speciebus, atque Christus enuntiavit esse sub aliis tempore cœnæ.

Voluit siquidem Christus ita conjungere facti veritatem in hoc Sacramento, ut simul esset quasi tragica representatio illius, quod factum est in cœna. Et ideo cùm dixit: *Hoc facite*, dedit potestatem faciendi realiter, quod ipse fecit; dum verò adjunxit: *In mei commemorationem*, præscripsit modum faciendi, scilicet repræsentando ipsam actionem Christi.

Dico *Actionem Christi*, id est, Consecrationem, quia præceptum quod explicatur his verbis: *Hæc quotiescumq; feceritis* &c. sive, *Hoc facite*, &c. non fuit nisi de illis, quæ præcesserant, non autem ut dicerent verba præcepti. Quare fortassis prædicta verba non conjunguntur cæteris, utpote quæ solùm recitantur, cùm alia omnia enuntientur.

81. Christus demonstravit panem & vinum ejusdem speciei moralis, quod satis est ad veritatem formæ.

Ex his facilè respondetur ad primum argumentum Adversariorum sup. n. 76. quamquam Christus in ultima cœna non habuerit in manibus, & exinde non demonstraverit hunc individuum panem, & illud individuum vinum, quæ nunc Sacerdos consecrans habet, & demonstrat; habuit tamen, & demonstravit panem & vinum ejusdem speciei moralis, quod satis est ad tragicam repræsentationem, & veritatem formæ præsentis, quæ & ipsa solùm est eadem specie cum illa, quâ Christus usus fuit. Cumque loquatur Sacerdos, secundùm decretum Eugenii suprà, in persona Christi, clarissimum est ipsum enuntiare & affirmare Corpus Christi, & non suum.

82. Nota pro clariori intellectu, duplicem in his verbis intervenire affirmationem; unam, quâ in propria persona affirmat Christum dixisse: *Accipite & manducate* &c. alteram, quâ in persona Christi enuntiat: *Hoc est Corpus meum.* Ad prioris propositionis veritatem sufficit Christum illa verba dixisse, minimè autem requiritur, ut dixerit solùm recitativè: sicut si dicerem; *Christus dixit illa verba, quæ iam ab ipso audietis*, num inde rectè concluderetur: *Ergo Christus profert illa verba solùm recitativè?* Et adhuc ambigis Sacerdotem in persona Christi loqui significativè?

Ambigo

Ambigo, ais; quia verba significativè prolata non possunt in ore Sacerdotis esse vera, nisi Corpus & Sanguis Christi præsupponantur sub speciebus ante illorum prolationem; demonstrant quippe id, quod jam est, non verò id quod fit, neque id quod erit. Et si respondeas, in ore Christi eadem verba fuisse vera: replico, quia per benedictionem præcedentem consecraverat, quod non facit Sacerdos.

Quantùm ad factum Christi, potuisse ipsum per illam benedictionem, imò & sine illa, virtute extraordinariâ consecrare ante prolationem istorum verborum, nefas est dubitare. Unde assero cum Doctore Subtili 4. dist. 8. q. 2. in Reportatis n. 3. *De illo, quod Christus priùs sumpsit, & dedit Discipulis antequam protulit verba, bene potuit Christus in frangendo causare ibi Corpus suum, & æqualiter sine verbis, sicut cum verbis.* Verumtamen sine verbis consecrasse, omni caret fundamento, ut ostendimus concl. 1. in principio.

Et quod hìc insinuat Scotus, Christum priùs dedisse panem Discipulis, antequam protulit verba Consecrationis, non est intelligendum de perfecta datione, id est, porrectione panis, & acceptione, sed de porrectione tantùm; ita quòd porrigendo panem, antequam Discipuli acciperent, Christus absolverit verba Consecrationis; adeoque moraliter simul benedixit, fregit, ac porrexit Discipulis suis dicens: *Hoc est Corpus meum.* Hæc ad Replicam.

Sed quid ad principalem rationem dubitandi? Illa exigit longiorem discussionem & explicationem singulorum verborum. Interim pauca præmitto de secunda parte hujus Conclusionis, quæ est contra Vasquez disp. 200. cap. 2. ubi docet, verba essentialia Consecrationis ita accipi significativè, ut simul non compatiantur recitationem.

Sed contrarium apparet ex Canone Missæ ibi: *Qui pridie quàm paterentur* &c. Refert namque Sacerdos, quid Christus fecerit & dixerit, hic quòd verè mentiretur, si Christus ista non fecisset, quæ ibi narrat, vel non dixisset illa verba, quæ refert eum dixisse.

Hoc tamen non est necesse ad valorem, ut patet ex dictis concl. 1. sed tantùm ex præcepto Ecclesiæ. Unde si Sacerdos significaret se velle in persona Christi offerre Sacrificium, nullatenus esset necesse ipsum narrare actionem seu factum præteritum Christi ad validè consecrandum. Sensus itaque recitativus impertinens est ad Consecrationem.

Veluti si minister Baptismi diceret: *Illâ formâ, quâ ego iam utor, etiam usus est Christus, quando baptizavit Sanctum Petrum dicens: Ego te baptizo* &c. Quis non videt tali casu formam illius Baptismi habere duplicem sensum, unum enuntiativum, & alterum recitativum? Et poterit quispiam prudenter cogitare, sensum posteriorem concurrere ad effectum? Non puto.

Dices cum Vasquesio suprà: impossibile videtur eadem verba, in eodem ore proferentis, simul se habere materialiter, & formaliter, id est, recitativè, & significativè: siquidem impossibile est eadem verba simul significare, & non significare. 85. *Vasquez.* Non est impossibile eadem verba in eodem ore simul esse recitativa & significativa à

Resp. cum distinctione: in eodem ore proferentis, & ex eodem ore, concedo: in eodem ore, sed ex diverso ore, Nego Assumptum. Explico: impossibile est, ut aliquis loquens in propria tantùm persona, & ex propria persona, id est, non referens dicta alterius, simul loquatur materialiter, & formaliter; quia sic deberet simul velle significare, quod verba sonant, & non velle illud significare; sed nudè tantùm velle formare illos sonos sine aliquo respectu ad eorum ex placito hominum significationem, quod videtur secum pugnare.

Attamen non est contradictio, unum & eumdem hominem loqui ex ore alterius, id est, referre verba tamquam dicta ab altero, & ita quodammodò materialiter, id est, non significativè, quantùm præcisè est ex modo referendi; simul tamen significando ex ore proprio, sive in propria persona, quod ille, cujus dicta refert, per illa intendit significare. puta si proferantur in propria persona tamquam ab altero dicta:

Loquitur ergo materialiter, seu non significativè, quatenus refert illa verba tamquam alicujus tertii; formaliter autem sive significativè, in quantum vult illa eadem verba esse sua, ac si primò illa proferret, in quo certè nulla apparet repugnantia, quidquid Vasquesius contradicat.

Profectò sic solent Magistri in Scholis & Concionatores in Cathedris, relatâ alicujus auctoritate, utrumque intendere. Quomodo & ipse Christus Matth. 15. v. 7. dixit: *Hypocritæ bene prophetavit de vobis Isaïas, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me,* intendens utique referre quid Isaïas dixerit de illis, & idipsum in propria persona affirmare. Et nonne furi rectè dicitur: *Deus dixit non furtum facies*, intentione referendi verba Dei, & pariter malitiam furti significandi? 86. Vti assolent Magistri in Scholis & Concionatores in Cathedris. *Matth. 15.*

Itaque ad propositum nostrum, Sacerdos refert Christum dixisse verba Consecrationis in ultima cœna, circa materiam tunc præsentem, eademque verba profert significativè, circa materiam, quam nunc ipse consecrans sibi præsentem habet, consideratam secundùm se (hanc quippe solam potest demonstrare, & demonstrat ad sensum) adeòque illa profert semel, sed intentione duplici, saltem virtualiter; unâ significandi, sive significativâ, alterâ recitandi, sive recitativâ: ita quod ly *Hoc*, ad intellectum demonstret materiam, quam in nocte cœnæ Christus habuit in prospectu, & simul ad sensum materiam, quam nunc Sacerdos consecrans habet in prospectu. Ita ergò Sacerdos verba Consecrationis profert intentione virtualiter duplici; una significativa, altera recitativa.

87. Neque id absonum est, Neque id absonum est, *Vasquez.*

Neque id absonum est, ut vult Vasquez suprà, sed maximè consonum naturæ hujusmodi

locutionis. Accipe similem: petit aliquis à te eleëmosynam, & dicis ad eum: *Amice, Petrus Apostolus cuidam petenti eleëmosynam respondit, quod etiam ego iam tibi respondeo: Argentum & aurum non est mihi.* Ecce ly *mihi*, & significat Sanctum Petrum, & etiam te loquentem.

ut probatur à simili.

Aliud simile. *Matth. 26.*

Pari modo Matth. 26. v. 29. ly, *Numquid ego sum Domine?* refertur ab Evangelista simul ad omnes Apostolos; ipsi tamen loquentes diversa significabant. Et ratio est; quia illa vox *Ego*, usurpatur ibi ab aliquo, qui introducit diversas personas loquentes illâ eâdem voce; sic etiam ly *Mihi*, usurpatur & à te, & à Sancto Petro, & ita non mirum, si plura significet simul.

Applica verbis Consecrationis, quæ Sacerdos loquitur & in propria persona narrando, & in persona Christi affirmando; adeoque simul significat recitativè hostiam, quæ erat in ultima cœna, & affirmativè hostiam jam præsentem.

Et licèt non repugnet Sacerdotem absolvere propositionem narrativam, antequam dicat: *Hoc est* &c. (quo casu ly *Hoc* tantùm significaret hostiam præsentem) attamen communis apprehensio audientium est in contrarium; videlicet verba essentialia unam constituere propositionem cum præcedentibus, adeoque simul narrari.

88. Et si objicias auctoritatem Divi Ambrosii lib. 4. de Sacramentis cap. 4. suprà commemoratam: *Non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi:* ergo non loquitur historicè. Resp. Negando Consequentiam: solùm enim vult Sanctus Pater, Sacerdotem etiam uti sermonibus Christi, ubi venitur ut conficiatur Sacramentum, cùm anteà suis tantùm usus fuerit.

Objicitur auctoritas D. Ambrosii.

Explicatur de verbis confectivis Sacramenti, *Matth. 10. Ioan. 7.*

Sicut quando dixit Christus Discipulis suis Matth. 10. v. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis*; id est, non estis soli, qui loquimini; sed etiam *Spiritus Patris vestri.* Certum quippe erat quòd Apostoli loquebantur; aft verba à Spiritu Sancto inspirata. Eodem modo dicit Christus Joannis 7. v. 16. *Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me*, id est, non tantùm est mea, sed etiam *eius qui misit me.*

89. Accedit, solam prolationem significativam, ut suprà dixi, sufficere ad hoc ut verba efficiant conversionem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi (utì etiam sufficit, ut Sacerdos loquatur in persona Christi) adeoque sensum recitativum nullatenus conficere Sacramentum; & exinde ubi venitur, ut conficiatur Sacramentum, Sacerdotem non uti sermonibus suis, id est, verbis Consecrationis in sensu historico sibi proprio (utpote ad conficiendum Sacramentum impertinente) sed solis sermonibus Christi, id est, verbis Consecrationis in sensu significativo, in quo illis utitur in persona Christi, & qui est solus transubstantiativus.

Qualia non sunt verba Consecrationis præcisè ut recitativè prolata.

Atque hæc pro secunda parte Conclusionis. Nunc aggredior explicationem singulorum verborum sacramentalium, ut tantò clarius elucescat significatio formæ, & ejus veritas. Ut autem exordiar à primo, quod difficillimum est, sequentem statuo Conclusionem sub his verbis:

CONCLUSIO IV.

Voces *Hoc*, &, *Hic*, tenent se in propositione ex parte subjecti. Sumuntur substantivè. Demonstrant autem singulare entis.

90. Declaratur prima pars Conclus. ea communi modo loquendi.

PRima pars declaratur ex formis ordinariis, in quibus ly *Corpus*, &, *Calix Sanguinis*, obtinent locum prædicati; quod & ordo verborum, & ratio pronominis demonstrativi ferè exigit. Etenim non solemus demonstrare domum nostram, librum, aut quamcumque aliam rem dicendo: *Domus mea est hæc: Liber meus est hic*; sed: *Hæc est domus mea, Hic est liber meus*, ne cùm res demonstrata præcedit suam demonstrationem, non hæc, sed alia intelligatur designari: pronomen quippe sic dictum, quod loco nominis positum, utique convenientius ex parte subjecti, quàm prædicati, ut patet ex communi modo loquendi.

Hæc formæ: *Corpus meum est hoc*, æquivalet ordinariæ.

Equidem non inficior, hanc formam æquivalere ordinariæ: *Corpus meum est hoc*, utì etiam illam: *Calix Sanguinis mei est hic.* Eadem siquidem est res significata, sive Corpus prædicetur de hoc ente, sive hoc ens de Corpore.

Colligitur ex Scoto.

Colligo ex Doctore nostro 4. dist. 8. q. 2. n. 18. ibi: *Hoc etiam patet convertendo propositionem, quia alius intellectus est: Corpus meum est hoc, id est, illud ens, & Corpus meum est Corpus meum.* Ergo idem intellectus, est, *Corpus meum est hoc*, &, *Hoc est Corpus meum.* Enimverò quia alius intellectus est, *Corpus meum est hoc*, &, *Corpus meum est Corpus meum*, probat Scotus etiam esse alium intellectum, *Hoc est Corpus meum*, &, *Corpus meum est Corpus meum.*

Et post pauca eodem numero Conclusione 13. affirmat utramque propositionem esse conversivam dicens: *Facere principaliter hoc ens esse Corpus Christi, est realiter facere conversionem, per quam Corpus Christi accipit esse hoc; quia eadem est factio, quâ hoc ens fit Corpus Christi, & quâ Corpus Christi fit hoc ens, hoc est, fit ens, quod est sub istis speciebus. Sed illa oratio dicitur esse conversiva, quæ significativè agit pro illo instanti, pro quo convertens agit realiter.*

Pro

Pro secunda parte. Nota, tunc illas voces sumi substantivè, quando sub illis aliud quidpiam intelligitur ex parte subjecti propositionis, de quo prædicentur Corpus & Sanguis. Adjectivè verò, quando nihil tale subintelligitur; sed ipsa sola pronomina pro subjectis propositionum ponuntur, ut demonstrant Corpus & Sanguinem Christi in fine prolationis sub determinata ratione Corporis & Sanguinis.

Hoc notato, Conclusio videtur esse Scoti 4. dist. 8. q. 2. n. 17. ibi: *Et tunc est decima Conclusio, quod* Hoc *in proposito demonstrat singulare entis, & non per se singulare alicuius minùs universalis, quàm ens.* Ergo ly *Hoc* (eadem est ratio pronominis *Hic* in forma calicis) juxta mentem Doctoris Subtilis, non solùm ponitur pro subjecto; sed aliquid ipsi subintelligitur, de quo prædicatur Corpus Christi. Ergo sumitur substantivè.

Quod probatur, inquit Doctor suprà, *primò; quia rationabiliter quæritur de multis, quid est hoc? Non autem idem supponitur & quæritur. Igitur non supponitur per ly* Hoc, *Hoc lignum, vel Hic lapis, quia illud quæritur. Nam responso isto dato, scilicet Lignum, vel Lapis, quietatur animus quærentis de illo singulari. De illo ergo singulari supponitur hoc tantum ut est singulare entis, & quæritur aliquid speciale sub ente, & quodcumque speciale conveniens est ad responsionem.*

Addit: *Et hæc probatio stat in unico verbo quod ponitur Exodi 16. de Manhu, id est, Quid est Hoc?* quasi diceret; sicuti ibi: ly *Hoc*, non accipitur adjectivè, sed substantivè pro singulari aliquo entis, de quo quærebatur à Judæis quid esset, Moyse respondente: *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum:* sic in proposito ly *Hoc*, significat singulare entis, de quo ad interrogationem *Quid est hoc?* optimè respondetur; *Hoc est Corpus Christi.*

Pergit Scotus: *Alia probatio est quasi grammaticalis, quia adiectivum in neutro genere substantivatum includit in se suum substantivum, secundùm Grammaticos: non includit autem nisi hoc, quod est aliquid, vel ens*; ergo ly *Hoc* in forma Consecrationis, utpote positum ex parte subjecti sine ulla determinatione adjecta, includit in se suum substantivum, scilicet hoc, quod est aliquid, vel ens: ergo sumitur substantivè, & demonstrat singulare entis.

Hic est discursus nostri Doctoris, qui licèt isto loco per tredecim Conclusiones multa differat ex opinione aliorum magìs, quàm propria; attamen n. 19. sic ait: *Has omnes Conclusiones possum concedere præter quintam, & alias in quantum sequuntur ex ea.* Et specialiter approbat Conclusionem decimam (de qua hîc agimus) n. 26. dicens: *Ad primum argumentum* (principale) *patet quod ly* Hoc, *demonstrat singulare entis, non panem, nec accidentia.*

Porrò huic opinioni Doct. Subtilis à multis contradicitur; ac in primis Vasquez disp. 201. cap. 4. docet, contra communem aliorum, voces illas poni adjectivè, ita quòd nihil sub illis intelligatur ex parte subjecti, nihilque aliud demonstrent, nisi Corpus & Sanguinem Christi, quæ ibi sunt in fine prolationis.

quia ex hoc nullum sequitur inconveniens,

Dicitur; quia ex tali acceptione nullum sequitur inconveniens, & in illa faciliùs, & meliùs respondetur argumentis Hæreticorum contra veritatem hujus Sacramenti. Quippe in sententia communi laborant omnes, ut inveniant subjectum, quod sub illis pronominibus intelligatur, & per illa demonstretur; videntur siquidem magìs demonstrare panem & vinum, quàm Corpus & Sanguinem; adeoque apparet ex verbis formæ non rectè colligi transubstantiationem panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi.

94. & proprietas sermonis hoc exigit,

Probat præterea ex ipsa ratione sermonis secundùm ejus proprietatem: quia ut pronomen poneretur substantivè, ita deberet poni, ut in quavis lingua in neutro genere esset, neque ulla haberetur ratio prædicati, ut cum eo in casu, numero, & genere conveniret: atqui pronomina *Hoc*, &, *Hic*, in formis Consecrationis ita ponuntur, ut habeatur ratio convenientiæ cum prædicato in genere, numero, & casu: ergo &c.

& vulgatus interpres pronomen ipsum adjectivè transtulit

Minor est evidens: nam quòd in lingua Græca utraque forma sit in genere neutro, ideo est, quia in ea lingua tam Calix, quàm Sanguis sunt neutrius generis, uti etiam Corpus. Verùm vulgatus interpres apprimè intelligens vim pronominis & familiarem modum loquendi in omni lingua, pronomen ipsum adjectivè transtulit, ita ut conveniret in casu, numero, & genere cum prædicato, nempe cum Corpore, & Sanguine, seu calice. Ita Vasquez suprà pro sua particulari doctrina.

95. neque ideo forma consecrationis est propositio identica.

Cui si objicias; ergo forma Consecrationis est propositio identica. Respondet Negando Consequentiam: quia ut sit propositio identica, non satis est ex parte subjecti poni pronomen, quod proximè demonstrat prædicatum; sed oportet ut idem nomen, eodem modo significans, aut id quod synonymon dicitur, ex parte subjecti, & prædicati ponatur; ut si dicatur: *Homo est homo, Ensis est gladius.* Hoc autem in præsenti non fit.

Etenim pronomina *Hoc*, &, *Hic* non significant expresè Corpus & Sanguinem; sed solùm sunt signa indicantia quamcumque rem præsentem, & ita cuicumque ejusdem generis conjungi possunt; v. g. *Hoc est animal rationale, Hic est homo*; quippe nullam rationem illarum specialem expresè denotant: secùs ly *Corpus meum*, &, *Sanguis meus*: unde dici nequit: *Corpus meum est animal rationale*, vel, *Sanguis meus est homo*; ergo ly *Hoc*, non est synonymon, id est, non idem eodem modo significat, quod *Corpus meum*, neque ly *Hic*, quod *Sanguis meus*, licèt immediatè demonstrent.

96. Objectio ex Trident. Ad aliud, quod objicitur ex Tridentino sess. 13. cap. 4. in principio: *Quoniam autem Christus Redemptor noster, Corpus suum id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit:* ubi videntur Patres pronomen *Hoc* substantivè sumpsisse, subintelligentes: *Quod sub specie panis offerebat*, id est, oblatum seu contentum sub specie panis.

Responsio Vasquez, Respondet præfatus Auctor: Patres Concilii verè dixisse & ponderasse verba Domini, aliis verbis sensum formæ exponentes, uti etiam exponere potuissent sensum formæ Consecrationis Sanguinis hoc modo: *Quoniam Christus Redemptor noster Sanguinem suum id quod sub specie vini offerebat, verè esse dixit:* Et tamen nemo asserere potest, sub illo pronomine *Hic* in prædicta forma intelligi verba illa, *Quod offerebat sub specie vini*, aut alia hujusmodi.

& probatio ejus à simili. Probatur à simili; si Petrus diceret: *Hic est homo, Hic est equus*, nemo negare posset pronomina illa, hominem, & equum proximè demonstrare; & tamen quicumque narrare vellet, quid ille dixisset, non referendo verba ipsa, quibus usus est, dicere deberet: Petrum dixisse, Animal illud, quod ei occurrit, esse hominem, aut equum.

97. Sed petit præfatus Auctor principium. Sed contrà; hæc est petitio principii. Quæritur namque, & æquè facilè à suis Auctoribus asseritur, etiam ly *Hic*, in forma Consecrationis Sanguinis sumi substantivè, & non demonstrare proximè & immediatè calicem, aut Sanguinem; sed id, quod offertur sub specie vini.

Et idem dici posset de eodem pronomine in propositione simili: *Hic est homo*, videlicet, ly *Hic*, sumi substantivè, neque proximè demonstrare hominem sub formali & determinato conceptu hominis.

Enimverò si nihil sub illo intelligitur, quomodo ergo rectè explicatur per ly *Illud animal, quod mihi occurrit?* Et si velis exprimere substantivum in eodem genere, dicito: *Hic aliquis, qui mihi occurrit, est homo.* Similiter in forma calicis: *Hic calix*, vel, *Hic liquor, qui offertur sub specie vini est calix Sanguinis mei*, sive, *est Sanguis meus.*

98. Scotus docet adjectivum masculinum per se positum aliquando sumi substantivè. Sanè adjectivum masculinum per se positum, aliquando sumi substantivè, docet verbis apertissimis Scotus 1. dist. 12. q. 1. n. 14. ibi: *Licèt usitatè adiectivum masculinum non sit substantivum, sed tantùm neutrum sit substantivum; tamen in divinis, quando adiectivum masculinum ponitur per se, tunc intelligitur ibi esse substantivum, ut* Quis, *vel*, Persona, *ut cùm dicitur*, Pater & Filius non sunt unus, *sicut dicunt auctoritates, licèt sint unus Deus, quia* Unus *absolutè positus, significat adiectivè, & intelligitur habere suum substantivum, scilicet*, Quis. *Vnde significatur quod* Pater & Filius sint unus quis, *vel*, unus aliquis, vel, una Persona, *quod est falsum.*

Cùm ergo adjectivum neutrum, v. g. ly *Hoc* in forma Corporis sit substantivum; & adjectivum masculinum per se positum interdum intelligatur esse substantivum: quidni etiam ly *Hic* in forma calicis per se positum sic intelligamus (quantumvis Doctor noster nihil de hoc pronomine resolvat) ut sit proportionata acceptio utriusque demonstrationis?

99. Sententia Vasquez non est improbabilis; Nihilominus sententia Vasquez propter jam dicta non est improbabilis. Sed & modus explicandi Scoti apparet satis expeditus, nec laborat aliquo inconvenienti. Et quamvis alius expeditior foret, non tamen inde verior: nam omnium facillimus est, ad fugiendum difficultates & argumenta Hæreticorum contra veritatem formæ, sensus dumtaxat recitativus, qui tamen & à Vasquesio, & ab aliis communiter negatur.

sed & modus explicandi Scoti apparet satis expeditus, Certè non magis laborant Scotus, & alii cum ipso, ut inveniant rem demonstratam pro fine prolationis verborum, quàm Vasquez. Nam omnes unanimiter asserunt, esse Corpus & Sanguinem Domini.

Quid autem significent illa pronomina, statim atque proferuntur, ipse Vasquez suprà docet; quando ait, esse signa indicantia quamcumque rem præsentem, id est, Corpus & Sanguinem pro ultimo instanti præsentia, non sub determinato conceptu Corporis & Sanguinis; sed generali conceptu alicujus rei, sive entis singularis.

Vel certè, ut colligitur ex Scoto in Report. (impressionis Colonensis) 4. dist. 8. q. 2. n. 9. demonstrant seu determinant quodammodo, ad intellectum quidem Corpus & Sanguinem pro supposito entis; ad sensum autem ipsas species, sed indirectè; ut sensus formæ sit: *Hoc*, id est, suppositum entis, quod sub speciebus præsentibus continetur in fine prolationis, *est Corpus meum.* Similiter *Hic*, id est, suppositum entis, quod sub speciebus vini continetur in fine prolationis, *est calix Sanguinis mei*, sive, *Sanguis meus.*

secundùm quem ly *Hic*, & *Hoc*, demonstrant ad intellectum Corpus & Sanguinem; ad sensum autem ipsas species.

100. Ex quo colligitur valere hanc formam: *Hic est Sanguis meus*, prout legit S. Cyprianus. Ex quo sensu colligo, valere hanc formam Consecrationis Sanguinis: *Hoc est Sanguis meus*, prout legit Cyprianus in Epistola ad Cæcilium, ibi: *Calicem etiam sub die Passionis accipiens, benedixit, & dedit Discipulis suis, dicens: Bibite ex hoc omnes; Hoc est enim Sanguis novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.*

Efficax sententia Cornelii Jansenii. Ita docet Cornelius Jansenius Episcopus Gandavensis in Concordia Euangelica c. 131. ibi: Porrò pro illo: *Hic est Sanguis meus*; Græcè est, τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμά μου, unde patet non solùm quòd dictio, *Hic*, non sit adverbium hoc loco, sed pronomen, verùm etiam quòd pro pronomine masculino *Hic*, verti posset neutrum, *Hoc*, ut sit: *Hoc est Sanguis meus.* Quæ versio magis conveniret ei, quod præcedit: *Bibite ex hoc omnes*, ut jam ejusdem generis pronomen subjiciatur dicendo: *Hoc est* &c. Hucusque Jansenius.

In

In quibus verbis præfatus Auctor ly *Hoc* utrobique accipit substantivè, idque, ut videtur mihi, pro substantia indeterminata; nam continuò subnectit: Pronomen neutrum, *Hoc*, magis convenit indeterminatæ demonstrationi substantiæ.

Non potuit sanè Jansenius ignorasse ly *Calix*, & ly *Sanguis*, in Græca lingua esse neutrius generis; & tamen si ab eo quæras, quare Latinus interpres verterit ly *Hic*, non respondet; quia adjectivè positum, ut conveniat in casu, numero, & genere cum prædicato *Calix*, aut, *Sanguis*, sed inquit; Nec tamen malè noster vertit interpres: nam frequenter hoc modo *Hic* ponitur pro *Hoc*, ut cùm Exodi 16. filiis Israël interrogantibus de Manna, *Quid est hoc?* Dixisse scribitur Moyses: *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum*, cùm videretur dicendum: *Istud est panis.*

Dices cum Vasquesio suprà n. 38. ad interrogationem per relativum *Quid*, & pronomen *Hoc*, hoc modo: *Quid est Hoc?* rectè respondeti potest per ipsummet pronomen neutrum, substantivè acceptum, sicut erat in ipsa interrogatione, & per pronomen *Hic*, aut, *Hoc*, adjectivè sumptum; ut si quis interroget de fragmento auri, *Quid est hoc?* rectè responderi potest: *Hoc est aurum*, sumendo ly *Hoc* substantivè, & tunc demonstraret substantiam illam in universum, nullâ expressâ ratione particulari, ad quam determinatur per prædicatum: vel adjectivè, & tunc ostenderet immediatè ipsum aurum ex parte prædicati positum.

Similiter si quis de fragmento panis interrogaret: *Quid est hoc?* alius æquè bene responderе posset; *Hoc est panis*, &, *Hic est panis.* Et hoc modo respondit Moyses interroganti Populo: *Quid est hoc?* Jam autem formas Consecrationis non præcedit hujusmodi interrogatio.

Et ideo sicut inepta esset locutio: *Hoc est homo*, nullâ præcedente interrogatione, accipiendo ly *Hoc* substantivè; pari ratione esset inepta hæc locutio absoluta: *Hoc est Sanguis meus.* Quocirca in emendatioribus Codicibus Cypriani non legitur *Hoc*, sed, *Hic.*

Legitur omnino in aliquibus Codicibus, sed an isti ideo emendatiores dici debeant, judicet Lector. Hoc scio, errorem istum, si ita vocari placeat, permansisse in operibus Cypriani jam quartò accuratiori vigilantiâ à mendis repurgatis.

Certè qui negaret ineptitudinem tam hujus, quàm illius locutionis, non haberet contra se, nisi usitatum modum loquendi, & communem apprehensionem hominum indoctorum, qui nesciunt distinguere inter ista pronomina sumpta adjectivè, & substantivè.

Unde nec ipse Vasquez audet negare, sed in terminis fatetur suprà n. 94. Sacerdotem, qui uti vellet pronomine substantivè in forma Consecrationis Sanguinis hoc modo: *Hoc est Sanguis meus*, verè consecrare: idque quia sensus, licèt minus aptus, tamen verus, subintelligendo contentum sub speciebus secundùm rationem substantiæ in universum, nullâ explicatâ speciali ratione illius, non autem ens, ut intelligit Scotus.

cerdos hoc modo consecrans: *Hoc est Sanguis meus*, consecraret.

Imò sanè ens, ut intelligit Scotus, id est, suppositum entis, ut patet ex Report. suprà; nam suppositum essentialiter est substantia, juxta omnes Philosophos.

103. Per ly *ens* intelligit Scot. suppositum entis:

Et estò intelligatur ens in tota sua latitudine, & ut est univocum, in sententia Doctoris Subtilis, respectu substantiæ & accidentis; quid tum? Ergo, infers, non magis demonstratur Christus, sive substantia, quàm species, seu accidentia.

& quamquam intelligeretur ens in tota sua latitudine, nullum inde inconveniens;

Frivola sanè Consequentia. Quæro siquidem, an substantia sit univoca respectu panis, & Corporis Christi? Affirmas. Infero: ergo non magis demonstratur panis, quàm Corpus Christi. Rectenè sequitur? Rectè, inquis, quantùm præcisè est ex vi illius pronominis; determinatur autem ad significandum Corpus aut Sanguinem Christi per prædicatum.

Consentio, & dico similiter: ly *Hoc* ex se præcisè significat quodcumque singulare entis, sive accidens, sive substantiam; sed determinatur ad significandam substantiam, & quidem hanc particularem, scilicet contentam sub speciebus, id est, Corpus & Sanguinem Christi, determinatur, inquam, per prædicatum, cui conjungitur.

104. determinatur enim ad significandam substantiam, contentam sub speciebus per prædicatum;

Licèt ergo illud pronomen non determinet per se Corpus Christi sub formali conceptu Corporis, aut Sanguinem sub formali conceptu Sanguinis, determinat tamen sub formali conceptu entis determinati, non communis, neque sub disjunctione hujus, aut illius, sed simpliciter determinati, cui convenit prædicatum. Sicuti quando dico: *Hic currit*, ly *Hic*, non supponit pro quocumque individuo entis, sed pro illo determinato, cui convenit prædicatum.

ut ly *Hic*, dum dico: *Hic currit.*

Quod ergo suprà 4. dist. 8. q. 2. n. 17. conclusione 10. ait Doctor: *Hoc in proposito demonstrat singulare entis, & non per se singulare alicuius minus universalis, quàm ens*, sic intelligo, quasi diceret, pronomen illud per se, id est, vi propriâ non videtur plus significare quàm hoc ens.

Scotus.

Interim si quis diceret ly *Hoc*, in forma Consecrationis significare aliquod individuum genericum magis strictum, cujus genus sit commune pani & Corpori Christi; v. g. hanc substantiam, hoc edulium, hoc contentum &c. nullum sequeretur inconveniens, nisi quòd pronomen *Hoc*, vi suâ habeat generaliorem significationem. Unde juxta Suarium disp. 59. sect 2. & alios, forma substantialiter valeret, etsi talia individua substituerentur.

105. Si quis diceret ly *Hoc* significare aliquod individuum genericum magis strictum, nullum inconveniens. *Suarez.*

Sed quid si loco *Hoc*, poneretur adverbium *Hic*?

Si ponetur loco *Hoc*, adverbium *Hic*, non valeret forma;

Hîc? Constat formam non valere; quia non est propositio conversiva, sed verificatur, etsi panis cum Corpore Christi maneat simul. Dixi autem adverbium *Hic*, quia si ly *Hic*, usurpetur nominaliter, forma valet, cùm tantùm peccetur contra Grammaticam. Secùs est, si ponatur pronomen *Illud*, utpote vi suâ non significans rem præsentem.

aliud esset si ly *Hic*, sumatur nominaliter.

106. Igitur ut finem imponamus huic Conclusioni; ly *Hoc*, &, *Hic*, sumuntur substantivè, & significant Corpus & Sanguinem Christi sub determinato conceptu, non Corporis & Sanguinis, sed singularis entis, contenti sub speciebus, præscindendo à particulari ratione panis, vini, Corporis, Sanguinis, aut cujuscumque alterius substantiæ, quæ contineri posset sub illis accidentibus; quæ accidentia etiam significantur, sed in obliquo.

Ex quo manifestè deducitur, pronomina illa suum significatum rectum ex modo significandi non referre more adjectivorum ad rectum significatum alterius vocis; sed potiùs è converso, rectum significatum Corporis & Sanguinis determinare rectum significatum ly *Hoc*, &, *Hic*.

Quòd ly *Hoc*, & *Hic*, sumantur substantivè, probatur ex Hiquæo,

Audiamus Hiquæum in suo Commentario ad distinctionem Scoti citatam nu. 44. ubi sic ait: Quòd autem substantivè sumatur ly *Hoc*, & non adjectivè, patet; quia propositio est de tertio adjacente: ergo subjectum ejus in sensu Logico debet sumi substantivè, quia prædicatum habet rationem adjacentis & formæ; sicut quando dicitur: *Petrus est corpus*, ly *corpus*, adjectivè sumitur in rigore Logico, licèt apud Grammaticos sit substantivum: ergo necessariò subjectum, ad quod refertur, debet sumi substantivè; alioquin non terminaret dependentiam ejus, ut est forma Logica. Ita hic Auctor.

107. qui docet nostram Conclusionem,

& supponit eum Scoto gradus superiores descendere in propria singularia.

Qui utique eò loci docet nostram Conclusionem, supponens cum Doctore Subtili suprà n. 17. gradus superiores descendere in propria singularia, ut experientiâ constat videnti aliquid de longè sub ratione determinati entis, sine eo quod discernat speciem ejus; deinde sub ratione corporis, animalis, & sic de reliquis.

Subscribo verba Scoti: *Nona Conclusio est, quòd in singularibus est ordo secundum ordinem universalium: priùs enim quodcumque universale potest intelligi descendere in proprium singulare, quàm contrahatur per differentiam aliquam ad aliquod inferius, tamquam ad speciem, ut sic habeamus ordinem istorum singularium, hoc ens, hæc substantia, hoc corpus, & sic deinceps usque ad Sortem; hoc patet per Avic. 1. Phys. suæ, quòd priùs videmus à remotis corpus, quàm animal, & animal quàm hominem* &c.

Sicut ergo bene dicimus, *Hoc animal, quod à longè determinatè video, est homo*; ita quoque bene dicimus, *Hoc ens*, vel, *Hæc substantia determinata, quæ substat his determinatis accidentibus est Corpus Christi.* Bene, inquam, & verissimè dicimus. Dubitas?

Quidni, reponit aliquis, dubitarem; cùm tunc quando profertur ly *Hoc*, & ly *Est*, contineatur sub accidentibus substantia panis, & non Corpus Christi?

108. Proponitur difficultas notabilis cum Hæreticis,

Hæc est altera difficultas, non exigua sanè cum Hæreticis nostris circa explicationem verbi, *Est*, quod ipsi interpretantur, *Significat*, ne alioquin forma sit falsa, si importet unionem, sive identitatem inter subjectum & prædicatum, quæ certè non reperitur pro illo tempore, quo conjunctio illa pronuntiatur.

à qua aliqui se facilè expediunt.

Ab hac difficultate facillimè se expediunt, qui docent Christum illa verba pronuntiasse post Consecrationem, & de facto Sacerdotem dumtaxat recitare, tamquam à Christo dicta, minimè significativè proferre. Ast quia contraria opinio in Scholis communiter est recepta, eamque Concluf. 3. diffusè propugnavimus; hinc cum Doctore Subtili aliisque Scholasticis assero & dico:

CONCLUSIO V.

Conjunctio, *Est*, in forma Consecrationis significat identitatem inter subjectum demonstratum per pronomen, *Hoc*, & prædicatum, *Corpus meum*; similiter inter subjectum demonstratum per pronomen, *Hic*, & prædicatum, *Calix Sanguinis mei*, vel, *Sanguis meus*, significat, inquam, practicè pro instanti completæ prolationis orationis.

109. Formæ Sacramentorum sunt enuntiationes practicæ.

PRænotandum formam Consecrationis, utì & formas aliorum Sacramentorum, in quantùm sunt signa sacramentalia, non esse propositiones speculativas, quæ supponunt objectum suum in facto esse, sicut enuntiant; sed enuntiationes practicas, q æ efficiunt objectum, quod significant. Hoc prænotato.

Conclusio accipitur ex Scoto,

Conclusionem accipio ex Scoto 4. dist. 8. q. 2. n. 19. ubi postquam posuisset tredecim Conclusiones circa hanc controversiam, sic inquit: *Ex istis tredecim Conclusionibus patet qualiter ista oratio* (Hoc est Corpus meum) *est vera, quia secundum istas totus eius intellectus, & complexionis terminorum intelligitur pro ultimo instanti prolationis, & pro illo demonstrat* Hoc *illud, quod tunc est sub illis accidentibus. Verum est autem, quòd istud est Corpus Christi: & quòd non propter hoc*

hoc convertitur ista propositio; Corpus meum est Corpus meum: *sed ista potest esse conversiva, licèt illa non; quia ista denotat dici de singulari communioris, scilicet de hoc ente, quod est prædicatum; illa autem denotat dici de seipso in speciali: propositio autem denotans de hoc ente aliquid primò dici, potest esse effectiva, sicut & ista, quæ denotaret de lapide, quòd ipsum primò est hoc ens.*

110. quem eundem habetur ejus petitio,

Probationem Conclusionis invenio apud eundem Magistrum meum n. 14. ibi: *Quia non habetur conceptus omnium partium orationis ante illud instans: conceptus enim totius orationis non habetur sine conceptibus omnium partium. Hoc confirmatur per simile, quia conceptus formatus per dictionem non habetur ante instans ultimum prolationis illius dictionis: ergo à simili de oratione; & ratio similitudinis est, quia sicut partes dictionis non significant conceptum simplicem, quem dictio significat, ita dictio non significat conceptum aliquem complexum, quem significat tota oratio. Sed differentia est, quia partes orationis aliquem conceptum simplicem significant; sed ad propositum non est ista differentia; quia utrobique totus conceptus non habetur, nisi in fine omnium dictionum prolatarum.*

111. Instantia ad duo objectiones quæ fieri contra hanc sententiam. Primo objicitur.

Pergit Doctor & respondet ad duas objectiones quæ possent fieri contra hanc sententiam. *Si obicitur*, inquit, *ergo oratio causat conceptum, quando non est; quia quando completè prolata est oratio, nihil orationis est, Resp. patet, quod argumentum non cogit, quia idem posset argui de conceptu importato per dictionem: ideo dico, quòd cum conceptus fiat in instanti in intellectu post prolationem orationis, vel dictionis, non fit per illam: quia illa non est, sicut arguitur: sed in fine prolationis cuiuscumque dictionis, per aliquid causatum in phantasia à dictione dum fuit in prolatione, intellectus causat in se conceptum aliquem dictionis: vel, ad propositum magis, per aliqua derelicta à singulis dictionibus, dum proferebantur, intellectus in ultimo instanti per collationem suam causat intellectum, vel conceptum totius. Ideo autem dixi de conceptu, qui causatur per orationem, quia secus potest esse de conceptu illo signato, qui non causatur per eam, utpote conceptus, qui est apud loquentem, quem scilicet intendit per orationem exprimere.*

Secunda objectio.

Secunda objectio ferè coincidit cum prima, & est hujusmodi: *Quia significatum totius orationis consistit ex significatis partium, & partes significant quando proferuntur. Resp. Significatio illa non est ratio formalis causandi illum conceptum in audiente, sed est quædam dispositio præambula, ad quam per collationem intellectus, sequitur causatio totius conceptus, ex conceptibus per partes causatis.* Hactenus Doctor Subtilis, ut semper, doctè & subtiliter.

112. Secum sentire videtur Cardinalis de Lugo.

Ipsum sequi videtur Card. Lugo disp. 11. n. 125. dicens, veritatem propositionis vocalis, quæ formatur per copulam *Est*, regulariter loquendo, nisi aliud constet ex ipso modo loquendi, non debere regulari ab objecto, prout erat tempore prolationis copulæ, sed tempore finitæ propositionis.

Probatio ab experientia.

Probatur ab experientia; nam si aliquis dicat: *Petrus est intrà hanc domum*, si post prolatam copulam, *Est*, contingat Petrum exire, & hoc innotescat loquenti, ni fileat mentitur: secùs etsi à principio non fuisset intrà domum, modò tempore finitæ propositionis intrà eam existat.

Ratio est, quia ante finem totius orationis nihil enuntiatur.

Ratio est; quia ante finē totius orationis nihil enuntiatur; non enim potest affirmari, aut negari prædicatum antequam proferatur. Sive ergo propositio sit practica, sive speculativa, satis est ad ipsius veritatem, quòd res sic se habeat, sicut enuntiatur. Porrò enuntiatio completam dicit orationem, & non tantùm inchoatam.

Ergo sufficit ad veritatem harum propositionum, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, quòd tunc contineatur Corpus & Sanguis sub speciebus, quando completè significant: maximè cùm sint propositiones practicæ, ut suprà prænotavi.

maximè si sit propositio practica,

113. cujus objectum per ipsam fit.

Enimverò cùm objectum earum non supponatur in facto esse, sed per ipsas fieri, non possunt significare esse factum, nisi in fine prolationis, cùm totæ, & totaliter concurrant ad fieri. Et hinc veritas earum non debet regulari nisi ab objecto, quod tunc fit.

Affertur simile.

Veluti si quis describens circulum diceret: *Hic est circulus*, pronomen demonstrativum significabit circulum, non qui de facto existit, sed qui fit tempore prolationis illius propositionis, adeoque in facto esse solùm in fine totius prolationis.

Sufficit ad veritatem quarumdam propositionum quòd objectum immediatè post ponatur, vel antè positum fuerit. *Dicastillo.*

Imò Dicastillo disp. 3. n. 202. docet, ad veritatem aliquarum propositionum sufficere, quòd immediatè vel paulò ante, vel paulò post objectum se habeat, quemadmodum affirmatur vel negatur; v. g. hæc propositio est vera: *Ecce iam taceo*, si statim incipiam tacere. Similiter: *Ecce iam sedeo*, si incipiam sedere; prout etiam hæc: *Iam apparet Petrus*, si statim post verba, Petrus incipiat apparere. Sic quoque verum fuit, quod Christus dixit Lucæ 22. v. 19. *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur*, quamquam postea solùm esset dandum. *Luc. 22.*

Hujus autem rei (inquit) ratio est; quia communi usu & sensu homines (quibus voces significant) illis utuntur ad significandum non tantùm instans physicè præsens, sed etiam tempus immediatum paulò antè, vel post.

114. Imò multa sunt verba, quæ non possunt aliter habere sensum;

Addit multa verba esse, quæ non possunt aliter habere sensum. Sic hæc propositio: *Sacerdos legit Sacrum*, necessariò respicit tempus antecedens, & consequens; idque quia illud, quod enuntiatur, scilicet Sacrum, postulat latitudinem temporis.

& in pluribus requiritur tan-

Denique sæpè non requiritur, nisi moralis coexistentia rei enuntiatæ cum enuntiatione, major, vel minor pro subjecta materia; ut in Baptismo: *Ego te baptizo*: in Matrimonio: *Ego te accipio in meam*, & ita in aliis Sacramentis, in

tùm moralis coexistentia rei enuntiatæ cum enuntiatione.

quibus forma significat aliquam actionem materialem externam, quæ non necessariò physicè est præsens, quando forma profertur; sed sufficit moralis ejus coexistentia, ut diximus disp. 1. sect. 3. concluſ. 3. & tamen quis dubitat de veritate istarum formarum?

Quæritur quando forma Consecrationis completè significet.

Interim manet difficultas & quæstio de fine prolationis totius orationis, pro quo, secundùm Conclusionem nostram, & communem satis doctrinam, forma Consecrationis enuntiat Corpus Christi sub speciebus, id est, dubitatur quando Consecratio completè significet, & per consequens efficiat Corpus & Sanguinem Christi; nam ut ostendimus disp. 1. sect. 4. concl. 10. tunc Sacramenta causant gratiam (& eadem est ratio Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia) quando completè significant. Ubi etiam disputavimus an in tempore, an in instanti, intrinseco, vel extrinseco Sacramentum compleatur: vide ibi dicta, & applica præsenti controversiæ.

115. Resolutio Auctoris.

Dico paucis, tunc formam Consecrationis esse completam, quando ultimum verbum essentiale (sive alia addantur, sive non) ita perfectè prolatum fuerit, ut si eodem instanti, vel tempore sonus esset applicatus organo auditûs, perfectè significaret suum objectum, etsi fortè obscurè illi, qui ignoraret intentionem proferentis. Per hanc quippe fieri potest Primò, ut verba illa non significent Corpus Christi, sed corpus proferentis. Secundò, ut non significent Corpus Christi verum, sed aëreum v. g. utpote, quia proferens intendit addere ly *aëreum*, per modum limitationis præcedentium verborum.

Satis est, quòd verba habeant perfectum sensum, nisi aliquid obstet,

Satis ergo est, quòd perfectus sensus formæ significatus sit per voces sufficientes, dummodò non adsit intentio limitandi, aut essentialiter illum variandi per verba sequentia, & adsit intentio illas proferendi in persona Christi. Quod utique clarè constat Deo, & loquenti; estò alioquin audientibus dubium esse posset: hoc autem dubium non impedit significationem; sed facit solùm, ut illa significatio non ita determinatè à nobis cognoscatur.

quod cognoscitur per circumstantias, vel morulam aliquam.

Unde respectu nostri, per circumstantias, vel morulam aliquam determinantur hæ voces ad hunc, vel illum sensum ex pluribus, ad quos propter suam æquivocationem & intrinsecam indifferentiam per intentionem loquentis, aliundè nobis incognitam, possent determinari: id est, clarè cognoscimus, vel ex declaratione subsequenti ipsius loquentis, vel antecedente, aut aliis circumstantiis, quòd verba essentialia proferantur enuntiativè in persona Christi, absque intentione limitandi, aut variandi sensum per verba subsequentia.

116. An requiratur hæc notitia ad valorem Sacramenti?

Sed nunquid hæc clara notitia necessaria est ad valorem Consecrationis? Nequaquam: alioquin, si Sacerdos statim moreretur, prolatis verbis essentialibus, non fieret conversio; quia audientes non possent scire, an vellet progredi, vel non; & idem esset in formis aliorum Sacramentorum, quod nullo modo est admittendum.

Sanè si quis institueret aliquem hæredem dicendo: *Ego instituo Petrum hæredem*, quamvis vellet aliquid addere, si tamen non addat propter infirmitatem, censetur propositio absoluta, & Petrus verè esse hæres. Idem videre est in Matrimonio, si dicat: *Ego accipio te in meam*, animo addendi, *quæ pulchra*, vel, *dives es*; nisi constet manifestè de contrario.

Morula subsequens non est formaliter locutio vel pars locutionis.

Ex quo sequitur, illam morulam sequentem non esse formaliter locutionem, vel partem, sed signum aliquod ducens in clariorem cognitionem locutionis præcedentis. Quippe loqui, est manifestare mentem præsentem, sive de rebus præsentibus, sive futuris, sive præteritis: illa autem morula solùm notificat mentem præteritam, siquidem significaret, tametsi alter statim prolatis verbis dormiret, aut moreretur.

117. Ante illam morulam verba verè & perfectè significant.

Porrò quamvis illa negatio ulterioris additionis possit aliquando determinare vim significandi, sicut punctum in scriptura; tamen sæpè antecedenter ex circumstantiis, audientes, nihil amplius expectantes, percipiunt sensum perfectum & absolutum. Atque ita contingit in formis Sacramentorum, quando ordinario modo proferuntur: quamquam magis expresè concipiant illum sensum, quando vident reipsa loquentem ibi sistere.

Et verò licet ante illam morulam non ita clarè percipiatur verborum significatio, uti postea; tamen verè illa verba significant, veluti quando quis profert vocem æquivocam, illa verè & perfectè significat, quamvis audientes non clarè percipiant, pro quo accipiatur à loquente. Exempli gratia; si dicerem pluribus præsentibus & confessis: *Ego te absolvo*, cum intentione absolvendi Petrum, illa verba haberent veram & perfectam significationem, tametsi non clarè perciperetur ab audientibus propter æquivocationem.

Itaque cùm verba Consecrationis significent coexistentiam sui objecti, quando ipsa existunt, & non antequâ omnia existant, saltem in fine existentiæ omnium verborum, quando faciunt sensum perfectum, debet fieri conversio, & non in tempore, quo communiter profertur copula, *Est*, aut in tempore sequenti post morulam.

118. speculativè loquendo, & secundùm primævam vocum institutionem copula *Est* significat connexionem extremorum pro aliquo instanti suæ prolationis. Probatur à Scoto,

Hinc notanter addidi in Conclusione ly *Practicè*, id est, prout forma convertit panem, & vinum, in Corpus & Sanguinem Christi. Alioquin speculativè loquendo, & secundùm primævam vocum institutionem, tamquam probabile asserit Doctor noster, copulam *Est*, significare connexionem, sive unionem extremorum pro aliquo instanti suæ prolationis. *Nam*, inquit suprà n. 19 *verbum quando profertur, sicut tunc significat, sic tunc consignificat: & quando consignificat præsens, & non additur aliqua determinatio, per quam tempus consignificatum referatur ad aliud præsens; non videtur ex vi sermonis, quod copulet pro aliquo instanti, nisi pro aliquo instanti prolationis ipsius verbi præsentis.* Et

Et respondens ad fundamentum contrariæ sententiæ superiùs relatum, addit; *Etsi intellectus totius orationis non fiat per eam, nisi in ultimo instanti . . . . . tamen non sit conceptus unionis extremorum tantùm pro illo instanti.*

Confirmatur: *quia in propositionibus de præterito & de futuro, potest verbum copulare pro quocumque instanti præterito vel futuro, quantumcumque distante ab oratione: & tamen ibi intellectus totius orationis non habetur, nisi in instanti completæ orationis; sicut nec intellectus orationis, vel propositionis de præsenti, nec universaliter intellectus alicuius complexi.*

Idem videtur docere n. 20. ibi: *Potest ergo dici aliquantulum aliter, quòd de virtute sermonis non habetur, quòd conceptus propositionis de præterito, sive unio extremorum intelligatur præcisè pro ultimo instanti totius orationis; sed si intelligitur pro instanti, magis debet intelligi pro instanti completæ prolationis ipsius verbi. Partes enim quando proferuntur, significant; & si natura significationis earum est talis, quòd non extendit se, nisi ad aliquid, quod est præsens quando significat, oportet illud significatum esse præsens, quando partes proferuntur.*

Quemadmodum ergo veritas de præterito vel futuro, dependet ab unione extremorum pro instanti, pro quo uniuntur, & non pro quo proferuntur, pari ratione veritas propositionis de præsenti videtur dependere ab unione extremorum pro tempore præsenti, pro quo uniuntur; cumque illud tempus significetur per copulam præsentem, cur non debeat illa unio esse pro aliquo instanti, quo jam copula profertur? Adeoque secundùm primævam vocum institutionem, hoc est (ut Scotus loquitur) *de virtute sermonis*, erit forma Consecrationis falsa; quamvis ex intentione proferentis, quæ etiam in rigore sermonis significatur, vera.

Unde Doctor Subtilis suprà continuò adjungit: *Verumtamen bene possibile est aliquem determinare se ad exprimendum aliquem conceptum complexum pro instanti, & conceptus omnium partium illius conceptûs, accipi pro illo eodem instanti ultimo prolationis. Hoc enim modo disputantes determinant se ad proferendum intellectus suos in suis responsionibus ad idem instans, alioquin numquam respondens posset redargui, quantumcumque concederet contradictoria*, utpote, quæ pro diversis instantibus possunt esse simul vera.

Clarius n. 21. ibi: *Et hoc modo, licèt non sit manifestum de virtute sermonis illud, quod dictum est . . . . . de ultimo instanti prolationis: tamen manifestum est illa posse intelligi, quantum ad intentionem exprimentis, & in se, & in quantum est minister Dei, qui videns intentionem suam, potest illi orationi assistere ad agendum eo modo, quo ipsa secundùm intentionem proferentis significat.* Hæc Scotus. Qui propterea citatur communiter ab aliis, quasi assertivè docuisset, formam Consecrationis in rigore sermonis non esse veram; sed perperàm, ut ex dictis patet.

Certè Doctorem nostrum solùm agere disputativè pro utraque parte, non autem resolutivè pro una, aut altera, satis significant verba ejus, quæ ibidem subnectit n. 22. *Sed sive illa via teneatur, quòd de vi sermonis* (id est, secundùm primævam institutionem) *tota oratio debet referri ad ultimum instans sermonis, vel prolationis; sive ista, quòd hoc non sit ex virtute sermonis, sed ex determinatione proferentis: & hoc non tantùm in se, sed in ordine ad principale agens assistens ad agendum, & si salvetur uno modo, vel alio, quòd ista propositio est vera . . . . . remanet difficultas communis utrique modo, quomodo ista propositio est vera pro instanti ultimo.*

Nam secundùm utramque viam, etsi sit vera pro ultimo instanti, non tamen prius naturaliter, quàm conversio sit completa: quia prius naturaliter oportet rem esse, quàm oratio sit vera: in eo enim quòd res est, vel non est; est oratio vera, vel falsa ex Prædicamentis. Non ergo ista veritas præcedit naturaliter conversionem, sed sequitur, & per consequens ista oratio ut vera non est conversiva.

Quid manifestius quàm Doctorem nostrum liberam dare electionem illius, vel istius viæ, resolvens dumtaxat, quod hîc subjicio?

assertivè docuisset formam Consecrationis in rigore sermonis non esse veram; sed perperàm, ut hic ostenditur.

CONCLUSIO VI.

Non operatur forma Consecrationis ut vera, vel ut falsa, sed ut significativa.

122. Forma Consecrationis operatur ut significativa.

Est Scoti 4. dist. 8. q. 2. n. 23. & sequentibus (quem communiter sequuntur Recentiores) ubi post tredecim conclusiones hinc inde disputatas, tandem resolvit & suam ponit sententiam sub his verbis: *Propter hoc dico, quod tota illa disputatio in tredecim conclusionibus, & earum probationibus, vel improbationibus, subtilis est, & logica de veritate hujus propositionis salvanda: sed Theologo sufficit quòd ista oratio, ut est tale signum sensibile, institutum à Deo, est instrumentum Dei ad consecrationem illam, quæ sequitur in ultimo instanti, ita quòd Deus assistat sibi tamquam cuidam dispositioni præviæ efficaci, ut ea completa causet talem effectum invisibilem: non autem ipsa veritas præcedit ut talis dispositio actionem Dei, quia est ut signum sensibile in fieri, & per consequens in tempore non intelligitur habere suam propriam veritatem; quando etiam habet eam, illa veritas sequitur ordine naturæ actionem Dei.*

Scotus.

Forma Consecrationis non causat ut vera.

Breviter ergo diceret Theologus, quòd qualitercumque Logicus salvet istam propositionem esse veram, saltem non est oratio sacramentalis ut vera, sed ut tale signum sensibile præcedens fortè tempore, & ad minùs naturaliter suam veritatem: sicut dispositio continua in tempore præcedit ultimum instans, &

conditionem cuiuscumque in ultimo instanti: causa etiam præcedit conditionem causati.

Et si quæras tunc, qualis, aut ut vera, aut ut falsa est propositio conversiva? Dico quòd neque sic, neque sic; sed tantùm ut est propositio neutra, & prior naturaliter, & fortè tempore suâ veritate. Quæ est nostra Conclusio, &

123. Probatur Conclus. primò ab auctoritate Philosophi.

Probatur primò; quia juxta Philosophum 1. Perih. 9. Ab eo quòd res est, propositio dicitur vera: priùs igitur est Corpus & Sanguinem Christi per propositionem practicam poni in esse, quàm ipsa sit vera. Priùs, inquam, saltem naturaliter; neque enim objectum dependet à veritate propositionis, sed è contra ratio formalis verborum, sive verba, ut vera veritate formali, dependent sive includunt existentiam objecti; ergo ut sic non possunt illud causare, nisi idem causet seipsum.

124. Contrà objicitur.

Quòd si objicias; quia Sacerdos antequam profert verba Consecrationis, credit illa esse vera; ergo prior est veritas, quàm operatio verborum.

Objectioni satisfit.

Resp. sufficere ad veracitatem in propositionibus vocalibus & practicis, quòd proferens sciat causari per sua verba tale objectum, quale enuntiatur. Sic quippe Rex non mentitur, quando dicit alicui simplici nobili: *Tu es Comes*, vel, *Hic sit Comes*, *Comes sit Ioannes* &c. tametsi ante prolationem talis non sit Comes. Aliud est in propositionibus merè speculativis, quæ prærequirunt cognitionem existentiæ sui objecti, ut enuntians non mentiatur.

Ad veracitatem in propositione practica sufficit, quòd proferens sciat causari objectum per sua verba. Aliud est in propositione speculativa.

Ratio differentiæ est: quia proferens orationem practicam, scit rem pro ultimo instanti prolationis, pro quo solo vult enuntiare, ita se habere, sicuti significatur; cùm tamen in secundo casu, non sit objectum, sicuti enuntiatur, nequidem pro ultimo instanti.

Ratio differentiæ.

Sanè consecrans manifestat mentem suam, non quam habet de veritate sive existentia objecti præcedente, sed consequente seu dependente à suis verbis. Sicuti si aliquis scriberet alteri in hæc verba: *Iam non poteris amplius dicere, te non vidisse à me scriptam aliquam propositionem*; quis dubitaret scripturam esse veracem? Et tamen scribens scit hoc solùm esse verum dependenter à sua scriptura. Manifestat ergo per scripturam scientiam, quam habet eâ mediante.

125. Objicitur secundò. Responsio,

Arguis iterum; verba Consecrationis à parte rei, & per ordinem ad intellectum divinum, vel sunt vera, vel non. Resp. esse vera; sed cum ordine posterioritatis, saltem naturæ, ad significationem, quem ordinem etiam ipse Deus cognoscit.

quæ probatur ex Scoto,

Porrò hunc ordinem probat Scotus suprà hâc ratione: *Quia omne fundamentum priùs est naturaliter relatione suâ accidentali: propositio autem seu conceptus est fundamentum respectu veritatis, quæ est relatio accidentalis: quia potest inesse, & non inesse, sicut potest esse conformis, & difformis rei: Sorte enim sedente vera est oratio, quæ dicit Sortem sedere ..... ergo prior est naturaliter conceptus orationis, ut in se talis, quàm ut verus. Adhuc etiam prior duratione est ipsa oratio, ut variabilis, & in fieri, quàm conceptus eius causatus per eam, eo modo, quo tempus dicitur esse priùs suo ultimo instanti terminante.*

& confirmatur,

Confirmatur exemplo discipuli: *Priùs enim aliqua conclusio non demonstrata concipitur à discipulo, & tunc quidem ut neutra: & tamen totus per se eius conceptus percipitur, vel concipitur. Secundò demonstratione ad ipsam applicatâ, concipitur ut vera.*

126. Alia confirmatio.

Confirmatur secundò; quia oratio ex vi suæ impositionis significat, sive id, quod per eam significatur, ita sit, sive non: porrò veritas insuper requirit, rem significatam sic esse. Itaque pro illo priori, propositio est neutra, id est, neque vera, neque falsa, tametsi significativa.

Veritas & falsitas propositionis definitur ab instanti temporis.

Et sanè veritas, aut falsitas non desumitur ab instanti naturæ, sed temporis; ita quòd illa propositio simpliciter sit vera, quæ pro nulla parte, vel instanti temporis aliter dicit objectum esse, quàm in se sit. Igitur forma Consecrationis est vera, licèt in aliquo instanti naturæ priùs significet, quàm objectum ejus existat.

Verba Consecrationis in eodem instanti temporis efficiunt id, quod significant.

Enimverò talem vim habent verba Consecrationis ex divina voluntate, ut in eodem instanti temporis efficiant id, quod significant, suam significationem in seipsis complendo per productionem effectûs, ne verba divinitùs assumpta, & in persona Christi prolata, falsa (quod absit) inveniantur, si in aliquo instanti temporis effectu suo frustrentur.

127. Nihil aliud voluit Trident. sess. 13. cap. 4.

Et hoc tantùm vult Tridentinum, quando sess. 13. cap. 4. ex veritate verborum Christi colligit veram præsentiam Corporis & Sanguinis sub speciebus, & absentiam panis & vini; videlicet non à priori, id est, collectione effectûs per causam; sed magis à posteriori, id est, causæ per effectum, ut sensus sit: Quia verba Christi vera fuerunt, idcirco in instanti completæ prolationis sub speciebus panis & vini existit Corpus & Sanguis Christi; siquidem ab illa existentia, tamquam à causa dependet veritas propositionis ad instar effectus.

Quem sensum non obscurè indicant ipsa verba Tridentini: *Quoniam*, inquit, *Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit ..... per Consecrationem panis & vini conversionem fieri* &c.

Utique quia, nisi fuisset facta conversio, verba Christi fuissent falsa; non autem è contra, nisi verba fuissent vera, non fuisset facta conversio: quippe non ideo convertunt, quia vera; sed quia convertunt, ideo vera; ita quòd conversio sit causa veritatis, non è converso.

Quæ

128. Causa conversionis significatio.

Quæ ergo causa conversionis? Resp. significatio, quæ propterea dicitur practica, & denominat propositionem practicam, utpote efficientem id, quod significat. Forma itaque Consecrationis neque speculativè, neque practicè est vera, nisi intelligatur priùs fecisse suum significatum; & ideo prolata à non Sacerdote, vel à Sacerdote sine debita intentione, aut super materiam inhabilem, simpliciter est falsa.

Hinc quando Tridentinum suprà cap. 3. dicit: ex vi verborum sub specie panis existere Corpus Christi, & sub specie vini Sanguinem; per vim verborum intelligere debes significationem, quatenus indifferens est ad veritatem & falsitatem, neutiquam veritatem determinatè.

129. quæritur an sit indifferens ad veritatem & falsitatem.

Quin imò, quamquam illa oratio non esset significativa, adhuc dici posset, ex vi verborum poni sub speciebus panis Corpus, & sub speciebus vini Sanguinem. Ita Scotus suprà n. 24. in principio: *Et istud patet evidenter, quia posset Deus instituisse aliquam orationem non significativam, ad cujus prolationem à ministro, ipse assisteret ad causandum effectum in fine prolationis.*

Dein esse exemplo. Non omnia debent significare.

Bon.

Ergo qualitercumque sit de ista disputatione Logica; qualiter ista propositio est vera, hoc est tenendum pro certo, quod ipsa ut signum vocale, & in fieri extra, est signum efficax respectu Consecrationis; quia dispositio prævia, cui Deus ex pacto assistit ad causandum effectum efficaciter in termino, sive ipsa propositio significet talem effectum (quod verum est in proposito, & congruum, & hoc nudè, scilicet nec ut vera, nec ut falsa, scilicet in quantum est dispositio) sive significet illud ut propositio vera, & hoc vel pro tunc, quando est dispositio, vel pro instanti illo, pro quo causabitur illud, ad quod est dispositio: & hoc vel priùs naturaliter, quàm in illo instanti causetur ille effectus, vel posteriùs naturaliter.

Verba Consecrationis in eodem instanti temporis efficiunt id, quod significant.

130. Sacramenta causant secundùm eam rationem, quâ ponuntur in ratione Sacramenti.

Herculè cùm Sacramenta causent secundùm eam rationem, quâ ponuntur in ratione Sacramenti, atque in illa ponantur per significationem, non autem per veritatem: sequitur, formam Consecrationis operari non ut veram, vel falsam; sed ut significativam.

127. Nihil aliud voluit Trident. sess. 13. cap. 4.

Concludo hanc controversiam verbis Doctoris nostri sup. n. 25. *Sic ergo breviter sufficiat ministro non disputanti tunc, pro quo intelligitur oratio, intendere proferre istam orationem eo modo, quo Christus instituit eam proferendam: & sic habetur intentio debita, & instrumentum debitum, scilicet illa oratio prolata, cui instrumento, à tali agente adhibito, Deus assistit ad causandum in ultimo instanti talem effectum.*

131. Quomodo Est substituatur verbum Fit, aut, Transit, non valet Consecratio.

Sed nunquid valet Consecratio, si loco ly *Est* substituatur verbum *Fit*, aut, *Transit*? Negat communis sententia, quoniam non significat identitatem quam significat verbum *Est*, sed effectionem, vel transitum.

Contrarium, scilicet ly *Est* non significare identitatem, videtur D. Bonav. 4. dist. 8. p. 1. art. 1. qu. 1. ubi sic lego: *Et ideo hoc verbum, Est, in hac oratione non identitatem, nec similitudinem signat; sed hoc esse Corpus: hoc est, ad hujus verbi prolationem hoc totum transire in Corpus. Unde oratio ista in ore alterius, quàm in ore Sacerdotis, falsa est, quia non convertit, neque transubstantiat in illud, nec vera est pro identitate.*

Sententia D. Bonav. quòd ly *Est* non significat identitatem, sed transitum.

Et post pauca: *Nec videatur inconveniens dicere, quòd hoc verbum, Est, non identitatem dicit, sed potiùs conversionem in hac oratione, quæ non tantùm est significativa, sed etiam operativa.*

Qui modus intelligendi, præterquam quòd sit insitatus, adversatur, inquit Vasquez disp. 201. cap. 1. nu. 8. Concilio Tridentino sess. 13. cap. 4. Ubi Patres usurpant verbum *Est*, in forma Consecrationis in communi significatione, quâ denotatur identitas unius in alio, hoc est, simplex convenientia, propter quam unum, dicitur esse aliud. Verba Concilii sunt. *Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit &c.*

Vasquez.

132. Non repugnat Conc. Trid. sess. 13. cap. 4.

Verùm enimverò quod ad modum intelligendi attinet, quid miramur insitatum modum intelligendi? Potiùs miremur inconsuetum modum operandi. Porrò Patres Concilii Trident. usurpant verbum *Est*, prout illud usurpandum monet Divus Bonav. verbis commoratis subjiciens: *Magis tamen debuit poni verbum essendi, quàm operandi; quia magis competebat formæ, ut simul esset efficacia cum veritatis enuntiatione: simul etiam notaretur termini immutabilitas cum conversione.*

D. Bonaventura.

An autem forma valeret, si loco verbi, *Est*, substitueretur ly *Fit*, aut, *Transit*, ibi Patres non disputant, & perinde erat ad eorum intentum, sive ly *Est*, significaret formaliter identitatem, sive effectionem, vel transitum. Quippe ex eo, quod Redemptor noster verè dixit: *Hoc*, id est, panem, *transire in Corpus suum*, sive, *ex pane fieri Corpus suum*, meritò persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, per Consecrationem fieri conversionem totius substantiæ panis, in substantiam Corporis Christi.

133. *Vasquez.*

Neque hîc attendendi sunt apices Philosophici, quos attendit Vasquez sup. n. 9. dicens: Nisi connexio talis sit inter esse unius, & non esse alterius, ut esse unius sit causa, ut alterum non sit, non potest dici id, quod desinit, in esse alterius ullo modo transire: nulla autem actio productio Corporis Christi talis esse potest, ut vi suâ destruat panem hoc ipso, quo producit Corpus Christi: nullo igitur pacto, si Christus uteretur verbo transeundi, fieret conversio. Quare frustra, & falsò diceret: *Transeat panis in Corpus meum*: neque hæc verba vim aliquam ad conversionem haberent.

Sanè haud difficulter responderet Divus Bonav. quidquid sit de illa conversione in

rigore Physico, ad veritatem istorum verborum sufficere, substantiam panis desinere esse ibi ad positionem substantiæ Corporis: de quo latiùs infrà.

Hæc dicta sint, non quòd dubitem, quin graviter peccaret, qui verbum, *Est*, mutaret in quodcumque aliud; sed ad excusandum ab errore sententiam Doctoris Seraphici, qui fortè nihil aliud voluit, quàm ly *Est*, in forma Consecrationis, præter identitatem quam formaliter & expressè significat, etiam virtualiter & implicitè (ut benignè ipsum interpretatur Suarius disp. 59. sect. 2.) atque in actu quasi èxercito significare conversionem seu transitum, id est, non significare identitatem merè speculativam, præsuppositam scilicet existentiæ verborum; sed practicam, utique per ipsa verba efficienter causatam.

Potest commodè explicari de sola identitate.

Suarez.

134. Si ly *Est* simpliciter omitteretur, non valeret Consecratio.

Sed quid si verbum *Est*, simpliciter omitteretur, & solùm quis diceret: *Accipite & comedite hoc Corpus meum?* Communis sententia negat valere: nam sine verbo non stat propositio.

Prima objectio solvitur.

Dices; hîc est duplex verbum, *Accipite*, &, *Comedite*. Resp. neutrum pertinere ad formam Consecrationis, & utrumque significat aliquid quod non est de necessitate illius, scilicet usum Sacramenti; unde mutat sensum formæ substantialis.

Secunda objectio.

Solvitur.

Dices 2. in Græcis Codicibus leguntur apud Apostolum 1. Cor. 11. hæc verba absque conjunctione *Est*. Respondet Suarez suprà falsum esse, ut cuivis, inquit, erudito facilè constare potest.

135. Prima instantia.

Sed instas; saltem in Hebræo non habetur. Et ut notat Vasquez suprà num. 41. cùm apud Hebræos adverbium loco pronominis sæpè ponatur, fortassis Christus loquens linguâ Hebraicâ non dixit: *Hoc est Corpus meum*, sed: *Ecce Corpus meum.*

Vasquez docet hanc formam valere: *Ecce Corpus meum.*

Lugo.

Addit: aut saltem si ita diceret, non minùs consecraret panem in Corpus suum, quàm dicendo: *Hoc est Corpus meum*; idem enim esset sensus. Hæc ille. Et Card. Lugo disp. 11. n. 155. In communi (inquit) & proprio modo loquendi, eandem vim habere videtur particula demonstrativa, *Ecce*, quam habeat illud, *Hoc*.

Secunda instantia.

Accedit, quòd apud Græcos valeat hæc forma Confirmationis: *Signaculum doni Spiritûs Sancti*, prout diximus disp. 3. concl. 5. in qua tamen nullum exprimitur verbum. Resp. juxta proprietatem sermonis Græci satìs subintelligi, aut implicitè in aliis contineri.

Solvitur.

136. Responsio ad primam instantiam.

Ex quo patet responsio ad primam instantiam, videlicet ideo in Hebræo non exprimi ly *Est*, in forma Consecrationis; quia juxta proprietatem Hebræi sermonis satìs subintelligitur, aut implicitè in aliis continetur. Porrò secundùm proprietatem sermonis Latini videtur debere exprimi, ut habeatur enuntiatio.

An valeat illa forma: *Ecce Corpus meum.* Arriaga.

Quantùm ad illam formam: *Ecce Corpus meum*, de ejus valore valde dubitat Arriaga hîc disp. 40. n. 52. dicens: *τὸ Ecce* non tam videtur significare rem aliquam determinatam, ùtì illam significat *Hoc*, quàm hortari audientes ut videant; potest autem optimè quis hortari ad videndum, antequam res videnda veniat, dummodò immediatè illa sequatur. Præterea *τὸ Ecce Corpus*, posset immediatè ipsum Corpus ostendere, si illud esset visibile immediatè, ùtì possum albedinem immediatè ostendere, *Ecce albedo*. At pro valore Consecrationis necessarium omnino est, ut Corpus Christi non ostendatur immediatè in se, sed sub accidentibus his, sub quibus fuit panis: id quod locum habet maximè in sententia ejusdem Vasquez, qui rationem conversionis fundat unicè in vi verborum denotantium transitum panis in Corpus; quem transitum non ita denotat *τὸ Ecce Corpus*, quàm, *Hoc est Corpus*. Hæc ille.

Sed ego non video quare etiam *τὸ Hoc est Corpus*, non posset immediatè ipsum Corpus ostendere, si illud esset visibile immediatè, ùtì possum albedinem immediatè ostendere, *Hæc est albedo*. Quidquid ergo sit de valore illius formæ qui saltem dubius est, certè generat apud audientes perfectum sensum, secùs hæc verba: *Hoc Corpus meum.*

Si autem à me quæritur, quid significet in forma Consecrationis ly *Corpus meum*, & ly *Sanguis meus*, seu, *Calix Sanguinis mei?* En responsio:

CONCLUSIO VII.

Ly *Corpus* significat compositum ex materia & forma corporeitatis. Ly *Sanguis* liquorem istum, qui hoc nomine vulgò intelligitur, scilicet substantia, quæ generatur à nutrimento assumpto, & est proximum convertendum in carnem. Ly *Meum* determinat Corpus, & ly *Mei* Sanguinem, significantque relationem partis ad totum, scilicet Christum.

137. Prima pars Concl. adscribitur Scoto,

PRima pars adscribitur Doctori nostro 4. dist. 11. q. 3. n. 57. ibi: *Quantùm ergo ad istud dubium secundum huius secundi articuli, dico, quòd Corpus Christi per se includit materiam, & ad minus formam unam mixti priorem intellectivâ: & per istam formam est in actu partiali, & est proximum receptivum animæ intellectivæ, licèt non sit per*

per illam in genere corporis, ut corpus est genus, nisi per reductionem; & in istud compositum, quod tamen per se est pars hominis, fit per se conversio panis, quæ totus in totum, & partium in partes: & per consequens hæc forma est formalis terminus conversionis, sive forma termini conversionis.

Scotum sequitur Regius q. 76 art. 2. dubio unico n. 24. dicens: Sub specie panis vi verborum præcisè existit Corpus Christi, constans materiâ primâ & formis partialibus heterogeniis, constituentibus corpus organicum quoad esse suum substantiale.

Ubi n. 20. approbat formam corporeitatis, id est, formas substantiales partiales, quæ constituunt singulas partes corporis organici, & uni dant rationem carnis, alteri rationem ossis &c. quæ simul omnes aptè materiam informantes constituunt corpus organicum; non quidem ut integram substantiam, sed ut partem essentialem animalis, ulteriùs per ipsam animam perfectibilem, & animabilem. Et addit: Hanc sententiam plurimi tenent Recentiores, eamque fusissimè defendit, ac ostendit esse ipsius Aristotelis P. Dandinus in lib. 2. de Anima textu 11. digressionis 8. parte 3.

Porrò Vasquez disp. 186. cap. 2. n. 23. Sanè, inquit, quod attinet ad præsentem controversiam de termino conversionis significato nomine corporis, hæc opinio (Scoti) mihi maximè probaretur, quòd juxta eam omnes difficultates facilè explanari possent, nisi doctrinæ Aristotelis, & veræ Philosophiæ adversaretur. Siquidem ex sententia Aristotelis, facies & caro mortua, æquivocè facies & caro dicitur lib. 2. de generatione animalium cap. 1. *Non est enim facies nisi animam habeat, neque caro; sed corrupta æquivocè dicitur facies, aut caro, perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit.*

Resp. propter absentiam formæ specificæ completivæ, per quam constituebatur in esse faciei, aut carnis viventis; quasi diceret Philosophus: facies, nisi animam habeat, mortua est instar lapidis aut ligni.

Ergo est æquivocè facies aut caro, præcisè in ratione carnis, Negatur Consequentia; quia in ratione præcisa faciei aut carnis, non constituitur per animam; sed per formam partialem carnis sibi propriam, per quam distinguitur ab ossibus, & aliis partibus heterogeniis ejusdem corporis; formam, inquam, partialem, eandem prorsus ante informationem animæ, & post ejus recessum.

Si plùs velit Aristoteles, per fidem, inquit Regius suprà n. 25. corrigendus est. Subtiliter Doctor Subtilis suprà n. 31. *Neuter modus tenens Conclusionem negativam hanc, quòd in Corpore Christi non est alia forma substantialis, quam intellectiva, salvat sufficienter veritatem Eucharistiæ, scilicet unitatem Corporis Christi: quia sicut in existentia naturali, ita & in Eucharistia erat idem Corpus & mortuum, & vivum; quod probatur per multas auctoritates, quarum una est Ambrosii, & ponitur de Cons. dist. 2. Omnia quæcumque; loquens de Eucharistia, quomodo efficitur Corpus Christi; Idem inquiens, sanè Corpus, quod de virgine sumptum est, quod passum est, & sepultum, quod resurrexit, & in cœlum ascendit.* Plures auctoritates vide ibidem.

Et verò quamvìs contrarium non judicem esse errorem in fide; miror tamen summopere, quosdam Doctores tantùm laborare, imò inextricabilibus sese implicare difficultatibus, ut tueantur sententiam atque doctrinam Aristotelis hominis Ethnici, & hujus altissimi Mysterii planè ignari. Profectò parùm curandum de mente Philosophi, ubi constat contraria mens Sanctorum Patrum.

Sed audiamus rationem philosophicam, quæ movit Vasquez, ne amplecteretur mentem Scoti, juxta quam omnes difficultates facilè explanari possent. Quæcumque anima (inquit n. 24.) etiamsi sit rationalis, est forma naturalis materiæ, ita eam informans, & tribuens esse substantiæ, ut tribuat ei omnem rationem intrà genus substantiæ, quæ in homine, aut alio animante reperitur: ergo etiam rationem corporeæ substantiæ: ergo non est necessaria alia forma substantialis partialis tribuens esse corporis. 140. Proponitur ratio Philosophica Vasquesii.

Resp. distinguendo Antecedens: ut tribuat omnem rationem intrà genus substantiæ specificam, & completivam, Concedo; incompletam, & perfectibilem, ac quasi genericam, ut sic loquar, Nego. Id est, quæcumque anima tribuit carni v. g. rationem carnis viventis, secùs rationem præcisè carnis, in quantùm illa ratio est indifferens ad formam specificam viventis, & ejus privationem. Quæ ulteriùs hîc possent objici, videantur in Physica, ubi est proprius eorum locus. Responsio.

Itaque per compositum ex materia & forma corporeitatis intelligimus in Conclusione compositum ex carne, ossibus &c. Et ratio est; quia per corpus necessariò intelligitur altera pars compositi naturalis, sive hominis in Christo: ergo necessariò complectitur carnem, ossa &c. 141. Per compositum ex materia & forma corporeitatis intelligitur compositum ex carne, ossibus &c.

Probatur Consequentia; quia juxta Concilium Tridentinum sess. 13. can. 3. totus Christus continetur sub unaquaque specie: Corpus quidem, ut docet eâdem sess. cap. 3. sub specie panis, & Sanguis sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguis sub specie panis, animaque sub utraque vi naturalis connexionis & concomitantiæ. Probatur ex Tridentino.

Ergo ex vi verborum ponuntur sub specie panis caro, ossa, & similia, quæ pertinent ad integritatem Christi, distincta à Sanguine & anima: ergo hæc omnia per se, & directè significantur per ly *Corpus*. Ergo non sola materia

teria prima; alioquin non viventia cur corporis sint expertia?

142. An per corpus intelligi possit materia prima cum anima?

Sed numquid materia prima cum anima? Quomodo ergo anima ponitur per concomitantiam, & non verùs ex vi verborum?

Inquis; quia non ponitur quatenus rationalis est; sed quatenus pars corporis, sive sub aliqua ratione magis universali.

Impugnatur sententia affirmans.

Contrà: illa ratio magis universalis, solâ ratione, secundùm Adversarios, distinguitur à ratione specifica: ergo vel utraque ponitur ex vi verborum, vel neutra. Loquitur siquidem Concilium de illis, quæ realiter, & secundùm se ponuntur sub speciebus; neque considerat illas abstractiones rationis. Unde cùm esse vivens, & rationale in anima sint idem in re, si anima ex rigore verborum ponitur ut forma corporis, sequitur etiam poni ex vi verborum sub omni ratione, quæ est realiter ab ipsa indistincta.

Sanè potentiæ organicæ, ut visiva, & ejusmodi, quæ sunt proprietates corporis, ponuntur ex vi verborum, quoniam inseparabiles, licèt non spectent ad essentiam: quantò magis esse vivens, & rationale animæ, si ipsa est constitutiva corporis?

Negans probatur ex Trident.

Supponit itaque Concilium, animam realiter, & absolutè distingui à corpore, & nullo modo includi in ejus conceptu; & ideo ut probet eam existere sub iisdem speciebus, tam seriò recurrit ad unionem ejus ad corpus, tamquam ad causam hujus existentiæ: *Animamq;*, inquit cap. 3. *sub utraque* (specie existere.) *vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur.* Intelligere autem Concilium unionem Physicam, quæ est inter diversas res, quis Catholicus potest dubitare?

143. Non satisfacis dicendo: corpus esse conceptum generic um;

Hinc non satisfacis, si dicas; corpus esse conceptum genericum, & sic denotari per formam: quippe Concilium agit de corpore, ut est compars, & subjectum animæ, capax unionis ad illam, & per consequens, ut est terminus physicè producibilis, vel certè ut natus terminare actionem causæ principalis, nempe Dei, conversionemq́ue panis in ipsum virtute practicâ formæ.

Deinde loquitur Tridentinum de corpore, quod denotatur per pronomen demonstrativum *Hoc*, & possessivum *Meum*, adeoq́ue de Corpore singulari Christi: nihil autem horum convenit conceptui generico, aut universali præcisè sumpto, qui nec sic existere potest, neque terminare actionem, neque in virtute & efficacia causæ contineri, neque demonstrari, neque signari per possessivum, neque uniri comparti, neque componere physicè totum, cùm habeat tantùm rationem conceptûs metaphysici & abstracti.

quia corpus ut sic, nec existere potest, neque terminare actionem &c.

Hæc est doctrina Scoti suprà n. 28. ubi sic ait: *Terminus istius conversionis oportet ut sit reale, & ut reale; quia conversio est realis: sed anima intellectiva ut dat esse corporeum, distinguendo contra esse intellectivum, etiam secundùm aliquos istorum, non est aliquid reale, sed tantùm quid abstractum per actum intellectûs, sicut commune est aliquid præter singularia, sive inferiora secundùm eos: ergo ista conversio non potest esse in anima sub tali ratione, ut in per se terminum conversionis.*

Hæc est doctrina Scoti.

Sed videamus, si per ly *Corpus*, possit significari sola materia prima. Oppositum probatur primò; quia hæc forma non est æquivalens: *Hæc est materia prima mea.*

144. Per ly Corpus non potest significari sola materia prima. Probatur 1. Probatur ex Joan. 6.

Secundò; Christus Joannis 6. carnem suam promisit in cibum, non materiam primam: *Caro mea* (inquit v. 56.) *verè est cibus* &c. Sed neque materia prima sola nata fuit, vel passa, vel resurrexit, & tamen concorditer docent Sancti Patres, illud corpus, quod natum fuit de Virgine, passum in cruce, resurrexit &c. fuisse communicatum Apostolis in Sacramento; unde canit Ecclesia: *Se dat suis manibus.*

Tertiò; materia prima nudè sumpta non est nutrimentum corporale: ergo nequit significare, & causare nutritionem spiritualem ex proportione, quam habet nutritio corporalis ad spiritualem, & è contra, prout Patres hîc docent contingere.

Probatur 2. quia non est nutrimentum corporale.

Denique illa materia non est magis Christi, quàm cujuscumque alterius, cùm sit nata quamlibet formam recipere; ergo falsò denotaretur per ly possessivum *Meum.*

Quarta probatio.

Si dixeris; significatum corporis est materia cum accidentibus. Contrà; sic altera pars compositi foret solum ens aliquod per accidens: & ideo Consecratio dici deberet potiùs conversio accidentalis, quàm substantialis, sive transaccidentatio, quàm transubstantiatio, siquidem compositum sequitur naturam suæ formæ.

145. Improbatur sententio docens significatum corporis esse materiam cum accidentibus.

Sententia Ægidii improbatur à Scoto.

Appositè Doctor Subtilis suprà n. 30. *Aut illud corpus*, inquit, *quod ponis primum terminum conversionis, est corpus mathematicum vel naturale: non enim distinxit Philosophus corpus in plura. Si mathematicum, ergo includit actu quantitatem: ergo habetur quod vitas.* (arguit contra sententiam Ægidii, qui asserit materiam sine quantitate, ut tamen habet modum quantitativum, esse terminum conversionis Eucharisticæ) *Si naturale, vel ergo est per formam substantialem naturalem, vel per qualitatem: si primo modo, habetur propositum, quia illa forma non est anima intellectiva: si secundo, & qualitas naturalis præsupponit quantitatem, adhuc habetur propositum: quia primus terminus conversionis includet materiam cum quantitate & qualitate, & ita erit, non tantùm ens per accidens, sed dupliciter ens per accidens.*

Adjungit secundam refutationem dicens: *Non sunt efficaciora verba super Sanguinem, quam super Corpus; sed dicendo:* Hic est calix Sanguinis,

146. Secunda improbatio.

guinis, *non potest fingi terminus conversionis esse sola materia sub modo quantitativo, quia illud non est Sanguis: Sanguis enim dicit aliquam substantiam, quæ generatur à nutrimento assumpto, & est proximum convertendum in carnem; non autem generaretur vel converteretur, nisi haberet propriam formam substantialem.*

Tertiò improbat illam opinionem: quia *cùm dicitur:* Hoc est Corpus, *non ponitur aliquid distrahens à veritate carnis & ossis, & huiusmodi; sed potiùs ut includit omnes partes eius, quod est primò animabile: sed si diceretur:* Hæc est caro, *vel,* os, *videretur fictio, ponere terminum conversionis esse tantùm materiam sub modo quantitativo: ergo multò magis in proposito, accipiendo corpus, ut est quoddam includens omnia ista, sicut hic accipitur.*

Dices; etiam Sanguis est pars Corporis, & tamen ponitur solùm concomitanter, & non ex vi verborum sub speciebus panis.

Resp. ex Doctore nostro 4. dist. 8. qu. 1. n. 4. dupliciter posse accipi Corpus Christi, *Strictè prout includit partes animatas animâ Christi, cuiusmodi non est Sanguis, licèt sit in potentia propinqua ut convertatur in carnem animatam: & sic corpus est aliud essentialiter à Sanguine &c. Alio modo corpus potest accipi, ut omnia illa includit, quæ pertinent ad totum corpus organicum, sive sint partes animatæ, sive sint alia non formaliter animata, ut humores, & spiritus, & hoc modo sanguis est aliquid corporis.*

Porro ly *Corpus*, non semper pro his omnibus accipi, patet; quia dicitur, Corpus Christi depositum de cruce, & positum in sepulchro, & tamen totus Sanguis erat effusus. Et quid manifestiùs, quàm in præsenti casu, ubi Sanguis opponitur Corpori, & ex vi verborum ponitur separatim in commemorationem Sacrificii cruenti?

Una sane eademq; est hostia (utor verbis Tridentini sess. 22. cap. 2.) *idem nunc offerens Sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversâ*, tunc per realem separationem Sanguinis à Corpore, nunc autem per mysticam, id est, separatam positionem Corporis & Sanguinis ex vi verborum sub diversis speciebus.

Quin & in triduo mortis, si valida fuisset Consecratio, à parte rei sub speciebus panis, Corpus sine Sanguine, & sub speciebus vini, Sanguis sine Corpore exstitissent.

An etiam sine forma substantiali? Certè sine anima, quæ pro illo tempore nec Corpori, nec Sanguini erat unita. Cum qua ergo? Corpus, ais, cum forma cadaveris.

Sed quæ ista? Num eadem specie in omnibus corporibus mortuis? Etenim non reperitur indicium diversitatis: & tamen sæpè sunt diversa agentia, inducentia sive adferentia mortem, quæ per consequens si agunt, agunt diversa. Dispositiones quoque frequenter sunt diversissimæ. Et verò quis nesciat interdum hominem subitò extingui vel catarro, vel vulnere inflicto? Ubi tunc novæ dispositiones ad introductionem istius novæ formæ?

Sed nec ista nova forma salvat sufficienter unitatem rei contentæ in Eucharistia, scilicet unitatem Corporis Christi, ut vidimus suprà ex auctoritate Divi Ambrosii, ad quam

Viderint quòd hæc forma non salvat sufficienter unitatem rei contentæ in Eucharistia.

Respondent Adversarii; Corpus quod jacuit in sepulchro, & quod existit in Eucharistia, esse idem moraliter, sive materialiter, utpote idem unitate suppositi, & quantitatis.

Contrà primò; SS. Patres non dicunt, eadem materia, vel idem suppositum; sed idem Corpus, quod præter materiam significat formam substantialem. Et sanè quis nostrum ita loquitur: manet idem ignis postquam conversus est in aërem, & idem alimentum postquam conversum est in substantiam aliti? Et tamen manent idem materialiter. 149.

Probatur primò.

Secundò, agitur hìc de termino reali transubstantiationis, & non de aliquo morali. Profectò illa unitas quantitatis, vel suppositi, nihil facit ad unitatem specificam vel numericam: etenim numerica non desumitur à supposito, sed à singularitate, sive hæcceitate; porrò ad distinctionem specificam sufficit distinctio unius partis essentialis, quamvis in reliquis omnibus esset unitas; talis autem distinctio hìc erit, quoniam alia specie forma substantialis Corporis: adeoque in triduo non fuisset positum Corpus Christi sub speciebus panis, sed aliud essentialiter distinctum, Sanguine manente prorsus invariato sub speciebus vini in vita, & post mortem Christi.

Probatur secundò.

Atque hæc sufficiant pro veritate primæ partis nostræ Assertionis. Ex qua manifestè sequitur, formam Consecrationis essentialiter mutari, si loco ly *Corpus*, ponatur ly *Caro*. 150.

Nec refert quòd Christus hoc Sacramentum vocet suam carnem: & Cyprianus Sermone de Cœna Domini dicat, Christum consecrasse his verbis, *Hæc est caro mea:* nam nec Euangelista, nec Cyprianus intendit ibi formam exprimere, & uterque sumit carnem pro toto corpore, per synecdochen satis usitatam, etiam Scripturæ sacræ.

Mutatur essentialiter forma, si loco ly Corpus, ponatur ly Caro.

Solutio objectionis. Cypriani.

Quod clarè patet in Cypriano, qui cùm priùs dixisset, Christum usum formâ communi, ne eadem verba sæpiùs repeteret, postea subdit eum dixisse: *Hæc est caro meâ*; sumendo utique carnem, non in rigore & propria significatione pro parte corporis, distincta ab ossibus, nervis &c. sed per tropum tamquam partem principalem pro toto. Et sic conciliari possunt Doctores, quorum aliqui asserunt, alii negant valere ejusmodi Consecrationem.

Ly Caro aliquando accipitur pro toto Corpore.

Pro secunda parte Conclusionis, quæ ab omnibus est admissa, solùm quæritur, quare in forma communi ponitur Calix? 151.

Datur ratio quare in forma communi ponatur ly *Calix*. *Scotus.*

Resp. cum Scoto 4. dist. 8. qu. 2. nu. 25. *Hoc ideo fit, quia consecratur Sanguis in ratione potûs: liquor autem non habet rationem potûs, nisi ut in vase; nihil autem tale ponitur in ratione, vel consecratione Corporis; quia corpus conficitur ut cibus: solidum autem habet rationem cibi, licet non sit in vase.*

Quomodo resolvenda illa verba: *Calix Sanguinis mei.*

Quod sic intellige: quia potus ordinariè non sumitur nisi in vase, tamquam ordinario ejus continente; quasi diceres: *Vas Sanguinis mei*, id est, *Calix*, seu, *Vas retinens Sanguinem meum.*

Alii resolvunt hoc modo: *Quod continetur in hoc vase, est Sanguis meus*, vel: *Hic est Sanguis meus contentus in calice*, quasi dicatur: *Hic est potus Sanguinis mei*, accipiendo continens pro contento.

Et sanè convenientissimè; quia sic ly *Calix* expressiùs denotat rationem potûs. *Dicitur*, inquit Doctor Subtilis in Reportatis 4. dist. 8. q. 2. n. 11. *calix, vel pro vase, quia aliter non est potabile, vel accipiendo continens pro contento.*

Graviter peccaret, qui illas voces mutaret in ly *Sanguis meus*:

Unde stante moderno ritu Ecclesiæ Latinæ, fortè graviter peccaret, qui omitteret ly *Calix*, dicendo: *Hic est Sanguis meus*, quamvis indubiè Consecratio valeret.

152.

Prout etiam certò mortaliter delinqueret, qui loco pronominis *Meum*, & *Mei*, substitueret ly *Christi*, hoc modo: *Hoc est Corpus Christi*, *Hic est Sanguis*, vel, *Calix Sanguinis Christi.* Ratio est manifesta; quia mutat verba Christi, & discedit ab antiqua Ecclesiæ consuetudine.

utì & qui diceret: *Hoc est Corpus Christi*, vel: *Hic est calix Sanguinis Christi.*

Quin imò longè probabiliùs apparet hujusmodi non conficere Sacramentum: licèt enim hæc forma videatur eandem rem significare, juxta tertiam partem nostræ Assertionis (quæ utique communis est) tamen in modo significationis longè est diversa, cùm ad veritatem formæ ordinariæ necesse sit Sacerdotem loqui in persona Christi: ad veritatem autem istius formæ extraordinariæ, planè sufficiat Sacerdotem loqui in persona propria.

An talis Consecratio valeret.

Florent.

Equidem doctrina Concilii Florentini est: *Forma hujus Sacramenti sunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*; atqui illa verba: *Hoc est Corpus Christi: Hic est Sanguis Christi*, neque sunt verba Christi, ut patet ex Euangelistis, neque proferuntur in persona Christi; ergo non conficiunt Sacramentum. Ita docet Suarez disp. 59. sect. 2. in fine, & alii communiter.

153. Ly *Enim* ponitur ad continuationem verborum, & ad significandum causam verborum præcedentium *Accipite &c. Scotus.*

Expliciunt verba essentialia, quibus interponitur ly *Enim*, *ad faciendum*, inquit Scotus 4. dist. 8. qu. 2. nu. 26. *continuationem in illis verbis ne singula verba ibi possent quasi disuncta fatim proferri*, & ut insinuent causam verborum, quæ Christus dixit: *Accipite & manducate*; sive ut Doctor noster loquitur suprà n. 4. *ad designandum ordinem Consecrationis Sacramenti ad usum Sacramenti . . . . . quasi diceret, quia talis est Consecratio, ideo utimini consecrato.*

Ejus omissio, absente contemptu, non est mortale peccatum.

Quæ utraque significatio minoris videtur momenti, quàm ut omissio illius vocis sit peccatum mortale, si absit contemptus, qui in omnino voluntariè omittente vix potest abesse.

154.

Denique verba subsequentia formam essentialem calicis: *Novi & æterni testamenti* &c. de quibus egimus Conclusione secundâ, pleraque narrantur in Euangelio tamquam à Christo dicta.

Quis sit sensus illorum verborum: *Novi & æterni &c.*

Quod etiam censendum est de ly *Æterni*, &, *Mysterium fidei*, quamquam Scriptura non refert. Sufficit quippe traditio, quam satis docet Canon Missæ, & usus antiquissimus; atque expressè affirmat Innoc. III. cap. *Cùm Marthæ* de Celeb. Miss.

Convenienter autem apponuntur, habentque sensum optimum. Significant siquidem Sanguinem Christi esse authenticum instrumentum, quo novum Testamentum consignatur in æternum mansurum, esseque Mysterium fidei, id est, arcanum solâ fide cognitum, qui effundetur, scilicet in Passione, aut in altari, in salutem & remissionem peccatorum, quæ omnia, ex suprà dictis hâc sectione, satis patent, ut frustraneum judicem iterum illa repetere, aut dictis aliquid addere.

Efficacia verborum Consecrationis dis. plicet Calvinistis, aliisque Hæreticis.

Cùm itaque teneamus significationem verborum, quid restat, nisi eorum efficacia? Hæc valde displicuit Calvino, & hodie adhuc displicet Calvinistis, aliisque Hæreticis: loquor de conversione totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis ejus. *Quæ conversio*, ut ait Tridentinum sess. 13. cap. 4. *convenienter & propriè à Sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata*; de qua ponitur

Trident.

SECTIO

SECTIO QUARTA.

De præsentia Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento Eucharistiæ.

1. PRæcipuus Auctor & primus, qui negavit realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia; cumque errorem apertè defendit, & propagare studuit, & reipsa propagavit, recensetur Berengarius, qui vixit circa annum Domini 1050. & fuit Archidiaconus Ecclesiæ Andegavensis. Hic in pluribus Conciliis convictus & damnatus, hæresim abjuravit.

Primò in Concilio Turonensi sub Victore Secundo, ac relapsus, juramentum renovavit in Concilio Romano 113. Episcoporum sub Nicolao II. professus ibidem formulam fidei, quæ habetur Can. *Ego Berengarius*, dist. 2. de Cons. Sed rursum reincidens, & novum commentans dogma de præsentia Christi sub Eucharistia, simul cum substantia panis & vini, iterum sub Gregorio VII. Romæ in Concilio damnatus, serio resipuit & in fide Catholica perseveravit, teste Gersone, Surio, & aliis.

Remansit tamen hæc hæresis in quorumdam animis, ut Henricianorum, Petro-Brusianorum, Albigensium, Waldensium. Quos circa annum 1370. secutus est Joannes Wiclef, & tandem nostri temporis Hæretici, Swinglius, & alii, constanter asserentes Corpus Christi non esse verè & realiter in Eucharistia.

Cum quibus reipsa sentit Calvinus (quamvis subinde similia Orthodoxis loquatur) ut facilè patebit conferenti varios paragraphos cap. 17. lib. 4. Instit. quod etiam annotarunt plerique Auctores, qui contra Hæreticos hujus ævi doctissimè & luculenter scripserunt. Et ideo passim Calviniste eundem errorem tuentur. Contra hos omnes, hæc est veritas Catholica:

CONCLUSIO I.

In sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, id est, sub speciebus panis & vini consecratis, verè, realiter, & substantialiter continetur Corpus & Sanguis Christi.

2. ITa post Concilium Nicænum I. Lateranense sub Innocentio III Constantiense, & Florentinum, novissimè & expressissimè definit Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. his verbis: *Principio docet Sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur in almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini Consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum atque hominem verè*, id est, non tantùm figuratè, *realiter*, id est, non tantùm objectivè, *ac substantialiter*, id est; secundùm substantiam, & non tantùm secundùm effectum, *sub specie illarum rerum sensibilium contineri.* Sed post alia Concilia contrariam veritatem clarè definivit Concilium Tridentinum,

Et can. 1. ejusdem sess. sic inquit: *Si quis negaverit in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem, una cum anima, & divinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum; sed dixerit tantummodo esse in eo ut in signo, vel figura, aut virtute; anathema sit.*

Hanc Catholicam veritatem Doctor Subtilis, tamquam verus Ecclesiæ Catholicæ filius, apertissimè tradidit 4. dist. 10. q. 1. n. 3. ibi: *De primo dico, quòd Corpus Christi esse ibi verè realiter, est simpliciter de substantia fidei, eo modo quo veritas alicuius Sacramenti pertinet ad articulos fidei: ista enim veritas à principio fuit expresse tradita, ex quo Eucharistia fuit instituta.* quam etiam apertissimè tradidit Scotus,

Nec parcus fuit in probatione tali, qualis potest de hoc mysterio haberi: nam præter Traditionem: *Fundamentum*, inquit, *auctoritatis est Matth. 26. & Lucæ 22. ubi in cœna ait Christus: Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* 3. & probavit ex verbis formæ apud Matth. & Lucam,

Quæ verba, attestante Tridentino suprà c. 1. *cùm propriam illam, & apertissimam significationem præ se ferant, secundùm quam à Patribus intellecta sunt, indignissimum sanè flagitium est, ea à quibusdam contentiosis & pravis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas Carnis & Sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri, quæ tamquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est, grato semper & memore animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.* Hucusque Concilium. *Tridem.*

Cui per omnia consonat Scotus, verbis præallegatis mox subjiciens: *Et si Hæretici vellent ista exponere, dicendo quòd sint figurativè dicta, sicut illud quod ait Ioan. 15. Ego sum vitis vera. Et illud 1. Corinth. 10. Petra autem erat Christus, istud omnino est contra intentionem Salvatoris: quòd patet ex Augustino 83. qq. q. 69.* quæ non possunt figuratè intelligi. *Scotus.*

Solet circumstantia Scripturæ illuminare sententiam. *Vniversaliter enim intellectus verborum Christi, an loquatur figurativè, an non, colligi potest ex præcedentibus, vel consequentibus ibidem, vel ex alio Scripturæ locu. Vnde cùm Christus ait:* Ego sum vitis vera, *subiunxit:* Et vos palmites. *Constat autem quòd Discipuli non erant palmites naturales, sed tantùm figurales. Sed cùm dixit Lucæ 22.* Hoc est Corpus meum, *subdit:* Quod pro vobis tradetur. *Cùm etiam dixisset:* Hic est calix Sanguinis mei, *subdit: Qui pro vobis fundetur.* Hæc Scotus.

Sed numquid figura Corporis Christi, & non ipsum Corpus verè, realiter, ac substantialiter pro nobis traditum est? Figura Sanguinis, & non ipse Sanguis verè, realiter, ac substantialiter effusus est? Quis sanæ mentis audeat affirmare? Nec ipsi Hæretici tam stolidi sunt.

4. Probatur ex alio loco Scripturæ Joan. 6.

Neque hîc finis probationis. *Hoc etiam*, inquit, *manifestè patet ex alio loco Scripturæ, scilicet Joannis 6. ubi est diffusa prædicatio de isto Sacramento.* Audiamus, & credamus, v. 52. ait Christus: *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum: & panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.*

Quæ verba cùm Judæi intellexissent, non de manducatione spirituali per fidem, neque de figura carnis suæ aut nudo pane, sed in proprio, & obvio verborum sensu de reali manducatione, & de vera ac reali carne Christi, *Litigabant ad invicem* (inquit Apostolus Joannes v. 53.) *dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum?*

Et quid Jesus? Auget sententiam præcedentem gravissimo juramento dicens v. 54. *Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem* (à quo tamen Judæi maximè abhorrebant) *non habebitis vitam in vobis.* Et v. 56. exaggerando addit: *Caro enim mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*; bis repetens, *verè*, ne quis eum de cibo, vel potu metaphorico per fidem sumendo loqui apprehenderet.

ubi Caro & Sanguis dicitur verè cibus & potus.

5. Panis Eucharisticus præfertur Mannæ,

Ideoque v. 49. & 50. præfert panem, à se dandum, Mannæ dicens: *Patres vestri manducaverunt Manna in deserto, & mortui sunt. Hic est panis de cælo descendens: ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Et tamen etiam Manna fuit singularis figura Corporis Christi, à Patribus antiquis per fidem in Christum manducatum, ac alioquin alteri pani nullatenus postponendum.

& tamen Manna fuit singularis figura Corporis Christi; immo perfectior.

Quin imò perfectior figura: nam Manna de cælo cadebat, nullâque hominis operâ fiebat, habebat in se omne delectamentum, adeoque clarè repræsentabat Filium Dei, qui sine viri opera de cælo in uterum Virginis descendit, in quo animæ fideles omne delectamentum inveniunt.

6. *Et si dicas*, prosequitur Scotus suprà, *quòd Christus videns aliquos abiisse propter prædicationem suam de Eucharistia (Multi enim audientes ex Discipulis dixerunt: Durus est hic sermo, & quis potest eum audire? v. 61. & v. 67. Ex hoc multi Discipulorum eius abierunt retrò: & iam non cum illo ambulabant.) postea exposuit se dicens:* Spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam: verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.

Objectio est Scoto, quod locus Joan. 6 intelligi debeat de manducatione spirituali.

Quod pertractans Divus Augustinus de Consecrat. dist. 2. Primâ hæresis, *ait*, Non hoc Corpus, quod videtis manducaturi estis, nec Sanguinem effundendum, Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificabit vos. *Ergo ex verbis Christi & Augustini videtur, quòd non intellexit de Corpore suo nisi figurativè.* Ita sibi objicit Scotus.

S. Aug.

Estque objectio communis Hæreticorum, in sui erroris patrocinium, ambabus manibus amplectentium auctoritatem Divi Augustini, qui Tractatu 25. & 26. in Joannem videtur verba Christi Joannis 6. intelligere de manducatione spirituali per fidem in Christum.

Unde primo loco ad illa verba: *Respondit Iesus, & dixit eis: Hoc est opus Dei ut credatis in eum, quem misit ille*; sic ait: *Hoc est ergo manducare cibum, non qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Vt quid paras dentes & ventrem? Crede & manducasti.*

Quomodo intelligunt eum Hæretici,

Et secundo loco ad illa verba: *Qui manducat meam carnem* &c. inquit, *Hunc itaque cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & membrorum suorum, quod est Sancta Ecclesia in prædestinatis & vocatis & iustificatis & glorificatu, sanctis & fidelibus eius.*

fundamentum in auctoritate Divi Augustini.

Circa initium autem ejusdem Tractatûs scribit in hæc verba: *Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum. Qui credit in eum, manducat, invisibiliter saginatur, quia & invisibiliter renascitur.*

7.

Sed ad hæc quid Catholici? Attendite & intendite. Omitto Jansenium Gandavensem, Ruardum, & paucos alios de mysterio Eucharistiæ alioquin rectè sentientes, non satis prudenter hunc locum Joannis 6. explicasse de sola manducatione spirituali per fidem, ut sic faciliùs responderent Lutheranis, eundem locum objicientibus contra Communionem sub altera dumtaxat specie, quem tamen illis non favere infrà ostendemus.

His, inquam, Doctoribus exceptis, cum communi Schola Theologorum Respondeo verbis Doctoris nostri Subtilis suprà ex Magistro; *Quòd nec Christus, nec Augustinus exponens, vult negare veritatem Corporis Christi* (in Eucharistia) *sed quòd non est in Sacramento Corpus Christi sic carnaliter, sicut ipsi intellexerunt qui abierunt retrò, scilicet visibiliter in forma propria: sed per oppositum ad istum modum intelligendi est ibi spiritualiter & intellectualiter, & hoc est, quod dicit Augustinus, & Magister adducit, & est de Cons. dist. 2.*

Responsio ex Magistro & Scoto,

quòd tum dicit non esse in Sacramento Corpus Christi sic carnaliter, ut Volebant Judæi.

dist. 2. *Ipsum quidem, & non ipsum Corpus, quod videbatur, manducatur, ipsum invisibiliter, non ipsum visibiliter.*

Gratianus. Citat Gratianus in Decreto can. 45. dist. præallegatæ Divi Augustini in Epistola ad Irenæum, sed paulò aliter: *Non hoc Corpus, inquit, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum Sanguinem, quem fusuri sunt illi, qui me crucifigent: ipsum quidem, & non ipsum: ipsum invisibiliter, & non ipsum visibiliter.*

De eucharistia. Verumtamen illam Epistolam non reperio inter Epistolas Divi Augustini, sive Parisiis, sive Antverpiæ impressas. Aft verba priora, usque ad ly *Ipsum*, lego Enar. in Psal. 98. suprà illud: *Et adorate scabellum* &c. quibus continuò subjungit: *Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritu aliter intellectum vivificabit vos. Et si necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi.*

8. Num ideo negat Divus Augustinus realem præsentiam Corporis Christi in Eucharistia? Absit tantum nefas de tanto Doctore vel leviter suspicari. *Augustinum* (inquit Cælestius Papa in Epistola pro Prospero & Hilario cap. 2.) *sanctæ recordationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem rumor asperfit; quin tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam a meis semper prædecessoribus haberetur.*

Quis iste ergo spiritualis intellectus apud Divum Augustinum? Per oppositum intellige: *Durum* (inquit Augustinus suprà) *illis visum est quòd ait*, Nisi quis manducaverit meam carnem, non habebit vitam æternam: *acceperunt illud stulte, carnaliter illud cogitaverunt, & putaverunt quòd præcisurus esset Dominus particulas quasdam de corpore suo, & daturus illis, & dixerunt: Durus est hic sermo.*

9. Alioquin veram ac realem præsentiam Christi in Sacramento ibidem apertissimis verbis docet, quando ait: *Suscepit* Christus *de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit, inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solùm non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.*

Argumententur jam Acatholici, & dicant: Si Corpus & Sanguis Christi fuissent in cœna, præcepisset illa adorari; atqui non præcepit: ergo &c. Profectò Christus nusquam expressè præcepit se adorari; sed significando quis, & qualis esset, satis monuit homines de suo officio.

Sic ergo ut adoraretur in Sacramento, planè sufficiebat significasse suam præsentiam sub his verbis: *Accipite & manducate: Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* Et: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Eundem intellectum Divi Augustini clarissimè colligimus ex Tract. 27. in Joannem super illa verba Christi Joannis 6. v. 64. *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam.* Interrogat siquidem: *O Domine, Magister bone, quomodo caro non prodest quidquam, cùm tu dixeris:* Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit Sanguinem meum, non habebit in se vitam? *An vita non prodest quidquam, & propter quid sumus, quod sumus, nisi ut habeamus vitam æternam, quam tuâ carne promittis? Quid est ergo non prodest quidquam?* 10. & in Tract. 27. in Joannem.

Respondet Sanctus Doctor: *Caro non prodest quidquam: sed quomodo illi intellexerunt: carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur.*

Explicat per simile. *Proinde sic dictum est,* Caro non prodest quidquam, *quomodo dictum est:* Scientia inflat. *Iam ergo debemus odisse scientiam? Absit. Et quid est* scientia inflat? *Sola sine charitate. Ideo adiunxit:* Charitas verò ædificat. *Adde ergo scientiæ charitatem, & utilis erit scientia, non per se, sed per charitatem: sic etiam nunc* caro non prodest quidquam; *sed sola caro. Accedat spiritus ad carnem, quomodo accedit charitas ad scientiam, & prodest plurimùm.*

Quæris quis sit ille spiritus? Resp. Verbum divinum. *Nam*, pergit Augustinus, *si caro nihil prodesset, Verbum caro non fieret, ut inhabitaret in nobis. Si per carnem nobis multùm profuit Christus, quomodo caro nihil prodest? Sed per carnem spiritus* (utique divinus, id est, divinitas) *aliquid pro salute nostra egit, caro vas fuit, quod habebat attende, non quod erat.*

Confirmat exemplo Apostolorum: *Apostoli missi sunt, numquid caro ipsorum nihil nobis profuit? Si caro Apostolorum nobis profuit, caro Domini poterat nihil prodesse? Vnde enim ad nos sonus Verbi, nisi per vocem carnis? Vnde stylus? Vnde conscriptio? Ista omnia opera carnis sunt, sed agitante spiritu, tamquam organum suum.* ubi interpretatur Carnem, quam dedit Dominus manducandam, veram & realem.

Vides quomodo Augustinus carnem, quam dedit Dominus manducandam, & quæ manducata confert vitam æternam, interpretetur veram, realem, & substantialem, & non figuram carnis, quæ nihil horum operari potest? 11.

Concludit Lumen Ecclesiæ: *Spiritus ergo est, qui vivificat; caro autem non prodest quidquam. Sicut illi intellexerunt carnem* (hoc est, aut crudam, aut aquâ coctam, aut substratis carbonibus in verubus assam) *non sic ego do ad manducandum carnem meam. Proinde, verba, inquit, quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt.*

Et post pauca exponens verba illa Christi: *Spiritus & vita sunt*, interrogat: *Quid est spiritus & vita sunt?* Et respondet dicens: *Spiritaliter intelligenda sunt. Intellexisti spiritaliter?* Verba Christi Joan. 6. *Spiritus & vita sunt.*

Spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter? Etiam sic illa spiritus, & vita sunt, sed tibi non sunt.

simul intelligi possunt spiritualiter & carnaliter. *Ioan. 6.*

Quantùm audio, quantùm capio quid est hoc? An ergo simul intelligi possunt spiritaliter & carnaliter? Imò debent, ut sint tibi spiritus & vita. Causam quæris? Attende verba Christi, qui postquam Joannis 6. v. 64. dixisset: *Verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt*; illicò adjunxit v. 65. *Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt.*

S. August.

Super quæ verba Augustinus suprà: *Non dixit, sunt quidam in vobis, qui non intelligunt* (nam omnes verè intelligebant præsentiam realem, licèt falsò corporalem, quam Christus habebat extra Sacramentum) *sed causam dixit, quare non intelligunt; Sunt enim quidam in vobis, qui non credunt, & ideo non intelligunt* (ad salutem) *quia non credunt. Propheta enim dixit, Nisi credideritis, non intelligetis* (ita legit Divus Augustinus; textus vulgatus habet: *Si non credideritis, non permanebitis* Isaiæ 7. v. 9.) *Per fidem copulamur, per intellectum vivificamur: prius hæreamus per fidem, ut sit quod vivificetur per intellectum. Nam qui non hæret, resistit: qui resistit non credit: nam qui resistit, quomodo vivificatur?*

12. Verba Christi: *Qui manducat meam Carnem &c. spiritus & vita sunt illis, qui ex fide manducant,*

Itaque ex mente Christi, & Divi Augustini, verba illa: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die*, spiritus & vita sunt; sed his qui credunt, & ex fide, quæ per dilectionem operatur, manducant & bibunt Corpus & Sanguinem Filii hominis, verè, realiter, ac substantialiter, existentia sub speciebus panis & vini; attamen præsentiâ invisibili & spirituali.

qui enim non manducat ex fide, *S. August.*

Cæteroquin, teste eodem Sancto Doctore Tract. 26. in Joannem, *Qui non manet in Christo*, per fidem & charitatem, *& in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat spiritualiter carnem eius, nec bibit eius Sanguinem, licet carnaliter & visibiliter premat dentibus Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi: sed magis tantæ rei Sacramentum ad iudicium sibi manducat & bibit, quia immundus præsumpsit ad Christi accedere Sacramenta, quæ aliquis non dignè sumit, nisi qui mundus est.*

Apostolum 1. Cor. 11.

Audiamus Apostolum 1. Cor. 11. v. 27. & duobus sequentibus: *Itaque quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo: & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans Corpus Domini.*

iudicium sibi potiùs manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini.

Unde Doctor Subtilis suprà *Isto etiam modo* (scilicet Augustini, quem jam explicavimus) *de Eucharistia diffusè pertractatur à Paulo 1. Corinth. 11.*

13.

Profectò modus manducandi per solam fidem nequit esse damnabilis, etiam his, qui immundi sunt. Quid enim aliud est manducare per fidem, secundùm Adversarios, quàm credere, sive habere veram fidem, aut certè recipere effectum Corporis & Sanguinis Christi? Et quis ille effectus? Unitas, quam habemus cum Jesu Christo, ad hoc ut simus unum cum illo, & vita ipsius sit nobis communis; gratia seu nutritio spiritualis, remissio peccatorum, vel fiducia quòd sint nobis remissa peccata. Quid horum quæso malum? Quid ex illis potest esse ad nostrum judicium & condemnationem? Sanè nihil.

Modus manducandi per solam fidem non est damnabilis etiam immundis.

An fortè damnabile sit peccatori manducare figuram Corporis Christi, & bibere figuram Sanguinis; laudabile autem osculari imaginem sculptam Christi crucifixi? Quis unquam eò dementiæ pervenit? Ideo *Sancti omnes* (utor verbis Doctoris nostri suprà) *postea Catholici, exponentes ista loca Scripturarum, verba huius Scripturæ* (Joannis 6.) *dicunt esse intelligenda de reali præsentia Corporis Christi, non figurative.*

Scotus.

14. Adducitur locus D. Aug. ex lib. Consens. Evang.

Atque ut nullus relinquatur locus dubitandi de mente Divi Augustini (quem tamen Hæretici totum suum esse clamant, ipsi toti mendaces, quia ex patre Diabolo, qui ab initio mendax fuit) ambabus auribus auscultemus, quod ex intimo cordis eructavit lib. 3. de Consensu Evang. cap. 1. *Hinc igitur incipiamus secundùm Matthæum:* Cœnantibus autem eis accepit Jesus panem, & benedixit ac fregit, deditque Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum. *Hæc & Marcus, Lucasq; commemorant.* Et paulò inferiùs: *Ioannes* (inquit) *de Corpore & Sanguine Domini hoc loco nihil dixit. Sed planè alibi multò uberius hinc Dominum locutum esse testatur.*

Ioan. 6.

Rogas quod illud *Alibi?* Respondeo, cap. 6. in quo Christus primò quidem egit in manducatione per fidem, quando dicebat v. 27. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Nam ad interrogationem Judæorum v. 28. *Quid faciemus ut operemur opera Dei? Respondit Iesus* (v. 29.) *& dixit eis: Hoc est opus Dei, ut credatis in eum, quem misit ille.*

Postmodùm tamen acceptâ occasione ex miraculo quinque panum, & objectione Judæorum de Manna dato Patribus (dicebat enim v. 30. *Quod ergo tu facis signum, ut videamus & credamus tibi? Quid operaris? Patres nostri manducaverunt Manna in deserto* &c.) transiit suaviter Christus ad tractatum de Eucharistia, cujus institutionem ibi promittit, quam postmodùm fecit in ultima cœna testibus Matthæo, Marco & Luca.

15. D. Augustinus hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, intellexit in proprio sensu.

Num forsitan impudentior quispiam dicere audeat, Augustinum verba institutionis: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, figuratè accepisse, & non in proprio atque obvio sensu? Legat quisquis ille est cap. 10. lib. 3. de Doctrina Christiana, quod sic incipit: *Demonstrandus est igitur prius modus inveniendæ locutionis, propriane, an figurata sit.*

Sed

Sed quis iste modus Sanctissime Pater Augustine? *Et iste*, inquit, *omnino modus est, ut quidquid in sermone divino, neque ad morum honestatem, neque ad fidei veritatem propriè referri potest, figuratum esse cognoscas.*

Dubitas quæ sit morum honestas, & quæ veritas fidei? *Morum*, inquit, *honestas ad diligendum Deum & proximum; fidei veritas ad cognoscendum Deum, & proximum pertinet.* Porrò quis adeò stolidus ut non intelligat realem præsentiam Corporis & Sanguinis in Sacramento pertinere ad cognoscendum & diligendum Deum? *Quod* igitur *perspicuè sonat* (verba sunt Augustini ibidem in principio cap. 11.) *non est ad aliud referendum, quasi figuratè dictum sit.*

16. Ast, dicet aliquis; Augustinus eodem lib. cap. 16. expressis verbis affirmat hanc locutionem: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis*, esse figuratam. *Si*, inquit, *præceptiva locutio est, aut flagitium, aut facinus vetans, aut utilitatem, aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si autem flagitium, aut facinus videtur iubere, aut utilitatem, aut beneficentiam vetare, figurata est.*

Vet. refert quod dicit haec ins. Nisi manducaveritis &c. esse figuratam

Expectas exemplum? *Nisi manducaveritis*, inquit, *carnem Filii hominis, & Sanguinem biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere. Figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suaviter atque utiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit.*

Bene optimè, & non ad insipientiam Divo Augustino, sed ad insipientiam his, qui utpote perversi & ipsi omnia perversè intelligunt, & quod nobis est odor vitæ in vitam, hoc ipsis est odor mortis in mortem.

17. Verissimè ergo dixit Sanctus Doctor locutionem illam esse figuratam, quia modo spirituali Christus est sub Sacramento & sub aliena, non propriâ specie ipsum manducamus. Manducamus, inquam, non secundùm intellectum Judæorum & Discipulorum, qui retrò abierunt hoc enim *facinus vel flagitium* esset; sed secundùm doctrinam Ecclesiæ Romanæ atque Catholicæ, quæ est columna & firmamentum veritatis, cujusque solius est judicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum Sanctarũ.

Mediatorem, dico, *Dei & hominum hominem Christum Iesum* (verba sunt D. Augustini lib. 2. contra Adversarium Legis cap. 9.) *carnem suam*, veram, realem, substantialem *nobis manducandam* sub speciebus panis, *bibendumq; Sanguinem* verum, realem ac substantialem sub speciebus vini *dantem, fideli corde atque ore suscipimus: quamvis horribilius videatur humanam carnem* (juxta intellectum Judæorum) *manducare, quàm perimere & humanum sanguinem potare, quàm fundere.*

Quasi diceret: quamvis horribilius sit carnem humanam modo naturali & humano in frusta scindendo, & dentibus dilaniando comedere, quàm perimere; suaviter tamen atque utiliter manducatur vera caro, & bibitur verus Sanguis Christi Jesu Domini nostri, spirituali modo sub aliena specie existens.

Ecce præceptiva locutio: *Accipite & comedite: Hoc est Corpus meum: Accipite & bibite: Hic est Sanguis meus*, jubens utilitatem maximam & beneficentiam, inflammans affectum & illuminans intellectum; adeoque secundùm doctrinam Divi Augustini non figurata; quamvis & figurata in alio sensu. Quippe cùm Christus in Sacramento, ut jam jam dixi, non existat sensibiliter secundùm se, sed solùm ratione specierum, rectè illæ species dicuntur signum Christi, sed tale, quod ipsum significatum realiter in se contineat. 18. sed sub aliena specie modo invisibili.

Appositè Sanctus Augustinus in lib. Sententiarum Prosperi (& ponitur de Consec. dist. 2. cap. 48.) *Hoc*, inquit, *est quod dicimus: hoc modis omnibus approbare contendimus, Sacrificium scilicet Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Iesu Christi carne & sanguine, Sacramento & re Sacramenti, id est, Corpore Christi, sicut Christi persona constat & conficitur Deo & homine, cùm ipse Christus verus sit Deus & verus homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in se continet, ex quibus conficitur.* S. Aug.

Apage ergo fili diaboli cum tuo illo solò figurato Corpore & Sanguine; nisi & Filium hominis figuratum, & non verum Deum & hominem mentiri audeas. *Caro eius est, quam formâ panis opertam, in Sacramento accipimus, & Sanguis eius, quem sub vini specie & sapore potamus. Caro videlicet carnis, & Sanguis Sacramentum est Sanguinis.* Ita ibidem S. Aug. Caro enim ejus est quam formâ panis opertam in Sacramento accipimus.

Hîc exclamat Hæreticus: ergo caro signum carnis, & non vera & realis caro. Sed præstat motos componere fluctus. Audi quod sequitur; *Carne & Sanguine utroque invisibili, intelligibili, spirituali significatur visibile Domini nostri Iesu Christi Corpus palpabile, plenum gratiâ omnium virtutum & divinâ maiestate.* Carne, inquam, invisibili &c. numquid ideo non reali? An quia Deus ens invisibile, intelligibile, spirituale, similiter Angelus & anima rationalis, numquid ideo figuræ tantùm, & non potiùs entia vera, realia ac substantialia? 19. Carne & Sanguine invisibili, spirituali &c. significatur visibile & palpabile Corpus Christi.

Et ne minimus scrupulus de veritate carnis remaneret, ibidem subjungitur: *Sicut ergo cœlestis panis, qui verè Christi caro est, suo modo vocatur Corpus Christi, cùm reverà sit Sacramentum Corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, palpabile, mortale, in cruce est suspensum, vocatur & ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixo, non rei veritate, sed significante mysterio: sic Sacramentum fidei, quod Baptismus intelligitur, fides est.* S. Aug.

Ex quo palam fit, quid voluerit D. Augustinus, quando suprà lib. 3. de Doctrina Christiana c. 16. dicit: *Figura est ergo præcipiens passioni Domini &c.* 20. ideo potest hoc Sacramentum dici figura.

Item

6. August. Item lib. contra Adimantum Manichæi discipulum cap. 12. ibi: *Nam ex eo quod scriptum est:* Sanguinem pecoris animam ejus esse, *præter id, quod suprà dixi, non ad me pertinere, quid agatur de pecoris anima, possum etiam interpretari præceptum illud in signo esse positum. Non enim Dominus dubitavit dicere:* Hoc est Corpus meum, *cùm signum daret Corporis sui.*

3. August. Similem locutionem invenies in Enarr. 3. Psalmi circa principium, ibi: *Cùm admisit ad convivium* (Judam) *in quo Corporis & Sanguinis sui figuram discipulo commendavit & tradidit.*

Trident. Certè non aliud voluit hoc modo loquendi significare, quàm id, quod docet Tridentinum sess. 13. cap. 2. dicens: *Ergo Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens suorum mirabilium, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamq; annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat.* Figura ergo est, signum est, atque commemoratio passionis Dominicæ: sed talis, quæ realiter continet modo aliquo insensibili & spirituali ipsum figuratum, id est, Corpus Domini pro nobis crucifixum.

videlicet passionis Dominicæ, sed talis quæ realiter contineat ipsum figuratum.

Trident. Et ideo addit Concilium: *Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Joannis 6. v. 58. *Qui manducat*, inquam, *me*, realiter & spiritualiter, id est, qui ex vera fide, quæ per dilectionem operatur, manducat species panis, & bibit species vini, quibus præsens sum verè, realiter ac substantialiter, sed præsentiâ spirituali.

Joan. 6.

21. Vides Lector qualiter Patres Concilii Tridentini locum Joannis 6. intelligant, secundùm communem sensum universalis Ecclesiæ, de manducatione, non spirituali dumtaxat, sed etiam reali? Neque enim illæ manducationes sibi repugnant, sed optimè inter se conveniunt, neque est contra intentionem Christi, quòd unus & idem locus Scripturæ mysticè & litteraliter explicetur.

Manducatio spiritualis & realis non repugnant;

Joan. 4. Sic quippe locum Joannis 4. v. 14. *Aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, intelligit Cyprianus lib. 3. epist. 3. de aqua Baptismi. Sic sacrificia veteris legis, & litteralem sensum, quantùm ad obligationem, & mysticum seu figuratum, quantùm ad significationē Sacramentorum novæ legis, admittebant.

S. Cypr. utì nec quòd idem locus mysticè & litteraliter explicetur:

Quidni & locus Joannis 6. duplicem hunc sensum recipiat? Certè mysticus fundatur in litterali: est siquidem hoc Sacramentum institutum, ut mox audivimus, tum in memoriam passionis Dominicæ, tum ad incorporationem in Christo, & nutritionem spiritualem: teste enim Tridentino sess. 22. cap. 1. reliquit Christus dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile Sacrificium, & incruentum, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræsentaretur.

quem duplicem sensum admittunt verba Joannis 6.

Quis ergo ambigat excitare fidem in mortem Christi, per quam ejus Corpori mysticè incorporemur?

22. Atque hæc satìs de intellectu verborum Christi, vero utique & proprio; nec non de mente Divi Augustini, conformi omnino menti Divi Hieronymi in Epistolam ad Ephes. cap. 1. (& ponitur de Consecr. dist. 2. cap. 49.) ubi sic ait: *Dupliciter intelligitur caro Christi & Sanguis: vel spiritalis illa atque divina, de qua ipse ait:* Caro mea verè est cibus: & Sanguis meus verè est potus: *&*: Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis meum Sanguinem, non habebitis vitam æternam: *vel caro, quæ crucifixa est, & Sanguis, qui militis effusus est lanceâ.*

Mens Divi Augustini est consonis menti D. Hieronymi.

Ubi non putandum est, velle Divum Hieronymum distinctionem asserere in substantia; sed in solo modo, quo accipitur. Unde continuò subdit: *Iuxta hanc divisionem, & in Sanctis eius diversitas Sanguinis, & carnis accipitur: ut alia sit caro, quæ vivura est salutare Dei: alia caro & sanguis, quæ regnum Dei non queant possidere.* Quis dubitat utramque illam carnem, veram, realem, ac substantialem? Attamen diversimodè affectam, visione scilicet beatificâ, aut ejus privatione.

23. Cæterùm diversi Hæretici diversimodè exposuerunt hæc verba Christi: *Hoc est Corpus meum.* Carolstadius; Hic ad mensam sedet, seu, est Corpus meum. Bucerus; Hæc actio repræsentat sive exhibet Corpus meum. Joannes Langius; Corpus meum est hoc, nempe panis, quia instar panis reficit animas. Swinglius; Hoc significat Corpus meum.

Varia Hæreticorum expositiones horum verborum: *Hoc est Corpus meum*,

Petrus Bochinus verbum, *est*, accipit pro, dicitur, quasi dixisset: Hic panis dicitur Corpus meum, per communicationem idiomatum fundatam in unione sacramentali, quâ uniantur res, etiam distantissimæ, ut panis in terra, & Corpus Christi in cælo. Joannes Oecolampadius vult nomen, *Corpus*, sumi tropicè per figuram Metonomiæ, quâ nomen rei significatæ tribuitur signo; ut significent: Hic panis est figura Corporis mei.

Quid dicam de interpretatione Joannis Calvini? Hic lib. 4. Instit. cap. 17. §. 21. admittit cum Oecolampadio tropum Metonomiæ in nomine, *Corpus*; sed addit panem non esse nudam figuram Corporis Christi, sed figuram, quæ rem ipsam exhibeat, ita ut sit signum efficax, per quod fideles Corpus Christi verè manducant; non quidem realiter præsens, sed alio modo ineffabili. Porrò quidam discipuli sapientiores facti, vel potiùs stultiores suo Magistro, explicant ly *Corpus* (teste Jansenio c. 59. Concordiæ) mysticè pro Ecclesiâ, ac si Christus dixisset; Vos Discipuli estis Corpus meum.

Claudat hanc processionem Lutherus, qui in lib. Quòd verba Domini firmiter stent; hanc excogitavit interpretationem: Hic panis est corpus à me factum & creatum.

Ecce

Ecce ab impiis hominibus excogitata commenta satanica. En verba, adeò clara & aperta, quàm sint ulla alia in Sacro textu, à quibuldam contentiosis, & pravis hominibus, ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & Sanguinis negatur, contra universum Ecclesiæ sensum (ut ait Conc. Trident. sess. 13. cap. 1.) detorta: quos proinde jure longè meritissimo, quilibet sanæ mentis, cum præfato Concilio, potest & debet detestari atque execrari.

Et quis tam impudens, ut eorum advocatum, propugnatorem, & defensorem constituat Divum Augustinum? De hoc Doctore eximio atque mirifico scriptum reliquit Venerabilis Beda tomo 4. lib. de Taber. & vasis. *Omnia quæ fidem turbare poterant Hæreticorum venena evacuat.* Et Paulus Aquileiensis lib. 7. contra Felicem. *Vbiq; purissimus in Catholica Fide, & veracissimus Doctor esse comprobatur.*

Accedat Elogium Jonæ Aurelianensis, qui libro de Cultu Imaginum sic Claudium Taurinensem Hæreticum insectatur: *Etsi cæteros Patres excepisti, Beatum Augustinum, quem constat inter omnes Latinos Doctores disertissimum extitisse Doctorem, Sanctæq; Ecclesiæ Dei fortissimum defensorem & propugnatorem excipere non debueras. Is enim, etsi non solus, divinâ tamen sibi suffragante gratiâ, aliis facundius, copiosiusq; diversarum hæresum & schismaticorum perversa statuta rationabiliter evertit, destruxit, atque substravit.*

Sanè vel hoc unico verbo, quod statim profero, satis evertit, destruxit, atque substravit omnia hæc somnia, atque deliria, & anniles fabulas nostrorum Hæreticorum. Enarratione in Psalmum 33. conc. 1. non procul à fine super illa verba 1. Reg 21. v. 13. *Et ferebatur* (David) *in manibus suis* (sic legit D. Augustinus; vulgatus autem textus: *Et collabebatur inter manus eorum*) super hæc verba, inquam, ita Sanctissimus Præsul compellat fratres suos: *Hoc, fratres, quomodo posset fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram, non invenimus; in Christo autem invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum Corpus suum ait:* Hoc est Corpus meum. *Ferebatur enim illud Corpus in manibus suis.*

Quomodo ferebatur? An in figura tantùm? Sed quam similitudinem obsecro habet panis cum Corpore Christi? Et David, & quiscumque alius homo, non poterat suis manibus ferre figuram Corporis sui? Quid igitur? Ferebat, secundùm mentem Divi Augustini, Christus in manibus suis Corpus suum verum, reale, ac substantiale, quando dixit: *Hoc est Corpus meum.*

Ejusdem sententiæ est Divus Ambrosius lib. 6. de Sacramentis cap. 1. ubi sic scribit: *Sicut verus est Dei Filius Dominus noster Iesus Christus, non quemadmodùm homines per gratiam, sed quasi Filius ex substantia Patris: ita vera eius caro est, sicut ipse dixit, quam accipimus, & verus eius Sanguis est, quem potamus.* Similiter loquitur pluribus aliis locis.

Consonat per omnia Divus Damascenus lib. 4. de Fide cap. 14. ibi: *Non est figura panis, & vinum Corporis & Sanguinis Christi (absit enim hoc) sed, est ipsum Corpus Domini deificatum, ipso Domino dicente:* Hoc est meum, *non figura Corporis, sed* Corpus, *non figura Sanguinis, sed Sanguis.* Quò quid potuisset clariùs dici? *Vnde* (concludo verbis Doctoris nostri suprà) *est simpliciter hæresis hodie sentire, quòd non sit ibi realiter verum Corpus Christi.*

His minimè contenti inimici Corporis & Sanguinis Christi, pro fictitiis & imaginariis tropis, ad quos detorquent clarissima verba Salvatoris nostri à Sanctis Euangelistis commemorata, & à Divo Paulo postea repetita: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* 27.

Objiciunt I. Gen. 17. v. 13. Circumcisio dicitur pactum: *Eritq; pactum meum in carne vestra in fœdus æternum,* cùm tantùm esset signum pacti, ut sensus sit: *Eritq; signum pacti mei.* Similiter Exodi 12. v. 11. Agnus Paschalis vocatur Phase, seu transitus, ibi: *Est enim Phase, id est, transitus Domini:* cùm tantùm esset memoria transitus, quasi diceret: *Significat enim Phase, id est, transitum Domini.* Ergo eodem modo, dum Christus ait: *Hoc est Corpus meum*, impropriè intelligi debet, ut idem sit, quod *Hoc significat Corpus meum.* Nam statim subjungit Lucas 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, seu memoriam: hæc autem non est de præsentibus.

Opponunt Hæretici quòd Circumcisio vocetur pactum; cùm tantùm sit signum pactis *Gen* 17. *Exod.* 12.

Unde etiam Apostolus vocat Eucharistiam panem 1. Cor. 10 v. 16. *Et panis quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?* Et cap. 11. v. 26. *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc* &c. Et ipse Christus Matth. 26. v. 29. & Marci 14. v. 25. calicem consecratum vocat vinum, dicens: *Non bibam de hoc genimine vitis.* Ergo non est ibi Corpus & Sanguis nisi impropriè.

adeoque panis vocatur Corpus, quia est signum Corporis. *Luc.* 22. 1. *Cor.* 10. & 11.

Ad priorem partem hujus objectionis, manifesta est responsio ex iis, quæ diximus cum Doctore Subtili non procul à principio præsentis Conclusionis. Certè in prædictis exemplis, ex materia, quæ tractatur, & circumstantiis tam clarè constat Scripturam metaphoricè loqui, ut nulli de hac re possit esse dubium. 28.

Respondetur ex materia, quæ tractatur, aliisque circumstantiis esse videndum, num aliquis locus sit propriè an impropriè intelligendus;

Quid enim luculentiùs, quàm Gen. 17. Scripturam loqui de aliquo fœdere, inito inter Deum & Abrahamum? Siquidem his verbis compellat Deus Abrahamum v. 7. *Et statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te, in generationibus suis fœdere sempiterno.* Adeoque dum postea subjungit: *Eritq; pactum meum* &c. loquitur de signo pacti, quod utique, & satis quidem usitatè, pactum vocatur ab hominibus. Imò immediatè antè dixerat de Circumcisione v. 11. *Vt sit in signum fœderis inter me, & vos.*

constat autem locum Genesis esse impropriè intelligendum,

Similiter Exodi 12. minis clarè colligitur ex adjunctis, Agnum Paschalem vocari Phase, sive transitum, eò quòd ritus Agni Paschalis institutus esset in memoriam illius beneficii, sicut scriptum 29.

usi & locus Exodi 12. vocans Agnum Paschalem transitum.

scriptum est v. 26. & 27. *Et cùm dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? Dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transivit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.*

Adhuc refugis credere? Consule naturam rei, & dicet tibi: quomodo Agnus, qui erat res permanens, poterat aliter intelligi esse transitus, sive motus localis transiens, nisi quia erat signum memorativum illius?

Item locus Gen 41. ubi septem spicæ plenæ dicuntur septem ubertatis anni.

Sic etiam Gen. 41. dum Joseph rogatus, quid significarent septem spicæ plenæ, Pharaoni in somno ostensæ, respondet v. 26. *Septem spicæ plenæ, septem ubertatis anni sunt*; liquet profectò ipsum aliud nihil velle, quàm quòd septem spicæ septem annos significent. Eodem planè modo dum Christus seipsum vocat ostium, vineam &c. ex mysterio, quod explicatur, manifestum evadit, epitheta illa adhiberi per modum parabolæ aut similitudinis. Quid autem horum reperitur in istis verbis: *Hoc est Corpus meum?* Nihil omnino, adeoque metaphoricè explicari non possunt, quin pari ratione tota Scriptura debeat metaphoricè explicari.

Aliud est de his verbis: *Hoc est Corpus meum*;

30.

Nonne secundùm principia Adversariorum, quod Sacra Pagina dicit in uno loco obscurè, in altero clarè explicat? Nonne obscura est locutio: *Panis est figura Corporis?* Ubi autem reperitur ullus locus, qui illam clarè interpretetur?

quæ de reali cibo intelligi debere probatur à simili.

Quòd sit obscura locutio, probatur; quia amico dicenti: *Accipe & comede, hoc est talis cibus; bibe, hoc est talis potus*, creditur non de figura, sed de reali cibo ac potu. Et aliunde hæc verba: *Accipe & comede, bibe*, indubiè significant actionem exteriorem realem, non interiorem sive intentionalem fidei.

Undè ineptè diceres proponendo homini aliquid credendum; *Accipe, comede, & bibe hoc*, ad minùs esset locutio obscura. Sed ubi Scriptura illam clarificat? An fortè alicubi dicit: *Hoc significat Corpus meum; Hoc est figura, signum*, vel, *effectus Corporis mei?* Noli quærere, quia oleum & operam perdes.

31.

Alia similia.

Adde; si quis faciens professionem fidei resurrectionis, diceret: *Credo quòd omnes resurgemus in eadem carne, quam iam habemus*, & aliquis interpretaretur de carne in figura, foretnè assecutus tuam intentionem?

Et si quis legaret alicui 100. florenos, & hæres daret ipsi figuram, satisfecissetnè menti testatoris? Christus reliquit tibi Corpus & Sanguinem suum pro testamento, dicens Luc. 22. v. 20. *Hic est calix novum Testamentum in meo Sanguine*, & contentus eris figurâ Corporis & Sanguinis Christi? Postula rem ipsam, & non negabitur. *Fidelis*, inquit Apostolus 2 ad Timoth. 2. v. 13. *permanet, seipsum*, nobis promissum & testamento relictum, *negare non potest.*

Luc. 22.

2. *Timot.* 2.

Plura loca Scripturæ quæ non possunt figurare intelligi.

Cæteroquin, cur non similiter figuratè interpretamur has Scripturas: *Hic est Deus Deus noster*: Psal. 47 v. 15. *Hic est Filius meus dilectus.* Matt. 17. v. 5. *Hic est Iesus Propheta à Nazareth.* Matth. 21. v. 11. *Hic est hæres.* ibid. v. 38. *Hic est Iesus Rex Iudæorum.* Matth. 27. v. 37. *Hic est verè propheta. Hoc est præceptum meum*, & similes, quæ magno numero in Sacris litteris reperiuntur? Certè non ob aliud, quàm quia Scriptura propriè intelligenda est, nisi aliquid obstet.

Signa diversa ex quibus colligimus Scripturam aliquam esse propriè intelligendam.

Quod maximè verum est; Primò, quando loquitur de remissione peccatorum. Secundò, quando facit promissiones vitæ æternæ. Tertiò, quando minatur mortẽ æternam. Quartò, dum mandat rem aliquam sub pœna mortis. Quintò, cùm loquitur de institutione alicujus Sacramenti. Sextò, quando refert aliquid concernens conceptionem, nativitatem, passionem, resurrectionẽ &c. Christi, vel alia mysteria concernentia fidẽ.

32.

Adverte etiam primò, pronomina *Hoc*, &, *Hic*, numquam sumi, nisi pro rebus, quas demonstrant, ut in Scripturis statim allegatis.

Christus numquam pronuntiasse nomen Corpus, nisi propriè. Matth. 10. Matth. 6. Marc. 14.

Secundò, Christum numquam suo sacro ore pronuntiasse nomen, *Corpus*, nisi propriè, Matth. 10. v. 28. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Matt. 6. v. 25. *Ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.* Marci 14. v. 8. *Prævenit ungere corpus meum in sepulturam.* Apostolus autem in Epistola ad Colossenses c. 1. accipiens Corpus Christi impropriè, illicò explicat metaphoram dicens v. 24. *Adimpleo omnia quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia.* Ad Coloss. 1.

Ly Meum est certissimum meum pronomen.

Adverte tertiò pronomen possessivum *Meum*, vel, *Meus*, singularizare nomen, cui adjungitur; adeoque excludere metaphoras & figuras, quæ non fiunt, nisi in nominibus communibus & generalibus.

33.

Sed quorsùm hæc omnia? Ut intelligas, quàm ineptè inferant Hæretici, ex hoc quòd ly *Est*, in aliquibus locis Scripturæ accipitur pro ly *Significat*, eodem modo intelligi debere in verbis Christi, dum ait: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus.* Quis enim vel mediocriter Philosophus ignorare possit, argumentum ab incompleta distributione non concludere?

Nec refert quod aliquando ly *Est* accipiatur pro *significat*

Nonne bene sequitur: Homo est rationalis; ergo omne animal est rationale? Similis est hæc Consequentia: In uno loco ly *Est*, sumitur impropriè, ut sit idem, quod *significat*: ergo in omni loco; ergo etiam in illis verbis: *Hoc est Corpus meum.* Et quare similiter non licet mihi argumentari, & dicere; In hac propositione: *Verbum caro factum est*, & similibus multis, ly *Est*, etiam ex confessione Adversariorũ, sumitur propriè: ergo pariter in hac enuntiatione, *Hoc est Corpus meum?*

Nec magìs valet hæc Consequentia; Christus dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*; ergo non est realiter præsens in Eucharistia. Nonne Propheta Regius Psal. 77. v. 4. dicit: *Memor fui Dei, & delectatus sum?* Et aliquis propterea negat, Deum esse ubique præsentem?

Uti nec obstant hæc verba: *Hoc facite &c.* Psalm. 76.

Ponit filius memoriale supra sepulchrum parentis, non ut significet ipsum ibi non esse, sed è converso. Certè arbitror in superioribus satìs probatum, Sacramentum hoc esse memoriale

Domi-

Dominicæ passionis, signum atq; figuram Corporis Christi, attamen non vacuam; sed ipsum figuratum, sive significatum realiter continentem: non umbram tantùm; sed veritatem. Et hactenus de prima parte objectionis.

34. Ad secundam Respondeo; Eucharistiam subinde vocari panem, & genimen vitis, ratione specierum panis & vini, juxta morem loquendi Scripturæ, quo aliquid solet vocare nomine rei, sub cujus forma apparet; prout Angeli v. g. in forma virili apparentes, vocantur viri Gen. 18. v. 2. *Cumq; elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes propè ipsum.* Rursum 19. v. 5. *Ubi sunt viri, qui introierunt ad te nocte?*

Deinde per verba Christi (præterquam, quòd multi existiment, ea esse dicta de calice ante Consecrationem, ut clariùs indicat contextus verborum apud Lucam cap. 22.) nequit intelligi vinum secundùm substantiam, cùm expresè vocetur Sanguis versu præcedenti: *Hic est enim Sanguis meus &c. Dico autem vobis non bibam amodo de hoc genimine vitis &c.*

Pariter neque in verbis Apostoli, panis accipiendus est secundùm substantiam, cùm vocetur participatio Corporis Christi. Frangitur autem ratione specierum; unde cantat Ecclesia: *Signi tantùm fit fractura.* Quamquam etiam *frangere panem* phrasi Hebraïca idem sit, quod *distribuere*, Isaiæ 58. v. 7. *Frange esurienti panem tuum*, id est, distribue.

35. Profectò textus ille Divi Pauli non parùm confirmat Catholicam veritatem: quippe in illo cap. 10. facit Apostolus comparationem inter Israëlitas (qui *Omnes eandem escam spiritalem manducaverunt*, ut loquitur v. 3. *Et omnes eundem potum spiritalem biberunt* ut sequitur v. 4.) Christianos (qui comedunt Corpus Christi ex mensa Domini) & Gentiles (qui manducaverunt & manducant immolata ex mensa diaboli) porrò de solis Christianis dicit v. 16. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio Corporis Domini est?*

Quibus utique verbis manifestè satis innuit, antiquos Patres, & novos, tametsi eandem escam spiritalem, diverso tamen modo manducasse; isti videlicet in figura tantùm; nam v. 11. ait: *Hæc autem omnia in figura contingebant illis*; hi verò, quibus *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, Joannis 1. v. 17 verè, realiter, & substantialiter.

36. Objiciunt II. Lucæ 22. v. 20. ait Christus: *Hic est calix novum Testamentum in meo Sanguine*; ubi *Calix*, &, *Testamentum* sumuntur metaphoricè: ergo similiter *Corpus*, &, *Sanguis* debent metaphoricè intelligi.

Resp. primò Negando Consequentiam: enimverò metaphora, quæ invenitur in nomine Calix, quâ videlicet continens sumitur pro contento, tam clara & usitata est, ut æquivaleat propriæ locutioni. Similiter metaphora, quæ admitteretur in voce, *Testamentum*, nimiùm explicaretur per verba Matthæi & Marci; imò per se, & ex adjunctis ita evidens esset, ut metaphora censeri non deberet, adeoque nihil faveret Hæreticis ad deducendam inde metaphoram inusitatissimam, quâ corpus sumitur pro figura corporis.

Contrà: imago Cæsaris, usitatè dicitur Cæsar: ergo figura corporis, corpus. Concedo totum. Ergo ly *Corpus* in verbis Christi sumitur pro figura; Nego Consequentiam: quæ enim similitudo inter hostiam consecratam, & Corpus Christi? Nulla prorsus. Fateor repræsentans appellari nomine repræsentati, sed tunc quando non habet alium usum, quàm repræsentare: & hinc lignum, donec formetur artificio in imagine, non potest appellari Cæsar. Replica solvitur.

De cætero nulla est necessitas admittendi aliquam improprietatem in præallegatis verbis, & ideo Respondeo secundò ad principalem objectionem; Negando Antecedens: sicuti enim propriè, & sine ullo tropo poculum continens vinum dicitur poculum vini; ita propriè calix continens Sanguinem dicitur calix Sanguinis, vel, in Sanguine. 37. Secunda responsio, nullam esse necessitatem admittendi improprietatem in illis verbis: *Hic est calix novum Testamentum &c.*

Similiter testamentum in omni proprietate significat non tantùm voluntatem testatoris, verùm etiam ultimæ voluntatis instrumentum. Porrò Lucas & Paulus, dum aiunt: *Hic calix novum Testamentum est*, accipiunt testamentum pro autentico instrumento, quo continetur voluntas Christi, tamquam testatoris, ejusque hæreditas fidelibus defertur: Sanguis enim Christi verè est autenticum instrumentum, quo meritâ ipsius, nobis relicta, continentur & nobis applicantur. Matthæus verò, & Marcus, dicentes: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti*, usurpant testamentum pro voluntate testatoris, quâ ejus sanguinis hæredes efficimur.

Objiciunt III. Matt. 26. v. 11. prædicit Christus Discipulis suis: *Semper pauperes habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.* Rursum Joan. 16. v. 28. protestatur, inquiens: *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Ergo Christus non manet in Sacramento secundùm realem præsentiam. 38. Tertia objectio: Christus dicit Discipulis quòd illum non semper habebunt. *Matth. 26. Joan. 16.*

Distinguo Consequens: secundùm realem præsentiam visibilem illam & corporalem, quâ fuerat cum illis conversatus, Concedo totum: secundùm realem præsentiam, sacramentalem utique & invisibilem, Nego Consequentiam. sed intelligе secundùm realem præsentiam visibilem; *Matth. ult.*

Numquam legisti, quid Christus Matth. ultimo, versu ultimo promiserit Apostolis, quos mittebat per universum mundum, ut docerent omnes gentes & baptizarent eos? *Et ecce ego vobiscum sum* (in Sacramento scilicet Altaris, cujus conficiendi habetis potestatem) *usque ad consummationem sæculi:* quando videlicet cessabit hostia & sacrificium juxta Apostolum 1. Corinth. 11. v. 26. *Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis: mortem Domini* 1. Cor. 11.

annuntiabitis donec veniat judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem, ut exponunt Sancti Patres.

39. ut ex contextu fit manifestum.

Cæterùm hunc, quem diximus, esse legitimum sensum verborum Christi Matth. 26. *Semper pauperes* &c. manifestum est ex contextu: arguit quippe Discipulos (qui indignabantur Mariæ Magdalenæ, quoniam effuderat super caput Jesu recumbentis alabastrum unguenti pretiosi) dicentes: *Ut quid perditio hæc?* v. 8. Respondit autem Jesus (pro Maria Magdalena) v. 10. & 11. *Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum*, scilicet ad benefaciendum, ut expressè ponitur Marci 14. v. 7. *Et cùm volueritis, potestis eis benefacere: me autem non semper habebitis*, utique ad benefaciendum: ergo non est realiter præsens. Simile argumentum, ac si dicas: *Petrus non est domi ad ibi recipiendam eleëmosynam; ergo non est ibi realiter præsens.*

Marc. 14.

Joannis 16. agitur de substractione præsentiæ visibilis tantùm.

Quod spectat ad locum Joannis 16. evidens est Christum ibi loqui de passione & morte instanti, atque gloriosa Corporis in cælum assumptione; adeoque de substractione præsentiæ visibilis tantùm. Unde Joannis 14. cùm de eodem discessu suo egisset, videns animos Discipulorum turbatos, volens ipsos consolari, inquit v. 18. *Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos.* Et infrà v. 28. *Audistis quia ego dixi vobis: Vado, & venio ad vos.* Venio, inquam, per præsentiam spiritualem, quâ vobiscum ero usque ad consummationem sæculi.

Joan. 14.

40. Objectio quarta,

Objiciunt IV. Christus dedit Discipulis suis, quod accepit; atqui accepit panem: ergo dedit Discipulis panem. *Cœnantibus eis*, inquit Matth. cap. 26. v. 26. *accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; Discipulis suis.*

Matth. 26.

cui satisfit dicendo, quòd Christus dederit idem quod acceperat in exteriori apparentia.

Resp. ad Majorem; Christum dedisse, quod accepit, manens idem in exteriori apparentia, id est, quoad accidentia; non tamen manens idem in substantia, sed mutatum in suum Corpus. Unde argumentum est sophisticum, simile ferè huic: *Quod emisti, comedisti; sed carnes crudas emisti: ergo carnes crudas comedisti:* quod vocant Dialectici fallaciam figuræ dictionis; quoniam implicitè interpretamur substantiam esse qualitatem, idque propter similitudinem vocis, *Quidquid*, cum voce, *Quale quid.* Applica ad propositum.

41. Objectio quinta desumpta ex impossibilibus:

Objiciunt V. impossibile est idem corpus eodem tempore esse in diversis locis: item magnum corpus, quale est Christi, poni sub parva hostia: ergo non est in Sacramento nisi spiritualiter per fidem.

S. August.

Ad hæc & similia argumenta posset dici illud Divi Augustini lib. 22. de Civit. cap. 11. *Ecce qualibus argumentis omnipotentiæ Dei humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas.* Vanitas certè vanitatum nihil velle credere, nisi quod intellectu putamus nos comprehendere. Cùm enim multa naturalia ab intellectu nostro non possint penetrari; quantò magis varia mysteria fidei, ut Sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis &c. quæ proinde oporteret nos etiam impropriè & metaphoricè interpretari, prout fecerunt multi antiqui Hæretici, qui ea negarunt.

Itaque Respondeo Negando Antecedens, ut patet ex Physica. Alioquin retorqueo primum argumentum: Matth. ultimo versu ultimo dicit Christus: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus* &c. Ergo non ascendit in cælum nisi spiritualiter per fidem. Item Act. 9. Christus dicitur apparuisse Paulo in via, quâ veniebat v. 17. *Saule frater, Dominus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, quâ veniebas:* vel ergo non est in cælo, vel simul potest esse in pluribus locis.

sed negatur esse impossibilia.

Act. 9.

42. Accipe regulam generalem: quando videtur esse repugnantia in diversis Scripturis secundùm ordinem naturæ, firmiter credere debemus (cum Apostolo 2. Cor. 10. v. 5. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*) relicto ordine naturæ, juxta illud Angeli ad Mariam Lucæ 1. v. 37. *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*; & istud Psalmi 134. v. 6. *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in cælo, in terra, in mari & in omnibus abyssis.*

2. Cor. 10.

Luc. 1.

Psalm. 134.

Hanc doctrinam in veteri Testamento practicavit Abraham, volens sacrificare, non spiritualiter, sed corporaliter filium suum; per quem tamen ex promissione Dei semen ejus erat multiplicandum. Sic etiam Diva Virgo credidit se futuram Virginem & Matrem, non spiritualiter, sed carnaliter, non obstante naturali repugnantiâ, quam apprehendebat.

43. Objectio sexta ex absurdis ex doctrina Catholica sequutis:

Objiciunt VI. multa absurda, quæ ex doctrina Catholica sequi videntur; ut quòd Christus posset comedi à bestiis, si hoc Sacramentum comedant; quòd Christus descendat in fœtidum stomachum communicantium, & similia, minimè attendentes, quòd sicut amor impulit Christum ad manendum in utero materno novem mensibus, & admittendum in se fœdissima Judæorum sputa ac ignominiosissimam crucifixionem: sic idem amor impellat ipsum ad manendum cum homine, & intrà hominem per Eucharistiam, etsi ex negligentia vel malitia aliquorum, ei subinde quædam inferatur irreverentia; præsertim cùm Corpus illius jam gloriosum, non inquinetur, sicut tempore passionis, sed sit omnino impassibile.

sed veritas furda non sunt,

Mirùm Hæreticos eodem argumento non oppugnare divinitatem Christi, quemadmodum olim oppugnabat Nestorius dicens: *Egone bimestrem, aut trimestrem, fœdatum sputis, flagris laceratum, crucifixum dicam Deum?* Et posset impugnari ubiquitas Dei, cùm etiam ex illa sequatur, Deum esse in fœtidissimis stomachis, imò in inferno.

non magis quam quod Deus fuerit sputis fœdatus, flagris lacer. &c.

Sanè

Sanè ineptissima fuit hæresis Stercorariorum, qui Christum sic manducari dicebant, ut instar aliorum ciborum, etiam in secessum pro parte emitteretur. Quo quid absurdiùs cogitari poterat, & stultiùs fingi? Neque enim manducatur sub propria specie, ut proinde perditâ formâ, materia præjacens partim in formam alimenti, partim in excrementorum formam transire debeat.

Objiciunt VII. effectus hujus Sacramenti sufficienter haberi posse per manducationem spiritualem per fidem, vel saltem per applicationem panis, instituti in ratione signi sacramentalis repræsentantis Corpus Christi: ergo frustra asseritur Corpus Christi ibi esse realiter.

Resp. Negando Antecedens: nam Eucharistia non solùm est instituta ad conferendam gratiam, sicut alia Sacramenta; sed insuper propter unionem Christi, tamquam Capitis cum suis fidelibus, & propter sui nobiscum communicationem, dum se nobis non tantùm in signis & gratia, sed etiam in propria substantia communicat.

Salvator noster (inquit Concilium Tridentinum sess. 13 cap. 2.) *discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui ergà homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum, & in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamq; annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat.* Et verò figura Corporis Christi, & signum Sanguinis Christi, divitiæ illæ erunt divini ergà homines amoris? Non puto.

Deinde si Eucharistia solùm confert gratiam instar alterius signi sacramentalis, nihil in ea excellens & singulare reperitur; neque magis in hoc Sacramento, quàm in cæteris omnibus divitias sui ergà homines amoris Christus velut effudit, memoriam faciens suorum mirabiliu n.

Quemadmodum igitur Christus, licèt potuisset per assumptionem corporis phantastici, vel per unionem in præsentia tantùm locali, aut donis supernaturalibus consistentem, mundum Patri reconciliare, tamen id facere voluit assumendo veram carnem per veram & indissolubilem unionem hypostaticam: ita pariter ex superabundanti dilectione, non figurâ tantùm aut signo, sed propriâ suâ carne reali, & substantiali alere nos voluit.

Parentes quidem (verba sunt Divi Chrysostomi Homiliâ 61. ad Populum Antiochenum, *aliis sæpè filios tradunt alendos: ego autem, inquit, non ita, sed carnibus meis alo, & meipsum vobis appono*, non tantùm fide & charitate comedendum, sed verè, realiter, & substantialiter. *Unum corpus efficimur* (Chrysostomus ibidem) *membra inquit ex carne ejus, & ex ossibus ejus: sequamur autem initiati, quæ dicuntur. Ut itaq; non tantùm per charitatem hoc fiamus, verum etiam ipsâ re, in illam misceamur carnem: hoc namq; per escam efficitur, quam largitus est nobis, volens ostendere desiderium, quod ergà nos habet. Propterea emetipsum nobis immiscuit, & Corpus suum in nos contemperavit, ut unum quid simus, tamquam corpus capiti coaptatum: ardenter enim amantium hoc est.* Hæc aureum os Chrysostomi.

Quibus similia quàmplurima alii Sancti Patres loquuntur, ut ridicula & nullius momenti appareat objectio ab Hæreticis deprompta ex variis testimoniis Patrum. Vide Bellar. lib. 2. de hoc Sacramento per totum. 46. *Bellarm.*

Profectò verba Patrum, quæ in speciem videntur negare veritatem Catholicam, facillimam habent solutionem, si attentè consideremus. Primò, Patres sæpè obscurè locutos fuisse, ne augustissima mysteria proderent Ethnicis, qui (teste Tertulliano in Apologetico cap. 7.) olim Christianis exprobrabant, quòd ad infantem comedendum congregarentur. Idem testatur Averroës, qui nos impios appellat, eò quòd Deum nostrum manducemus. Unde Theodoretus Dialogo 2. post initium: *Non oportet*, inquit, *aperte dicere; est enim verosimile adesse aliquos mysterii non initiatos.* Explicantur Patres qui in speciem videntur negare doctrinam Catholicam. *Tertullianus.* *Averroës.* *Theodoretus* quòd sæpè fuerint obscurè locuti, ne Ethnicis manifestarentur mysteria; *S. August.*

Nonne & ipse Christus Joannis 6. obscurè locutus fuit de hoc tanto mysterio? Consule Divum Augustinum Tract. 27. in Joannem: *Si Discipuli*, inquit, *durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? Et tamen sic oportebat, ut diceretur, quòd non ab omnibus intelligeretur. Secretum Dei intentos debet facere, non adversos.*

Secundò, Patres quandoque loquuntur mysticè ad instruendos mores, & causâ ornatûs, idq; liberiùs, quia sciebant se loqui in Ecclesia Catholica, mentemque suam à fidelibus satìs intelligi, potissimùm nondum exortis Hæreticis Sacramentum hoc negantibus aut oppugnantibus; ideoque de veritate hujus Sacramenti stabilienda, ex professo numquam egerunt. 47. vel mysticè ad instruendos mores;

Præclarè Divus Augustinus lib. 1. contra Julianum cap. 6. postquam verba Divi Chrysostomi, ex Homilia ad Neophytos, contra doctrinam Ecclesiæ Catholicæ de peccato originali à Juliano objecta, exposuisset de peccatis propriis, occurrens tacitè instantiæ istius Hæretici: *At inquies, cur non ipse addidit propria?* Respondet; *Cur putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securius loquebatur.* quod & alibi fecerunt, teste D Augustino.

Allatisque apertissimis testimoniis Joannis Constantinopolitani pro peccato originali, tandem concludens cap. 7. sic incipit dicere: *Quid te igitur adiuvit, quòd Ioannis Constantinopolitani, tamquam tibi suffragetur, testimonium posuisti? An ut unum verbum quasi ab eo prætermissum, velut acuta calliditate captares, & tot verborum ejus, quibus obruerim tam ingentem tibi aggerem commoveres? In tantum improvidus & incautus, ut nec in*

ipsa Homilia, ubi vix unum, de quo malè intellecto decepti decideretis, testimonium reperire potuistis, adverteres Sanctum Ioannem Constantinopolitanum satis evidenter expressisse, omnes homines exceptis debitis propriis paternis esse chirographi debitores.

48. Elegans certè & appositа ad rem nostram descriptio, & quasi ad oculum demonstratio perversæ indolis atque distorti ingenii Acatholicorum nostri ævi, qui si vel minimum aliquod verbum in D. Augustino aut alio quopiam Sancto Patre deprehendant, quod vel longissimè favere videatur eorum erroribus, ambabus amplexantur manibus, clamant, vociferantur, prædicant, cæteris omnibus clarissimis, apertissimis, evidentissimisque testimoniis, vel silentio præteritis, vel quod potiùs est, explosis tamquam falsis, aut ad rem non pertinentibus.

qui sæpè ab Hæreticis pro suâ doctrina ex levi fundamento adducitur.

Bene prophetavit de talibus hominibus æterna Dei Sapientia Matth 6. v. 22. & 23. *Lucerna corporis tui est oculus tuus; Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt?* Certè tantæ sunt, ut ab omnibus palpari queant.

Matth. 6.

49. Sed juvat addere alium locum Divi Augustini ad confirmationem prioris, lib. de Prædest. SS. cap. 14. generatim excusat omnes Patres, quos Semipelagiani in sui erroris patrocinium adferebant, dicens: *Quid opus est ut eorum scrutemur opuscula, qui priùs, quàm illa hæresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quæstione versari, quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Vnde factum est, ut de gratia Dei quid sentiant, breviter quibusdam Scripturorum suorum locis & transeunter attingerent; immorarentur verò in eis, quæ adversus alios inimicos Ecclesiæ disputabant, & in exhortationibus ad quasdam virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiscenda vita æterna, & vera felicitate servitur.* Hæc animo revolve, & omnis dubitatio de mente Sanctorum Patrum circa præsentem controversiam citiùs evanescet.

Vti & alii Patres fuerunt adducti à Semipelagianis,

quos generatim omnes excusat D. Augustinus.

Hoc insuper notato, aliquando hoc Sacramentum vocari figuram & typum Corporis Christi, tum ratione accidentium, quæ verè sunt signa; tum quia Eucharistia, præterquam quòd realiter contineat Corpus Christi & ejus Sanguinem, est etiam signum Christi crucifixi, ut in superioribus luculenter ostendimus. Perbenè Hilarius, & ponitur de Consec. dist. 2. cap. 79. *Corpus Christi quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum extrà videtur, veritas autem, dum Corpus & Sanguis Christi in veritate interiùs creditur.*

Eucharistia vocatur quandoque figura & typus Corporis Christi. *S. Hilarius.*

50. Ita ergo se habet de præsentia Corporis & Sanguinis in Eucharistia, definita sententia voluntatis Dei: Sub speciebus consecratis existit Christus verè, realiter, ac substantialiter. Testes sunt Scriptura, Traditio, Concilia, Patres. Adde, si placet, quàm plurima miracula, quæ Deus diversis in locis intuitu hujus Sacramenti fecit, adeò evidentia, ut non minùs verè, quàm confidenter dixerit Richardus Victorinus lib. 1. de Trinit. cap. 2. *Domine, si est error, à te decepti sumus: nam ista in nobis tantis signis & prodigiis confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.* *Richard. Victorinus.*

Et si quæras, utrùm Christus præsens sit tantùm in sumptione specierum? Respondet Concilium Tridentinum sess 14. can. 4. *Si quis dixerit, peractâ Consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in usu dum sumitur, non autem ante vel post &c. anathema sit.* *Trident. Christus est præsens in Eucharistia etiam ante usum.*

Sanè verba Consecrationis vel hoc probant, vel nihil. Similiter Traditio, Patres, Miracula. Neque ulla est ratio, vel apparens, talis, qualis hîc haberi potest, in contrarium.

Interrogas rursum, an in hoc Sacramento cum Corpore & Sanguine Christi maneat substantia panis & vini? Pro responsione erit

CONCLUSIO II.

Transubstantiatio panis & vini in Corpus & Sanguinem Christi, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, fide certa est.

51. DOctor Subtilis 4. dist. 11. qu. 3. nu. 13. *Quantùm*, inquit, *ad istum articulum, quid scilicet sit tenendum: Respondeo, quod communiter tenetur, quòd nec panis manet contra primam opinionem, nec annihilatur vel resolvitur in materiam primam, contra secundam opinionem, sed convertitur in Corpus Christi.* Panis convertitur in Corpus Christi. *Scotus.*

Probat primò variis testimoniis Sanctorum Patrum, quæ habentur de Consec. dist. 2. & ponuntur à Magistro dist. 10. & 11. potissimùm verò duplici auctoritate Divi Ambrosii ex lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Panis est in altari, ubi accessit Consecratio, de pane fit Corpus Christi.* Ibidem: *Reverà mirabile: sermo qui potuit facere, quæ non erant, nonne potest mutare ea quæ sunt, in id, quod non erant?* Ita legit Scotus. Probatur à Scoto duplici auctoritate Divi Ambrosii.

Verba autem originalia sunt: *Tu fortè dicis: Meus panis est usitatus. Sed panis iste panis est ante verba Sacramentorum: ubi accesserit Consecratio, de pane fit caro Christi.* Et infrà: *Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur?*

52. Probè autem sciens Doctor, verba Sanctorum Patrum sæpè diversis exposita esse interpretationibus; neque sola per se sufficere, ut quid-

quidpiam credi debeat fide divinâ, illicò subjungit: *Principaliter autem videtur movere, quòd de Sacramento tenendum est, sicut tenet Sancta Romana Ecclesia, sicut habetur extra de Hæreticis: Ad abolendam.* Hæc ille.

Subscribo verba illius capitis: *Universos qui de Sacramento Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, vel de Baptismate, seu de peccatorum Confessione, Matrimonio, vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire, aut docere non metuunt, quàm Sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & observat &c. vinculo perpetui anathematis innodamus.* Ita Lucius tertius.

Nunc autem (prosequitur Scotus suprà) *ipsa tenet, panem transubstantiari in Corpus, & vinum in Sanguinem, sicut manifestè habetur extra de summa Trinitate & fide Catholica* cap. *Firmiter* circa *damus.* §. *Una verò*, ubi dicitur: *In qua* (scilicet Ecclesia) *idem ipse Sacerdos est Sacrificium Jesus Christus, cujus Corpus & Sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur.* Et sequitur statim: *Transubstantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem potestate divinâ.*

Pergit Scotus, & adjungit duas congruentias dicens: *Ad hoc etiam est una congruentia, quia Ecclesia non errat, cùm dicit:* Fiat commixtio & Consecratio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi &c. *Alia est congruentia, quia non scimus non posse congruè celebrare; sed perceptâ Eucharistiâ adhuc potest Sacerdos iterum celebrare, sicut habetur Extra de Celeb. Missar. cap. Consuluisti.* Excepto (*inquit*) die Nativitatis Domini, nisi tamen necessitas superveniat, sufficit Sacerdoti semel in die Missam celebrare. *Et ex hoc innuit, quòd in die Nativitatis Domini, & quando necessitas ingruit, licet plures Missas celebrare in die.*

Hæc ex Doctore nostro fusiùs retuli, ut omnes videant, quàm malâ fide quidam Moderni ipsum perstringant, quasi in probatione hujus Conclusionis fuerit parcus; cùm tamen nemo anteà inter Scholasticos magis prolixè & appositè hanc veritatem ad sua principia reduxerit.

Præterea, ut appareat omnibus veritatis amatoribus, quàm falsò Vasquez disp. 180. cap. 5. nu. 49. in fine, taxet Scotum ignorantiæ in Patribus & Traditione circa hanc veritatem, inquiens: *Neque verò obstat, quòd aliqui Theologi, in Traditionibus & doctrina Patrum parum versati, oppositum dixerint.* An ille parùm versatus in Patribus, qui doctrinam suam probat auctoritate Patrum in specie & in genere? An ille nescius Traditionis, qui primò omnium Traditionem supponit dicens: *Quod Conclusio communiter tenetur?*

Unde Hiquæus in Commentario suo ad locum Scoti prælegatum n. 44. in fine: Quid (inquit) magis debuit Doctor? Vel unde Vasquez taxat eum ignorantiæ in Patribus & Traditione in hac veritate, qui petitis argumentis ex pluribus locis in genere & in specie abundantiùs probat Conclusionem, quàm ipse protervus scriptor?

Et nu. 45. Rejicitur hinc calumnia Soti in 4. dist. 9. q. 2. art. 4. conclusione 4. ubi asserit Doctorem asseruisse, & nomen, & rem ipsam transubstantiationis esse novam; & quòd primùm ille intellectus fidei susceptus sit in Concilio Lateranensi. Ita Hiquæus. 54. atque à Soto calumniatur, quòd asseruerit nomen & rem transubstantiationis esse novam.

Verba Soti sic sonant: Quin verò Scotus dist. 10. ut suprà citavimus q. 1. & dist. 11. qu. 3. & Cajetanus præsenti quæstione art. 1. non solùm transmutationis nomen aiunt esse novum, verùm & rem ipsam conversionis dicunt Ecclesiam à Doctoribus susceptisse, qui de Consec. dist. 2. referuntur. Imò ait Scotus, quòd primùm iste intellectus fidei susceptus est in illo Concilio Lateranensi. Et percunctatus cur articulum tam intellectu difficilem Ecclesia susceperit, respondet nihil aliud, quàm quòd id illuminata Spiritu Sancto fecit. Hæc Sotus. *Cajetanus.*

Et post pauca, impugnans illam responsionem Scoti, scribit in hæc verba: Sed ait Scotus, Hoc Ecclesia revelatione Spiritûs Sancti suscepit. Fatemur & nos equidem tamquam verissimum; attamen, quia Ecclesia non immediatâ revelatione, quemadmodum Apostoli, utitur, sed divinâ ope & operâ, ne in eruendis è Sacra Pagina articulis fidei erret: non satis est Theologo dicere, Ecclesia in veritatibus fidei sic decernit, sed munus ejus est, ostendere ex quibus locis Scripturæ id collegerit. Hucusque Sotus. Sed sine intellectu, ut videtur. Intelligat ergo vel nunc quicumque errantem sequitur. *Sotus.*

55. Ostenditur Scotum & Sotum idem docuisse.

Ipse profectò Sotus nomen transubstantiationis à tempore Innocentii in Concilio Lateranensi asserit usurpatum: quoniam in nulla vetustiori Scriptura reperitur. Non dissentit Scotus; quoniam probat doctrinam communem ex cap. *Firmiter* de summa Trinitate, quod est Innocentii in illo Concilio.

Ait Sotus secundò, rem ipsam sub aliis nominibus, scilicet transmutationis aut conversionis, non solùm esse antiquam in Ecclesia; verùm ex ipso Euangelio collectam. Probatur, inquit ille, de Consecrat. dist. 2. Canonibus multis. Ecce quàm præclarè inter se conveniant Scotus & Sotus.

An fortè putas, quia Scotus non colligit veritatem Catholicam ex Euangelio? Erras toto cælo. Audi quid dicat n. 15. in responsione ad tertium argumentum. *Et si quæras*, inquit, *quare voluit Ecclesia eligere istum intellectum ita difficilem huius articuli, cùm verba Scripturæ* (Hoc est Corpus meum) *possent salvari secundùm intellectum facilem, & veriorem secundùm apparentiam de hoc articulo. Dico quòd eo Spiritu expositæ sunt Scripturæ, quo conditæ. Et ita supponendum est, quòd Ecclesia Catholica eo Spiritu exposuit, quo tradita* Scotus colligit veritatem Catholicam ex Scriptura.

dita est nobis fides, Spiritu scilicet veritatis edocta, & ideo hunc intellectum eligit, quia verus est. Non enim in potestate Ecclesiæ fuit facere istud verum, vel non verum; sed Dei instituentis: sed intellectum à Deo traditum Ecclesia explicavit, directa in hoc, ut creditur, Spiritu veritatis. Quid evidentius, quid illustrius dici poterat?

56. Æstimas, quòd ex alia Scriptura Sotus colligat hanc veritatem? Attende quid dicat loco suprà citato: Illud verbum *Homousios*, id est, consubstantialis Patri, Nicæna Synodus numquam in usum recepisset, nisi ex verbo ipso Euangelico elicuisset: *Ego & Pater unum sumus.* Pari modo numquam Sancti nomen conversionis & transubstantiationis usurpassent, nisi in verbis Christi perspexissent: *Hoc est Corpus meum.* Cùm enim accepit panem, & non dedit nisi Corpus, optimâ consecutione Patres intellexerunt verbo ipso convertisse panem in Corpus. Hactenus Sotus.

Alia impugnatio Scoti ex Soto.

Et prosequitur: Quapropter nescio cur Scotus dixerit, quòd sive Christus diceret: *Hoc est*, sive, *Hic est Corpus meum*, nihil ad quæstionem, cùm tantùm ad rem faciat dixisse, *Hoc est*, ut si non dixisset nisi, *Hic*, id est, hoc loco, numquam Ecclesia conversionem sacramentalem recepisset. Igitur non pluris æstimare, *Hoc*, quàm, *Hic*, est fibras ac nervos veritatis succidere. Hucusque Sotus.

Responsio ex Hiquæo.

Resp. unico verbo cum Hiquæo suprà: Hæc, & similia dicteria, ex eo solo oriuntur, quòd Doctor non admittat, ex sola communi acceptione speculativa formæ Sacramenti, & seclusâ omni interpretatione Ecclesiæ & declaratione, demonstrari hanc veritatem de desitione panis; quod verissimum esse ostendam Conclusione sequenti.

57. Instas; saltem negari non potest, ex mente Scoti istum intellectum fidei primùm susceptum esse in Concilio Lateranensi: quippe immediatè ante verba mox recitata sic incipit responsionem ad tertium: *Et tunc ad tertium, ubi stat vis, dicendum quòd Ecclesia declaravit istum intellectum esse de veritate fidei in illo Symbolo edito sub Innocentio tertio in Concilio Lateranensi.* Firmiter credimus &c. *sicut allegatum est superius; ubi explicitè ponitur veritas aliquorum credendorum, magis explicitè, quàm habebatur in Symbolo Apostolorum, vel Athanasii, vel Nicæni. Et breviter quidquid ibi dicitur esse credendum, tenendum est esse de substantia fidei: & hoc post istam declarationem solemnem factam ab Ecclesia.* Ergo ante illam declarationem non erat transubstantiatio de substantia fidei.

Cùm dicit Scotus in *Concilio Lateranensi* tantùm hanc fuisse veritatem declaratam,

intelligit declarationem magis explicitam, quàm antea fuerit.

Resp. Negando Consequentiam; solùm namque sequitur, post illam declarationem magis explicitè fuisse de substantia fidei, quàm fuerat anteà. Perspicuè manifestum est ex ipsis verbis, nisi, non sine magna impudentia, dicere audeas, Doctorem Subtilem sensisse, ante illam declarationem minimè credendum fuisse fide divinâ, Deum esse unum & trinum, & plura alia, quæ habentur in Symbolo Apostolorum, vel Athanasii, vel Nicæni, & in illa declaratione dicuntur esse credenda: enimverò de his omnibus eodem modo loquitur, sicut de transubstantiatione.

Et si dicas; quia hæc veritas ante Concilium Lateranense expressè definita fuit in Concilio Romano sub Gregorio VII. contra Berengarium; Responsio in promptu est: acta illius Concilii non exstant, neque Auctores, qui mentionem ejus faciunt, fuere pervii; sed à pauco tempore emerserunt: neque in Corpore juris inter canones Ecclesiæ mentio ejus habetur per solemnem promulgationem, sicut contigit in definitione Concilii Lateranensis. 58. Objectio. Concil. Romanum. Responsio.

Rectè ergo Scotus probans sensum Ecclesiæ recurrit ad acta publicata, & communi Ecclesiæ acceptatione recepta, de quibus nemo dubitare poterat. Adde; qui asserit unam definitionem Ecclesiæ, non idcirco negat aliam. Rectè Scotus recurrit ad acta publicata Conc. Lateranensis.

Hucusque pro defensione Doctoris nostri, ut omnes sciant, ipsum ne latum unguem à vera Catholica fide unquam discessisse, aut in minimo puncto de ea dubitasse; sed semper strenuum ac acerrimum ejus defensorem contra Hæreticos extitisse: contra Hæreticos, inquam, omnes; & in præsenti specialiter contra Impanatores, quorum antesignanus fuit Berengarius, qui factâ retractatione sui erroris in Concilio Romano sub Nicolao II. quamvis admisisset veritatem Corporis & Sanguinis Christi in Eucharistia, simul tamen asseruit substantiam ibi panis & vini remanere, & Christum ibi impanari. 59. Scotus semper fuit strenuus fidei Catholicæ defensor contra Hæreticos, & in hac materia contra Berengarium qui primus docuit impanationē, Lutherus.

Quem secutus Lutherus lib. de Captivitate Babilonica cap. 2. de Eucharistia addebat, neutram partem hujus controversiæ ad fidem pertinere; affirmativam tamen, nempe in Eucharistia manere substantiam panis & vini, magis esse conformem Sacræ Scripturæ.

Verùmenimverò Berengarium damnavit Gregorius VII. in Concilio Romano 6. anno 1079. coram quo & ipse Berengarius, post longo tempore dogmatizatam impietatem, erasse se confessus, veniamque postulans & orans, ex Apostolica clementia eam meruit. 60. quam damnavit Gregorius VII. in Concil. Romano.

Gregorius VII. secutus est Innocentius III. in Concilio Lateranensi cap. *Firmiter* suprà commemorato, ubi primùm usurpata fuit vox, *Transubstantiatio*, licèt res anteà fuerit credita, & similibus vocibus (ut conversionis substantialis, mutationis, immutationis, transmutationis &c.) etsi non tam expressè significativis, explicata; ut fusè ostendit Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 20. & 21. quem vide. & Innocentius III. in Conc. Lateranensi. Bellarminus.

Progressu temporis in Concilio Romano Generali inter alios articulos Joannis Wiclef proscribitur: *Substantia panis materialis, & vini materialis manent in Sacramento altaris.* Deinde in Concilio Constantiensi sess. 8. dicta definitio fuit, Item Concil. Rom. Generale. Concil. Constant.

Concilii

Concilii Romani contra Wiclef confirmatur. Et postea in fine Concilii iterum à Martino V. ibi electo approbatur. In decreto etiam Eugenii IV. in Concilio Florentino definitur, virtute verborum substantiam panis in Corpus Christi, & substantiam vini in Sanguinem converti.

61. Ac tandem contra Lutherum ejusque Asseclas novissimè atque apertissimè veritatem Catholicam docet Concilium Tridentinum sess. 13. c. 4. dicens: *Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq; nunc denuò Sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam Sanguinis eius, quæ conversio convenienter & propriè à Sancta Catholica Ecclesia Transubstantiatio est appellata.*

Et can. 2. ejusdem sess. contrarium errorem disertissimis verbis condemnat, inquiens: *Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini unà cum Corpore & Sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaveritq; mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat; anathema sit.*

62. Ubi specialiter nota hæc verba: *Manentibus dumtaxat speciebus panis & vini.* Ergo non manet materia prima panis, aut forma substantialis; neque existentia, utpote in sententia Scoti realiter substantiæ panis identificata, &, secundùm doctrinam communem, non accidens, sed modus substantialis. Ast numquid succedit, aut perseverat substantia eadem, vel diversa numero, quæ non sit substantia panis?

Certè omnes hæ sententiæ tam sunt per se absonæ, ut refutationem non mereantur. Quid enim absurdius quàm materiam manere sine forma, aut è converso formam sine materia? Porrò materiam panis informari animâ Christi, utì alimentum, est prorsus ineptum: nam contra communem omnium sensum; contra naturam animæ informantis tantùm corpus organizatum; & contra naturam animæ Christi jam habentis corpus sibi adæquatum & proportionatum.

63. Falsum quoque arbitror, accidentia non existere propriâ, sed solâ subjecti existentiâ; sicut etiam quòd humanitas Christi existat existentiâ Verbi. Audio quidem Bannez 1. parte qu. 4. art. 2. dubio 2. dicentem, quòd illa humanitas habeat propriam existentiam, mihi semper visum est plusquam falsum, & minùs tutum pro dignitate mysterii Incarnationis: sed nescio ego, an magis tutum sit pro dignitate mysterii Eucharistici, propriam existentiam accidentibus negare, ut ipse facit.

Quamvis enim Patres hujus Concilii expressè damnent solos Hæreticos, docentes manere panem; tamen hâc occasione explicant adæquatè sensum communem Ecclesiæ, qui est, adeò non manere panem, ut è contra remaneant solæ species, id est, accidentia. Unde Concilium Colonienſe parte 7. cap. 15. *Quid enim panis, viniq; species post consecrationem sunt, nisi species sacramentales & accidentia sine subiecto?* *Conc. Coloniense.*

Quomodo ergo manet individualis entitas panis? Nequit siquidem manere individua entitas sine specifica; neque destructâ ratione specificâ panis, potest manere ratio substantiæ & entis, quæ fuit in illa ratione specifica, cùm ratio specifica nihil realiter sit distinctum à ratione individuali in sententia Scoti; adeoque impossibile sit unam absque altera existere. Manere enim non potest individualis entitas panis destructâ ratione specificâ.

64. Ex dictis etiam facilè rejicitur error illorum, qui supponunt non converti panem & vinum secundùm eam partem, quæ sumenda est à peccatore. Qui insuper clarè confutantur ex Apostolo 1. Cor. 11. v. 29. *Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans Corpus Domini.* Ergo Corpus Domini sumitur etiam à peccatore, qui solus indignè manducat. Et ita docent, aut certè supponunt communiter Patres & Concilia. Rejicitur error supponentium non converti panem & vinum secundùm eam partem quæ sumenda est à peccatore, 1. Cor. 11. & illorum qui dicunt redire substantiam panis, quando indigni communicant.

Profectò sic numquam satis tutè possemus adorare Eucharistiam, utpote nescientes, an illud ipsum, quod consecratum nobis adorandum proponitur, sumendum sit à justo, an à peccatore. Unde pariter explosus manet error aliorum, qui putabant redire substantiam panis & vini, quando Eucharistia sumitur ab indignis.

Missam facio opinionem cujusdam Joannis Parisiensis, qui voluit inter panem & Corpus Christi intercedere unionem hypostaticam; utì etiam opinionem Ruperti Abbatis Tuitiensis (quem tamen nonnulli excusant) existimantis hypostaticè uniri inter se panem, & Verbum divinum immediatè. Veriùs errores dixeris, quàm catholicas opiniones. Nunc tempus & locus postulant, ut satisfaciamus aliquot objectionibus Impanatorum. Item opinionem ponentium unionem hypostaticam inter panem & Corpus Christi, vel divinitatem.

65. Objiciunt ergo primò; Eucharistia sæpè appellatur *panis*, ergo in ea manet panis. Resp. Negando Consequentiam; quoniam dici potest *panis*, tum quia fit ex pane, sicut Gen. 2. v. 23. Eva dicitur os ex ossibus Adæ. *Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis:* Et Exodi 7. v. 12. serpens ex virga factus, dicitur virga: *Sed devoravit virga Aaron virgas eorum:* tum quia ratione specierum apparet panis: tum denique, quia est panis sive cibus spiritualis animæ, cum phrasi Scripturæ *Panis* sæpè quemlibet cibum significet, ut patet ex innumeris locis. Quis enim credat, quando Scriptura dicit alicui panem fuisse appositum ad comedendum, intelligendum esse de solo pane, & non etiam de potu, & aliis cibis necessariis ad communem & ordinariam refectionem? Prima objectio Impanatorum solvitur, *Gen. 2.* *Exod. 7.* Eucharistia vocatur panis ob varias rationes. Panis in Scriptura sæpè significat quemlibet cibum.

Exemplum ex Gen. 18.

Unum pono exemplum ex Gen. 18. Apparuerunt Abrahamo in convalle Mambre tres viri stantes propè eum, quibus ipse dixit v. 3. & sequentibus: *Domine si inveni gratiam in oculis tuis, ne transeas servum tuum; sed afferam pauxillum aquæ, & lavate pedes vestros, & requiescite sub arbore. Ponamq; buccellam panis, & confortate cor vestrum.*

Et quid arbitramini Abrahamum intellexisse per buccellam panis? *Festinavit*, inquit Scriptura v. 6. *Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitq; ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes.* Num ibi totum prandium? Sequitur v. 7. *Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum, & optimum, deditq; puero, qui festinavit, & coxit illum.* Neque hoc satis erat: *Tulit quoque*, dicitur v. 8. *butyrum & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit ante illos.* Ecce buccella panis, ad quam tres viros invitaverat.

66. Secunda objectio ex Gelasio.

Objiciunt II. Gelasius lib. 2. contra Eutychetem in fine loquens de Eucharistia ait: *Et tamen non desinit natura panis & vini.* Similia habet Chrysostomus Epistola ad Cæsareum Monachum.

Responsio: Patres per naturam panis non intelligunt ejusdem substantiam, sed vim nativam accidentium;

Resp. satis probabile esse, neque illum librum esse Gelasii Papæ, sed alterius cujusdam Græci; neque illam Epistolam esse Chrysostomi, sed cujusdam alterius Joannis Constantinopolitani, ut multi concludunt non levibus conjecturis.

Accedit, nomine *Naturæ* ibi intelligi posse virtutem aliquam nativam accidentium panis & vini, quæ eosdem effectus corporaliter præstant, ac si ibi esset substantia panis & vini: sicut in pluribus mixtis dicimus perseverare & manere naturam aquæ, terræ, vel ignis, si qualitates illorum elementorum ibi permaneant.

67. quæ suam naturam non mutant secundum Theodoretum.

Simili modo, imò multò clariùs, loquitur Theodoretus Dialogo primo de solis accidentibus sensibilibus, quando dicit: *Qui enim, quod natura corpus est, triticum & panem appellavit, & vitem rursus seipsum nominavit, is symbola & signa, quæ videntur, nomine Corporis & Sanguinis honoravit, non naturam mutans, sed naturæ gratiam adiiciens*, id est, non naturam accidentium mutans, sed sub illis constituens Corpus & Sanguinem: ut patet ex verbis præcedentibus: *Volebat*, inquit, *eos, qui sunt divinorum mysteriorum participes non attendere naturam eorum, quæ videntur, sed propter nominum permutationem, mutationi, quæ fit ex gratia, credere.*

Eundem intellectum admittunt hæc verba ejusdem S. Patris ex Dial. 2. *Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia* (id est natura accidentium) *& figura & forma, & videri & tangi possunt, sicut & prius, intelliguntur autem ea esse*, (Corpus & Sanguis Christi) *quæ facta sunt* (per Consecrationem) *& creduntur & adorantur.*

Vocantur ergo à quibusdam accidentia panis, natura panis, quemadmodum consuetudo dicitur altera natura, & proprietates naturales sæpiùs natura vocantur; prout dicitur natura ignis, quòd sit calidus, & quòd comburat.

68. Eadem phrasi utitur Damascenus.

Eâdem phrasi utitur Damascenus lib. 4. de Fide cap. 14. comparans Eucharistiam carboni ignito, de quo rectè dicitur: *Hic est ignis. Vidit*, inquit, *carbonem Isaias. Carbo porrò non simplex lignum est, sed igni unitum. Sic panis quoque communionis non simplex panis est, sed divinitati unitus.* Panis, inquam, id est species panis; nam omnis similitudo claudicat: & præsens tantùm adducitur, ad explicandam aliqualiter intimam præsentiam Christi ad accidentia.

Alioquin ipse Damascenus ibidem panem & vinum transmutari in Corpus & Sanguinem Domini, his docet verbis: *Sanè Corpus divinitati verè unitum, est illud Corpus, quod ex Sancta Virgine ortum est: non quod assumptum illud Corpus è cælo descenderit, sed quia panis ipse ac vinum in Corpus & Sanguinem Domini immutantur.*

Et infrà: *Quin ne hoc quoque alienum fuerit dicere, quòd quemadmodum naturaliter panis per cibum, & vinum, & aqua per potum, in comedentis ac bibentis Corpus, & Sanguinem immutantur, corpusq; alterum fiunt, atque à priore ipsius corpore diversum: sic propositionis panis, ac vinum, & aqua per Sancti Spiritus invocationem, & adventum mirabili modo in Christi Corpus & Sanguinem vertuntur, nec sunt duo, sed unum & idem.*

69. Objectio III. solvitur.

Quod antea erat panis, dicitur post Consecrationem Corpus Christi, ratione ejusdem prædicati.

Objicies III. Sancti Patres sæpè dicunt, id quod erat panis, post Consecrationem esse Corpus Christi. Respondeo sensum non esse, quòd eadem numero entitas, quæ erat in pane, sit in Corpore Christi; verùm quòd idem prædicatum, quod tribuebatur pani, eodem modo prædicetur de Corpore Christi: sicut dicere solemus, quod anteà erat Petrus, est modò Paulus, quia nempe successit ei in eodem officio: non quòd Paulus sit eadem numero entitas cum Petro; sed quoniam idem prædicatum dicitur nunc de Paulo, v. g. *Paulus est Prætor civitatis*, quod anteà dicebatur de Petro: & ita in præsenti, post Consecrationem de Corpore Christi prædicatur contineri sub speciebus, quod ante illam affirmabatur de substantia panis.

Neque inde sequitur quod sit eadem numero realitas.

Contrà; ergo etiam est idem subjectum, sive eadem numero realitas. Resp. Negando Consequentiam; quia quamquam illud prædicatum servet eandem significationem, aut certè similem respectu utriusque subjecti: attamen non est prædicatum determinatum & simplex; sed vagum, supponens pro omni eo, quod continetur. Quando ergo continetur panis, verificatur pro illo, quando corpus, pro corpore. Idem est videre in simili suprà allegato.

In toto rigore hæc propositio non est vera: quod prius erat panis, nunc est Corpus Christi.

Unde in toto rigore illa propositio non est vera: *Quod priùs erat panis, nunc est Corpus Christi:* quia non verificatur ratione alicujus determinati, quòd idem fuerit panis, & sit Corpus Christi.

Contrà; si

70. Objiciunt nobiscum Ambrosio.

Contrà; Divus Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Si tanta*, inquit, *vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius erit ut sint quæ erant & in aliud convertantur?*

Respondetur 1.

Resp. primò, aliter legi apud Land-Francum, & habetur in editione Parisiensi, scilicet: *Quantò magis operatorius est ut quæ erant, in aliud commutentur?*

Respondetur 2. Quod panis remaneat quoad aliquid, scilicet accidentia, & quoad aliquid, scilicet substantiam, & convertatur quoad aliquid.

Resp. secundò, Ambrosium solùm velle, quòd maneat panis quoad aliquid, scilicet accidentia, & convertatur quoad substantiam, vel certè quòd perseveret, non retinendo propriam entitatem, sed factum Corpus Christi, qui modus loquendi, licèt improprius, deservit tamen ad significandam conversionem. Quidni etiam sensus sit: *Vt sint*, dum profertur Consecratio, *quæ* antè *erant*, *& in aliud commutentur?* Quomodo enim post Consecrationem possunt manere, quod erant, si per illam in aliud commutentur?

71. Objiciunt IV. in abjuratione Berengarii quam fecit in Concilio Romano sub Nicolao II. & refertur de Consecrat. dist. 2. cap. 42. *Ego Berengarius*, dicitur: *Panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post Consecrationem, non solùm Sacramentum; sed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse, & sensualiter non solùm in Sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri*: ergo ibi supponitur post Consecrationem manere panem & vinum.

Respondetur. Resp. quidquid sit de mente Berengarii, qui postmodùm publicè docuit impanationem, unicum intentum Concilii fuit contra illum Hæresiarcham definire, Eucharistiam non tantùm esse Sacramentum, id est, signum practicum gratiæ sanctificantis, aut signum speculativum Corporis & Sanguinis Christi, sed etiam reipsa, & verè transire & converti in Corpus & Sanguinem Christi, hoc est, esse signum practicum Corporis & Sanguinis Christi.

72. Dicitur ergo panis post Consecrationem esse Corpus Christi, non, ut dixi in priori objectione, quia in sua substantia permaneat; sed quia transit in Corpus Christi, ac proinde manet: ast in Corpus Christi conversus. Qui etiam in veritate manibus Sacerdotum tractatur, frangitur &c. non secundùm se, sed ratione specierum, sub quibus verè, realiter ac substantialiter Corpus Christi continetur, & non ampliùs substantia panis, ut semper docuit, & hodie constantissimè propugnat Sancta, Romana, Catholica & Apostolica Ecclesia.

Sed quo fundamento? Respondeo; quia Christus sic voluit, seu instituit Eucharistiam. Audiamus Doctorem Subtilem 4. dist. 11. q. 3. n. 14. *Ad primum*, inquit, *concedo, quòd etiam in creditis non sunt plura ponenda sine necessitate, nec plura miracula quàm oportet. Sed cùm dicitur in Minori, veritas Eucharistiæ posset salvari, manente pane, vel sine transubstantiatione; dicò quòd bene fuisset Deo possibile instituisse, quòd Corpus Christi verè esset præsens, substantiâ panis manente, vel cum accidentibus, pane annihilato: & tunc fuisset ibi veritas Eucharistiæ, quia & signum verum, & signatum verum: sed hìc non est modo tota veritas Eucharistiæ; non enim sic instituit, ut dicunt auctoritates adductæ.*

Et cùm dicitur, quòd ad veritatem Eucharistiæ nihil requiritur, nisi verum signum, & verum signatum. Respondeo verum est eo modo, quo signum est institutum, & quo sibi debet correspondere signatum, quod non est nunc præcisè, quòd Corpus sit cum aliquo, scilicet cum pane vel cum accidentibus panis indistinctè: sed institutum est nunc, quòd signatum sit tantum sub accidentibus, ut sub signo. Hæc & alia, quæ ibidem tractat Scotus, occasionem dederunt ejus sectatoribus defendendi Conclusionem sequentem, & est hujusmodi:

CONCLUSIO III.

Transubstantiatio, quâ tota substantia panis & vini convertitur in totam substantiam Corporis & Sanguinis Christi, ex solo sensu speculativo formæ non demonstratur.

73. Transubstantiatio, ex solo sensu speculativo formæ non demonstratur. *Scotus.*

HUic assertioni communiter extra Scholam Scoti contradicitur, sed satis levi fundamento, ut ex dicendis patebit: videtur autem esse Scoti dist. & quæst. statim allegatâ, in qua numero 9. & 10. solvit rationes desumptas ex sensu speculativo formæ, & nu. 14. Transubstantiationem refundit in voluntatem & institutionem Christi.

Atque in primis certum est, & ab omnibus admittitur, per divinam potentiam simul posse collocari in eodem loco substantiam panis, & Corpus Christi, adeoque sub iisdem speciebus posse manere substantiam panis, & Corpus Christi esse præsens, eo modo quo de facto est præsens, desinente substantiâ panis: quæ enim in hoc contradictio?

Secundò, posset Deus priùs destruere substantiam panis, vel producere accidentia sine substantia, & postmodùm Corpus suum illis præsens constituere, & tunc indubiè non fieret transubstantiatio; tametsi eodem modo Corpus esset præsens, quo jam est.

74. Aliud est considerando sensum practicum, qui secundùm modernam institutionem est conversivus.

Quod ergo controvertitur est, an supposito quòd maneret panis, hæc propositio: *Hoc est Corpus meum*, foret vera in sensu speculativo. Dico, *In sensu speculativo*; quippe secundùm significationem practicam, id est, quatenus est conversiva, nemo ambigit eam esse falsam; sic namque affirmat conversionem, quæ supponitur non esse.

Cæterùm quòd etiam speculativè non sit vera, inde videtur probari, quòd ly *Hoc*, tali casu non demonstraret corpus, sed solùm panem; siquidem panis naturaliter continetur, sive connectitur accidentibus, & principaliter per illa redditur sensibilis: secùs est, quando substantia panis sub illis non continetur; quoniam tunc censetur demonstrare totum id, quod est præsens sive naturaliter, sive supernaturaliter.

Etiam in sensu speculativo ly *Hoc* non demonstraret panem;

Resp. ly *Hoc*, quantùm ad significationem absolutam, quæ ipsi competit ex institutione humana, indifferenter demonstrat quamcumque rem præsentem, utpote significans ens indeterminatum; adeoque in casu proposito de se non magis natum est demonstrare substantiam panis, quàm accidentia; pro quibus etiam determinatè supponet si dixeris: *Hoc*, scilicet quod vides, *sunt accidentia panis*: de facto autem in forma Consecrationis non designat in recto, nisi Corpus Christi. Quare putas, nisi quia ad illud determinatur per prædicatum, quod nullo modo dici potest de accidentibus?

75. Ergo similiter, tametsi substantia panis simul contineretur cum Corpore Christi sub accidentibus, indifferentia particulæ demonstrativæ ad designandum quodcumque contentum sub speciebus, satis determinaretur vel ad substantiam panis, vel ad Corpus Christi, vel ad utrumque simul per prædicatum cui conjungeretur; ac proinde supponeret pro substantia panis in hac propositione: *Hoc est panis*; in illa autem: *Hoc est Corpus*, pro Corpore; & in ista: *Hoc est panis & Corpus*, pro utroque: cumque ex hypothesi, & Corpus, & substantia panis forent simul præsentia, non dubitarem de veritate speculativa, vel unius saltem ex illis tribus propositionibus.

Determinatur enim ad significandum Corpus per prædicatum cui conjungitur;

Accipe simile: ly *Aliquod animal* per se, id est, extra orationem, aptum est significare omnes suas species, tamen in enuntiatione determinatur ad significandam unam speciem præ alia; v. g. in hac: *Aliquod animal est rationale*, nequit ly *Animal* ad aliud referri, quàm illud, ad quod refertur rationale. Pariter ergo, quamvis ly *Hoc* in forma Consecrationis posset significare etiam panem, imò naturaliter illum significet, tamquam naturale contentum sub speciebus: quid tamen obstat, quò minùs privetur illo significato, & transferatur ad designandum solùm contentum supernaturaliter, per prædicatum, quod est ly *Corpus meum*, nullatenus conveniens substantiæ panis?

ntî ly *aliquod animal* per adjunctionem ly *rationale* ad significandum hominem.

Neque refert quòd unum contentum significetur naturaliter, aliud ex institutio.

Certè quòd unum contentum reddatur per accidentia sensibile naturaliter & principaliter; aliud autem dumtaxat ex institutione extraordinaria Christi, parùm, vel nihil videtur referre ad hujus potiùs, quàm illius demonstrationem. Quid enim magis sensibile quàm ipsa accidentia? Et quid magis præsens? Et tamen in recto non demonstrantur.

Confirmatur; hæc propositio est vera: *Hic est calix congelatus*, designando calicem consecratum, ubi tantùm demonstrantur species; quia prædicatum illis solis competit. Similiter in hac enuntiatione: *Hoc Sacramentum est fractum*, ly *Hoc* determinat solas species. Et verò quis ideo dicat excludere præsentiam Corporis Christi? 76.

Profectò hæc forma Sanguinis est vera: *Hic est Sanguis meus*, licèt vel ante Consecrationem aqua admixta sit, quæ non convertatur in Sanguinem, vel post, juxta morem Græcorum, admisceatur. Igitur etiam erit vera, tametsi sub iisdem accidentibus foret præsens substantia vini; & ex consequenti ly *Hic*, quando dicitur: *Hic est Sanguis Christi*, licèt determinatè supponat pro solo Sanguine, non idcirco negat præsentiam vini. Sicut, secundùm Adversarios, ut statim patebit, hæc foret vera: *Hoc est vinum*; alioquin falsa, si negaret præsentiam Christi.

Ly *Hic* determinat supponens pro solo Sanguine, non negat præsentiam vini.

Nec satisfacit responsio Lugonis de Eucharistia disp. 7. n. 186. ly *Hoc*, &, *Hic* significant totam substantiam contentam sub illis accidentibus. Illud enim est quod inquirimus & contendimus falsum, quando prædicatum determinans subjectum, nequit toti substantiæ convenire.

Lugo. Ly *Hic*, & *Hoc* non semper significant totam substantiam contentam sub speciebus.

Aliter respondet Dicastillo disp. 4. n. 48. dicens: Quando absolutè & simpliciter fieret demonstratio substantiæ sub illis accidentibus, demonstrabitur propria si existit, etiamsi fortè ibidem simul existat aliena, ita ut absolutè verum sit dicere: *Hoc est vinum* v. g. De aliena verò, quando existit propria, non sit verum omnino solitariè, & sine addito; sed cum addito, & secundùm quid; ut si dicas: *Hoc est vinum, & sanguis.* Dicastillo.

Verùm & hoc gratis asseritur, ut statim patebit. Interim si simpliciter & absolutè fieret demonstratio substantiæ, id est, si diceretur: *Hæc est substantia*; consentio magis demonstrari substantiam vini, quæ connaturaliter ibi existit, quàm substantiam Sanguinis, quæ solùm ibi existit ex divina institutione. 77. Magis enim naturaliter demonstratur substantia vini quàm Sanguinis, & diceretur: *Hæc est substantia.*

Fateor quoque, accidentia naturaliter significare substantiam, cum qua habent naturalem connexionem: sed numquid etiam nunc significant, quando substantia panis conversa est in Corpus Christi? Quis dubitat? Ignorans quippe Consecrationem factam, visis accidentibus illicò devenit in cognitionem substantiæ, in qua naturaliter subjectantur. Attamen significatione institutâ, neque nunc illam repræsentant, neque tunc illam repræsentarent; sed solùm Corpus & Sanguinem Christi.

Sunt quidem accidentia signa panis, & vini inesse rei; verùm illa significatio non variat institutionem seu significationem ex instituto hujus particulæ demonstrativæ, *Hoc*, quæ demonstrat contentum sub his accidentibus. Ac proinde

Propositiones equivalentes. 76.

proinde sicuti hæc enuntiatio esset vera: *Corpus Christi est præsens sub illis accidentibus*, ita etiam ista; *Hoc est Corpus Christi*, quæ ex instituto humano æquivalet: nisi velis dicere, quòd illa præsentia non possit demonstrari, quod liquet esse falsum in Angelo, qui videret Corpus Christi ibi esse præsens.

Argumentum aconorum Lugdu. 78.

Cardinalis suprà n. 187. negat illas propositiones æquivalere, nisi ad ly *Corpus*, addatur, *Solum*, vel ad ly *Præsens*, ly *Totaliter*: Hæc enim, inquit, est vis istius pronominis, *Hoc*, ut constat ex communi hominum usu. Et quis ille? Non enim (ait n. 188.) dicunt, ostensâ bursâ, in qua sit aurum & plumbum, *Hoc est aurum*; neque ostenso vase, in quo sit lac & vinum, *Hoc est vinum*.

Resicitur.

Resp. quin imò sic debemus loqui, & communiter loquuntur Oenopolæ, qui vina sua lacte, melle & aliis liquoribus condiunt ac miscent, dummodò major pars sit vinum. Similiter propriissimè dicitur ostensâ bursâ, in qua sunt centum, v. g. aurei, & unus nummus argenteus: *Hoc est aurum*. Et estò media tantùm pars sit aurum, adhuc propria erit & vera locutio, *Hoc est aurum*, quamvis fortè magis propria esset: *Hoc est aurum & plumbum*.

Sicuti de facto sub speciebus, præter Corpus Christi, continetur anima, & tamen verè dicitur: *Hoc est Corpus*. Quidni ergo verè & propriè dicatur in casu nostro, *Hoc est Corpus*, vel, *Hoc est panis*?

Corpus Christi est significatum præstantius, quamvis substantia panis sit connaturalius. 79.

Profectò Corpus Christi est significatum præstantius, quamvis substantia panis sit connaturalius. Et quemadmodum, quando terminus aliquis potest sumi pro diversis, per adjuncta, ut suprà ostendimus, potest limitari ad unum vel aliud; eodem modo quando significationes sunt diversæ, una naturalis, altera ex instituto, potest ratione adjuncti, pronomen demonstrativum accipi pro uno significato, vel pro alio: v. g. in hac propositione: *Hic est panis*, significabit naturaliter substantiam panis, ut sensus sit: *Hoc, quod naturaliter continetur sub his accidentibus, est substantia panis*: in illa autem, *Hoc est Corpus Christi*, ex institutione Dei demonstrabit Corpus Christi, ac si diceres: *Hoc, quod ex voluntate Dei continetur sub his accidentibus, est Corpus Christi*. Quis porrò non clarè videt veritatem speculativam istarum enuntiationum, dato, quòd sub iisdem accidentibus simul esset substantia panis & Corpus Christi?

Utrique ratione adjuncti pro utroque accipi potest ibi.

An fortè cogitas de facto formam Consecrationis esse falsam, quia probabilius manet quantitas, cum qua accidentia habent naturalem connexionem, & quam proinde naturaliter significant? Non puto.

Non datur sub accidentibus substantia panis, aut Corpus Christi. 80.

Accedit, quòd neque substantia panis, neque Corpus Christi sub illis accidentibus lateant, sicut aurum in bursa aut vinum in vase continetur, nempe tamquam locatum in loco; sed eadem planè accidentia continerent singula, panem scilicet, & Corpus Christi, totaliter ex parte sua, & secundùm idem sui; cùm tamen bursa & vas solùm continerent diversa illa contenta inadæquatè, idque secundùm diversas sui partes.

Christi, vel later aurum in bursa, aut vinum in vase.

Atque, ut maneamus in exemplo vasis, ostenso vase rectè dicitur: *Hoc est cervisia*, vel, *vinum*, secundùm diversitatem liquoris, qui in illo includitur; & tamen sub illis accidentibus etiam continetur naturaliter substantia vasis, & ipsa demonstrari potest, dicendo: *Hoc est vas*.

Per accidentia vasis significari potest tam propria, quàm aliena substantiæ.

Respondet Dicastillo suprà nu. 50. ex Vasquesio disp. 180. n. 33. disparem esse rationem: nam accidentia vasis, & illa substantia, quæ habet vasis figuram, ita sunt adaptata ad continendam alienam substantiam; accidentia verò panis & vini non sic adaptata sunt, & ordinata ad hoc.

Responsio Dicastillonis ex Vasquesio.

Sed contrà; quid refert adaptatio, si desit præsentia? Et quid obstat non adaptatio, si adsit præsentia? Sanè res demonstratur, quia præsens est; non quia continetur in altero adaptato vel non adaptato. Et verò accidentia panis & vini, cùm ex fide constet continere Corpus & Sanguinem Christi, quis audeat negare ad hoc à Deo ab æterno esse ordinata? 81. Rejicitur.

Deinde inquiro, corpus hominis adaptatum est & ordinatum ad continendum Dæmonem? Equidem si corpus à Dæmone obsidetur, verè videtur dici: *Hic est Dæmon*, per vocem, *Hic*, non localiter, sed adjectivè demonstrando, etiamsi ibi sit substantia corporis obsessi.

De corpore obsesso à Dæmone rectè dicitur: *Hic est Dæmon*.

Respondet Dicastillo num. 52. assumptum exemplum non semper esse verum; neque enim semper possumus dirigere articulum demonstrativum ad Dæmonem obsidentem; sed tantùm quando in eo corpore videmus, aut alio sensu percipimus aliquem effectum proprium Dæmonis seu à Dæmone provenientem, ratione cujus Dæmon sensibilis fiat, & sensui demonstrabilis: quod non habet locum in Corpore & Sanguine Christi in Eucharistia.

Responsio Dicastillonis.

Contrà; inde videtur sequi, quòd nequidem possint demonstrari Corpus & Sanguis Christi, quando non adest substantia panis & vini; quia neque tunc per aliquem sui effectum sentiuntur. Sufficit ergo quòd certum sit ea ibi esse: sicut si Dæmon certissimè sciretur corpus obsedisse, etsi nulla signa sensibilia ederet; negent alii, quidni alii æquè facilè affirment, simpliciter & verè dici posse: *Hoc*, vel, *Hic est Dæmon*? Attamen quia obsessio ordinariè non certò cognoscitur, nisi ex signis externis, ideo insolita foret talis demonstratio in absentia illorum signorum. 82. Rejicitur.

Corpus & Sanguis Christi fiunt sensibilia per verba Consecrationis.

Adde, Corpus & Sanguinem Christi satis fieri sensibilia per verba Consecrationis, suppositâ Christi institutione: porrò illa verba, *Hic est Dæmon*, cùm non sint practica; sed

tantùm speculativa, non efficiunt præsentiam Dæmonis, sed eam præsupponunt; adeoque non satis manifestant ipsum ibi esse, & idcirco requiruntur alia signa.

83. Pro complemento: omnes fateri debent in talibus circumstantiis verè posse dici: *Hic est Corpus Christi*, sumendo ly *Hic* adverbialiter: ergo etiam accipiendo pronominaliter. Probatur Consequentia: quia bene sequitur, *Hic est; ergo est.* Igitur quod demonstrari potest quoad locum, pariter quoad existentiam.

quæ potuerunt instituti ut significarent præsentiam Corporis sine transubstantiatione.

Præterea posset Deus instituere hæc verba: *Hoc est Corpus meum*, ut significent præsentiam Corporis sine transubstantiatione: nam ut superiùs ex communi sententia supposuimus, posset ponere Corpus præsens sine transubstantiatione, puta, vel pane annihilato, vel alibi conservato; quo casu salvaretur demonstrationis veritas sine ullo ordine formæ ad panem: ergo ad illam solùm videtur requiri, ut Christus sit præsens sacramentaliter, vel alio modo realiter, sive panis sit præsens sive non.

84. Transubstantiatio probatur ex institutione Christi.

Nec dixeris; ex natura rei colligitur absentia panis: nam contrarium manifestè patet ex antedictis. Ex quo ergo probatur? Respondeo ex institutione Christi, quam novissimè Ecclesia declaravit in Conc. Trident. sess. 13. cap. 4. dicens: *Quoniam autem Christus Redemptor noster, Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit; ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idq; nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per Consecrationem panis & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Christi* &c.

quam Trident. declarat ex verbis Christi.

Ubi Concilium Transubstantiationem, & per consequens absentiam panis declarat ex verbis seu veritate verborum Christi non præcisè, id est, in quolibet sensu, tam speculativo, quàm practico; sed prout ea semper Ecclesia intellexit.

Non est idem articulus fidei præsentia & Transubstantiatio.

Equidem non sunt idem articulus Fidei præsentia Christi in Eucharistia, & Transubstantiatio; nam præsentiam docet Tridentin. cap. 1. Transubstantiationem autem cap. 4. præsentiam definit can. 1. Transubstantiationem autem can. 2. Et quidem præsentiam Christus disertis ac perspicuis verbis testatus

Tridem. est, ut constat ex cap. 1. ibi: *Maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de Sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius Corpus illis præbere ac suum Sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est.*

At verò de Transubstantiatione non sic loquitur Concil. sed ut suprà audivimus: *Quoniam autem Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*, id est, quia Christus disertis ac perspicuis verbis testatus est præsentiam sui Corporis sub specie panis, *ideo persuasum semper fuit* &c. id est, ideo Ecclesia, edocta à Spiritu Sancto, verba Christi, tametsi possent absolutè esse vera in sensu non conversivo, tamen semper intellexit in sensu conversivo, & declarat sic esse intelligenda. Igitur ex verbis Christi præcisè, seclusa hoc intellectu & declaratione Ecclesiæ, non habetur nisi probabile argumentum.

Sicuti ibidem cap. 2. illud Joan. 6. v. 58. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me*, intelligit de manducatione sacramentali; cùm tamen ille sensus non sit evidens, sed probabilior tantùm, prout indicat sess. 21. cap. 1. dicens: *Sed neque ex sermone illo, apud Ioannem 6. rectè colligitur utriusque speciei Communionem à Domino præceptam esse, utcumque iuxta varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur.* 85. Ioan. 6.

Unde bene Scotus 4. dist. 10. qu. 1. nu. 9. *Quantùm ergo ad istum articulum* (scilicet realem præsentiam Christi in Eucharistia sine mutatione locali) *non videtur necessarium fugiendum esse ad conversionem panis in Corpus Christi, præcipuè cùm à principio, ex quo res huius Sacramenti fuit credita, fuit semper creditum, quòd Christi Corpus non mutatur de loco suo in cælo, ut sit hìc: & tamen non fuit à principio ita manifestè creditum de ista conversione.* Puta, quia præsentia *Ex disertis ac perspicuis verbis*, conversio autem ex auctoritate Ecclesiæ, verba illa sic interpretantis, quæ interpretatio non fuit à principio ita manifesta. Scotus. Ab initio Ecclesiæ non fuit ita manifestè credita Transubstantiatio sicut præsentia.

86. Objectio D. Thomæ.

Si objicias ex Divo Thoma 3. parte qu. 75. art. 2. Christo in Eucharistia debetur cultus latriæ; sed si ibi maneret substantia panis, non deberet talis cultus exhiberi propter idololatriam, adorando creaturam.

Responsio Scoti, ex præsentia panis nullimodo periculum idololatriæ;

Respondet Doctor Subtilis 4. dist. 11. q. 3. n. 9. *Modò non est idololatra, qui adorat Christum in Eucharistia: & tamen non potest negari, quin sit ibi creatura aliqua, scilicet species illa: sed non est adorandum sensibile continens, sed Christus contentus, & eodem modo tunc dicetur Christum contineri sub pane quanto, & quali, & ita non panem adorari, sed Christum contentum in pane ut in signo.* Prævenienséque replicam.

Et si obicias, inquit, *saltem simplices, qui non sic distinguunt, essent idololatræ. Dico quod ita potest nunc argui contra te, quia simplices non distinguunt accidentia illa à Corpore Christi: in omnibus autem talibus est una responsio; quia simplices adorant in fide Ecclesiæ* (id est adorant, quod Ecclesia adorat) *& hoc sufficit eis ad salutem. Maiores autem distinctè adorant contentum, non signum continens, & hoc sive signum continens sit accidens tantùm, sive substantia panis cum accidente.* Clarissima & adæquatissima solutio. neque apud simplices; ut nec modò committitur idololatria, si aqua ante Consecrationem non fuerit in vinum conversa.

Addo instantiam, quam tractavimus Sectione 2. conclus. 6. quando aqua non convertitur in vinum ante Consecrationem, aut miscetur post Consecrationem, quæ aqua non impedit veram adorationem Sanguinis.

Arguis

87. Alia objectio solvitur.

Arguis rursum: Eucharistia debet primò significare Corpus, ut primum significatum; sed si ibi maneret substantia panis, ipsa haberet rationem primi significati. Resp. Scotus suprà: *Quod est ad oppositum, quia si esset hìc substantia panis, illa duplex significatio esset vera, scilicet naturalis, quâ accidentia significant substantiam panis: & illa, quæ est ex institutione divina, quâ sensibile significat Corpus Christi: sed nunc non potest salvari, nisi praecise altera vera.*

Et post pauca: *Respondeo ergo quòd primum significatum ex institutione debet esse Corpus Christi: & ita est, sive maneat substantia panis sive non: sed primum significatum accidentium, quòd scilicet naturaliter significant, semper est substantia illa, quam primò affecerunt, vel nata essent afficere, quia illa significatio naturalis non mutatur.*

88. Objectio III.

Objicis III. tollitur debitus usus Sacramenti; quia si maneret verè substantia panis, ipsa esset verè cibus corporalis: hujus autem Sacramenti usus est, quòd sit cibus spiritualis.

Solutio I.

Non valet, inquit Doctor noster suprà n. 10. *quia modò manifestum est, quòd illæ species nutriunt secundum Apostolum* 1. Cor. 11. v. 21. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est, *& hoc ex perceptione specierum sacramentalium; & tamen non negatur hìc esse cibum animæ: tamen datur ipsum contentum sub nutrimento corporali: & ita si poneretur panis manere, esset ibi nutrimentum corporale, & tamen contentum sub illo esset tantùm nutrimentum animæ.* Hæc ille.

Sed multis displicet ista interpretatio Apostoli (pro qua tamen Hiquæus in suo Commentario ad hunc locum n. 9. citat D. Ambr. D. Aug. & Bedam, sed meo judicio minùs solidè) neque necessaria est ad solutionem objectionis, ut patet considerandi.

89. Objectio IV.

Objicitur IV. nihil potest incipere esse, ubi priùs non fuit, nisi per sui mutationem, vel alterius in ipsum; sed Corpus Christi non mutatur per hoc, quòd Eucharistia conficitur, quia manet in cælo sicut priùs: ergo si nihil convertitur in ipsum, non est magìs realiter in altari, quàm priùs fuit.

Respondet Scotus suprà: *Incipit hìc esse non sine omni mutatione, extendendo mutationem ad illam præsentiam simplicem*; quasi diceret: satìs est, quòd Corpus Christi accipiat novam præsentiam, ut magìs realiter sit in altari, quàm priùs fuit, & illam absque dubio potest accipere, manente substantiâ panis sub iisdem accidentibus. Sed de hac præsentia infrà latiùs.

Respondet: Corpus Christi non mutatur per hoc, quòd Eucharistia conficitur, quia manet in cælo sicut priùs: ergo si nihil convertitur in ipsum, non est magìs realiter in altari, quàm priùs fuit.

90. Objectio V.

Objicies V. & ultimò: si substantia panis maneret, vel annihilaretur, & non converteretur, veriùs diceretur: *Hìc est Corpus*, quàm, *Hoc est Corpus.*

Resp.

Resp. cum Doctore nostro suprà: utrumque verum est; *Sed non hoc accidens* (est Corpus) *sed contentum sub accidente. Eodem modo si esset panis, non hoc, quod est substantia panis, esset Corpus; sed hoc, quod est contentum sub pane, est Corpus.*

Ne autem putaretur asserere: *Hìc est Corpus meum*, esse formam Consecrationis, aut æquivalentem, addit: *Maluit autem Salvator uti hoc vocabulo*, Hoc, *quàm*, Hìc, *quia magìs exprimitur veritas*; quoniam ly *Hoc* demonstrat ipsam rem primò, quàm particula, *Hìc*, demonstrat ratione loci: Christus autem non est sub speciebus, ut in loco, licèt sit in loco specierum. Scotus distinguit inter hæc verba: *Hìc est Corpus meum*, & *Hoc est Corpus meum.*

Sic ergo ostensa est possibilis veritas speculativa verborum Consecrationis, tametsi panis maneret. Neque inde Scotus favet Hæreticis, quorum fundamenta actualis permanentiæ panis convellit, probans efficaciter ex institutione Christi, demonstrationem, & consequentem propositionem fore falsam, nisi fieret conversio, id est, nisi panis desineret esse ad positionem Corporis Christi. Ob antedicta Scotus non favet Hæreticis.

Quæ sanè desitio, an sit annihilatio panis, major est de nomine quæstio apud Catholicos, quàm de re, & ideo non multùm immoror. Scotus suprà q. 4. n. 6. sic scribit: *Ad quæstionem dico, quòd in proposito nihil panis manet post conversionem. Secundò, quòd panis non annihilatur, vel quod est faciliùs, quod panis istâ conversione non annihilatur.* 91. An panis dicatur annihilari, quæstio est de nomine.

Hoc probatur sic: *Terminus ad quem transitus ipsius panis non est purum nihil: ergo panis non annihilatur.* Consequentia probatur: *Quia terminus ad quem annihilationis est purum nihil; & hoc probatur à simili: sicut terminus à quo creationis est purum nihil, ita terminus ad quem annihilationis debet esse purum nihil.* Antecedens patet; *Quia terminus ad quem istius transitus, est Corpus Christi: quia etsi negatio panis comitetur terminum ad quem, non tamen terminus iste est omnino nihil, sed est in aliquo positivo.* Scotus.

Verùm, ut rectè notat Scholium præfixum isti numero, non loquitur hìc Doctor ex sua, sed ex sententia Varronis. Unde inferiùs n. 14. sic resolvit: *Potest ergo teneri tertium, scilicet secundum membrum disiunctivæ positæ suprà n. 6. Quòd desitio panis sit annihilatio absolutè panis, sicut probat illa ratio de per accidens: quod quia necesse est dicere, quod ipsi esse panis simpliciter, succedit non esse panis simpliciter, & illa successio oppositi ad oppositum per accidens coniungitur, cum successione præsentiæ Corporis Christi hìc, ad non præsentiam hìc: ideo ista habebit suos per se terminos, & alios à per se terminis illius: non ergo per se terminus istius terminabit per se, vel præcisè ut coniungitur per accidens per se termino alterius.* Hæc est prima pars resolutionis; sequitur altera. 92. Ratio affirmandi Scoti.

Dico etiam quòd hâc conversione panis non annihilatur, quia . . . . . transubstantiatio quædam est, quâ terminus accipit simpliciter esse: quædam autem, quâ accipit hìc esse. De prima, quâ terminus unus accipit simpliciter esse, & alius simpliciter non esse, fortè posset salvari, quòd desitio termini à quo, non est simpliciter annihilatio; v. g. si Corpus Christi primò simpliciter produceretur, & ad ipsius productionem substantia panis simpliciter desineret: Ratio negandi Scoti.

neret: *Quia ibi per se terminus ad quem ipsius inceptionis, esset oppositus termino à quo desitionis, sicut est de termino à quo, & ad quem generationis & corruptionis: sed in proposito, ubi tantùm est transitio adductiva, terminus ad quem per se mutationis positivæ, non opponitur termino à quo mutationis privativæ: & ita non potest esse ratio concludendi negationem eius:* scilicet simpliciter; posset quippe Deus alibi conservare substantiam panis.

93. Unde concludit Doctor nu. 15. *Posset ergo dici, quòd conversio ista est sicut substantiæ in substantiam, non quantum ad esse substantiæ simpliciter, sed quantùm ad hìc esse, ut sicut Corpus ut hìc, succedit pani ut hìc: ita panis ut hìc convertitur in Corpus ut hìc: & illæ mutationes licèt sint inter substantias, tamen non sunt inter substantias ut inter terminos: termini enim sunt tantummodo præsentialitas & non præsentialitas, quæ possunt reduci ad genus ubi*; de quo statim plura.

Desitio panis potest simpliciter & absolutè dici annihilatio.

Summa hujus sententiæ videtur esse; desitionem illam substantiæ panis in Eucharistia simpliciter & absolutè posse vocari annihilationem; secùs conversionem panis in Corpus Christi. Igitur eadem desitio erit annihilatio & non annihilatio: annihilatio quidem, quatenus per eam substantia panis in nihil panis abit, nullâ per se, & ex vi illius desitionis, de novo productâ substantiâ: erit autem non annihilatio, quatenus per eam destruitur præsentia panis, & ex dispositione Dei in eundem locum succedit Corpus Christi. Porrò quid requiratur ad propriè & simpliciter dictam annihilationem, quæstio est philosophica, & de significato nominis, de quo parùm curandum, quando constat de re.

94. Lugo asserit substantiam panis non annihilari. *Gabriël. Maior. Albertus. Rub. Bassol. Ocham. Angelus. Leuchet. Tarta.*

Card. disp. 7. sect. 12. cum communi asserit, substantiam panis non annihilari, licèt fateatur non esse dignam ullâ censurâ Ecclesiasticâ contrariam sententiam, quam docet Gabriël 4. dist. 11. q. 1. & lect. 40. in can. Major q. 1. Albertus art. 6. Rub. q. 2. art. 3. Bassol. q. 4. Ocham 4. q. 6. ad dubium 7. Angelus v. Eucharistia 1. n. 31. Leuchet. quodl. 10. Tarta. ibi, & hìc, & omnes Scotistæ. Quare immodestè loquitur Sotus dist. 9. q. 2. art. 4. dicens, hanc non posse doceri citra errorem.

Scotus videtur problematicus.

Cæterùm Scotus, ut notat Scholium præfixum nu. 17. videtur problematicus, utpote illo numero & sequenti solvens argumenta utriusque opinionis, licèt magis inclinet in annihilationem.

95. Probatio Lugonis,

Lugo suprà probat sententiam magis communem; quia desitio panis non tendit ad purè nihil, quoniam transit, sive convertitur in Corpus Christi. Quòd autem ad annihilationem non sufficiat, quòd nihil maneat rei desinentis, probat à simili ex creatione, quæ est productio rei ex nihilo: & licèt forma equi, quando generatur, producatur ex nihilo sui (nihil enim formæ equi præsupponebatur) non tamen dicitur creari, quia non fit ex nihilo simpliciter; fit enim ex præsuppositio subjectò: ergo similiter res, quæ desinit in aliquid aliud, licèt desinat in nihil sui, non dicetur simpliciter annihilari.

Resp. distinguendo Consequens; quæ desinit in aliquid aliud per se & ex natura sua, Concedo; ex sola dispositione extraordinaria Dei, Nego. Et idcirco anima rationalis dicitur creari, forma autem equi generari, quia hæc ex natura rei præsupponit subjectum, illa minimè, tametsi semper ex dispositione Dei in prima sui productione corpori infundatur. Porrò nemini dubium esse potest, quin præsentia Corporis Christi succedat præsentiæ panis sub speciebus, ex sola præternaturali ordinatione Dei. cui respondetur.

96. Quare desitio formæ equi, quando non succedit alia, potius sit corruptio, quàm annihilatio.

Unde & ipse Eminentissimus n. 203. desitionem formæ equi taliter, ut non succedat alia forma in materia, mavult appellare corruptionem, quàm annihilationem: quia quamvis tali casu forma equi non convertatur in aliud, non tamen desinit simpliciter in nihilum omni modo; sed remanet adhuc illa forma in potentia subjecti, ex quo fuerat educta. Ego aliam assigno rationem: quoniam, naturaliter loquendo, alia forma debet succedere, quod sufficere videtur, ut non dicatur simpliciter annihilatio.

Alia probatio Lugonis.

Ait ibidem Lugo n. 207. productionem animæ rationalis de facto esse veram creationem, etsi pro termino à quo habeat formam embryonis; idque quia creatio est productio ex nihilo; ubi præpositio, *Ex*, in rigore sermonis solùm competit subjecto, quasi diceres, *Ex non subiecto*. At verò annihilari est desinere in nihilum; ad quod requiritur negatio tam subjecti, quàm termini, alioquin erit desitio in aliquid. Respondeo; termini per se, Concedo; omnis termini, per se & per accidens, Nego. Resp. contra.

97. Eiusdem Auct. illatio, & probatio

Denique præfatus Auctor n. 210. infert ex dictis suis, desitionem panis secundùm se (quod idem applicari potest ad desitionem aliarum rerum) non esse intrinsecè annihilationem, nec etiam desitionem alterius speciei oppositæ ad annihilationem; quia hæc eadem desitio numero secundùm totum intrinsecum quod habet, posset esse annihilatio, si non conjungeretur cum successione Corporis Christi sub speciebus. Hæc ille. Ita quòd à successione, vel non successione termini desitio alicujus rei extrinsecè denominetur nunc annihilatio, jàm corruptio.

Doctor noster, cum pluribus aliis, verius existimat, solam successionem naturalem esse considerandam, & ab illa, aut ejus negatione, desitionem aliquam appellari debere annihilationem, vel non annihilationem. Interim modus loquendi parvi est momenti, dummodò cum Ecclesia Catholica concedatur nihil panis remanere, sed totam substantiam panis converti in cui respondetur ex Doctore Subtili.

in substantiam Corporis, & totam substantiam vini in substantiam Sanguinis Christi.

Porrò de hac conversione controvertitur inter Doctores Catholicos primò, an ad eam requiratur nova Christi productio, an verò sufficiat adductio. Secundò, utrùm necessaria sit aliqua qualitas attractiva specierum, vel unio physica, formalis, aut effectiva Corporis & Sanguinis. Ad primam quæstionem respondeo & dico

CONCLUSIO IV.

Ad transubstantiationem talem, qualem Ecclesia Catholica agnoscit in Eucharistia, nequaquam requiritur nova Corporis & Sanguinis Christi productio.

98. Quid sit transubstantiatio, Scot.

TRansubstantiatio definitur à Scoto 4. dist. 11. q. 1. n. 2. *Transitio totalis substantiæ in substantiam.* Transitio, inquam, totalis, scilicet secundùm omnes partes, ut ibidem explicat, categorematicè & syncategorematicè, sic quòd nulla, quæ fuit in termino à quo, maneat in termino ad quem; sed substantia tota & totalis collectivè quoad partes transeat in terminum ad quem.

In quo distinguitur à generatione substantiali, quæ, secundùm Aristotelem 1. de Generatione textu 10. & 24. est *Transmutatio totius in totum*; *Quia* (inquit Doctor suprà) *illud totum ex partibus, quod fuit verè totum, scilicet per se unum, non manet; sed aliud totum succedit: non tamen qualibet pars succedit; quia materia manet communis, secundum ipsum.* Porrò in transubstantiatione nulla pars substantiæ manet communis.

Dissimilitudo generationis substantialis, & transubstantiationis explicatur.

Et propterea n. 10. sic concludit: *Dico ergo propriè loquendo, quod transubstantiatio non est mutatio*; utique, quia mutatio dicit subjectum, quod mutatur, & formam ad quam mutatur. Item successionem immediatam ex natura rei informationis ad non informationem, & è contra: lato tamen modo dici potest mutatio seu versio à subjecto in subjectum. Vide textum, ubi Scotus latiùs, & more suo subtiliùs de hoc puncto discurrit; & solvit argumenta in contrarium.

Transmutatio non est transubstantiatio. Scot.

99. Paucula isthæc præmitto, ne quis existimet, eodem modo fore argumentandum de conversione Eucharistica supernaturali, atque de aliis naturalibus, ligni v. g. in ignem, & similibus. Certè in his manet semper aliquod subjectum commune, & terminus ad quem habet naturalem connexionem cum desitione termini à quo; neque supponitur communiter existere, quando in ipsum fit conversio; exempli gratiâ, quando materia prima mutatur à forma ligni ad formam ignis. Equidem in transubstantiatione panis in Corpus Christi neque manet subjectum commune, neque terminus ad quem habet naturalem connexionem cum desitione termini à quo; & supponitur existere, quando in eum fit conversio.

Non eodem modo argumentandum de conversione Eucharistica, & naturalibus.

Igitur necessariò dicendum est, vel transubstantiationem hanc non esse verè & propriè conversionem (quo nomine tamen Florentinum in Decreto Eugenii eam appellat dicens: *Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in Sanguinem convertuntur*, similiter Tridentinum sess. 13. cap. 4. & can. 2. suprà allegatis) vel ad veram conversionem sufficere, quòd una forma (id est, altera pars compositi naturalis, vel etiam totalis substantia) sive jam existat, sive non, succedat in locum alterius; idque sub aliquo communi, sive sit propriè dictum subjectum, sive non; dummodò forma succedens quoquo modo suppleat officium formæ desinentis; & ideo hæc desinat, quia illa succedit, & è converso; vel propter naturalem connexionem, aut saltem ex dispositione agentis superioris, id est, propter connexionem moralem.

ut ex Florentino & Tridentino potest colligi.

Notandum quoque, in qualibet conversione esse duplicem terminum à quo, & ad quem, formalem utique, & totalem; v. g. in conversione ligni in ignem, terminus totalis à quo, est lignum; terminus formalis, forma ligni; terminus porrò ad quem totalis, ignis; terminus formalis, forma ignis. Et impræsentiarùm, terminus à quo totalis est substantia panis cum accidentibus, terminus formalis, sola substantia panis; terminus ad quem totalis, Corpus Christi cum accidentibus; terminus formalis, ipsum dumtaxat Corpus Christi.

100. In qualibet conversione est duplex terminus.

Advertit præterea Card. Lugo disp. 7. n. 10. ad hoc, ut lignum dicatur converti in ignem, requiri destructionem ligni, non destructionem formæ ligni: at verò ad hoc, ut non solùm dicatur lignum converti in ignem; sed etiam forma ligni, in formam ignis, requiritur etiam desitio ipsius formæ ligni. Prima pars probatur; quia homo dicitur converti in cadaver, cùm tamen forma hominis non simpliciter desinat esse. Secunda pars constat; quia illud quod dicitur converti in aliud, eo ipso dicitur desinere in aliud: ergo ut de ipso termino formali dicatur verè, quòd convertitur in alium terminum formalem, requiritur desitio ipsius termini formalis. Ex quo fit, quòd non dicatur forma hominis conversa in formam cadaveris, quia nimirum forma hominis non destruitur.

Quid requiratur ut forma ligni dicatur converti in formam ignis, Lugo.

Sed quæstio est de voce: & sanè ex hypothesi quòd detur forma cadaveris (quam Scotistæ meritò negant) quidni anima rationalis rectè dicatur in eam desinere? Etenim desinit informare corpus ex vi informationis formæ cadaveris, quod apparet sufficere, ut dicatur in eam desinere, licèt simpliciter maneat.

101.

Neque alicujus momenti est confirmatio Eminentissimi nu. 12. ex modo loquendi Sanctorum Patrum, qui (ut ait) contra Eutychetem indè probabant, naturam Divinam non potuisse converti in naturam humanam vel aliam naturam; quia scilicet natura Divina non potest desinere esse.

Deitas non potest converti in creaturam.

Disparitas siquidem manifesta est: quippe natura Divina, utpote omnibus rebus creatis intimè præsens, nequit ullatenus vel secundùm substantiam, vel secundùm præsentiam desinere.

102. Probatio Scoti.

Audio Scotum 4. dist. 11. qu. 2. nu. 3. *De primo* (scilicet an Deitas possit converti in creaturam) *dico quòd non . . . . . quia nihil potest converti, nec ut terminus à quo, nec ut terminus ad quem, nisi cuius esse, & non esse totaliter subest virtuti convertentis: nihil autem intrinsecum Dei subest potentiæ Divinæ, quia illa potentia non respicit pro obiecto, nisi possibile: sed quidquid est Deo intrinsecum, est necesse esse.* Hæc ille de non conversione Deitatis in creaturam.

Quodlibet creatum potest converti in quodlibet. *Scotus.*

Porrò de conversione unius creaturæ in aliam, illicò attexit: *De secundo dico quòd quodlibet potest converti in quodlibet . . . . . quia utrumque extremum in creaturis subest potentiæ Divinæ, & quantùm ad totale esse, & quantum ad totale non esse.* Addo ego; & quantùm ad substantiam, & quantùm ad præsentiam. Igitur puto, quòd non incongruè posset dici panem converti in Corpus Christi, etsi substantia panis alibi conservaretur; secùs si simul cum Corpore Christi sub iisdem speciebus: quantumvis statim post annihilaretur. Ratio; quia hic nulla successio unius substantiæ ad desitionem alterius sub eodem aliquo communi.

103. Non requiritur ut terminus formalis ad quem de novo incipiat habere esse. *Lugo.*

Cæterùm, quidquid sit de desitione termini à quo, etiam secundùm Cardinalem suprà n. 15. non eodem modo requiritur inceptio termini formalis ad quem. Ratio discriminis: quia terminus à quo denominatur conversus, & per consequens desinens in alium; terminus porrò ad quem solùm appellatur per conversionem succedens termino à quo, ad quod non est necesse, ut de novo incipiat habere esse; sed ad summum, quòd incipiat esse in illo munere, in quo succedit termino à quo: v. g. in casu proposito, Corpus Christi incipiat esse sub iisdem speciebus, sub quibus anteà fuit substantia panis, si non physicè, saltem moraliter eas sustentans, Deo intuitu Consecrationis (per novam, sive per veterem actionē, ad quam specialiter influat, supplens defectum subjecti) species conservante.

Terminus ad quem totalis debet incipere esse.

Ex quo patet saltem terminum ad quem totalem debere incipere esse; in exemplo, compositum ex speciebus & Corpore Christi; physicum sit, vel morale, propriè, vel impropriè dictum, adhuc non disputo; sed accedo ad probationem Conclusionis, quæ est hujusmodi.

104. Philosophi atque Theologi pro communi axiomate recipiunt: *Frustra fit per plura, quod æquè commodè fieri potest per pauciora*; atqui sine nova Corporis & Sanguinis productione commodissimè intelligitur transubstantiatio sacramentalis: ergo illa non requiritur. Minor, quæ sola controvertitur, probatur: quia actio, quâ Corpus & Sanguis conservantur in cælo, sufficientissima est ut conserventur in pluribus locis, prout patens est in anima, Angelo &c. quæ ita conservantur in pluribus locis continuis: quidni etiam possent conservari in discontinuis? Repugnantiam ostende, si potes.

Ad transubstantiationem non requiritur nova Corporis & Sanguinis productio.

Certè, in sententia Scoti & plurium aliorum, naturaliter saltem repugnat idem simul produci à pluribus causis totalibus; adeoque etiam pluribus productionibus totalibus ab eadem causa; quandoquidem una exhauriat totam capacitatem seu indigentiam naturalem effectûs: non sunt autem multiplicanda miracula sine necessitate. Vel si hoc non placet, saltem secunda actio seu reproductio redundaret. Porrò Deus & natura nihil faciunt frustra.

vel quia subiem unia. naturaliter repugnat,

Atque ut non redundaret, & foret naturaliter possibilis, adhuc erit insufficiens, & per accidens se habebit ad formalem rationem transubstantiationis. Primum ostendo; quia eadem actio posset poni, & tamen nulla esset conversio, Corpore scilicet Christi non succedente in locum panis. Reproducatur Corpus Christi, & succedat, quis non videt formalem rationem conversionis consistere in actione, quâ succedit, minimè autem in illa quâ reproducitur?

105. vel quia esset insufficiens.

Potest dari conversio substantialis absque reproductione termini formalis ad quem, ut patet in conversione alimenti in substantiam hominis.

Profectò liquet, dari posse conversionem substantialē, in qua manente eodem subjecto communi, non sit necesse reproduci terminum formalem ad quem: imò datur quotidie. Et quæ illa? Conversio alimenti in substantiam hominis: neque enim requiritur ut anima de novo producatur; sed abundè satis est, quòd uniatur materiæ alimenti, formâ alimenti desinente; sic quippe habetur positio unius substantiæ ex vi desitionis alterius sub aliquo communi.

& resuscitatione Lazari.

Simile cernitur in resuscitatione Lazari, quæ fuit regeneratio substantialis (fortè etiam conversio, si scilicet fuerit forma substantialis præexistens expulsa, utì dicunt, qui statuunt formam cadaveris) & tamen non fuit producta anima, sed tantum unita subjecto. Unde quando productio animæ concurrit, per accidens est ad formalem rationem conversionis aut generationis: non enim minùs esset substantialis conversio ligni in ignem, quando forma ignis priùs producta solùm uniretur materiæ ligni, quàm dum simul etiam produceretur.

Itaque appellatur conversio aliqua substantialis, vel accidentalis, non à termino, qui producitur, sed ab illo, qui introducitur; adeò ut omnis illa sit substantialis, cujus terminus formalis à quo, & ad quem est substantia, qualiscumque, aut quiscumque sit terminus productus.

106. Conversio vocatur substantialis à termino qui introducitur.

Probatur à simili.

Nonne dicitur aliqua actio translocatio, quamvis locus non producatur, sed solùm præsentia localis, sive Ubi? Nonne dicitur augmentatio

tatio quantitativa, tametsi sola unio quantitatis producatur? Similiter si alia materia succederet sub eadem forma, nuncuparetur transmaterializatio, & tamen materia non produceretur de novo.

Quidni ergo transformatio dici possit successio alterius formæ sub eadem materia, quantumvis in alio subjecto antea exstiterit? Et per consequens transubstantiatio, aut conversio substantialis, successio alterius substantiæ sub eodem aliquo communi, quamquam alibi existat, & solùm de novo producatur unio, aut præsentialitas?

Certè nulla est ratio, quare non esset vera conversio hominis calidi in frigidum, licèt frigus priùs in alio subjecto exstitisset, dummodò jam poneretur in homine, & expelleret calorem.

107. Igitur non debet attendi terminus, qui producitur, sed qui introducitur; ab hoc quippe specificatur conversio, & non ab illo. Fateor conversio est aliqua productio; sed non semper ejusdem termini, qui denominatur à conversione terminus succedens: sed interdum unum denominat productum; alterum verò succedentem.

Conversio quando una terminum deperit, alium producit, aliter secus.

Et verò de termino producto intelligi debet, quod suprà allegavimus ex Scoto dist. 11. q. 4. n. 15. *Posset ergo dici, quòd conversio ista* (sacramentalis) *est sicut substantiæ in substantiam, non quantùm ad esse substantiæ simpliciter, sed quantùm ad hic esse, ut sicut corpus ut hic, succedit pani ut hic: ita panis ut hic, convertitur in corpus ut hic: & illæ mutationes, licèt sint inter substantias, tamen non sunt inter substantias ut inter terminos: termini enim sunt tantummodò præsentialitas, & non præsentialitas, quæ possunt reduci ad genus Vbi.*

Scot.

108. Agit hìc Doctor non de ipsa formali transubstantiatione, utpote quæ unica est, & quam eâdem distinctione q. 1. n. 10. negat esse propriè mutationem; sed de mutationibus concomitantibus, earumque terminis. Sunt autem duæ, una positiva, quâ Corpus Christi mutatur à non esse hìc ad esse hìc; altera verò negativa, quâ substantia panis transit ab esse hìc ad non esse hìc; & utraque, ut patet, licèt sit inter substantias, quatenus Corpus Christi succedit in locum panis, ad quam successionem deservit, non tamen inter substantias, ut inter terminos formales & productos; sed inter præsentialitatem, quæ producitur per acquisitivam mutationem, & non præsentialitatem ut est terminus deperditivæ.

Formalem transubstantiationem mutationem concomitantibus verbis declarant, una positiva, altera negativa.

Mutatio est inter substantias ut terminos formales & productos.

Sicut ergo, concludit Scotus suprà, *mutatione positivâ non acquiritur simpliciter esse corpori, sed tantùm esse hìc; ita mutatione deperditivâ correspondente, quam includit conversio ista, in quantum ista conversio est transubstantiatio translativa, non autem productiva, istâ, inquam, non deperdit panis esse simpliciter; sed hìc esse.*

Quibus verbis expresè distinguit inter conversionem, & mutationem deperditivam. *Quam includit*, inquit, *conversio ista*: eandemque appellat *Transubstantiationem translativam*, in qua & ponitur *Transubstantiatio* ut determinabile, & *Translativa* per modum determinantis, consequentis, aut concomitantis, quo distinguatur à *Productiva*, quæ est inter terminos quoad esse simpliciter, & non solùm quoad esse determinatum, id est, quoad esse substantiale, quod primò producitur, & absolutè deperditur, & non solùm quoad esse substantiale physicum & reale, quod hìc incipit, & ibi desinit.

Duplex est transubstantiatio secundùm Scotum; una translativa, altera productiva.

109. Cæterùm utramque transubstantiationem consistere inter terminos positivos, qui sunt substantiæ, disertissimè docet Scotus suprà q. 3. n. 23. ibi: *Potest dici, quòd transubstantiatio* (hoc stante quòd sit inter terminos positivos, qui sunt substantiæ) *potest poni duobus modis intelligi. Vno modo quòd sit ad substantiam, ut per ipsam accipientem esse. Alio modo ut sit ad substantiam, ut per ipsam accipientem esse hic. Prima potest dici productiva sui termini ad quem: secunda adductiva, quia per ipsam adducitur terminus, ut sit hìc. Et sub aliis verbis, potest esse, vel ad entitatem sui termini, vel ad præsentialitatem eius alicubi.*

Utraque consistit inter terminos positivos, qui sunt substantiæ: *Scotus.*

Sanè tametsi voluisset, non potuisset Doctor clarioribus verbis exprimere, omnem prorsus transubstantiationem esse inter terminos positivos, qui sunt substantiæ: *Hoc*, inquit, *stante*, id est, tamquam indubitato præsupposito, *quod sit inter terminos positivos, qui sunt substantiæ.*

Ergo transubstantiatio sacramentalis, occasione cujus Scotus hæc pertractat, & latiùs discutit, ex mente ipsius consistit inter duas substantias, panem scilicet, & Corpus Christi: sic tamen quòd Corpus Christi per eam de novo non producatur. Unde illicò subjungit verbis præallegatis: *Transubstantiatio primo modo non potest esse ad substantiam, quæ præfuit: quia non videtur posse poni in substantiam manentem secundum esse suum antiquum.*

adeoque transubstantiatio sacramentalis ex ejus mente est inter duas substantias.

110. Quæris à me, an ergo per hujusmodi transubstantiationem nihil de novo producatur? Respondeo nihil planè, præcisè per ipsam formalem, & præcisam rationem transubstantiationis: at verò per mutationem, quæ in ipsa includitur, de novo causatur præsentialitas Corporis Christi sub speciebus: *Sed secundo*, inquit, *modo bene potest esse transubstantiatio in præexistens, quia potest fieri de novo præsens hìc, ubi fuit terminus à quo, manens tamen ubi erat priùs.*

Per ipsam formaliter nihil de novo producitur,

sed per mutationem in ipsa inclusam producitur præsentialitas.

Et si objiciatur, quòd ista secunda non est transubstantiatio, quia terminus ejus non est substantia ut substantia, sed est ista præsentia, quæ accidit substantiæ: sola enim illa acquiritur per istam actionem. Respondet Doctor: *Substantia est terminus ipsius transubstantiationis . . . . . quia ipsa substantia succedit substantiæ: non tamen habet esse substantiale novum; sed tantùm præsentiam novam.*

Objectio.

Solvitur. *Scotus.*

Alia objectio.

Præterea objicit sibi ipsi Scotus: tunc erit terminus ad quem per transubstantiationem alicubi, ubi priùs non fuit. Respondet: *Quòd transubstantiatio primo modo dicta non facit terminum ad quem esse, ubi non præfuit ..... sed transubstantiatio secundo modo dicta includit mutationem quamdam ad simplicem præsentiam circa terminum ad quem, & ratione istius bene potest terminus ad quem esse per illam, ubi non præfuit.*

Solvitur. Scotus.

111. Tertia objectio.

Objicit tertiò: tunc quot essent hìc præsentia, tot essent præsentialitates, & per consequens tot conversiones: multa autem sunt in Christo, quorum quodlibet est hìc præsens: ergo sunt multæ conversiones. Et hanc objectionem optimè solvit dicens: *Quòd non est ibi nisi unicum primò præsens, scilicet illud, quod est primum signatum huius signi. Alia autem præsentia, vel sunt partes ipsius, vel concomitantia ipsum: conversio ergo est unica, quia unus substantiæ panis, priùs præsentis istis speciebus, in unum corpus, ut præsens eisdem.*

Solvitur. Scotus.

Ex quibus omnibus perspicuè manifestatur, quæ fuerit mens Doctoris nostri circa præsentem Conclusionem, pro qua communiter à Scotistis citatur, paucis quibusdam, ex Quodl. 10. eum interpretantibus in favorem productivæ transubstantiationis, sed immeritò, ut bene notat Scholium præfixum nu. 22. hujus dist. & quæstionis.

112. Per solam actionem adductivam facillimè explicatur mysterium conversionis sacramentalis. Vasquez.

Fallor, vel Scotus unus ex antiquis istis Scholasticis est, qui mysterium conversionis teste Vasquesio hìc disp. 181. cap. 1. nu. 1. ita explicarunt, ut rudibus etiam & ignaris ad intelligendum facilè redderetur. Quippe quid facilius, quàm concipere panem desinere esse hìc, & Corpus Christi incipere esse hìc? Quo tamen non contenti aliqui Recentiores, audito nomine transubstantiationis, ait Vasquez suprà, tanta inter ipsos de natura illius exorta fuit controversia, ut quò magis se ab ea extricare conati fuerint, eò majoribus difficultatibus seipsos implicaverint.

Ex quo etiam effectum est, ut mysterium fidei nostræ, non modò difficilè ad explicandum & intelligendum ab eis redditum fuerit; sed etiam Adversariorum nostrorum argutiis & cavillationibus illud magis expositum fuerit: cùm aliàs si sincerè & planè explicaretur, sagittæ parvulorum plagæ Hæreticorum effectæ fuissent.

113. Nova productio fundata non est in auctoritate aut ratione;

quia Sancti Patres illos apices philosophicos parùm curarunt,

Foris ergo cum nova tua productione, quæ neque in auctoritate, neque in ratione ullum habet fundamentum. Quid miraris? Nam profectò ut exordiar ab auctoritate Sanctorum Patrum, ac Conciliorum, non est verosimile Patres, vel Concilia unquam somniasse de reproductione Corporis Christi, quæ à paucis annis incepta est doceri; solùm soliciti fuerunt, ut conguis verbis hominibus persuaderent realem & substantialem existentiam Corporis Christi sub speciebus, parùm curantes apices philosophicos, quibus magis obscuratur, quàm elucidatur hoc mysterium.

aliquin multa illorum locutiones non subsisterent.

Unde indubitanter plurimæ locutiones, si intelligantur in omni rigore & proprietate verborum, haudquaquam subsistunt; nempe illæ omnes, quibus dicitur, panem fieri Corpus Christi, vinum fieri Sanguinem, quæ frequentissimæ sunt apud Sanctos Patres, & habentur etiam in hymno Festi Corporis Christi ibi: *Verbum caro panem verum, verbo carnem efficit, fitq; Sanguis Christi merum.*

Ratio est, quia *quando fieri prædicatur tertium adiacens, tunc*, inquit Scotus 4. dist. 11. q. 5. n. 1. *denotat subiectum fieri secundùm formam prædicati: sed panis pro nulla temporis differentia fit secundùm formam prædicati, scilicet Corporis, nec è converso.* Scotus.

Probat à simili per oppositum: *Ideo enim hæc est vera:* Homo fit albus, *quia hic homo fit sub forma albedinis: & per oppositum hæc est impossibilis:* Homo fit asinus, *& hoc loquendo strictè de virtute sermonis: sic videtur esse in proposito.* Piè ergo exponenda sunt hujusmodi dicta, ut solùm significent transitum unius in aliud. 114.

Sicut & illa propositio, quæ reperitur apud Divum Ambrosium lib. 4. de Sacramentis c. 4. *Vbi accesserit Consecratio, de pane fit caro Christi.* Nam illa particula, *De*, in rigore significat consubstantialitatem, seu quòd uterque terminus habeat aliquam substantiam communem. Quid significet ly De ibi: De pane fit caro Christi. S. Ambr.

Et fortè idem significat ly *Ex*, ut videtur indicare Scotus suprà nu. 2. ubi docet primò: *Accipiendo utrumque extremum*, panem scilicet & Corpus, *in recto, non oportet alterum de altero prædicari. Si ergo vera debet esse prædicatio, oportet alterum eorum in obliquo accipere denotando ordinem extremi ad extremum, & hoc potest esse duplicater: vel cum hac præpositione*, Ex, *vel*, De, *addendo ad terminum à quo, sicut dicit Philosophus 2. Metaphysicæ cap. 3.* Quòd ex mane fit meridies, & non è converso, *& hoc modo potest concedi, quòd* ex pane, *vel*, de pane fit Corpus Christi. *Alio modo addendo termino ad quem hanc præpositionem*, In, *quæ denotat ipsum esse terminum ad quem, hoc modo: Panis transit in Corpus Christi.* 115. Quid ly Ex ibi: Ex eo fit caro Christi. Scotus.

Et si quæras, quæ sit magis propria ex illis duabus locutionibus; audi quod sequitur: Et *omnes*, inquit, *aliæ locutiones de virtute sermonis ad aliquam istarum reducuntur: sed secunda est magis propria: quia non denotat aliquid commune manere, sicut aliquo modo denotat ista præpositio*, Ex, *secundum modum proprium accipiendi*, Ex, *non enim ex oppositio fit oppositum, nisi quia ex subiecto communi utrique secundùm* Philosophum I. *Physicorum*, I. *de Generatione*, & II. *Metaphysicæ.* Hæc Scotus. Magis propriè dicitur De pane, quàm Ex pane fit Corpus Christi. Scotus.

Qui ibidem nu. 1. respondet hanc conversionem non verè signari per verbum, *Esse*, neque verbum, *Posse*, vel, *Possibile*, ut si dicas; *Panis est*, vel, *potest esse Corpus Christi, fuit*, vel, *erit.* Ratio est; *Quia esse notat unionem extremorum essentialem, vel accidentalem pro illo tempore, quod assignat:* 116. Hæc conversio non verè significatur per verbum Esse, Fuit, vel Erit.

assignat: sed pro nulla temporis differentia habent hæc extrema unionem essentialem, nec accidentalem, sed pro omni instanti, vel disparationem, puta quando extrema sunt entia positiva: vel maiorem repugnantiam, scilicet entis ad non ens pro illo instanti, pro quo unum est, & aliud non est.

Et tamen ita loquitur Divus Ambrosius lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ibi: *Quomodo potest, qui panis est, Corpus esse Christi? Consecratione.* Similiter Berengarius in sua confessione, quæ habetur de Consecratione dist. 2. cap. 42. ibi: *Scilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, post Consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum Corpus & Sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse.* Sensus igitur istarum & similium propositionum est: panis transit, seu convertitur, vel est conversus in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi.

117. Monet quoque Doctor suprà nu. 2. cavendam esse, & bono sensu explicandam hanc propositionem: *Panis mutatur in Corpus*; *Quia*, inquit, *non est hic mutatio, ut dictum est in 1. quæst. istius distinctionis; transire autem, seu verti, abstrahit à ratione mutationis, quia ponunt habitudinem termini ad terminum, non importando subiectum commune manere.*

Rogas, quare ergo Patres utantur hujusmodi modis loquendi? Resp. quia licèt in præsenti non maneat commune subjectum, manent tamen accidentia communia utrique substantiæ, sub quibus sibi mutuò succedunt cum dependentia.

118. Ex quibus omnibus facilè cognoscitur, quàm debile sit fundamentum, quod desumitur pro nova productione ex locutionibus Sanctorum Patrum, cùm plurimæ earum, etiam ex confessione Adversariorum, accipiendæ sint in sensu minùs proprio; aliæ autem apertè satis & dilucidè ex ipsis verbis demonstrent se non agere de productione Corporis Christi simpliciter, sed de productione secundùm esse sacramentale, seu de conversione panis in Corpus Christi, id est, de composito tali quali ex speciebus, & Corpore Christi, quod absque dubio de novo fit, producitur, & creatur.

Et dato, quòd aliquæ invenirentur, quibus simpliciter diceretur; Corpus Christi creari, vel fieri Consecratione; quid vetat eas intelligi de productione conservativa? Quin imò tametsi adderetur ly *De novo*, adhuc commodum paterentur sensum, videlicet Corpus Christi Consecratione fieri, seu creari de novo virtualiter vel æquivalenter, hoc est, ex vi Consecrationis ita conservari sub speciebus, ut si antèa non existeret, de novo fieret, aut crearetur.

119. Quod attinet ad auctoritatem Conciliorum, ipsum Concilium Tridentinum, quod maximè posset videri contrarium nostræ doctrinæ, asserens sess. 13. cap. 4. veram conversionem panis in Corpus Christi, & vini in Sanguinem, ne relinqueret mentes fidelium vagari in incertum, dubias planè & perplexas, in quo consisteret illa conversio, can. 2. definit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento non remanere substantiam panis & vini, unà cum Corpore, & Sanguine Domini nostri Jesu Christi; sed dumtaxat species panis & vini. Exscribo ejus verba: *Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, unà cum Corpore & Sanguine Domini nostri Iesu Christi; negaveritq; mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiæ panis in Corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissimè Transubstantiationem appellat; anathema sit.* Ac si diceret: hæc conversio & transubstantiatio nihil aliud est, quàm desitio totius substantiæ panis & vini, manentibus speciebus, & collocatio, sive realis existentia Corporis & Sanguinis Christi sub iisdem.

neque verba Christi: *Hoc est Corpus meum.*

Neque aliud requirunt verba Christi: *Hoc est Corpus meum, Hic est Sanguis meus*, sive speectes veritatem eorum speculativam, sive practicam. Enimverò ly *Est* non significat productionem, aut reproductionem; sed, ut diximus sectione præcedenti concluſ. 5. identitatem inter subjectum demonstratum per ly *Hoc*, & prædicatum *Corpus*. Itaque supponit existentiam, non necessariò causat.

120. Quamquam illa verba de novo producerent Corpus Christi, si non esset productum.

Contrà primò: illa verba possent de novo producere Corpus Christi, si non esset; ergo de facto producunt. Resp. Negando Consequentiam; quia jam ad veritatem eorum hoc non requiritur, sicut tunc requireretur: porrò vim non habent nisi necessariam ad sui veritatem.

Modò autem sola realis existentia sub speciebus est significatum formale;

Quemadmodum hæc propositio: *Petrus est albus*, si esset practica, posset producere suum subjectum in eventu, quo non præexisteret, & tamen sola albedo est significatum formale: ergo in proposito, tametsi in aliquo casu verba Consecrationis haberent virtutem producendi Corpus Christi, non ideo tamen ratio Corporis est significatum formale, sed sola realis existentia sub speciebus, ad quam per accidens est, quòd ratio Corporis antecedenter existat, vel de novo producatur.

ostenditur exemplo.

Sanè hæc enuntiatio: *Consul Lovaniensis sit Petrus*, dicta à Principe, vel populo Petrum Consulem instituente, est verissima, licèt Princeps vel populus Petrum de novo non producat, satis est, si faciat Consulem. Sufficiet ergo etiam hìc, quòd illa verba faciant Corpus Christi contineri sub speciebus, nihil enim aliud significant. Et quamvis fortè à parte rei illæ propositiones haberent alium sensum; tamen in communi acceptione hominum generant conceptum jam explicatum.

121. Objectio solvitur.

Contrà secundò; verba non supponunt Corpus Christi existens. Nego; quippe prius

quam operentur, significant; non aliud quàm corpus: ergo illud, quod Christus de facto habet, vel ultimò habuit, suppositò quòd jam ampliùs non haberet.

122. Quare potius Christus in Cana Galilææ produxerit novum vinum, quàm in Eucharistia producat de novo suum Corpus.

Contrà tertiò; quando Christus in nuptiis Canæ Galilææ convertit aquam in vinum, quamvis hoc alibi existeret, tamen produxit novum.

Resp. primò hoc individuum vinum, in quod aqua fuit conversa, non necessariò supponebatur anteà productum, sicuti bene Corpus Christi, in quod de facto convertitur substantia panis per verba Consecrationis.

Respondeo secundò, ideo Christum noluisse adducere vinum præexistens, ne videretur magis præstigium Dæmonis, quàm miraculum ad manifestandam suam omnipotentiam. Ad quid enim curasset hydrias aquâ impleri, si illa statim fuisset transferenda & vinum adducendum? Poterat certè vinum de novo creare, vel adducere sine illa infusione. Voluit ergo per miraculum in materiam aquæ inducere formam vini.

Sed ad quid de novo produceret suum Corpus? An ut ostenderet suam omnipotentiam? Herculè nimis eam manifestat conservando Corpus suum (quod localiter in cælo existit) eâdem actione, sed novo titulo (utique ad desitionem substantiæ panis) sub speciebus sacramentalibus, ut propterea minimè fuerit necessaria nova productio, quam ratio naturalis, si non impossibilem, saltem probat inutilem & superfluam ad præsens mysterium, id est, ad transubstantiationem.

Quod ut clariùs appareat, pono sequentem Conclusionem, in qua magis specifico actionem illam, per quam Corpus Christi collocatur sub speciebus sacramentalibus, & respondeo cæteris argumentis Adversariorum ex ratione desumptis.

CONCLUSIO V.

Ad transubstantiationem sufficit adductio, id est, productio præsentialitatis.

123. Præsentia Christi in Sacramento non est circumscriptiva,

SUppono præsentiam Christi in Sacramento non esse circumscriptivam. Ita communiter Doctores. Etenim ad præsentiam circumscriptivam requiritur, ut diversæ partes locati correspondeant diversis partibus loci; sive ut corpus quantum sit in loco, non solùm retentâ quantitate, sed etiam modo quantitativo, id est cum actuali extensione partium in ordine ad locum. Planum autem est id non competere Corpori Christi in Eucharistia.

Suppono iterum, neque propriè esse definitivam, utpote quæ in rigore solùm convenit rebus spiritualibus, sive non quantis: porrò Corpus Christi communi calculo retinet suam quantitatem in Sacramento, quod ita explicat Scotus 4. dist. 10. q. 1. n. 14. *Dico ergo aliter, quòd positio, quæ est differentia quantitatis* (id est, passio) *necessariò inest quanto continuo permanenti; & istam oportet salvari in proposito, scilicet quæ dicit ordinem partium in toto. Non est enim bene intelligibile, aliquod esse quantum dimensionatum, quin sit signare in toto ordinem huius partis ad illam secundùm quantitatem, vel positionem interiacentem: positio autem, quæ ponitur prædicamentum à quibusdam, aliud addit. Præsuppositò enim ordine partium in toto, positio dicit ultrà hoc ordinem partium ad locum, sive ad partes loci, vel locantis, hoc est dictu, quòd partes coextendantur partibus loci, sicut totum dicitur primò commensurari toti loco, in quo habet ubi, ita quòd positio prædicamentum præsupponit positionem differentiam quantitatis, & specificat ubi*, scilicet circumscriptivum. neque propriè definitiva; retinet enim filidem suam quantitatem. Scotus,

Et si quæras, quid sit modus quantitativus? Respondet: *Per modum autem quantitativum sive dimensivum, quocumque modo nominetur, non intelligo nisi positionem dictam secundò*: id est, extensionem actualem partium in ordine ad locum. 124. Quid sit modus quantitativus.

Hanc autem posse per Deum separari ab extensione partium in toto, prout de facto contingit in Eucharistia, probat ibidem Doctor noster n. 15. hoc argumento: *Quæcumque natura contingenter respicit quamlibet formam alicuius generis simpliciter, se habet contingenter ad totum genus.* Ad majorem verò claritatem & intellectum illius termini *Simpliciter*, addit: *Intelligo enim simpliciter, quasi non est necessariò ex causa intrinseca.* Quantitatem posse separari à modo quantitativo probatur à Scoto. Distinctio inter necessitatem simpliciter, sive quæ est ex causa intrinseca,

Rogas, quæ sit illa causa intrinseca? Respondeo primò; dependentia vel ab ipsa forma, vel per formam ad terminum ipsius: sic albedo respicit propriam inhærentiam, propter dependentiam ad subjectum: substantia materialis exigit quantitatem, ut dispositionem requisitam ad recipiendum influxum causæ naturalis materialis: elementum respicit qualitates primas & proprias, necessitate essendi, resistendi, & agendi.

Respondeo secundò; perfectio propria subjecti, ut servetur ordo essentialis prioris & posterioris: sic subjectum necessitatur ad propriam passionem physicam, ignis ad calorem ut octo: essentia Divina ad sua attributa & perfectiones & proprietates. & necessitatem secundùm quid, sive quæ est ab extrinseco.

Excludit ergo Doctor per ly *Simpliciter*, necessitatem secundùm quid, & quæ provenit ab extrinseco, v. g. ab applicatione hujus, aut illius causæ, quæ producit formam sibi connaturalem in subjecto, quamvis illa forma non sit secundùm exigentiam subjecti; exempli gratiâ color in superficie, calor in aqua, ad quæ necessitatur subjectum actione causæ extrinsecæ.

Ita

Ita intellecta hæc Major propositio *Videtur*, inquit Scotus, *satis manifesta: qui si esset una natura & à causa intrinseca determinaret sibi tale genus, necessario determinaret sibi aliquam speciem illius generis: quia una natura non habet intrinsecè ad oppositа disiuncta necessitatem, quin habeat necessitatem ad aliquod unum illorum.*

Addo Minorem: scilicet, *Corpus se habet contingenter ad quamcumque positionem partium in loco.* Probatur: *Quia possum movere corpus meum à quacumque positione ad aliam. Ergo* (infert Doctor) *corpus habens positionem partium in toto, non simpliciter se habet necessario ad positionem istam, quæ est prædicamentum, nec ista coexistentia quanti ad quantum est simpliciter necessaria ratio illius positionis secundæ: quia contingit intelligere coexistentiam alicuius ipsi toto, absque hoc, quod intelligatur coexistentia, vel coextensio partium partibus. Hæc enim coexistentia est alia ab illa, etiam quando se concomitantur: nec ista in ratione sua formali includit illam: ergo absolute corpus quantum habens primam positionem, posset esse sine omni positione extrinseca, & intelligi quantum coexistentiam habere ad aliud quantum sine ista positione.*

Et si quæras, quid sit hoc, quantitatem servari sine positione extrinseca? Dico quod non est aliud, nisi absolutum conservari sine respectu extrinsecùs adveniente. Sic etiam coexistentiam conservari sine positione illa, non est aliud, nisi unam relationem extrinsecam conservari sine alia relatione extrinseca &c. Et hoc potest breviter declarari sic; quia positio secunda supponit Vbi propriè dictum: ergo si Deus potest quantum conservare sine Vbi propriè dicto, potest & sine positione.

Et si dicas, bene potest sine Vbi, sed non cum præsentia sine coexistentia ad aliud corpus, falsum est; nam coexistentia, licet sit quanti ad corpus, non tamen formaliter est Vbi.

Objicit sibi ulteriùs: *Quia non potest esse quantum, & aliud quantum quin sit commensuratum illi.*

Respondet: *quantitatem positam, & terminum bene sequitur æqualitas vel inæqualitas, quæ dicit respectum intrinsecus advenientem; sed non necessario consequitur aliquis respectus extrinsecus adveniens: talis est autem commensuratio, ut hic loquimur, vel magis propriè coextensio. Nam si loquaris de commensuratione secundum æqualitatem, vel inæqualitatem, quia scilicet hoc sit maius, vel minus, istam concedo in proposito, quia Corpus Christi est maius hostiâ: sed non istam commensurationem, quæ dicitur propriè coextensio, quæ propriè dicit simultatem partis cum parte.* Hucusque Scotus. Quæ ideo præmittenda existimavi, quia maximè utilia, imò quodammodò necessaria pro intelligentia eorum, quæ sequuntur.

Atque in primis dico cum Doctore nostro, adductionem (quam ipse arbitratur abundè sufficere ad veram & sinceram explicationem hujus mysterii) non esse productionem præsentiæ localis propriè dictæ, sed præsentiæ alicujus simplicis, sive, si ita velimus loqui, præsentialitatis, quæ non sit aliud, quàm respectus aliquis extrinsecùs adveniens speciebus, & Corpori Christi.

Quid sit præsentialitas?

Et quid quæso ille respectus? Utique non aliud, nisi inseparabilis continentia Corporis Christi ex Decreto Divino sub speciebus, cum intima earum penetratione, connotans desitionem substantiæ panis.

Quid transubstantiatio?

Ac per consequens conversio seu transubstantiatio sacramentalis est sola illa actio, quâ ita ponitur Corpus sub speciebus. Per quam utique actionem dicitur confici Eucharistia, à Sacerdote quidem moraliter, à Deo autem physicè; sicuti per actionem unitivam corporis cum anima rationali, dicitur fieri homo; & Verbum dicitur factum caro, per productionem unionis hypostaticæ.

Sic planè, ut si hoc ipsum posset fieri sine nova actione, etiam adductiva, equidem adhuc salvari posset tota ratio transubstantiationis. Veluti si absque nova actione anima præexistens posset uniri corpori jam producto, ipsaque adeò uniretur corpori sine aliquo medio, generatio substantialis aut regeneratio esset sine nova actione.

128. An posset aliquid converti in præexistens planè immutatum.

Dices: ergo tunc conversio substantialis non esset actio. Respondeo, formaliter loquendo, Concedo totum. Quare hoc supposito posset aliquid converti in præexistens planè immutatum, id est, absque eo, quòd circa ipsum aliquid novi fieret.

An possit creatura converti in Deum?

Instabis: ergo etiam poterit creatura converti in Deum. Resp. ut suprà Negando Consequentiam: quia saltem requiritur, ut in locum alterius destructi, succedat aliud sub eodem communi, & prius destruatur vi adventûs posterioris, & posterius incipiat conservari sub illo communi, dependenter ab eodem, quod Deo nequaquam convenire potest; convenit autem Corpori Christi, quod actione, etsi antiquâ, incipit conservari dependenter à speciebus, idque sub iisdem quamdiu manent; sicut fuisset naturaliter conservata substantia panis.

129. Proponitur sententia Scoti. *Dicastillo.*

Hanc esse mentem Doctoris Subtilis, & non illam, quam falsò ipsi adscribit Dicastillo, dicens Tract. 4. de hoc Sacramento disp. 5. nu. 355. sententiam Scoti solùm præsentiam localem agnoscere, clarissimè demonstratur ex his ipsius verbis 4. dist. 10. q. 1. n. 10. *Ad propositum, mutationem deperditivam illius Vbi de cælo nullus ponit in Corpore Christi, secundum Augustinum supra adductum,* donec sæculum finiatur sursum est Dominus. *Et hoc intelligendo regulariter, nisi placeret sibi ex aliqua gratia speciali localiter descendere: quod non ponitur fieri propter veritatem Eucharistiæ.* *Aug. tract. 30. in Ioan.*

Oportet tamen ponere ad salvandam realem præsentiam Corporis Christi hic, quòd in ipso sit aliqua præsentia ad speciem panis, quæ prius non fuit, alioquin non magis esset nunc præsens hic, quàm prius.

Illa

Illa enim mutatio, quæ est circa species, scilicet quod prius erant in subiecto, nunc autem non sunt in subiecto, nihil facit ad hoc, quòd Corpus Christi de non præsente istis, fiat realiter præsens istis, quia illa habet alios terminos per se ab illa, quâ non præsens sit præsens.

130. Docet 1. per transubstantiationem non perdere necessariò præsentiam localem circumscriptivam in cælo.

Ubi docet primò, Corpus Christi per transubstantiationem non perdere necessariò præsentiam localem circumscriptivam, quam habet in cælo. Secundò agnoscit necessitatem alicujus præsentiæ ad speciem panis, quæ priùs non fuit, ratione cujus nunc magis Christus suâ substantiâ nobis adsit, quàm priùs.

Secundò agnoscit necessitatem alicujus præsentiæ ad speciem panis. *Trident.*

Et sanè existentiam Christi in Sacramento rectissimè appellari præsentiam, testatur Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 1. hisce verbis: *Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, iuxta modum existendi naturalem; & ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit.*

Tertiò docet Corpus Christi non fieri formaliter præsens per destructionem substantiæ panis.

Tertiò asserit Scotus, Corpus Christi non fieri formaliter præsens per destructionem substantiæ panis, quod verissimum esse, clarè ostendit ratio subjuncta: *Quia illa habet alios terminos per se ab illa, quâ non præsens sit præsens.* Patet, quia per destructionem præsens fit non præsens. *Ergo*, infert Doctor, *necesse est ponere aliquam mutationem in Corpore Christi acquisitivam illius præsentiæ novæ.*

131. sed per mutationem, non localem,

Sed numquid mutationem localem, cujus terminus ad quem est præsentia localis? Noli sic loqui, sed magis cum Scoto affirma: *Quæ tamen non potest dici propria mutatio localis propter duo, tum quia eam non concomitatur aliqua deperditiva prioris Vbi, sicut communiter est in motu locali, quia ibi terminum positivum à quo, & terminum positivum ad quem, concomitantur duæ privationes, eo modo quo Philosophus dicit 5. Physicorum quòd* Motus est à subjecto in subjectum: *tum etiam, quia hic proprie terminus istius mutationis non est Vbi, quia in termino mutationis huiusmodi, Corpus Christi non habet hic proprie Vbi:* sed aliam simplicem,

sed terminus est quædam præsentia simplex ipsi speciei, vera tamen & realis: terminus autem mutationis localis propriè acceptæ est ipsum Vbi. Vellem scire, an evidentioribus verbis Dicastillo posset negare præsentiam sacramentalem esse præsentiam propriè localem? Non puto.

distantem à vera mutatione secundum ubi,

Et si quæras (prosequitur Doctor n. 11.) *ad quod genus pertinet hæc mutatio, & terminus istius mutationis? Dico si Angelus ponitur de novo præsens alicui corpori, dicitur quidem esse in loco desinitivè, eo modo quo sibi potest convenire esse in loco: & sic dicitur mutari, licet illa mutatio multùm differet à vera mutatione secundùm Vbi:* scilicet circumscriptivum, quod solùm videtur Scotus hìc appellare præsentiam propriè localem. Absit autem ut talem præsentiam attribuamus Corpori Christi in Eucharistia.

132. An ergo præsentiam Angelicam? *Adhuc*, ait Doctor, *quantùm ad aliquas conditiones præsentia Corporis Christi speciei*, id est, quâ Christi Corpus præsens est speciebus, *magis recedit à vera ratione Vbi: quia nullo modo per istam præsentiam determinatur sic ad unum Vbi, quòd sibi repugnet aliud. Sed Angelus per unum Vbi sic determinatur ad illud, ut sibi repugnet aliud.* Hæc est una conditio discrepantiæ. & à præsentia Angelica.

Alia erit, quòd hoc sit proprium Ubi Angeli, utpote rei spiritualis, quæ loco circumscribi nequit, quòd sic est in toto loco Angelus, ut etiam sit in singulis ejus partibus, nec aliter esse possit: porrò Corpus Christi, quoniam res materialis, constans diversis partibus extra se mutuò positis, naturaliter postulat diversas partes corporis circumscribentis, quibus illæ respondeant. Quod ergo in Sacramento sit totum in tota specie, & totum in singulis partibus, planè supernaturale est.

Neque propterea magis debet dici esse sub speciebus tamquam in loco, etiam definitivè, quàm antea erat substantia panis; nam sicuti hæc non ambitur superficie concavâ accidentium, sed intimè omnes partes hostiæ penetrat, & idcirco non rectè dicitur habere præsentiam localem, sive localiter esse præsens speciebus, at veriùs præsentialitatem quamdam, sive inseparabilem quandam naturaliter cum speciebus connexionem, ratione cujus localiter est præsens, id est, ambitur eâdem concavâ superficie, quâ species, adeoque cum ipsis est in eodem loco: ita pariter Corpus Christi, quod in locum substantiæ panis succedit, & intimè penetrat omnes partes hostiæ, non præsentiam localem propriè dictam, etiam definitivam Angelorum, sed præsentialitatem quamdam sub speciebus rectiùs habere dicitur. Corpus Christi non magis debet dici sub speciebus tamquam in loco, quàm erat substantia panis.

Et pergens Doctor noster explicare illam præsentialitatem, inquit; *Et si habeas pro inconvenienti aliquam mutationem qualemcumque in Corpore Christi realiter esse, dico quòd necesse est ponere saltem aliquem respectum extrinsecùs advenientem, qui scilicet non necessariò sequatur fundamentum, & terminum posita in actu: quia omnis respectus sic consequens, necessariò est intrinsecùs adveniens ..... Ergo respectus potest advenire extrinsecùs de novo, sine alio quocumque novo, vel in fundamento, vel in termino. Sic ergo non est inconveniens Corpus Christi esse de novo præsens alicui non habenti novam formam absolutam, nec novum respectum respectu eius, vel si habet huiusmodi novum respectum, pari ratione, & Corpus Christi habebit novum respectum eius: quia si species sint de novo præsentes Corpori Christi, & Corpus est de novo præsens eis (etsi enim continentia non sit relatio realis mutua, tamen præsentia est relatio mutua) non erit tunc inconveniens dare in Corpore Christi talem mutationem ad respectum extrinsecùs advenientem.* Quoniam talis respectus non infert mutationem substantialem, quæ sola dedecet Corpus Christi impassibile: nam post Resurrectionem ante Ascensionem habuit 133. Necesse est ponere aliquem respectum extrinsecùs advenientem in Corpore Christi, Scotus.

habuit plures mutationes accidentales, ut visionis, locutionis, manducationis, loci &c.

Et si omnino arguas, ille respectus extrinsecus advenientes, qui dicitur præsentia simplex, ad quod genus pertinet? Potest dici quòd magis propriè reducitur ad genus Vbi, inter omnia genera respectuum extrinsecus advenientium, quia in pluribus cum illo respectu convenit. Quid videtur candide Lector, num Doctor Subtilis collocat præsentiam sacramentalem in prædicamento Vbi? Certè nil minus cogitavit. At inquies, saltem reducit illam ad prædicamentum Vbi. Consentio: sed quid inde?

134. Dicastillo. Dicastillo suprà n. 314. post relatam de hac controversia secundâ sententiam: Corpus videlicet Christi sub accidentibus esse per solam præsentiam & propinquitatem localem, quæ ex Dei voluntate conservatur toto illo tempore, quo durant accidentia consecrata; nullam autem esse aliam unionem, aut nexum naturalem Corporis Christi cum accidentibus consecratis, subdit: Hanc sententiam Scotus significat in 4. dist. 10. q. 6. & dist. 11. q. 1. & 2. dum ait, Corpus Christi, & accidentia conjungi per solum actum Divinæ voluntatis. Unde colligit Christum sub accidentibus consecratis, quando movetur hostia, non moveri per solam virtutem creatam, per quam hostia movetur: sed per solam virtutem divinam, quia Deus vult Christum sub illis accidentibus permanere.

Id verè dixisti, & utinam omnes ita saperent, non implerent tot folia chartæ ad explicandas & defendendas suas uniones formales, efficientes, & nescio quas chymericas speculationes, magis obscurantes, quàm elucidantes hoc mysterium. At interrogo ego unum verbum: Scotus ideo docet, illam præsentiam & propinquitatem localem directè spectare ad prædicamentum Vbi? Non videris Dicastillo Doctorem nostrum inspectasse: alioquin indubiè statim animadvertisses Doctoris Subtilis & Angelici in hac præsentia consensum.

Hæc sunt verba Divi Thomæ 4. dist. 10. q. 1. art. 3. *Ad primum ergo dicendum, quòd comparatio Corporis Christi ad species, sub quibus est, non est similis alicui comparationi naturali: & ideo non potest reduci propriè loquendo ad aliquem modorum à Philosopho assignatorum, tamen habet aliquam similitudinem cum illo modo, quo aliquid dicitur esse in loco, secundùm quod esse in loco, est esse in aliquo separato extra substantiam suam, quod non est eius causa, & secundùm hoc etiam Innocentius dicit, Corpus Christi esse in pluribus locis, quando continetur sub pluribus speciebus.* Ita Doctor Angelicus.

An non idipsum aliis verbis Doctor Subtilis? Ergo perperàm Dicastillo suprà distinguit inter sententiam Scoti & Divi Thomæ ac aliorum, qui, inquit, dum affirmant præsentiam Christi non propriè, sed solùm impropriè ac reductivè pertinere ad prædicamentum, potiùs significant illam non esse existentiam seu præsentiam localem.

Immo verò, reponit quispiam, optimè distinguit; quia Divus Thomas præter præsentiam illam, admittit aliam unionem quæstione 76. art. 5. docens Christum esse in hoc Sacramento, succedendo substantiæ panis. *Vnde*, inquit, *sicut substantia panis non est sub suis accidentibus localiter, sed per modum substantiæ; ita nec substantiam Christi esse in hoc Sacramento localiter.* Ita legit Dicastillo.

136. An D. Tho. præter præsentiam admiserit aliam unionem?

Sed textus genuinus sic habet: *Vnde sicut substantia panis non erat sub suis dimensionibus localiter; ita nec substantia Corporis Christi, non tamen substantia Corporis Christi est subiectum illarum dimensionum, sicut erat substantia panis.* Quis Catholicorum unquam asseruit contrarium?

Prosequitur Doctor Angelicus ad nostrum propositum: *Et ideo substantia panis ratione suarum dimensionum localiter erat ibi: quia comparabatur ad locum illum mediantibus propriis dimensionibus. Substantia autem Corporis Christi comparabatur ad locum illum mediantibus dimensionibus alienis; ita quòd è converso dimensiones propriæ Corporis Christi comparantur ad locum illum mediante substantiâ, quod est contra rationem corporis locati. Vnde nullo modo Corpus Christi est in hoc Sacramento localiter.* Quàm præclara unio! Ecquid aliud clamat Scotus locis suprà à nobis allegatis, quàm Corpus Christi non esse in hoc Sacramento circumscriptivè, imo neque definitivè?

137. S. Thomas tantum voluit, Corpus Christi non esse in hoc Sacramento circumscriptivè, imo nec definitivè,

Et sanè hoc unicum voluit Divus Thomas articulo illo 5. definire & probare, nil minùs cogitans, quàm de unione formali, aut effectiva. Accipe verba ejus: *Ad primum ergo dicendum, quòd Corpus Christi non est in hoc Sacramento diffinitivè, quia sic non esset alibi, quàm in hoc altari, ubi conficitur hoc Sacramentum: cùm tamen sit & in cælo in propria specie, & in multis aliis altaribus sub specie Sacramenti. Similiter etiam patet, quòd non est in hoc Sacramento circumscriptivè: quia non est ibi secundùm commensurationem propriæ quantitatis ut dictum est. Quod autem non est extra superficiem Sacramenti, nec est in alia parte altaris, non pertinet ad hoc quod sit ibi diffinitivè, vel circumscriptivè, sed ad hoc, quod incepit ibi esse per consecrationem, & conversionem panis & vini.* Ecce clarissima verba & verissima doctrina, cui per omnia consonat Doctor Subtilis.

cui per omnia consonat D. Subtilis.

Sed ubi hic unio præter præsentiam? An fortassis in responsione ad Secundum? Et verò quæ illa? *Ad secundum dicendum, quòd locus ille, in quo est Corpus Christi, non est vacuus, neque tamen propriè est repletus substantiâ Corporis Christi, quæ non est ibi localiter, sicut dictum est. Sed est repletus speciebus Sacramentorum, quæ habent replere locum, vel propter naturam dimensionum, vel saltem miraculosè, sicut & miraculosè substant per modum substantiæ.* Numquid ut Deus faciat miraculum, necesse est ut producat unionem formalem, aut effectivam, vel quocumque alio nomine vocetur? Haud facilè crediderim.

138. *S. Damascenus.* Ubi ergo illa unio? Respondes in verbo Damasceni lib. 4. de Fide orthodoxa cap. 14. *Quia consuetudo est hominibus comedere panem & vinum, coniugavit eis divinitatem, & fecit ea Corpus & Sanguinem suum.* Quod secundùm Divum Thomam 4. dist. 11. qu. 1. a. 1. *Intelligendum est, quantùm ad species, quibus Corpus Christi divinitati unitum modo ineffabili coniungitur.*

Præter præsentiam seu præsentialitatem non requiritur alia unio.

Verùm si *Modo ineffabili*, quid frustra conamur illum effari? Cur fingimus uniones formales & effectivas, quas mens humana nequit concipere, minùs verbis explicare? Qui volet, credat, ego meam fidem fidei hujus commenti numquam obstringam: sed indubitanter affero cum Doctore nostro, ad veritatem Catholicam Sanctissimæ Eucharistiæ abundè nimis sufficere existentiam Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini cum morali inseparabilitate ex decreto Divino.

139. Illa præsentia est supernaturalis, fortè etiam quoad substantiam.

Et hanc voco præsentiam sacramentalem, distinctam ab Ubi propriè dicto, tam definitivo, quàm circumscriptivo, procul dubio supernaturalem, saltem quoad modum, fortè etiam quoad substantiam; superat quippe vires cujuscumque causæ creatæ contentæ intrà ordinem principiorum Universi, sic quòd à nullis causis secundis ordinis naturalis, quantumvis bene applicatis, possit procedere, nisi communicetur ipsis aliquod comprincipium physicum supernaturale, supernaturaliter agens. Breviter; quia numquam sine miraculo poni potest viribus totius naturæ, sed à solo Deo supernaturaliter agente, id est, sine ulla exigentia, vel connaturali dispositione prævia ad illam.

Objectio solvitur.

Nec obstat, quòd præsentia Angeli, quæ est naturalis, sit perfectior; non obstat, inquam: quis enim dubitat, an substantia naturalis sit perfectior accidente supernaturali? Atque hinc itidem fit, ut præsentia naturalis spiritualis, in perfectione possit excedere præsentiam supernaturalem materialem; præsertim cùm supernaturale non ita dicat excellentiam, quàm bene improportionem, seu non exigi à natura. Quin imò sunt qui docent, non repugnare Divinæ potentiæ productionem imperfectionis supernaturalis; v. g. qualitatis supernaturalis in Angelo, contrariæ ejus substantiæ, quâ in pœnam delicti torqueatur.

In quo consistat illa supernaturalitas.

Cæterùm supernaturalitas præsentiæ Corporis Christi in Eucharistia potissimùm in hoc videtur consistere, quòd per eam Corpus Christi quantum & divisibile, indivisibiliter existat, instar alicujus rei spiritualis, totum in tota specie, & totum in singulis partibus speciei cum intima earum penetratione.

140. Non repugnat naturaliter cuicumque alteri. *Scotus.*

Si autem à me quæritur, an hæc præsentia repugnet naturaliter cuicumque alteri? Resp. cum Scoto suprà: *Nullo modo per istam præsentiam determinatur Corpus Christi sic ad unum ubi, quòd sibi naturaliter repugnet aliud.*

Alioquin dicendum erit omnes præsentias sacramentales præter unam esse violentas, & debere fieri novum miraculum, quando divisâ hostiâ Christus integer perseverat sub utraque parte divisionis. Sanè hæc præsentia non definit Corpus Christi alicui spatio determinato, sed per eam potest semper constitui in majori & majori hostia sine termino. Quid autem refert sive ponatur in majori hostia, aut diversis partibus ejusdem hostiæ, sive in diversis totalibus hostiis? Ne omnes præter unam sint violentæ.

Multùm, inquis; quia tunc subjectum esset simpliciter alibi sine hac præsentia, quæ tamen utpote accidens physicè & realiter unitum, petit naturaliter esse ubicumque est subjectum, vel saltem ne ponatur subjectum ubi ipsa poni non potest. Objectio.

141. Et si respondeas: quia si Angelus v. g. positus in duobus locis distantibus cognoscat intuitivè se ibi esse, illa cognitio utpote accidens absolutum erit in utroque loco, & per consequens habebit ubicationes distinctas, quarum neutra exigit, ut subjectum non sit alibi: si, inquam, ita respondeas, differentia statim apparet; quoniâ sunt ubicationes subjecti, quod ex natura sua petit esse in utroque loco: jam autem Corpus Christi non postulat esse in pluribus locis. Respondeo.

Immo verò supposità ordinatione Divinâ omnino petit Corpus Christi esse in omnibus hostiis, super quas proferuntur verba Consecrationis: ergo ex hypothesi illius decreti, ubicatio ejus in hac hostia, nequaquam exigit esse in omni hostia, in qua ipsum Corpus invenitur.

Præsentia sacramentalis non repugnat circumscriptivæ præsentiæ, quam Corpus Christi habet in cælo.

Unde etiam dici posset, præsentiam sacramentalem non repugnare circumscriptivæ præsentiæ, quam Corpus Christi habet in cælo. Profectò cùm sit præsentia supernaturalis, quid mirum si non habeat eandem naturam, & exinde eandem exigentiam, quam habet præsentia naturalis? Sed hæ, & similes quæstiones speculativæ, parùm utiles sunt, & minimè necessariæ ad veritatem fidei, adeoque in illis longiùs examinandis nolumus immorari.

142. Quid dendum de unione formali & effectiva.

Revertor ad unionem formalem, & effectivam, quam varii variè explicant, & ad unam explicationem, quæ omnibus difficultatibus satisfaciat, hactenus non pervenerunt. Ratio in promptu est, quia non intelligunt. Ideo meliùs & hìc audimus, aut dicimus: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Rom. 9. v. 20. quàm dicere audeamus quasi noverimus, quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid impossibile velle non potuit. Dicam tamen, sed quid non sit.

Non esse primam hypostasim,

Atque in primis non est unio hypostatica; tum quia isthæc propter suam excellentiam non est ponenda sine urgenti ratione; tum quia sic non esset unio ad Corpus, sed potiùs ad Verbum, quod habet propriam personalitatem, ad quam terminatur hypostatica unio humanitatis in Christo; adeoque Divinitas ex vi verborum existeret sub speciebus, quod est contra Tridentinum, ut infrà videbimus.

Quin

Quin imò non existeret Corpus, nequidem per concomitantiam, sed sola Divinitas, cùm hæc possit esse præsens speciebus, Corpore, sibi hypostaticè unito, absente, ut patet ex condemnatione Ubiquistarum, qui volebant Corpus Christi esse ubique, quemadmodum Divinitas, cui unitur.

145. Secundò neque est unio formalis inhærentiæ, quæ antea erat inter substantiam panis, & accidentia: cæteroquin, sicut antea denominabant panem album, rotundum, calidum &c. ita quoque nunc denominarent Corpus Christi album, rotundum &c.

Non tango damnationem doctrinæ Joannis Wicleff & articulorum 45. in Concilio Constantiensi, quorum secundus erat: *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.* Certè non manerent sine subjecto, si in Corpore Christi subjectarentur. Sed de hoc infrà.

144. Tertiò difficile apparet, quomodo possit esse unio formalis, vera, realis, ac physica, quocumque nomine appelletur, inter Corpus Christi & accidentia panis, quin sibi mutuò tribuant aliquem effectum formalem: tribuere namque effectum formalem, sive effectus formalis non est aliud, quàm illud totum, quod resultat ex utroque extremo unito. Constat autem neque accidentia tribuere aliquem effectum formalem Corpori, neque Corpus accidentibus.

Accedit, quòd fieret naturalis concomitantia inter Corpus & accidentia, sive species; ita ut ubicumque esset Corpus, etiam species deberent adesse (quo nihil absurdius) sic enim ex naturali connexione Sanguinis, animæ, & Divinitatis cum Corpore colligit Tridentinum sess. 13. cap. 3. illa omnia sub speciebus panis contineri.

Denique illa unio diceret aliquam imperfectionem in Corpore Christi, ratione cujus talem unionem exigeret, quòd liquet esse falsum. Aliàs siquidem & una anima poterit uniri alteri, & unus Angelus alii. Enimverò quòd humanitas uniri potuerit Verbo, erat, quia supponebatur imperfecta, utpote carens propriâ suppositalitate.

Hæc ex Lugone disp. 6. sect. 1. quæ n. 7. in fine ita perstringit: Fatemur, inquit, Corpus Christi ibi esse loco substantiæ panis, & succedere in ejus munere, ablatis tamen imperfectionibus; quarum præcipua esset unio physica, & propria cum illis accidentibus: ex ea enim sequeretur, quòd deberet ea accidentia secùm deferre, & habere in cælo, & in aliis hostiis, & quòd deberet ab illis intrinsecè perfici, quæ omnia vitari debuerunt, alligando Corpus Christi alio nobiliori modo, quàm per physicam, & propriam unionem, per unionem tamen minùs propriam, quàm jam explico.

Veriùs dixisset, quàm jam implico. Audi quid commentetur: postquam à n. 10. usque ad 18. inclusivè reprobasset expositionem Regii dicentis q. 75. art. 2. dub. 2. n. 94. Corpus Christi simili aliquâ ratione uniri speciebus, quâ is, qui vehitur curru, aut navi, iis unitur, vel certè quâ corpus glorioſum uniretur cum alio corpore, cum quo penetrativè simul ita existeret, ut illo alio corpore moto, & ipsum necessariò moveretur: hâc, inquam, doctrinâ (licèt ingeniosè, ut ait, excogitatâ) rejectâ, tamquam in qua multa supponantur vel difficilia, vel minùs vera: tandem n. 19. sic suam exorditur explanationem.

Existimo hanc continentiam Corporis Christi sub speciebus consistere in primis in actione quadam, quâ Corpus Christi, per potentiam obedientialem activam, ut instrumentum elevatum conservat accidentia panis, supplendo concursum & sustentationem panis, non in eodem genere causæ, sed in genere causæ efficientis: per hanc enim causalitatem dicitur Corpus Christi substare illis accidentibus, substare, inquam, hoc est, exercere circa illa munus potissimum substantiæ; quia cùm præcipuum munus substantiæ respectu accidentium sit illa sustentare, meritò dicetur Corpus Christi substare illis accidentibus, quæ loco panis sustentat in genere causæ efficientis. 146. Lugo continentiam Corporis Christi sub speciebus refundit in actionem quamdam effectivam, quâ Corpus Christi loco panis sustentat accidentia in genere causæ efficientis;

Ex quo sequitur, posse designari Corpus Christi per accidentia illis verbis: *Hoc est Corpus meum*; quasi dicas: Corpus Christi est substantia, cujus sunt hæc accidentia, cujus scilicet sunt substantis, & sustentantis loco panis, licèt in alio genere causæ. Hucusque Cardinalis. Cum quanta bone Deus claritate! Putasne intelligis, quæ legis? Et quomodo, inquis, possum, si non aliquis ostenderit mihi. Rectè respondisti. Sed quis ostendet tibi? Ingenuè fateor me ignorare.

Interim consule Eminentissimum, & illicò dicet tibi: Contra hunc dicendi modum est difficultas; quia licèt sustentatio in genere causæ materialis sufficiat, ut subjectum dicatur substare, & contineri sub illis accidentibus, non tamen sustentatio in genere causæ efficientis; quia hæc causalitas non determinat ad præsentiam intimam causæ cum effectu: ergo ex vi illius causalitatis non dicitur esse Corpus Christi sub speciebus. 147. contra quem dicendi modum ponitur difficultas,

Ab hac difficultate ut se expediat, post aliquantum discursum per 5. numeros subsequentes, demùm n. 26. admittit illam causalitatem se solâ non sufficere. Quid ergo ultrà requiritur? Alligatio, ait, ad species, seu insolubilitas intimæ præsentiæ, quæ quidem alligatio non est illa actio, neque oritur ex illa actione, sed ex vi quadam divinitùs data speciebus ad trahendum secùm intimè Corpus Christi quocumque ferantur. quam resolvit addendo illi causalitati alligationem Corporis ad species,

Et ne quis putaret ipsum esse Scotistam, subdit: Nec per hoc convenimus cum sententia Scoti; quia ipse totam hanc continentiam Corporis Christi sub speciebus reducebat ad inse-

parabilitatem ex pacto divino sine aliquo alio; nos autem ponimus duo, scilicet causalitatem Corporis Christi in speciem, per quam exercet munus substantiæ respectu earum, & intimam præsentiam provenientem ex vi ipsarum specierum ad trahendum secum Corpus Christi, quæ sufficiunt ut dicatur Corpus Christi esse substantia horum accidentium. Hæc ille.

provenientem ex vi ipsarum specierum ad trahendum secum Corpus Christi.

148. Sed ubi Ecclesia dicit, Corpus Christi in Eucharistia esse substantiam accidentium, vel species ibi sustentari à substantia Christi? Nusquam certè talis locutio in Conciliis, aut Sanctis Patribus reperitur. Una omnium est vox; Corpus Christi virtute divinâ ponitur loco subjecti, & species sustentantur à Deo. Haud arbitror Concilia, vel Patres unquam somniasse de istis duobus à Cardinale excogitatis.

Et quid erat opus ponere duo, & seipsum implicare inexplicabilibus difficultatibus, ut videre est apud Lugonem suprà, ubi unum à Scoto assertum plusquam satis est, ad mysterium clarè & dilucidè explicandum, ita ut vix ullam patiatur objectionem, quæ mereatur solutionem? Quid enim evidentiùs, quàm in hoc negotio necessariam esse extraordinariam Dei potentiam? Aut quid inconvenientiæ excogitari potest in eo, quòd Deus opus tam arduum & excellens inter cætera mirabilia, seipso immediatè attingat, & non per causam creatam, estò fortè ad illud posset elevari?

Sed hæc magis difficile reddunt hoc mysterium;

quod in sententia Scoti satis faciliter explicatur:

Gratiam profectò habitualem se solo Deus infundit; & tamen quidni per potentiam obedientialem (si detur) posset Deus elevare potentiam naturalem, v. g. voluntatem cum actu supernaturali ad eam physicè producendam? Nec tamen ideo hoc asseritur. Sed quid ad hæc Adversarii?

149. Objiciunt primò; ex sententia Scoti sequitur Corpus Christi non moveri per accidens ad motum specierum, cùm tamen communiter sic loquamur: *Sacerdos elevat Corpus Christi, defert illud ad infirmum* &c.

Respondeo magis propriè dici: *Sacerdos elevat sacram Hostiam, defert Eucharistiam ad infirmum, circumfert Venerabile Sacramentum*; quibus verbis utitur Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 5. & 6. & can. 6. & 7. & secundùm nostra principia nihil omnino aliud significant, quàm Sacerdotem elevare, & circumferre species consecratas, id est, species continentes Corpus & Sanguinem Christi. Ergo per accidens physicè movet Corpus Christi: nullum exstat vestigium hujusmodi consequentiæ, aut consequentis, vel in Conciliis, vel in Sanctis Patribus.

in qua Sacerdos defert Eucharistiam, id est, species consecratas, *Trident.*

& movet Corpus Christi, sed moraliter tantum.

Movet tamen, ast moraliter: quoniam movet species, ad quem motum, independenter à voluntate humana, Christi infallibiliter movetur Corpus ex decreto Dei, qui continuans miraculum suæ institutionis, solus physicè movet Corpus, motis speciebus.

Sicut utique Sacerdos simpliciter dicitur consecrare, seu conficere Corpus Christi, licèt solùm concurrat moraliter: & sicuti explodens bombardam, dicitur projicere globum plumbeum, licèt hic motus proximè fiat ab igne; quia nempe ipse causavit primum motum, ad quem hic secundus sequitur.

Adde si præsentia ista, quæ semper de novo causatur, sit supernaturalis in substantia, veluti totius Corporis in toto spatio, & totius Corporis in qualibet parte, etiam suppositâ unione formali, adhuc non poterit præsentia ista nova causari physicè à movente species, sed à solo Deo.

150. Si Angelus localiter penetraretur cum speciebus, cum voluntate non recedendi ab eis, minimè propterea sic loquemur: *Hoc est Angelus.*

Objiciunt secundò; si Angelus localiter penetraretur cum speciebus, cum voluntate non recedendi ab eis, minimè propterea sic loquemur: *Hoc est Angelus.*

Resp. quàm maximè & propriissimè ita diceretur, si constaret de inseparabilitate. Nonne quando videmus in Energumeno aliquem extraordinarium effectum, communiter affirmamus: *Hoc iterum est Diabolus*, vel quid simile? Immo demonstrato Energumeno verè pronuntiaretur: *Hoc est Dæmon*, si constaret de tali penetratione & inseparabilitate, sicut constat de penetratione, & inseparabilitate Corporis Christi in Eucharistia.

bene diceretur: *Hoc est Angelus.*

Cur putas, visâ statuâ Christi, aut Cæsaris, rectè dicitur: *Hoc est Christus*, aut, *Cæsar*, nisi ob solam inseparabilitatem significationis? Et inseparabilitas undè? Numquid ab extrinseco, ab homine nimirum, qui si vellet ex statua Christi faceret statuam Diaboli, & ex statua Cæsaris, statuam rustici?

Sicut vid. statua Christi, aut Cæsaris: *Hoc est Christus, Cæsar.*

Sic quoque demonstrato vase, quod continet cervisiam, statim omnes proclamant: *Hoc est cervisia.* Cur ergo non multò magis demonstratis speciebus: *Hoc est Corpus*, quod penetrativè ibi continetur, & magis inseparabiliter, licèt ex solo decreto divino, quàm cervisia in vase?

151. Objiciunt tertiò; ergo Corpus Christi non substat illis accidentibus, nec succedit in locum substantiæ; adeoque non est vera conversio.

Resp. non substare physicè, sed moraliter: & hoc sufficit ut fiat vera conversio substantiæ panis in Corpus Christi: ita prorsus, quòd si unum corpus succederet in locum alterius, eo modo, quo Corpus Christi ex voluntate divina succedit in locum panis, non solùm foret propria conversio unius compositi resultantis ex loco & hoc locato, in aliud compositum ex eodem loco & diverso locato; verùm etiam unius corporis locati in aliud.

151. Ut stricta conversio sufficit quod Corpus Christi succedat evidenter moraliter.

Quidni? Quippe nil aliud requiritur ad conversionem substantialem, quàm ut sit aliquid commune, sub quo desinente unâ substantiâ vel simpliciter, vel ut hìc, ex vi illius desitionis, saltem ex decreto extrinseco, altera succedat,

succedat, tametsi physicè, & in omni rigore non subeat officium corporis desinentis respectu termini communis, permanentis utique ex eodem decreto, ac si verè alia substantia adhuc existeret.

Ex quo deducitur primò; bella, quibus orbis plenus erat ante Nativitatem Christi, non esse conversa in Christum; siquidem Christus non est positus sub aliquo communi ex vi desitionis bellorum; neque bella desierunt ex vi Nativitatis Christi; sed major ejus decentia fuit motivum aliquod extrinsecum, cur Deus antecedentia illa bella sustulerit.

Sequitur secundò; quòd unus Angelus non bene diceretur converti in alium, ut ut Deus nollet utrumque simul conservare: probabiliùs quippe requiritur aliquod reale physicum commune, sub quo sibi succedant. Si autem teneatur sufficere commune metaphysicum, v. g. rationem entis, autumo quia foret conversio, nisi quæstionem velis movere de nomine.

Sequitur tertio; repugnantia inter terminum ad quem & à quo, nequaquam debet esse physica & naturalis; sed sufficit repugnantia voluntaria ex decreto Dei, puta si Deus nollet in eodem subjecto conservare simul calorem, & lucem, à parte rei subjectum illud converteretur à lucido in calidum: prout etiam homo dives in abstinentem, si nollet simul esse dives & abstinens, & ut fieret abstinens, divitias abjiceret. Totum pendet à modo loquendi.

Profectò si inter Canonicum, & Monachum est repugnantia physica, quia termini illi morales, eo modo, quo physicè & formaliter constituuntur voluntate Pontificiâ, nequeunt simul esse in eodem supposito: quid obstat quò minùs etiam physicè repugnent termini isti physici, substantia panis, & Corpus Christi, tametsi postremus effectivè & physicè non sustentet accidentia? Equidem moraliter id facit ex divina ordinatione, & in tantùm dici posset terminus moralis. Angulum sanè quærit in circulo, qui propter illam sustentationem quærit extraordinarias actiones specierum in Corpus, & è converso.

Nonne Rex diceretur convertere Coronellum in Præfectum aulæ, si eriperet illi primam dignitatem eo intuitu, quamvis utraque posset simul stare? Nemo ambigit. Et quid quærimus repugnantiam naturalem, ubi est conversio supernaturalis? Sufficiat quoque repugnantia, & connexio supernaturalis, id est, ex voluntate Dei, cujus solius est substantiam panis convertere in Corpus Christi: ita planè, ut plerique Theologi verbis Consecrationis, quæ magis à Sanctis Patribus & Conciliis dicuntur causa Eucharistiæ, quàm species, moralem duntaxat tribuant causalitatem.

Haud dubium cuipiam esse potest, quin in multis aliter sit ratiocinandum de conversione supernaturali, sive Eucharistica, quàm de aliis, ut notavi suprà in principio præcedentis Conclusionis. Absit enim ut Corpus Christi sit forma specierum, vel è contra species forma Corporis Christi. Absit, ut exurgat ex illis terminus adæquatus substantialis, quemadmodum ex materia ligni, & forma ignis exurgit v. g. ignis.

ratiocinandum, quàm de naturalibus.

Quid ergo? Aggregatum quasi per accidens ex Corpore Christi, & accidentibus panis. Cur igitur tam solliciti sumus pro unione reali? Et quare non dicimus cum Doctore Subtili sufficere præsentialitatem, id est, respectum quemdam extrinsecùs advenientem Corpori respectu specierum, & advenientem speciebus respectu Corporis, ex intimâ eorum penetratione?

Ratio quare aliqui requirant unionem realem.

Dices; quia unio Corporis Christi ad species debet esse prior præsentiâ ejusdem locali: nam Corpus Christi succedit in locum panis, qui utique naturâ priùs uniebatur physicè speciebus ante præsentiam ejusdem cum illis in eodem loco.

Corpus Christi succedit in locum panis, sed non cum simili planè modo & prioritate naturæ.

Hæc ratio videtur aliquibus præcipua: attamen facilè respondetur Negando Assumptum. Ad probationem dico, Corpus Christi succedere in locum panis; sed non cum simili planè modo, & prioritate naturæ: satis quippe est quòd succedat in instanti reali; neque enim, ut dictum est suprà, succedit Corpus Christi cum simili officio, quod habuit panis, nempe subjecti (cùm species subjecto careant) aut physicè sustentantis species, cùm ibi sustententur à Deo.

155. Aliqui Scotistæ admittunt duplicem præsentiam Christi in Sacramento.

Omitto aliquos Scotistas, qui considerant duplicem præsentiam Christi in Sacramento, unam ad species, alteram ad locum specierum, & priorem tantummodò appellant sacramentalem, quæ semper manet eadem, etiamsi species cum Corpore mutent locum (sicut manet eadem indistantia animæ & Corporis, quicumque locus acquiratur) idque quia non fundatur in indistantia utriusque ab eodem tertio loco, sed in indistantia utriusque ad invicem.

Porrò veluti indistantia animæ & corporis naturâ prior est, unione animæ & corporis, tamquam aliquod prærequisitum, instar approximationis passi respectu actionis; sic pariter indistantia specierum & Corporis, naturâ prior est præsentiâ sacramentali Corporis ad species: & sicuti nihilominus præsentia localis animæ & corporis ad idem spatium est posterior unione mutuâ, ideoque hæc minimè dependet ab illa, nec propter illam mutatur; ita quoque præsentia Corporis & specierum ad eundem locum est posterior præsentiâ sacramentali Corporis ad species, quæ similiter ab illa non dependet, nec propter illius mutationem mutatur. Hæc autem præsentia potest dici succedere in locum unionis specierum cum pane. Ita Aliqui, & non adeò malè, ac dissentiunt Scoto.

156. Concluditur ad veram conversionem substantiæ panis in Corpus Christi non esse necessariam novam ejusdem productionem.

De cætero, ut tandem aliquando finem imponamus huic controversiæ, magis de voce, quàm de re, perstringo quæ hactenus dicta sunt, & assero iterum, ad veram conversionem substantiæ panis in Corpus Christi, nullatenus necessariam esse novam productionem Corporis Christi, sed omnino sufficere conservationem Corporis Christi sub speciebus, dependenter à desitione substantiæ panis, per productionem novæ præsentiæ simplicis seu præsentialitatis absque aliqua unione reali & physica, formali vel effectiva.

Ratio fundamentalis; quia sic facilè salvatur totum mysterium, & clarè explicantur omnia, quæ fides de eo docet. Quin immo malo cum Doctore Angelico fateri Sacramentum hoc ineffabile, quàm audeam docere quod nescio.

157. Ex dictis non possunt Hæretici assumere ansam impugnandi Catholicos; non magis quàm Pelagiani ex dictis D. Augustini.

Neque hoc est dare ansam Hæreticis negandi possibilitatem mysterii, sed potiùs admirandi summam Dei potentiam, quam fide credimus operari, quod humanus intellectus non potest concipere. An putas, quia Divus Augustinus dedit Pelagianis occasionem negandi gratuitam Dei prædestinationem, quando dixit lib. de Prædest. SS. cap. 8. *Cur autem istum potius, quàm illum discernat*, Inscrutabilia sunt judicia ejus & investigabiles viæ ejus. *Melius enim & hic audimus aut dicimus*: O homo tu quis es, qui respondeas Deo, *quàm dicere audeamus quasi noverimus, quod occultum esse voluit, qui tamen aliquid injustum velle non potuit?*

Rom. 11. v. 33. *Rom. 5. v. 20.*

Et de gratia efficaci, quomodo loquitur idem Sanctus & eximius Ecclesiæ Doctor? Libro de Spiritu & littera cap. 34. *Si ad illam*, inquit, *profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet: cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur: illi autem non ita: duo sola occurrunt interim quæ respondere mihi placeat*: O altitudo Divitiarum! &: Numquid iniquitas apud Deum? *Cui responsio ista displicet, quærat doctiores, sed caveat, ne inveniat præsumptores.*

Rom. 11. v. 33. *Rom. 9. v. 14.*

Et libro 2. contra litteras Petiliani cap. 84. *Quomodo*, ait, *attrahit* Deus Pater ad Filium homines, *si dimittit* eos in libero arbitrio, hoc est, *ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent.*

Corpus Christi existit inseparabiliter & penetrativè sub speciebus.

Dic ergo, & audacter dic: Quomodo Corpus Christi inseparabiliter existit, & penetrativè sub speciebus, si nulla intercedit unio physica & realis? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent. Num inter illos paucos Suarius, Regius, Eminentissimus Lugo, Dicastillo & similes?

158. Argumentum Regii.

Nihilominus pono adhuc unum argumentum (quod in simili valde urget Regius q. 75. art. 4. dub. 3. n. 105. & sequentibus, ut convincat ad omnem replicationem necessariam esse novam corporis replicati productionē) Præsentia Corporis Christi in Eucharistia vel producitur in loco, ubi Christus priùs erat, vel ubi de novo ponitur; neutrum dici potest: ergo &c.

Resp. producitur in loco, ubi de novo ponitur: neque ideo debuit priùs ibi fuisse, sed sufficit quòd per illam ibi ponatur. Producitur autem in Corpore, ut abstrahit ab hoc, vel illo Ubi, sicut contingit in quocumque motu locali; siquidem dum corpus movet se ab uno loco in alium, non producitur novum Ubi in loco, in quo jam est: sic enim haberet simul duas præsentias ad idem spatium, neque etiam corpus supponitur in alio loco ante productionem novæ præsentiæ, sed per illam ponitur in isto loco.

Responsio. Præsentia sacramentalis producitur in loco ubi de novo ponitur Corpus Christi.

Breviter ergo dici potest, aliquo sensu præsentiam sacramentalem produci in Christo existente in cælo, scilicet materialiter, hoc est, in illo Corpore, quod est in cælo, non tamen formaliter seu reduplicativè, hoc est, in illo Corpore, prout est in cælo: immo ut constituatur in Sacramento, non requiritur quòd sit in cælo, ut infrà videbimus, sed sufficit, quòd existat cum indifferentia ad hoc vel illud Ubi.

159. adeoque id Corpus quod est in cælo, non potest in cælo.

Confirmatur: supponamus quòd Deus in Petro habente frigus ad octo producat calorem ad octo: Peto, in Petro frigido, an in calido? Responderi debet produci in Petro antè frigido, sed nunc calido, per calorem, qui in ipso producitur: igitur priùs naturâ non supponitur Petrus calidus, aut frigidus, sed tantùm existens; quod clarissimum est, & ipsis tyronibus in Physica manifestum, atque per omnes scholas decantatum.

Confirmatur.

Respondet Regius suprà n. 107. calor ille non necessariò supponit subjectum suum esse calidum, aut frigidum; sicuti Ubi subjectum suum esse alicubi. Distinguo: alicubi antecedenter ad hanc determinatam præsentiam, Nego: per illam præsentiam concomitanter, Concedo; quemadmodum subjectum antecedenter ad calorem non est calidum, sed concomitanter per illum.

Responsio Regii. Distinguitur.

160. Objectio solvitur.

Contrà; subjectum quantum, & extensum non potest concipi sine loco. Resp. iterum cum distinctione: extensum formaliter & actualiter, Concedo; extensum radicaliter, Nego; sic quippe concipitur ut indifferens ad hanc, vel illam extensionem formalem: extensio namque actualis localis est ipsamet collocatio actualis partium extra se in ordine ad locum, quæ formaliter habetur ab actuali ubicatione.

An possit Corpus concipi tamquam productum sine præsentia loci.

Quocirca estò Corpus Christi non foret in cælo, sed solùm in Sacramento, adhuc illud Corpus intelligeretur cum extensione radicali, id est, cum ordine partium ad totum; & tamen pro posteriori naturæ non acciperet extensionem actualem localem. Cur ergo nequeat concipi Corpus tamquam productum, sine eo, quòd intelligatur certa aliqua & determinata extensio partium ejus in ordine ad locum? Non video implicantiam.

Immo,

Immo, inquis, est manifesta: quia illud Ubi non habet se sicut forma, sed sicut unio formæ; repugnat autem ut calor v. g. Romæ uniatur, antequam ibi sit: ergo similiter ut Corpus suo modo fiat præsens speciebus, debet priùs intelligi ibi esse.

Respondent aliqui; Ubi non esse unionem loci cum locato, sed formam accidentalem realem vel modalem absolutam, fundantem relationem indistantiæ à tali loco.

Respondeo secundò ex dictis hac Conclusione & præcedenti, præsentiam sacramentalem non esse proprium Ubi, neque propriam unionem Corporis cum speciebus, sed respectum aliquem extrinsecum.

Respondeo tertiò, gratis admisso quòd præsentia illa esset unio, uti calor non supponitur necessariò priùs in ligno, antequam illi uniatur, verùm per ipsam inhærentiam inibi ponitur; sic quoque corpus per ipsum Ubi statuitur in loco.

Nec in rigore loquendo subjectum debet supponi actualiter præsens formæ antequam illam recipiat; sed plenè sufficit indistantia radicalis, seu præsentia aptitudinalis, id est, aptitudo ad habendam præsentiam actualem eodem instanti reali, quo formæ unitur. Patet in prima creatione mundi, quando in principio creavit Deus cælum & terram, materiam utique & formam in eodem instanti reali.

Et verò hanc aptitudinalem præsentiam Corporis Christi in cælo existentis respectu Sacramenti, quis sanæ mentis potest negare? Fiet autem actualiter præsens per illam unionem, si ita placeat vocare respectum præsentialitatis extrinsecùs advenientem, quem nos ponimus.

Profectò si semper esset necessaria nova productio, corrueret omnino argumentum Divi Ambrosii lib. 4. de Sacramentis cap. 4. à majori ad minus: *Si tanta vis est in sermone Domini Iesu, ut inciperent esse quæ non erant, quantò magis operatorius est, ut quæ erant, in aliud commutentur?* Corrueret, inquam, quia æquè difficile, & longè inusitatius est priùs existens reproduci eodem, vel diverso tempore, quàm aliquid de novo produci, aut creari.

Quæ cùm ita sint, nihil restat, nisi ut cum Ecclesia Catholica in Concilio Tridentino congregatâ apertè ac simpliciter profiteamur: *In almo Sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum Iesum Christum, verum Deum atque hominem, verè, realiter, ac substantialiter sub specie illarum verum sensibilium contineri.*

Nec enim (prosequitur Concilium sess. 13. cap. 1.) *hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, iuxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus alis in locis sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit, eâ existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustratâ, assequi possumus, & constantissimè credere debemus.*

Ex quibus verbis, ut pergamus in opere incepto, satis apertè convincitur, non Corpus dumtaxat & Sanguinem contineri sub speciebus panis & vini; sed totum & integrum Christum: unde fidei est:

CONCLUSIO VI.

In almo Eucharistiæ Sacramento, & quidem in qualibet specie, est totus Christus secundum Corpus, Sanguinem, animam, & Divinitatem.

163. Probatur Conclus. ex Conc. Constant.

ITa Concilium Constantiense sess. 13. ibi: *Cùm firmissimè credendum sit, & nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus & Sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri.*

Florentino.

Clariùs Concilium Florentinum in decreto Eugenii ibi: *Nam ipsorum verborum virtute substantia panis in Corpus Christi, & substantia vini in Sanguinem convertuntur, ita tamen quòd totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini.*

& Tridentino.

Novissimè Tridentinum suprà, & cap. 3. ibi: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post Consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumq; eius Sanguinem sub panis & vini specie unà cum ipsius anima & Divinitate existere.* Et post pauca concludit: *Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri; totus enim & integer Christus sub panis specie..... totus item sub vini specie..... existit.*

Bellarm.

Errorem porrò contrarium expressissimis verbis damnat can. 1. dicens: *Si quis negaverit in Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri verè, realiter, & substantialiter Corpus & Sanguinem unà cum anima & Divinitate Domini Nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum &c. anathema sit.* Similiter can. 3. *Si quis negaverit in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie..... totum Christum contineri, anathema sit.* Patres pro hac veritate vide apud Bellarminum lib. 4. de Eucharistia cap. 21.

164. Colligitur ex Scriptura Joan. 6.

Colligitur autem ex Scriptura Joannis 6. v. 51. *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* Et infrà v. 59. *Hic est panis, qui de cælo descendit:* ergo in specie panis est totus Christus.

& ad Roman. 6.

Accedat testimonium Apostoli Rom. 6 v. 9. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* Ergo in specie panis non est Corpus Christi sine anima & Sanguine, nam sic mortuum esset: hoc autem (quidquid sit, an Deus per absolutam potentiam facere possit, ut Corpus in cælo vivum, in terra

sit

sit mortuum, de quo in Physica) saltem indecens apparet, quòd de facto fiat in Corpore Christi, qui ampliùs non moritur.

Hâc Scripturâ utitur Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 3. illicò subjungens verbis superiùs recitatis: *Sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie, ex vi verborum; ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamq; sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit non ampliùs moriturus, inter se copulantur.*

Hic Scripturâ utitur Concilium Tridentinum.

165. Sed numquid Corpus, Sanguis, & anima sine Divinitate? *Omnis spiritus*, inquit Joannes Epistolæ primæ cap. 4. v. 3. *qui solvit Iesum, ex Deo non est.* Quæ sententia, ut bene advertit Bellarminus suprà, tametsi primariò condemnet hæresim Ebionis, qui solvebat Jesum, negans esse Deum & hominem; attamen quia generalis & indefinita, etiam damnat omnes illos, qui quoquo modo solvunt hypostaticam unionem Dei, & hominis.

165. Alia probatio ex Scriptura Joan. 1. c. 4. Bellarm.

Et verò quis dubitaret solvi illam unionem, si Corpus, Sanguis & anima, quæ in cælo, ex communi, etiam Acatholicorum, consensu sunt unita Divinitati, in Sacramento absque illa existerent? Unde prosequitur Tridentinum suprà: *Divinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypostaticam unionem.*

Solveretur unio hypostatica si Divinitas non esset in Sacramento. Trident.

De veritate ergo hujus Conclusionis ita generaliter expressâ, non est relictus ambigendi locus. Nihilominus de quibusdam particularibus disputant inter se Doctores Catholici, pro quibus, & unà pro pleniori intelligentia verborum Concilii Tridentini, statuitur Conclusio 7. & 8.

CONCLUSIO VII.

Ex vi verborum sub specie panis ponitur Corpus, sub specie vini, Sanguis; de facto ille solus, quem Christus habet in cælo, in triduo mortis (incertum an valuisset consecratio) fuisset positus etiam ille, qui non erat in Corpore.

166. Illud ponitur ex vi verborum, quod præcisè verba significant: *Nam cùm verba illa efficiant* (inquit Catechismus Romanus parte 2. c. 4. q. 28.) *quidquid significant, id esse in Sacramento ex vi Sacramenti, divinarum rerum Scriptores appellarunt, quod verborum forma exprimitur; ita si contingeret ut aliquid ab aliis rebus omnino seiunctum esset, id solum, quod forma significaret, in Sacramento esse, cætera non item esse, docuerunt.*

166. Quidnam censeatur poni vi verborum. Catech. Rom.

Quid verò præcisè significetur per ly *Corpus*, & per ly *Sanguis*, sectione præcedenti conclusione septima fusiùs explicavimus. Libet ea hic perstringere verbis, quæ reperio in Synopsi Theologica de Sacramentis R. P. Ludovici de Scildere: Corpus, inquit ille, est materia prima cum formis substantialibus partialibus (formam corporeitatis vocat Scotus) quas admittimus, ut habeamus in vivente radices proprietatum heterogenearum, in mortuo etiam formam substantialem à causis creatis productam; tum etiam ne Verbum Divinum in triduo mortis formam totalem cadaveris assumpserit, quam dimiserit postea.

Per ly Corpus significatur materia prima cum forma corporeitatis. De Scildere.

Nec verò aliud per τὸ *Corpus* significare potest: non enim materia prima sola, cùm plus importet corpus organicum, res Sanguini opposita, nam invalida esset forma: *Hoc est materia mea prima.*

Non potest intelligi materia prima sola.

Non etiam intelligi potest materia, ut connotat animam, ne hæc vi verborum isthìc existat; neque ut involvit formam substantialem in communi, quia sic ex vi verborum poneretur totum compositum, adeoque anima rationalis, quæ sola jam inest composito; sic enim vi verborum ponuntur omnes Sanguinis guttæ, licèt omnes tantùm significentur confusè, & genericè sub ratione Sanguinis spectantis ad Christũ; non etiam ut disjunctivè involvit formam cadaveris, vel dispositiones accidentales viventis, cùm pars substantialis compositi accidentia non involvat, ut manifestum est in pane sive tritico cocto, quod eodem modo se ad animam vegetativam habet, ut Corpus ad rationalem, & tamen non involvit accidentia, cùm tota substantia panis annihiletur remanentibus accidentibus.

167. neque ut connotat animam, aut ut involvit formam substantialem in communi; neque ut disjunctivè involvit formam cadaveris vi dispositiones accidentales.

Sanguis, si animatus non sit, præter materiam importat formam substantialem totalem: si animatus, partialem. Involvuntur in illo humores alii, non excrementitii eum heterogeneè integrantes; item spiritus vitales, utpote sanguis purior, & magìs in corde excoctus. Hactenus Synopsis cap. 4. de Eucharistia §. 27.

Ly Cruor quando significatur idem quod ly Corpus.

Neque obstat, quòd aliquando dicatur *Caro* loco Corporis, quia *Caro* interdum significat totam illam partem hominis, quæ distinguitur contra animam; ut in Symbolo Athanasii ibi: *Nam sicut anima rationalis & caro unus est homo* &c. Quin immo Joannis 1. v. 14. *Et Verbum caro factum est*, totam importat humanitatem: multò ergo magìs potest subinde usurpari pro altera parte.

Symbol. Athan. Immo quandoque totam humanitatem Ioan. 1.

168. Et si à me quæritur, an omnes & quænam partes Corporis Christi ponantur ex vi verborum sub specie panis. Resp. citò, omnes illæ, quæ de facto sunt & existunt in Corpore Christi glorioso; non autem quæ aliquando fuerunt, & per activitatem caloris naturalis Christus deperdidit, vel antè, vel etiam post ultimam

168. Omnes illæ partes corporis, quæ de facto sunt in Corpore Christi glorioso,

mam Cœnam. Ratio est obvia; quoniam omnes & solæ illæ partes verè sunt & dicuntur Corpus Christi; adeoque de illis omnibus & solis Sacerdos in persona Christi hodie in veritate affirmat: *Hoc est Corpus meum.*

Unde fieri potuit, & verosimiliter factum est, quòd aliquæ partes fuerint positæ in ultima Cœna, quæ jam amplius non ponuntur, puta quas Christus postea deperdidit; & è converso, jam aliquæ significentur, quæ tunc non significabantur, utpote quas postmodum per conversionem alimenti acquisivit. Equidem verba Consecrationis præcisè significant Corpus, non quod Christus in ultima Cœna habuit; sed quod de facto habet, moraliter certè idem; ut proinde etiam nunc verificentur pro Corpore, quod tunc habebat.

Atque ex his erit apodicticum argumentum pro altera parte Conclusionis: etenim Sanguis, qui mansit in terra, & non fuit post passionem reassumptus ad unitatem suppositi Divini cum humana natura, haud ampliùs est sanguis, minùs Sanguis Christi, qui solus tamen ponitur ex vi verborum, ut patet ex ly *Mei*. Neque ullum inconveniens est jam nunc existere aliquem Sanguinem sub speciebus vini, qui non extitit in ultima Cœna, imò id necessariò asserendum est, si post ultimam Cœnam, per conversionem alimenti in Sanguinem Christi, Sanguis fuerit auctus.

Contrà; dicitur: *Qui pro multis effundetur*, Matt. 26. v. 28. Respondeo, probabilius neque totum Sanguinem in cruce fuisse effusum, utpote qui existit in minutissimis venis, & extrà venas per omnes arterias diffunditur. Adde, aliquem non potuisse effundi, scilicet qui post ultimam Cœnam in carnem fuit conversus.

Quare sufficit ad veritatem formæ, quòd Sanguis ille, qui hodie ponitur, & qui ante passionem ponebatur, fuerit effusus moraliter loquendo, id est, secundùm principales partes, quamvis non omnino omnes, etiam minutissimas: hoc siquidem minimè requiritur, ut simpliciter totus Sanguis dicatur effusus: sic quippe totum corpus Martyris verè affirmatur devorari à bestiis, tametsi ossa aliqua maneant intacta. Ut interim taceam verba essentialia: *Hic est Sanguis meus*, completè & perfectè significare independenter à verbis sequentibus: *Qui pro vobis effundetur*. Vide dicta sect. 3. concl. 2.

Cæterùm cùm verba essentialia sint indefinita, exigit veritas, ut existat totus Sanguis, qui de facto est in Corpore glorioso. Unde etiam Tridentinum suprà universaliter loquitur.

Ex dictis perspicua redditur tertia pars Conclusionis. Enimverò in triduo mortis Christi, Sanguis effusus, & ampliùs non unitus Corpori Christi, adhuc verè erat, & simpliciter dicebatur Sanguis Christi, utpote unitus Divinitati & postea restituendus Corpori; præsertim cùm de sanguine effuso v. g. per venæ sectionem alicujus hominis, quamdiu retinet formam sanguinis, omnes passim enuntient: *Hic est sanguis talis vel talis hominis.*

Objicies: digitus abscissus à Corpore non fuisset positus, licèt etiam sic loqui soleamus: *Hic est digitus talis vel talis hominis.* Objectio.

Resp. fortè fuisset positus, si paulò antè fuisset abscissus, & mansisset unitus Divinitati postea reuniendus Corpori. Nonne si anima v. g. remanens per miraculum in capite abscisso diceret: *Hoc est Corpus meum*, intelligeretur de corpore quod immediatè antè habuit, & per consequens de omnibus partibus ejus, etiam capite mox abscisso? Prima responsio.

Interim aliqui assignant rationem discriminis, quoniam corpus in ratione corporis importat continuationem & unionem partium inter se; sanguis autem nequaquam exigit ex sua significatione hujusmodi continuationem, veluti nec aqua, & similia. Secunda responsio.

An autem in triduo mortis valuisset consecratio? Videtur communiter supponi sententia affirmans: non immeritò tamen ab aliquibus dubitatur; cùm enim principalis consecrans & offerens sit ipse Christus, id est, cùm Sacerdos non in propria persona, sed in persona Christi loquens, hoc conficiat Sacramentum; quomodo consecratio habuisset locum extincto principali Sacerdote, & destructâ quasi personâ Christi? Manfit quidem Christus quoad Divinitatem, mansit quoad animam; verùm eatenus præcisè non erat Sacerdos, sed in quantùm erat homo. 171. An in triduo mortis valuisset consecratio dubitatur.

Quâ igitur ratione alius Sacerdos locutus fuisset in persona Christi, quæ non erat? Quomodo potuisset ipse sacrificare nomine animæ Christi, ubi anima ipsa id non poterat sine Corpore? Neque etiam nomine Deitatis, utpote quæ incapax est actionis sacrificandi, & cujuscumque alterius cultus religiosi: Religio enim intrinsecè & essentialiter respicit superiorem, qualem non agnoscit Deitas, neque personalitas divina; de quo alibi. eò quòd principalis Sacerdos jam erat destructus.

Dedit itaque Christus Apostolis suis potestatem consecrandi, sed tamen consecrandi nomine Christi; adeoque eo solùm tempore, quo Christus homo existeret, sine quo, ut principali agente, non poterant offerre. sine quo alii ministri non possunt sacrificare.

Ad communem sententiam Respondeo cum Lugone disp. 19. n. 88. eam non affirmare simpliciter & absolutè illo triduo potuisse hoc Sacramentum confici, sed solùm conditionaliter loqui, si conficeretur, ponendum fore Corpus sine Sanguine sub speciebus panis, de qua conditionali non est dubium. 172. Lugo.

Equidem fieri potuisset ut aliqua pars specierum in ultima Cœna consecratarum fuisset reservata usque post mortem Christi; tunc autem maneret quæstio præmissa de Sanguine, & altera mox subjungenda in Conclusione octava, quæ ita se habet Sed quid si aliqua pars specierum in ultima Cœna consecratarum fuisset reservata usque post mortem Christi?

CONCLUSIO VIII.

Vi naturalis concomitantiæ existit sub specie panis Sanguis, sub specie vini Corpus, sub utraque anima cum omnibus perfectionibus à loco absolutis: unio quoque hypostatica, & illâ mediante Divinitas, imò tota Trinitas. In triduo mortis sub specie panis fuisset aliquis Sanguis, sub specie vini totum Corpus, sub utraque Divinitas, sub neutra anima.

In Eucharistia aliqua ponuntur per concomitantiam,

173. DOcet Calvinus libro 4 Instit. cap. 16. §. 18. 35. & 47. prout etiam Petrus Martyr libro de Cœna Domini contra Gardinerum objectione 36. nihil in hoc Sacramento esse per concomitantiam. Contrarium si non definivit (quod aliqui vocant in dubium) saltem tam expressis verbis tradidit Tridentinum sess. 13. cap. 3. ut absque ingenti temeritate, magnoque errore non possit negari. Ait enim: *Semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri Corpus, verumq; eius Sanguinem sub panis & vini specie, una cum ipsius anima, & divinitate existere; sed Corpus quidem sub specie panis, & Sanguinem sub vini specie, ex vi verborum: ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, animamq; sub utraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini ..... inter se copulantur. Divinitatem porrò propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypostaticam unionem.*

ut tradidit Tridentinum,

Vi, inquam, *naturalis illius connexionis & concomitantiæ* quasi diceret, ideo enumerata se mutuò concomitantur in Sacramento, quia extrà illud naturaliter inter se connectuntur. Unde Catechismus Romanus suprà: *Si duo aliqua inter se reipsa coniungantur, ubi unum sit, ibi etiam alterum esse necesse est.* Quod an verum sit de omnimoda necessitate, ita ut oppositum implicet, an dumtaxat de necessitate naturali, variant Doctores Catholici: quæstio est philosophica, & ideo duxi à longiori ipsius discussione hîc abstinendum.

& explicat Catechismus Romanus.

174. Equidem ad veritatem Catholicam abundè sufficit naturalis congruentia. Quis autem Sapiens, & non intelligit naturis rerum congruum esse, ut ubicumque est corpus hominis vivi, etiam sit anima, & sanguis, anima utique tamquam forma informans, & constituens cum eo unum aliquod compositum substantiale; sanguis verò veluti aliquid ex natura rei necessarium ad hujusmodi informationem & compositionem?

Naturaliter congruit ut ubicumque est corpus vivum, etiam sit anima & sanguis.

Suppositio itaque primo miraculo, replicatione videlicet ejusdem rei, id est, positione in diversis locis, sive in utroque circumscriptivè (in quo nullam videmus implicantiam, quidquid Thomistæ reclament) sive in uno circumscriptivè, & in alio sacramentaliter vel definitivè, ratio naturalis postulat, ut nisi aliquid aliud obstet, etiam replicentur illa, quæ naturalem cum ea habent connexionem, id est, quæ ex natura sua postulant simul esse.

Quid dicam de Divinitate? Herculè quamquam Personalitas Divina non exigat unionem cum natura humana, neque vice versâ natura humana unionem cum Personalitate Divinâ per se loquendo; ex hypothesi tamen quòd sit unita, & ab illa sustentetur, jam unio hypostatica, & illâ mediante natura humana petit Divinitatem existere secùm ubicumque fuerit, tamquam maximam sui perfectionem supernaturalem, supplens vices personalitatis creatæ, quæ naturam humanam non unitam Divinæ inseparabiliter consequitur.

Quid dicendum de Divinitate.

175. Hæc est veritas ab omnibus Catholicis admissa. Expediamus nunc paucis, quæ sunt controversa. Et primò quidem communi quasi consensu, Doctori nostro adscribitur sententia, asserens corpus replicatum iisdem accidentibus à loco absolutis subjacere, sic quod contrarium implicet.

An implicet corpus replicatum hîc habere albedinem, & ibi non habere.

Quæris quo loco Scotus doceat illam sententiam? Respondet Vasquez disp. 189. c. 4. n. 21. in 4. dist. 10. q. 2. §. *Dico ergo:* vers. *Aliqua argumenta*, & q. 4. §. *Ad argumenta:* vers. *Ad aliud argumentum.* Examinemus verba textûs: *Dico ergo ad quæstionem, quòd est maxima mihi certissima, quòd Deo est possibile omne, quod non includit evidenter contradictionem, & ad quod non sequitur necessario contradictio: hoc est huiusmodi: ergo possibile est Deo, ut patebit solvendo rationes. Dico ergo quod Deo simpliciter est possibile idem corpus simul facere in diversis locis localiter.* Ecce principale intentum Doctoris.

Committitur citatur Scotus pro sententia affirmante.

Et quia hæc assertio non caret difficultate, post probationem ejus subjungit: *Aliqua argumenta sunt facilia & solvuntur eo modo, quo procedunt in generali. Multa alia sunt difficilia secundum imaginationem, quæ procedunt in exemplis adductis de calore & frigore, fame & saturitate, sanitate & ægritudine, morte & vita, & sic de aliis.* Ubi adhuc nihil ad nostrum propositum.

176. Sequitur: *Et pro istis solvendis pono tres propositiones, quarum prima est: Quæcumque sunt priora essentialiter ipso Vbi, uniformiter insunt corpori, quamvis habenti diversa Vbi, nec variabuntur variato ipso Vbi; quæ verò posteriùs, vel simul naturâ, variabuntur secundum variationem ipsius Vbi.* Quæ verba explicari commodè possunt de potentia ordinaria.

Aliquæ bona Sanè explicantur de potentia ordinaria.

Prout

Prout etiam ratio, quam subjungit: *Hoc*, inquit, *patet: Quia prius essentialiter non variatur propter variationem posterioris: sed posterius bene variatur ad varietatem prioris: quæ etiam sunt simul naturâ cum aliquo, variantur cum illo*, supple, secundùm ordinarium cursum naturæ. Quid enim obstat, quin sic possit intelligi?

Quemadmodum & illud, quod legimus de præsenti controversia q. 4. suprà allegatâ n. 10. *De secundo membro distinctionis, scilicet de necessitate secundùm quid, suppositâ scilicet exsistentiâ subjecti consequentis, est hæc Conclusio: quod necesse est isto modo easdem proprietates, & partes inesse Corpori, Christi, sub isto modo essendi*, naturali, *& illo*, sacramentali. *Probatio: quia nullum absolutum desinit esse in aliquo, adveniente sibi præcisè novo respectu extrinseco: proprietates & partes in corpore sunt verè absoluta; sed præsentia ista in Eucharistia est tantùm respectus extrinsecus advenientis: ergo* &c. Quid, inquam, obstat, ne hæc omnia interpretemur de potentia ordinaria, & secundùm ordinarium cursum naturæ?

177. An una eadem præsentia localis sit plurium indivisibilium.

Obstat, dicet aliquis, quod habet nu. 11. *Hic posset planè sic argui: de eodem secundùm idem non sunt simpliciter vera contradictoria, & non oportet addere ad idem, quando illud prædicatum est absolutum: corpus si hìc non habet absoluta, & ibi habet, hoc est idem, & simul & secundùm idem. Duæ primæ conditiones patent. Probatio tertiæ: Quia nihil aliud est hìc, & ibi nisi ibi Vbi, & Vbi; sed nec affirmatio absoluta, nec negatio inest secundùm Vbi, quod patet, quia posito, quòd corpus bene potest localiter moveri hìc, & ibi, non pro tanto, quia ista insunt secundùm Vbi aliud, & aliud; tunc est fallacia consequentis arguendo sic: Non movetur hìc, ergo non movetur; licèt teneat gratia materiæ; & similiter, si idem haberet duas superficies, secundùm unam posset esse album, secundùm aliam nigrum: & non esset contrarietas, nec contradictio, quia non inessent secundùm idem, sed de absoluta affirmatione, & eius negatione si insint eidem, in quo non sit differentia, nisi tantùm respectuum: manifestum est quòd secundùm idem inerunt; quia illi respectus non poterant esse ratio, secundùm quam affirmatio, vel negatio inesset: quia respectus est posterior naturaliter absoluto.* Hactenus Scotus.

178. Quodnam sit discrimen inter præsentiam localem & accidentia à loco absoluta.

Ubi solito intellectûs sui acumine difficultatem penetrans, ostendit evidentissimam differentiam inter præsentiam localem, & accidentia à loco absoluta, quam ignorasse videtur Dicastillo asserens & probans disp. 5. n. 209. corpus existens Matriti posse habere hanc albedinem Matriti, & non habere hanc albedinem Viennæ, quia potest habere hanc præsentiam localem Matriti, & non habere hanc præsentiam Viennæ.

Sed hæc probatio apud me nullius pili est propter maximam differentiam quæ est inter præsentiam & albedinem: nam, ut etiam Dicastillo ibidem nu. 202. cum communi schola fatetur, omnino necessarium est, ut hìc & ibi sit diversa præsentia; & aliunde ex natura rei congruit, ut docet n. 211. ut hìc & ibi sit albedo. Quomodo ergo bene sequitur: In hac propositione non est implicatio contradictionis: *Hoc corpus habet hanc præsentiam Matriti, & non habet hanc præsentiam Viennæ.* Ergo neque in illa: *Hoc corpus existens Matriti habet hanc albedinem Matriti, & non habet hanc albedinem Viennæ.* quam non advertit Dicastillo.

Nam, ut utar verbis Scoti suprà n. 10. *Absolutum naturaliter priùs inest, cui inest, quàm respectus fundatus in illo absoluto, & maximè extrinsecùs, & contingenter adveniens: ergo in illo priori antequam intelligatur corpus habere istum respectum novum in Eucharistia, habebat quantitatem, & qualitatem, & omnia absoluta quæ sunt in eo: aliquin enim sequeretur contradictoria simpliciter esse vera de eodem: nam ista affirmatio & negatio non posset dici inesse secundùm diversa, puta secundùm hoc Vbi, & illud, vel præsentiam hanc, & illam: quia sicut affirmatio ista non est nata inesse secundùm Vbi, ita nec negatio è converso.* Clarissima solutio argumenti Dicastillonis. cujus argumentum clarissimè solvitur ex Scoto,

Idem repetit n. 13. in fine ibi: *Ad aliud, licèt absolutè posset Corpus Christi poni esse sine aliis, puta sine anima, & sine aliis, tamen positâ existentiâ corporis ahbi cum istis proprietatibus, & partibus, non potest hìc esse sine illis, propter contradictionem de affirmatione & negatione absoluti sub duobus respectibus.*

179. quem quidam Scotistæ explicant de contradictione in ordine ad potentiam naturalem?

Sed quid ad hæc quidam Scotistæ (nomine, non re) contradictio, inquiunt, ad potentiam naturalem. Præclara contradictio! Et quis unquam Philosophorum aut Theologorum repugnantiam naturalem appellavit contradictionem? Num illa est una ex subtilitatibus Doctoris Subtilis? An fortè per Deum fieri potest, ut hæ propositiones sint simul veræ: *Hoc est corpus album*, &, *Hoc idem corpus secundùm idem non est album?* Et verò quod inconveniens, si admittamus Doctorem nostrum fuisse in illa opinione? Nullum planè si penitiùs introspiciatur, & ad mentem ipsius intelligatur.

sed mens Scoti elucidatur.

Sed quæ illa mens? Eâdem dist. & quæst. n. 14. sic ait: *Et etiam posset dici, quòd non est necesse positâ existentiâ Corporis Christi hìc & ibi; quòd illa, quæ insunt corpori sub una existentia, insint sibi sub alia, loquendo etiam de formis absolutis; nec tamen sequitur contradictio, scilicet quòd sit quantum, & non quantum; imo est quantum hìc, sed non quantitate, quæ sit hìc, sed quantitate, quæ est in cælo.*

180. Responsio Vasquez.

Respondet Vasquez suprà disp. 189. cap. 4. nu. 22. Prædicta verba non sunt ex sententia Scoti, sed illis solùm ostendit id, quod aliquis posset respondere ad argumentum, ad quod ipse planè responderat in versiculo citato, dicens, fieri non posse, ut unum corpus sit mortuum in uno loco, & vivum in alio: eò quòd sequeretur manifesta contradictio: Nam postquam adduxit verbis citatis id, quod aliquis

respondere poterat & id ratione confirmavit, impugnat apertè prædictum responsum in versiculo; *Contrà ubicumque.*

Rejicitur. Fateor impugnat, idque triplici objectione, sed non expugnat: unde Scholium præfixum n. 14. tandem, inquit, nihil resolvit, sed dubius manet, in quo favere videtur illi opinioni, quæ dicit hominem posse mori in uno Ubi, & vivere in altero. Colligitur; quia non respondet ad rationem in contrarium: *Ad rationem*, inquit, *illam in contrarium de contingenti coniunctione præsentiarum inter se, & eidem tertio composito ex partibus absolutis. Responsionem quære.*

Scotus favere videtur opinioni asserenti hominem posse mori in uno Ubi & vivere in altero,

181. Ratio erat ista: *Quæcumque contingenter coniunguntur inter se, & eidem tertio, potest unum illorum convenire illi tertio, absque hoc, quòd aliud conveniat eidem: sed præsentia substantiæ hìc, & præsentia quantitatis eius contingenter coniunguntur, & inter se & respectu tertii, quod est corpus quantum; ergo potest corpus manere quantum posità unâ præsentiâ sine alia.*

cujus ratio hìc adfertur,

Maior videtur plana; quia non est ratio inseparabilitatis eorum ex parte eorum inter se cùm contingenter coniungantur, nec ex parte tertii, quia contingenter coniunguntur illi tertio. Minor probatur: patet enim quòd præsentia substantiæ corporis, & præsentia quantitatis eius, est alia & alia, & neutra simpliciter includit alteram, quia neutra est de essentia alterius, nec per se causa eius, ergo contingenter coniunguntur inter se.

Probo etiam secundam partem Minoris, scilicet quòd contingenter se habeant ad hoc tertium, quod est corpus esse quantum: quia forma absoluta priùs naturaliter perficit suum perfectibile, quam huiusmodi perfectibile, vel ipsa forma habeat respectum extrinsecùs advenientem; & istud esset evidentiùs, si argueretur de corpore & animâ: nam coniunctio animæ ad corpus requiritur ad existentiam substantiæ compositæ: illa autem substantia composita priùs est naturaliter quocumque respectu extrinsecùs advenientе: ergo substantia composita, vel quanta seu corpus animatum non habet hanc præsentiam, vel illam, & hoc ad aliquid extrinsecum ab istis, nisi contingenter sibi advenientem, & sicut posterius naturaliter. Hucusque subtiliter Doctor Subtilis pro ista opinione.

182. *Ex quo breviter* (inquit n. 15.) *posset sic argui: Quod potest esse sine aliquibus coniunctis, quorum coniunctio est contingens, potest esse sine altero illorum præcisè: corpus animatum, vel substantia quanta potest esse sine duabus illis præsentiis, scilicet præsentia huius partis speciei Eucharistiæ, & præsentia illius partis: & illæ duæ præsentiæ contingenter coniunguntur, quia neutra est per se causa alterius; ergo & substantia quanta, vel corpus animatum potest esse cum una præsentia sine alia; & tunc nihil aliud esset, nisi quòd quantitas informaret suum perfectibile, sed non haberet duplicem præsentiam, sicut habet suum perfectibile: & ita suum perfectibile est quantum utrobique, sed non quantitate præsente utrobique.* Et consimiliter anima informaret corpus, sed non haberet duplicem præsentiam, sicut habet corpus: & ita corpus esset animatum utrobique, sed non animâ præsente utrobique.

ex qua infert Scotus, corpus posse esse utrobiqi quantum, sed non quantitate præsente utrobique.

Idem dici potest de corpore animato & anima.

In quo profectò nullam prorsus reperio contradictionem, supposito quòd sit alia præsentia substantiæ, alia quantitatis, alia corporis, alia animæ, aliarumque formarum accidentalium, ut plurimi docent; & non sine ratione, cùm enim essentiam & existentiam habeant distinctam, quidni etiam ubicationem?

183. Et si contrà objicias cum Scoto suprà: *Ubicumque corpus est quantum, habet ibi illud, quod est formale principium essendi quantum; sed non habet ibi illud, nisi illud sit ibi præsens:* ergo &c. Objectio.

Resp. Negando Minorem, vel potiùs distinguo: nisi illud sit ibi præsens actualiter per respectum superadditum, Nego: aptitudinaliter, id est, nisi sit proximè aptum propter suam indistantiam fundare actualem præsentiam ad eundem locum, Concedo. Solvitur.

Explico clariùs in corpore animato, & quæro, poteritnè ergo per Deum homo replicatus in uno loco mori, & in altero vivere? Nequaquam.

Numquid, replico, poterit hìc destruere præsentiam animæ & unionis, conservatâ solâ præsentiâ corporis? Poterit planè in illa sententia.

An implicet quòd homo replicatus in uno loco moriatur, & in altero vivat?

Si inferas: ergo hìc poterit mori, & alibi vivere. Resp. Negando Consequentiam: mors quippe est destructio unionis animæ ad corpus: per destructionem autem præsentiæ unionis aut animæ ad hunc locum, non interit unio aut anima; quoniam præsentia est ab his distincta. Unde nec propterea unio desinet inexistere materiæ & formæ, neque anima corpori in illo loco; quia anima non inexistit corpori per suam præsentiam, sed per informationem, à qua omnis actualis præsentia, id est, modus ille positivus & realis, potest abesse.

184. Sufficit itaque ut materia & forma ibi sint, & dicantur unita, quòd habeant in se unionem, sive illa sit præsens per realem & actualem præsentiam superadditam, sive per solam indistantiam, ratione cujus proximè nata est illam fundare, id est, ratione cujus non solùm est in corpore, quod est v. g. Romæ, nam hoc etiam convenit præsentiæ locali, sed etiam ut est Romæ; quia apta fundare præsentiam ad locum Romanum, quod repugnat præsentiæ locali, quæ essentialiter dependet ab hoc loco vel spatio v. g. Lovanienſi, quod cùm non sit Romæ, nec præsentia ibi potest esse.

Tollat ergo Deus præsentiam unionis animæ & corporis Petri, quam habet Romæ, & relinquat eam, quam habet Lovanii, quid fiet de tali homine replicato? Resp. idem, quod fieret, si auferret præsentiam superadditam totius hominis, relictâ indistantiâ. Et quid illud? Numquid moreretur homo in illo loco? Minimè;

Potest Deus auferre præsentiam unionis animæ & corporis

nimè; sed desineret ibi esse: mors quippe non est privatio præsentiæ; sed privatio realis unionis inter animam & corpus, non in hoc, vel isto loco, sed ubique, sive est privatio omnis vitæ; si ergo in uno loco corpus vivit, in nullo simpliciter dici poterit mortuum. Et eodem modo argumentari licet de quantitate & aliis formis accidentalibus à loco absolutis, quarum privatio simpliciter dici nequit inesse, nisi subjectum ubique illis careat.

Dices; bene sequitur: corpus habet vitam hìc, est quantum, album &c. hìc: ergo absolutè vivit, est quantum, est album &c. ergo etiam bene sequitur: non habet vitam hìc, non est album, quantum &c. hìc: ergo absolutè non vivit, non est album, quantum &c.

Resp. Negando Consequentiam; quia in Antecedente proceditur à specie ad genus non distributum, quasi diceretur: habet vitam hìc, ergo habet aliquo loco: in Consequente verò virtute proceditur ex parte termini partialis à specie ad genus distributum: nam æquivalet huic; non habet vitam hìc: ergo nullo loco habet vitam.

Contrà: ergo homo replicatus non poterit hìc Deum amare super omnia, & ibi peccare mortaliter; sic enim in hoc loco haberet gratiam justificantem, quâ tamen simpliciter & absolutè privat peccatum mortale.

Resp. Concedendo totum; nisi quòd secundùm Scotum, per Deum simul stant, ut alibi traditur, peccatum mortale & gratia; 4. dist. 16. quæst. 2. num. 5. *Culpa*, inquit, *& gratia non sunt formaliter oppositæ, nec formaliter repugnantia.* Probat: *Quia tunc agens effectivè, vel defectivè potens super esse unus, posset effectivè vel defectivè super non esse alterius, ut patet universaliter in incompossibilibus: Voluntas autem creata potest effectivè vel defectivè super esse culpæ, quia ab ipsa est culpa, ergo ipsa posset effectivè vel defectivè super non esse gratiæ, quod est falsum, quia gratia non destruitur nisi annihiletur: sed creatura non potest aliquid annihilare. Patet ergo prima propositio, quod non est formaliter repugnantia inter culpam & gratiam.*

Idem docet 2. dist. 37. q. 1. n. 9. in fine: *Ad secundum dico, quòd peccatum non potest effectivè corrumpere gratiam, sed tantùm demeritoriè; ita quòd prius voluntas avertit se naturaliter, quàm Deus cesset naturaliter conservare gratiam; necesse est autem omnem privationem esse alicujus positivi formaliter, cum quo impossibile est ipsam stare; non est igitur peccatum formaliter privatio gratiæ, quam non ex incompossibilitate destruit, sed ut dementum.* Quid ergo est peccatum? Privatio rectitudinis debitæ inesse.

Si rursum inferas: ergo saltem implicat hominem replicatum hìc actualiter amare Deum super omnia, & ibi peccare mortaliter, id est, actualiter averti ab ipso, & creaturam præ ipso amare; sic enim simul amaret super omnia, & non amaret, quæ implicant respectu hominis non replicati: ergo etiam respectu ejusdem hominis replicati; quia voluntates istæ sunt accidentia à loco absoluta, saltem possunt esse, puta amor Dei, & odium. per omnia, & ibi peccare mortaliter.

Respondeo iterum, Conc. totum. Et addo, si quando voluntas mala respiceret locum, v. g. voluntas comedendi Romæ, ubi comestio est prohibita per legem particularem, adhuc tamen non posset simul inesse cum actu amoris Dei super omnia, quia hìc saltem non dicit respectum ad locum, & ita oportet Romæ insit voluntati replicatæ; quin etiam voluntas comedendi inerit Lovanii, quia quamvis malitia dependeat à loco, non tamen ipsa entitas. Sed numquid esset mala Lovanii? Non dubito, peccat enim qui existens solùm Lovanii, vellet Romæ comedere in die jejunii carnes, supposito quòd esset replicatus.

Prætereo alia philosophica, quæ minorem habent difficultatem, & dico generaliter cum Scoto 4. dist. 10. q. 2. n. 13. *Sicut passum existens in uno Vbi, reciperet formam à duobus agentibus sibi ibidem approximatis, sic ipsum in duobus locis existens patietur ab iisdem sibi in illis duobus Vbi approximatis, & hoc intelligo de passione, quæ est ad formam absolutam.* Et infrà: *Sicut corpus in uno Vbi existens, se haberet in ratione activi ad diversa sibi approximata in illo Vbi, sic ipsum ut existens in duobus Vbi, se habet ad eadem sibi in illis Vbi approximata.* 288.

Revertor ad priorem locum Doctoris 4. dist. 10. q. 4. n. 14. & 15. (occasione cujus hæc interseruimus) in quo videtur tradere tamquam probabile, substantiam Corporis Christi posse constitui sub specie panis, non quidem sine quantitate; attamen sine præsentia quantitatis. Verba suprà recitata clara sunt: *Et tunc*, inquit, *nihil aliud esset, nisi quòd quantitas informaret suum perfectibile* (si informaret, ergo inesset) *& non haberet duplicem præsentiam, sicut habet suum perfectibile* (scilicet in cælo, & in terra) *& ita hujus perfectibile est quantum utrobique* (utique quantitate inexistente hìc, & ibi) *sed non quantitate præsente utrobique.* Scotus videtur tradere tamquam probabile Corpus Christi posse constitui sub specie panis sine præsentia quantitatis.

Quòd si cum ipso objicias: *Quale est aliquid hìc, tale esset circumscripto per possibile, vel impossibile omni alio esse: sed si circumscriberetur quantitas sub esse naturali, corpus istud non esset quantum: ergo ipsum ut hìc non est quantum.* 289. Objectio ex Scoto.

Ex dictis constat Minorem esse falsam, quia quantitas potest realiter existere & inexistere Eucharistiæ sine alio respectu præsentiæ superaddito, per solam unionem seu inhærentiam ad corpus; veluti Deitas specialiter est in Eucharistia per unionem hypostaticam Corporis ad suppositum divinum sine præsentia superaddita, quæ nequit fundari in Deitate. Et sicut ipsa præsentia Corporis est realiter in Eucharistia ratione suæ inhærentiæ ad subjectum sine alia præsentia superaddita. Solvitur.

Alia objectio ex eodem.

Eadem est solutio alterius objectionis: *Res Eucharistiæ posset ibi veraciter contineri absque hoc, quòd haberet alicubi esse modo naturali . . . . . : sed si nusquam alibi esset, sola res hìc contenta esset substantia; ergo ipsa non est quanta: & qualis tunc esset secundùm formam absolutam, talis est nunc: ergo* &c.

Solvitur. Substantia in Eucharistia potest esse quanta quantitate inexistentes; at non præsente reali præsentiâ superadditâ.

Negatur quippe Minor; sed esset substantia quanta, quantitate sibi inexistente; at non præsente reali præsentiâ superadditâ. Profectò de veritate hujus opinionis, ex hypothesi quòd res existat in loco per respectum superadditum, & quòd singulæ partes compositi, utè & accidentia habeant præsentiam distinctam, nequaquam audeo dubitare.

190. Et sic explicat communem sententiam Dicastillo;

Et si nihil aliud velit communis sententia, ut ex parte significat Dicastillo disp. 5. n. 211. probans illam hâc ratione à priori: Nam licèt ex existentia subjecti in aliquo loco connaturaliter sequatur existentia accidentis in eodem loco, hoc tamen formaliter non fit per solam inhærentiam accidentis in subjecto, aut per solam existentiam subjecti in tali loco: ergo non implicat contradictionem, subjectum habere duplicem præsentiam in duplici loco: accidens autem aliquod illius solùm esse præsens in uno, impeditâ videlicet præsentiâ in secundo loco, etiamsi aliàs concedamus, quòd posito miraculo præsentiæ subjecti in secundo loco, ex subjecti præsentia connaturaliter sequeretur etiam præsentia accidentis.

Si hæc, inquam, est mens Doctorum, qui contrariam tuentur partem, absolutè illis consentio, donec & usque aliquis quæsiverit & invenerit responsionem ad rationem Scoti, suprà ex ipso relatam.

191. quamvis DD videantur plus velle, scilicet Deum de absoluta potentia replicare posse corpus, absque eo, quòd corpori sic replicato, eadem insint accidentia, cujus oppositum est verius, si intelligantur accidentia à loco absoluta.

Verumtamen existimo Doctores illos plus velle, scilicet Deum de absoluta potentia replicare posse corpus, absque eo, quòd corpori sic replicato eadem insint accidentia, vel saltem per realem cum corpore unionem: cujus oppositum meritò tribuitur Doctori Subtili, & ut probabile cum Magistro nostro defendimus, si intelligantur accidentia à loco absoluta, quæ non insunt secundùm hanc, vel illam præsentiam, sed simpliciter & absolutè, ut quantitas, albedo, & similia; adeoque affirmari vel negari debent de subjecto, non secundùm hoc vel illud *Vbi*, sed absolutè & simpliciter sine aliquo addito.

Aliud est de respectivis;

Aliud planè est de accidentibus respectivis, id est, quæ involvunt in suo conceptu essentiali ordinem ad hunc vel istum locum: ut statio, sessio, motio, vulneratio, comestio &c. illa siquidem sicut absolutè non insunt, ita neque absolutè prædicantur, vel negantur, sed sub hac vel illa ratione; v. g. sessio & statio prædicantur de eodem corpore replicato, non sub eadem ratione, sed diversa; sedet enim in quantùm præsens Lovanii; stat autem quà præsens Romæ, quia ibi præsentia ejus est sessio; hìc verò statio. Illud ergo, quod proximè respiciunt ista accidentia, non est substantia rei replicatæ, quæ in utroque loco est eadem, sed ejus præsentia, quæ pro diversitate locorum est diversa, vel specie, vel certè numero.

Accidentia enim à loco absoluta proximè afficiunt substantiam, non sic respectiva.

Porrò accidentia à loco absoluta proximè inhærent & afficiunt ipsam substantiam, quæ cùm utrobique sit specie, & numero eadem, & illa eadem specie & numero esse oportet. Quæ enim necessitas multiplicandi illa accidentia numero, cùm tam bene possint replicari, quàm ipsa substantia?

192. Contra inducta ponitur difficultas.

Una supereſt difficultas; quia de facto dantur aliqua duo extrema absoluta in hoc loco unita, quorum alterum tamen existit in alio loco non unitum: talia extrema sunt Personalitas Verbi Divini hypostaticè unita humanitati in Christo: Fidei quippe est Personalitatem illam, utpote realiter identificatam Divinitati, esse ubique, secùs Christi humanitatem, ut definitum est contra Ubiquistas. Similiter caput meum unitur animæ meæ, & tamen non est præsens omni loco, cui est præsens anima, v. g. pedi.

193. Responsio Lugonis;

Hanc objectionem solvere debent, quotquot docent, accidentia connaturaliter replicari replicato subjecto. Quid ergo respondent? Verbum (inquit Lugo disp. 8. n. 6.) est ubique ut in spatio adæquato, hìc verò ut in spatio inadæquato; quare non oportet ut habeat hìc aliud extremum, cui unitur: unio enim solùm postulat, quòd ubi unum extremum est ut in spatio adæquato, adsit etiam aliud extremum; non verò quòd in omnibus partibus spatii adæquati, ubi est unum extremum, adsit etiam aliud. Sufficit ergo quòd humanitas alicubi Verbo sit unita.

Eadem est ratio animæ rationalis, cujus locus adæquatus non est caput, aut pes, sed integrum corpus; ac proinde licèt unio, quam habet in capite, non sit in pede, & è converso; & consequenter caput non sit præsens pedi, vel pes capiti; tamen omnia simul sunt in uno aliquo loco adæquato, adeò ut si anima poneretur in alio loco adæquato, ibidem etiam ponerentur pes, caput, & cætera membra, eorumque omnium uniones, cum una & eadem anima.

Porrò ratio hujus diversæ exigentiæ est, quòd res (inquit Eminentissimus suprà) ubi adæquatè existit, debet secum habere totam suam supellectilem (ut ita dicam) & omnia sua secum portare; quia taliter ibi existit, ac si nusquam alibi existeret; at verò ubi existit inadæquatè, non debet habere ea omnia; quia præsentia inadæquata connotat rem alibi etiam inadæquatè existere, ubi habeat, quæ hìc illi desunt.

194. contra quam ponitur objectio.

Dices: ergo Sanguis non ponitur per concomitantiam in omnibus partibus hostiæ. Probatur Consequentia; quia in his non est Corpus, ut in locis adæquatis.

Resp.

Resp. Negando Consequentiam, & ejus probationem; quia etiam in singulis partibus hostiæ habet Corpus Christi præsentiam adæquatam, id est, talem, quæ sola posset sufficienter manere ablatis aliis, licèt de facto cum illis continuetur; sicut præsentia Angeli in dimidio hujus scholæ est adæquata, quamvis cum alia continuetur, quæ separata potest manere; & ideo Angelus in quavis parte hujus spatii debet habere omnia absoluta sibi unita. Ita ferè Cardinalis suprà juxta sua principia.

Et si instes: etiam anima est in capite, ut in loco adæquato; quia potest ibi manere abscisso pede. Respondet, non manere in corpore integro, quod, suppositâ unione cum illo, est spatium ejus adæquatum.

Replicas: Angelus etiam quando est in tota aula per unum Ubi indivisibile, non existit in quavis parte spatii, ut in spatio adæquato; nam per illam ubicationem respicit singulas partes spatii, ut spatium inadæquatum, cùm non possit per illud Ubi esse præsens soli dimidio illius spatii, & tamen in singulis partibus illius spatii habet omnia sua accidentia: ergo &c.

Respondet Eminent. nu. 12. Angelum in prædicto casu esse in singulis partibus spatii, ut in spatio sibi sufficienti; quia antecedenter ad ubicationem ipsam nihil habet Angelus, ratione cujus exigat tot partes spatii; sed posset æquè bene esse in dimidia, vel quarta parte, licèt non per illam ubicationem, sed per aliam. At verò anima rationalis, antecedenter ad ubicationem, habet jam talem statum, & modum essendi, propter conjunctionem ad tale corpus, ut exigat præsentiam ad tot partes spatii, & non pauciores; unde in singulis non est, ut in spatio sibi sufficienti, & quod posset solùm retinere, etiam per aliam ubicationem; sed ut in parte spatii adæquati, quod exigit: & ideo non est necesse, quòd in singulis partibus habeat omnia sibi unita; sicut nec Verbum Divinum habet in singulis partibus sui spatii humanitatem sibi physicè unitam. Hæc ille.

Ex quibus patens est, Corpus Christi in singulis partibus hostiæ existere tamquam in loco adæquato, sive dixeris præsentiam habere divisibilem respectu partium spatii, vel specierum, sive indivisibilem; quia si non per eandem, saltem per aliam potest æquè bene esse in dimidia parte hostiæ, quàm in tota; neque antecedenter exigit magis ubicationem in magna hostia, quàm in parva, in parte hostiæ, quàm in integra. Hucusque prima responsio ad objectionem principalem.

Alii faciliùs & brevius dicunt; tunc res unitæ se mutuò naturaliter ubique concomitantur, quando utraque est limitata, vel utraque illimitata; secùs quando una est illimitata, altera verò ad certum spatium limitata, puta Divinitas, & humanitas; anima, & caput. Quapropter nil mirum si Divinitas non sit ubique unita humanitati, nec anima capiti.

quando utraque est limitata, vel utraque illimitata.

Contrarium potrò evenit in corpore & accidentibus, v. g. quantitate, albedine, calore &c. quæ ambo sunt res limitatæ: similiter in corpore, & sanguine; quamvis enim sanguis physicè non uniatur corpori; neque probabiliùs animâ informetur; componunt tamen intrinsecè unam humanitatem, non unitate mathematicâ per continuationem perfectam, sed per unitatem physicam, quæ resultat ex conjunctione utriusque partis sibi invicem subordinatæ in ordine ad eandem animam rationalem; non quidem informantem utramque partem, sed utrâque utentem & indigentem ad suas operationes.

Res limitatæ corpus & quantitas.

Quia ergo utraque pars, caro scilicet & sanguis, quoad locum limitata est, & de se incompleta, postulans naturaliter mutuam conjunctionem, ita quòd una per aliam compleatur; sicut materia per formam, ideo etiam necessariò simul ponuntur in quocumque loco; adeoque sub speciebus panis, & singulis earum partibus.

caro & sanguis.

Quæris duas res illimitatas, & ideo sese infallibiliter ubicumque adhærentes? Accipe animam, & intellectionem ejus; Angelum, & intellectionem Angelicam: & si quando repereris Angelum in hoc loco sine intellectione, quam habet in alio loco, loquere, & credam fieri posse, quod hactenus existimavi impossibile.

Duæ res illimitatæ sunt anima & ejus intellectio; Angelus & intellectio angelica.

Aliqui pro explicatione hujus difficultatis triplicem excogitarunt unionem. Prima est, quæ utrumque extremum ad se invicem formaliter trahit, sic ut ubicumque est unum, per accidens, ratione unionis, etiam sit aliud: & qui talem statueret inter subjectum & formas materiales à loco absolutas, redargui efficaciter non posset.

197. Triplex unio. Prima.

Secunda, quæ formaliter trahat formam ad subjectum, non è contra, sic ut ubicumque per suam ubicationem est subjectum, ibidem per accidens sit forma, non contrà: & talis ponenda est inter corpus & animam rationalem.

Secunda.

Tertia, quæ tantùm formaliter trahat subjectum ad formam, sic ut ubicumque est forma, isthìc sit subjectum, non contrà: & talis asseri posset inter subjectum, & ejus ubicationem; quamquam etiam ex natura ubicationis seipsa ubicatæ oriatur, ut subjectum suum alibi positum comitari non possit.

Tertia.

Unde Verbum Divinum, unione ad humanitatem attractivâ hypostaticè unitum, formaliter tamen non est in loco per ubicationem humanitatis, utpote identificatum immensitati Divinæ, quæ, cùm essentialiter per se ubicata sit, per formam aliam accidentaliter ubicari non potest. Ita Lud. de Scildere in sua Synopsi de Sacramentis cap. 4. §. 28.

Lud. de Scildere.

A quo

198. Probatio illius triplicis unionis tum negativa, tum positiva.

A quo si quæras hujus doctrinæ probationem: Negativa, inquit, est, quòd contradictio in illis ostendi nequeat; positiva desumitur ex eo, quòd possibilis sit potentia physica tam diversimodè efficienter ad se tractiva alterius, & ab eo vicissim trahibilis: cur non etiam simul tractiva formaliter?

Sola negativa non videtur sufficere.

Sed quid opus erat probatione positivâ? Quia, inquis, qui aliquid probat hoc solo argumento, quòd contradictio ostendi non possit, pariformiter admittat, posse & brutum & lapidem videre Deum, ac beatificari; cùm in eo nullam unquam contradictionem apertè ostensurus sit. Quòd enim ad rationem actûs vitaliter procedentis certa requiratur potentia, numquam convincetur contra eum, qui aliquid esse possibile hoc ipso credit, quo impossibilitatem illius non assequitur evidenter. Ita prædictus Auctor in eadem Synopsi cap. 1. §. 8.

Derkennis.

Et sanè quis demonstrativè implicantiam ostendet in eo, quòd sit una natura creata, & tres personæ realiter ipsi identificatæ? Num ideo talis natura adstrui debet possibilis? Certum est, inquit Derkennis in Tract. de Deo uno disp. 4. cap. 2. §. 3. plura implicare contradictionem, quæ nos penitus latet, nec ostendi potest: non enim penetramus naturas rerum, ut quid possint vel non possint per applicationem activorum ad passiva, quæ uniri possint physicè, quæ non possint, perspicere valeamus: ergo ex eo quòd non appareat nobis, vel ostendi non possit contradictio, si aliæ rationes desint, ne probabiliter quidem inferre possumus possibilitatem rei: nam meritò semper possumus suspicari ex eorum numero esse, quorum impossibilitas planè nos lateat.

Multa implicent contradictionem, quæ nos penitus latet.

199. Assignatur regula generalis ad prudenter procedendum in asserenda contradictione,

Ex quo format hic Auctor regulam universalem, ut prudenter procedamus in asserenda contradictione, non oportere exigi demonstrativam & convincentem rationem, quâ probetur involvi esse, & non esse; sed quando illa haberi non potest, sufficere debent pro illa parte rationes probabiles, ubi in oppositum nullæ sunt, vel certè minùs probabiles, paucioresvè.

quæ deducitur ad oppositum.

Optima regula, sub qua tamen aliquis posset sic subsumere; atqui quando non adest demonstrativa & convincens ratio impossibilitatem, semper pro possibilitate est major ratio: ergo &c. Probo subsumptum; quia potentia Dei, & possibilitas rei est in possessione; adeoque ab illa minimè deturbanda, nisi ubi clara ratio suppetit in contrarium. Sicut si mihi liceret agere quælibet, præter ea, de quibus oppositum Deus certò revelasset, licita erunt omnia quousque non potero prudenter negare revelationem.

Minus injuriosum est Deo nimium amplificare, quàm nimis restringere.

Accedit, minus injurium esse Deo nimis ampliare ejus potentiam, quàm nimis restringere aut negare. Plurima quoque possibilia fides docet, quæ certò existimabantur impossibilia: quidni ergo prudenter id suspicer de aliis, quorum impossibilitas non patet? Unde accommodatè ad nostrum propositum Doctor Subtilis 4. dist. 10. q. 2. n. 5. *Quodlibet tenendum est esse Deo possibile, quod nec ex terminis manifestum impossibile, nec ex eo impossibilitas, vel contradictio evidenter concluditur.*

Quidquid ergo sit de positiva probatione istius triplicis unionis, saltem contradictio evidenter non ostenditur, quod secundùm Doctorem nostrum sufficit. Hinc autem habebitur (inquit Scildere suprà) quòd formæ à loco absolutæ subjectum replicatum, cui penetrativè per suam unionem coëxistunt, sequi essentialiter debeant; quod in aliquibus formis, v. g. amore Dei, admitti ab Adversariis solet; ne homo replicatus, si utroque loco amare sit jussus, & uno id faciat, alio negligat, ibi justus, hìc injustus sit. Contrà tamen; ubicatio, cùm ad se subjectum trahat, sic ut vicissim ad illud non trahatur, subjectum suum replicatum comitari non debet. Hæc ille. Imò non potest, ut nos suprà ostendimus.

200. Formæ à loco absolutæ subjectum replicatum essentialiter sequuntur. *Scildere.*

Cùm ergo Divinitas essentialiter sit ubique, humanitas autem ad certum locum determinata; quid mirum, si humana natura non sit ubique unita Personalitati Verbi? Immensitas sanè repugnat creaturæ, & soli creatori propria est. Trahit ergo unio hypostatica Divinitatem ad humanitatem (in qua sola subjectatur) ut ubicumque sit humanitas, etiam sit Divinitas, & non è converso.

Cur humana natura non sit ubique unita Personalitati Verbi.

201. An inde sequatur affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundùm idem?

Neque hinc sequitur affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundùm idem: v. g. *Verbum Divinum est unitum humanitati, & non est unitum*, vel, *humanitas habet unionem Verbi, & non habet*: nam liquidò constat negationem esse falsam, siquidem ubicumque existit humanitas Christi, unitur proculdubio Personalitati Verbi; hæc autem quia essentialiter seipsa ubique est, id est, sine aliquo respectu realiter strictè superaddito, solùm terminans prædictam unionem, quæ essentialiter tamquam res creata respicit determinatum spatium, ideo hìc potest terminare, ubi unio existit, ibi minimè; unde unio illa, prout etiam Divinitas, potiùs dici debet in hac consideratione forma respectiva instar ubicationis, quàm absoluta instar quantitatis, aut alterius formæ accidentalis, vel substantialis, quæ nullum determinatum locum respicit.

Quid dicendum de anima rationali capite, ad unitas.

Ad eundem ferè modum dico de anima rationali, cùm sit tota in toto, & tota in singulis partibus, non prædicatur de ipsa unio & non unio cum capite secundùm idem, sed secundùm diversa æquivalenter, quasi diceres: pars animæ, quæ est in capite, est unita capiti; & pars illa, quæ est in pede, non est unita; prout verissimè enuntiatur de anima irrationali, quæ non est tota in singulis partibus, sed secundùm diversas

diversas sui partes correspondet diversis partibus corporis.

Sed numquid etiam tota aqua replicatur ad replicationem unius partis? Resp. affirmativè, si maneat unita; quamvis enim unio continuativa non faciat partes illas penetrativè coëxistere, sicuti facit unio inhærentiæ, tamen verè unam alteri connectit, ita quòd ab illa connexione sint, & denominentur partes, quæ aliàs essent, & dicerentur tota. Cùm itaque illa concomitantia sit possibilis, & illa unio sit forma à loco absoluta, & utraque pars sit limitata, & in loco suo adæquato, videtur quoque illa concomitantia necessaria, ne de eodem secundùm idem verificetur unio & non unio, totum & non totum.

Atque hìc sit finis hujus controversiæ philosophicæ; reliqua videantur in Physica. Veniamus ad rem Theologicam, & ex dictis inferamus, quænam in Sacramento ponantur per concomitantiam.

Conclusio nostra est communis. Scotus 4. dist. 10. quæst. 4. num. 3. sic inquit: *Sed dubium est de Corpore, ut est in Eucharistia, quæ sunt illa, quæ continet tamquam partes? Dico quòd non continet animam, nec accidentia. Hoc est possibile, accipiendo corpus pro primo perfectibili ipsius animæ, quia non est contradictio corpus illud esse sine anima, & sine accidentibus. Hoc etiam congruum est, quia species istæ repræsentant alimentum: ergo substantiam, & non accidentia. Hoc etiam factum est: quoniam si in triduo Eucharistia consecrata fuisset, fuisset ibi vera res Eucharistiæ, & tamen non fuisset ibi anima.*

Consimiliter loquitur de Sanguine dicens: *Corpus etiam hoc modo* (scilicet accipiendo pro primo perfectibili ipsius animæ) *non continet Sanguinem: quia Sanguis non est animatus, & per consequens nec aliqua pars primi animati. Possibile est etiam ex parte Sacramenti: quia alterius essentialiter potest esse aliud signum: corpus autem sumptum dicto modo differt essentialiter ab anima, & ab aliis, ut Sanguine, & hujusmodi: ergo potest habere aliud signum practicum.*

Et hoc probatur à minori; quia potest habere non idem signum naturale: sunt enim duo conceptus istorum essentialiter distincti, qui conceptus sunt signa rerum naturaliter, Primò Perihermenias: sanguis autem est essentialiter aliud à corpore, ut est primum perfectibile ab anima, ergo eius potest non esse idem signum, quod est sanguinis.

Hoc etiam probatur factum, quia possibile fuit totum Sanguinem fuisse separatum à Corpore Christi in morte: & tamen si tunc Eucharistia fuisset consecrata, fuisset res eadem, quæ & modo: possibile est etiam quod magna pars Sanguinis sit effusa, & tamen tota res eadem mansisset sub specie panis.

Concludit Doctor: *Hoc ergo tenendum est, quòd Corpus Christi, ut est primum signatum speciei panis, & contentum, non includit animam, nec accidentia, nec Sanguinem.* Multò minùs Divinitatem. Et tamen anima, Sanguis, Divinitas secundùm Tridentinum sess. 13. cap. 3. sub specie panis existunt: itaque per concomitantiam; quoniam non est alius modus.

205. Omnia illa ponuntur per concomitantiam in Sacramento, quæ spectant ad Christi integritatem, & tamen non ponuntur ex vi verborum.

Cumque ibidem Concilium statuat, totum & integrum Christum sub specie panis: totum item & integrum sub specie vini existere; certum est omnia illa existere per concomitantiam, quæ ex vi verborum non ponuntur, & tamen spectant ad Christi integritatem, sive habeant veram & propriè dictam unionem inhærentiæ vel continuitatis, sive solùm contiguitatis; ita tamen, quòd ad bene esse Christi connaturaliter requirantur: quamvis fortè aliqua de absoluta Dei potentia possent abesse.

Eadem qualitas inest Corpori & animæ Christi in Eucharistia, quæ inest in existentia naturali. *Innoc.*

Quod non tantùm intelligo de bene esse Christi naturali, sed etiam supernaturali, habitibus scilicet & actibus supernaturalibus; uti etiam de esse substantiali, & accidentali: nulla quippe occurrit ratio unius magis, quàm alterius ex his, quæ possunt replicari. *Tale Corpus,* inquit Innocentius de Officio Missæ parte 3. cap. 10. *dedit Christus Discipulis suis, quale habuit:* quidni etiam talem animam? Ergo eadem qualitas insuit Corpori Christi in Eucharistia, similiter & animæ, quæ insuit eidem in existentia naturali.

206. Prima objectio.

Objicis primò: quia nihil potest esse ubi priùs non fuit, nisi aliquid convertatur in ipsum; sed in Eucharistia nihil convertitur in proprietates Corporis Christi, sed sola substantia panis convertitur in substantiam Corporis: ergo &c. Probatio Majoris; quia quod incipit esse, ubi priùs non fuit, hoc est per aliquam mutationem; sed non est mutatio in eo, quod incipit ibi esse, quia manet, ubi priùs fuit: ergo est in aliquo alio, cui vel in cujus Ubi incipit ipsum esse præsens; hoc non est, nisi per conversionem.

207. Responsio Scoti.

Respondet Doctor noster suprà n. 12. *Qui teneret istam Majorem ..... necesse haberet glossare illam propositionem, de eo quod primò incipit esse alibi, & dicere, quòd proprietates incipiunt esse hìc concomitanter.* Ipse autem non credit Majorem illam esse veram, & contrarium probat multis adductis argumentis, quæstione primâ illius distinctionis.

Potest aliquid esse, ubi priùs non fuit, tametsi nihil convertatur in ipsum;

Unum sufficiat, quod habet n. 7. *Deus potest facere Corpus suum præsens cum pane, manente substantiâ panis, & tunc non erit per aliquam mutationem, quâ sit ad substantiam, ut per se terminum,* id est, per conversionem substantialem; *& tamen per istam acquireretur præsentia eiusdem rationis cum illa, quæ nunc habetur: ergo oportet quòd per mutationem eiusdem rationis; ergo per aliam fieret, quàm per mutationem substantialem.*

ut dilucidè probat Scotus,

Aliud argumentum, quod habetur n. 8. & est quartum in ordine, impugnatur à Regio q. 75. art. 4. dubio 4. n. 150. est autem hujusmodi: *Deus posset convertere panem in Corpus Christi, ut habens esse in Cœlo, quia non est ibi ma-*

208.

ior contradictio, quàm in conversione, quæ nunc ponitur, sed tunc non haberetur Corpus Christi sub speciebus panis ex ipsa conversione: ergo nec nunc.

quem impugnat Regius;

Hoc, inquam, argumentum talibus verbis impugnat Regius: Impossibile omnino est, quod docet Scotus: tum quia nihil tunc esset commune utrique termino, in quod unus alteri succederet: tum etiam, quia illa sententia supponit terminum ad quem non debere aliquo modo substantialiter incipere esse.

Supponit omnino, & meritò cum communiori & probabiliori sententia, ut suprà vidimus. Porrò debere esse aliquid commune utrique termino in conversione totali, præter rationem entis producibilis, unde evidenter probatur?

sed ipsius argumentis satisfacit Auctor,

Inquis; quia alioquin non erit successio & ordo terminorum ad invicem, sed erit pura annihilatio unius, & productio alterius.

Negatur Assumptum: in hoc quippe consistit successio & ordo, quòd terminus à quo desinat ex vi productionis, seu conservationis termini ad quem, & terminus ad quem producatur vel conservetur ex vi desitionis termini à quo, ita quòd nisi panis v. g. existens in terra desineret esse, Corpus Christi non conservaretur in cælo, & nisi Corpus Christi conservaretur in cælo, panis non desineret esse in terra. Qui plus requirit, quæstionem movet de nomine.

209. Et verò ad veritatem illius argumenti satis erat, quòd panis posset converti in Corpus Christi, non, ut Regius apprehendit, panis in terra existens, in Corpus Christi manens in cælo; sed panis in Corpus Christi, prout existit in cælo, id est, secundùm præsentiam, quam habet in cælo, ita ut non foret præsens sub speciebus sacramentaliter, sicuti nunc; sed tantùm circumscriptivè: scopus enim Doctoris erat probare, ex transubstantiatione præcisè, non rectè inferri præsentiam sacramentalem, qualem de facto habet Corpus Christi sub speciebus consecratis.

refutatque ex ipso Scoto.

Hinc Scotus dist. 10. q. 4. n. 12. respondet ad principalem objectionem hisce verbis: *Mihi non est difficultas, quia dictam Maiorem non credo veram ..... nec enim conversio est ratio talis præsentiæ nec propria mutatio ad talem præsentiam; sed sola virtus Divina per mutationem illam, quæ non est conversio*, id est, per productionem præsentialitatis, *facit illud quod est alibi, habere istam præsentiam hic: & hoc potest facere, ita de parte corporis, & proprietatibus, sicut de toto corpore*: & ita de accidentibus quibuscumque à loco absolutis, sicut de substantia.

210. Secunda objectio.

Objicis secundò: Sanguis incipit sacramentaliter esse sub speciebus vini per earum consecrationem; ergo antea non erat sub hostia: siquidem nihil incipit esse simpliciter, postquam jam est simpliciter: ergo nec incipit esse sacramentaliter, postquam jam est sacramentaliter.

Responsio ex Scoto.

Si teneatur, ait Scotus suprà n. 13. *quòd Corpus, quod est primum signatum speciei panis, non continet per se Sanguinem tamquam aliquid eius* (prout videtur accipi à Concilio Tridentino sess. 13. cap. 3.) *tunc facilis est responsio: quia tantummodo est Sanguis concomitanter sub specie panis, & tunc non est ibi bis ex vi Sacramenti: nec tamen frustra est concomitanter sub specie panis, cùm sit sub specie vini ex vi Sacramenti: quia hoc est ad salvandum veritatem rei contentæ, quæ ubicumque ponatur, semper habet eadem absoluta. Nec sequitur, quod incipit esse hic, postquam fuit hic, loquendo de eodem modo essendi: præfuit enim hic concomitanter, & incipit hic esse ex vi consecrationis.*

Non ponitur frustra Sanguis sub speciebus vini, tametsi concomitanter sit sub specie panis.

Sed quid si teneatur, quòd Sanguis est per se pars Corporis, ut Corpus est primum signatum speciei panis? *Tunc oportet dicere, quòd bis est hic Sanguis ex vi Sacramenti; sed adhuc non eodem modo: quia sub specie vini est per se, & primò, quia primum signatum eius; sub specie verò panis est per se, sed non primò, immo aliquid primi signati. Nec tunc est frustra, quia per se est sub specie panis, ut salvetur veritas rei contentæ primò. Nec incipit esse postquam est eodem modo essendi: sed incipit esse primò, postquam non fuit primò, licèt per se habuerit ibi esse.* 211.

Immo tametsi ibi foret ex vi verborum.

Ubi Scotus minimè intendit affirmare, Sanguinem ex vi verborum existere sub specie panis; contrarium quippe docet Tridentinum suprà: sed suppositâ latiori acceptione corporis, *ut omnia illa includit* (utor verbis ejus 4. dist 8. q. 1. n. 4.) *quæ pertinent ad totum corpus organicum, sive sint partes animatæ sive sint alia non formaliter animata, ut humores & spiritus*, ostendit equidem non frustra poni Sanguinem sub speciebus vini.

Tertia objectio. 212.

Addo tertiam objectionem: Tota veritas Eucharistiæ potest salvari, ponendo solam substantiam corporis: ergo &c.

Respondet Scoti.

Respondet Doctor, ut superiùs audivimus: *Licèt absolutè posset Corpus Christi poni esse sine aliis, puta sine anima, & sine aliis, tamen posita existentiâ Corporis alibi cum istis proprietatibus, & partibus*, & accidentibus absolutis, *non potest hic esse sine illis, propter contradictionem de affirmatione, & negatione absoluti sub duobus respectibus.*

Ex qua solutione n. 14. sic infert: *Apparet quid est in Eucharistia primò ut significatum & contentum, & quid est ibi non primò, sed concomitanter: quia illud sine quo primum signatum non haberet esse modo naturali.*

An unio hypostatica sit in Eucharistia primò, an verò per concomitantiam. 213.

Quæro autem ego, cùm in forma non simpliciter ponatur ly *Corpus*, & ly *Sanguis*; sed *Corpus meum & Sanguis meus*, num unio hypostatica sit in Eucharistia primò ut signatum & contentum, an verò non primò, sed concomitanter? Communis sententia docet concomitantiam, quidquid contradicat Aversa q. 4. de hoc Sacramento sect. 1. §. penultimo; ubi sic ait: Admitti tamen potest ex vi illius pronominis, *Meum*, per se poni hypostaticam unionem, quamvis Divinitas non ponatur per se & directè ex vi verborum, sed fa-

Communis sententia docet concomitantiam, contradicente Aversa.

sed solùm per concomitantiam, ratione ipsius unionis. Nam alia utique vox est, quæ directè significat unionem, & quæ directè Divinitatem, ut patet ex his ipsis vocibus. Unde bene fieri potest, unionem poni ex vi verborum, & Divinitatem per concomitantiam, ratione unionis. Et sub ly *Meum* videtur rectè comprehendi ipsa unio, dum Christus loquitur, & Sacerdos nomine Christi.

Faveréque Concilium Ephesinum in Epistola ad Nestor. & refertur cap. 80. de Consec. dist. 2. dicens: *Sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur, participes sancti Corporis & pretiosi Sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti, non ut communem carnem percipientes (quod absit) nec ut viri sanctificati, & Verbo connecti secundum dignitatis unitatem, aut sicut divinam possidentis habitationem, sed vere vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam.*

Consonat etiam Tridentinum: dum enim ait, Divinitatem poni propter ejus cum corpore & anima hypostaticam unionem, potiùs supponit, hanc unionem per se poni. Hucusque Aversa. Sed ex arena texit funem.

Exordior ab ultimo, & interrogo, quæ sit ista consonantia seu consequentia, Divinitas ponitur per concomitantiam propter unionem hypostaticam: ergo unio hypostatica ponitur ex vi verborum. An fortè hæc etiam valeat: Anima ponitur per concomitantiam propter ejus naturalem cum corpore unionem: ergo unio ponitur ex vi verborum? Quòd si uniones illæ existunt ex vi verborum sub specie panis, quidni etiam ipsa anima & Divinitas?

Numquid ly *Meum*, magis directè significat unionem, quàm rem unitam? Non arbitror: etenim, ut ostendimus conclusione 7. præcedentis sectionis, significat relationem partis ad totum, scilicet Christum: quis autem ambigit Christum directè significare personam Verbi; adeoque Divinitatem, quæ in ipsa intrinsecè includitur, imò verò idem cum ipsa secundùm rem est?

Si ergo, vi istius pronominis *Meum*, per se ponitur unio hypostatica, etiam per se ibi existet (quamvis non ponatur, quia non accipit novam præsentiam) personalitas Verbi, ad quam dicit intrinsecum & essentialem ordinem, ac per consequens ipsa Divinitas, quod est contra Concilium Tridentinum. Ecce quam pulchra consonantia.

Nec obstat quòd sit alia vox, quæ directè significat unionem, alia quæ Divinitatem, ut patet ex his ipsis vocibus; quia etiam dari potest una, quæ significat utrumque, talis est ly *Christus*, & an etiam hujusmodi sit ly *Meum*, disputatur. Unde Vasquez disp. 185. num. 14. hanc format objectionem contra communem sententiam: Pronomen *Meum*, aut *Meus*, referre videtur suppositum, ac proinde ex vi significationis ejus erit sub utraque specie suppositum divinum. Certè quòd magis significet unionem, quàm suppositum, non video quâ ratione possit probari.

Hæc, inquis; quia unio importatur in recto, suppositum solùm connotatur in obliquo; idem enim est dicere, *Corpus meum*, atque *Corpus unitum Personalitati divinæ*. Sed quid tum? Nam, si placet, etiam personalitatem exprimam in recto, & dicam: *Corpus meum*, idem est, quod *Corpus & Personalitas divina unita*, sive, *Corpus, Personalitas, & unio*; vel, si mavis, exprime utrumque in obliquo & dicito: *Corpus meum*, idem est, quod *Corpus cum unione ad Personalitatem Divinam.* Alia objectio solvitur.

216. Vasquez. Vasquez suprà n. 15. sic ait: Connotatio est consignificatio, hoc est, unius cum alio significatio, ac proinde id, quod est ex vi connotationis, esset ex vi consignificationis, & significationis: nam significatio connotativi utroque constat, nempe & directâ significatione, & connotatione, ac proinde ad veritatem verborum connotativorum requiritur significatum utrumque, nempe & directum & indirectum: id quod in concretis accidentium planè videmus. Nam si quis dicat: *Hoc est album*, ut verum dicat, ex vi verborum debet esse, & subjectum, & forma albedinis; cùm tamen forma non directè significetur, sed connotetur indirectè.

Vasquez putat ly *meum* referre naturam humanam.

Hinc præfatus Auctor ad objectionem superiùs ex ipso relatam respondet: pronomen *Meum*, aut *Meus* non referre suppositum, sed naturam humanam, cujus dicitur esse Sanguis & Corpus, sive mortuum, sive vivum.

Rejicitur.

Contrà est; quòd illa natura non est Christi, nisi quâ suppositata personalitate Verbi: significatur autem corpus naturæ Christi. Secundò, natura humana minimè abstrahit à corpore mortuo & vivo, sed determinatè importat corpus animatum animâ rationali: ergo saltem anima rationalis existet sub specie panis ex vi verborum, quod similiter opponitur Tridentino.

217. Lugo existimat sufficere ad veritatem pronominis *meum*, quòd absolutè illud corpus terminetur personalitate Verbi, licèt non ibi.

Aliter ergo solvit argumentum Cardinalis Lugo disp. 8. n. 119. dicens, sufficere ad veritatem pronominis *Meum*, quod absolutè illud corpus terminetur personalitate Verbi, licèt non ibi: quippe ly *Meum*, ex communi hominum usu, non sumitur reduplicativè, ita ut significet ibi esse rationem formalem, quâ constituitur in esse *Mei*, sed specificativè, significando, illud corpus esse, quod absolutè est meum. Ex quo fit, ut licèt per possibile, vel impossibile Corpus illud in Eucharistia haberet propriam subsistentiam creatam, & non divinam, posset tamen Verbum de illo dicere, ibi esse Corpus suum; quia ad hoc satis esset, quòd in cælo subsisteret subsistentiâ Verbi.

Confirmatur; quia aliàs etiam unio cum natura humana deberet poni ex vi verborum, cùm ly *Meum* significet Corpus, & partem naturæ loquen-

ne alioquin unio cum natura humana de-

beat poni ex vi verborum.

loquentis; per consequens, ut statim insinuavimus, etiam deberet poni ex vi verborum anima rationalis.

218. Videtur sufficere unio præterita, ut anima Christi posset dicere: *Hoc est Corpus meum.*

Adde; licèt illud Corpus nullibi de facto uniretur vel Verbo, vel naturæ humanæ, sufficeret unio præterita, ut anima Christi posset dicere, illud esse Corpus suum: sicut anima Sancti Petri posset dicere de suo cadavere, illud esse corpus suum; nam juxta communem modum intelligendi ly *Meum* solùm significat illud corpus pertinuisse ad naturam loquentis, quando ultimò corpus habuit.

Probatur primò.

Et ita de facto in triduo mortis Christi, Corpus nusquam gentium pertinebat ad naturam humanam, utpote separatum ab anima: & tamen consecrans verè pronuntiasset: *Hoc est Corpus meum*, scilicet quod aliquando, & ultimò pertinuit ad humanam naturam Christi.

Probatur secundò.

Plùs dico, lacrymæ & similia absolutè dicuntur Christi, etsi numquam fuerint Personalitati divinæ hypostaticè unita. Unde sicut unio hypostatica non poneretur vi verborum (imò nec per concomitantiam) si conversio fieret in lacrymas Christi per hæc verba: *Hæ sunt lacrymæ meæ*; sic neque ponitur, dum fit in Corpus, aut Sanguinem istis verbis: *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus.*

Licet ergo ly *Meum* cõnotet naturam humanam & personalitatem Verbi, ejusque hypostaticam unionem; non tamen directè significat.

Licèt ergo pronomen *Meum*, aut *Meus* connotet naturam humanam, & Personalitatem Verbi, ejusque hypostaticam unionem; non tamen per se & directè significat, imò neque connotat, ut ibi existentia, sed solùm significat: Hoc est Corpus (eadem est ratio Sanguinis) quod ad me, qui loquor, spectat, vel aliquando spectavit.

219.

Concilium Ephesinum non favet Aversæ.

Ecce arena, argumenta dico Aversæ, levi vento dissipata. Nam quod attinet ad favorem Concilij Ephesini, video verissimum esse commune proverbium: *Quandoque bonus dormitat Homerus.* Enimverò verba illius Concilii, quæ allegat, nihil aliud omnino significant, ut legenti, & debitè consideranti, non potest non esse evidens, quàm in Sacramento sumi carnem, haud equidem communem, sed verè vivificatricem, & ipsius Verbi propriam factam. Quis autem Catholicus id unquam negavit? Fatentur omnes. Sed quid hoc ad præsentem contoversiam? Impertinens enim est ad hanc doctrinam Concilii, quòd unio hypostatica ibi sit ex vi verborum, vel magis per concomitantiam, dum reverà in Sacramento reperiatur.

220. Aliud argumentũ pro Aversa.

Nihilominus arguis rursum pro Aversa: quando dico, *Hoc est Corpus organizatum*, debet organizatio ex vi verborum esse præsens: ergo similiter, quando dico: *Hoc est Corpus meum*, ex vi verborum debet esse præsens saltem unio hypostatica, per quam constituitur corpus in ratione *Mei*, id est, in ratione Corporis Christi.

Solvitur.

Resp. Negando Consequentiam; do disparitatem: quia organizatio est forma intrinseca;

Ratio formalis mei est forma extrinseca.

ratio autem formalis *Mei*, extrinseca. Accipe simile. Quando enuntio: *Hoc est subiectum album*, albedo debet esse præsens; si autem affirmo: *Hoc obiectum est amatum*, neutiquam requiritur præsentia amoris. Quare? Quia una forma est intrinseca; altera verò extrinseca.

Quæ non debent esse pro sensu vocis denominata.

Sicut ergo libri, servi, prædia, & similia non habent ibi, ubi sunt & appellantur *Mea*, id, per quod dicuntur *Mea*; ita pariter homines audientes, *Hoc est Corpus meum*, non intelligunt, hìc esse rationem formalem constitutivam in esse *Mei*, sed solùm specificativè hìc esse corpus, quod est *Meum.*

Secùs dicendum de forma unionis. Lugo.

Aliud est de denominatione organizati, quæ sicut significat formam intrinsecam, sic etiam formam præsentem ibi, ubi dicitur corpus esse organizatum; quod non potest melius probari ait Lugo disp. 8. n. 121. quàm ex usu loquendi hominum per ejusmodi voces.

221.

Sed neque hàc ratione quiescunt ingenia hominum curiosorum. Saltem, inquiunt, ly *Sanguis* significat aliquam subsistentiam, non aliter quàm ly *Ignis*, vel *Aqua.*

Ly Sanguis non magis significat aliquid subsistentium, quàm ly Corpus.

Resp. sicut ly *Corpus* non significat aliquam subsistentiam, sive in communi, sive in particulari, sed præcisè partem physicam viventis condistinctam animæ; sic neque ly *Sanguis* significat aliquam subsistentiam, sed præcisè partem physicam viventis, condistinctam animæ & corpori, cum hoc solo discrimine, quòd corpus sit pars physica humanitatis, physicè, intrinsecè, & essentialiter cum anima, à qua informatur, humanitatem constituens; sanguis verò sit quidem pars physica, sed probabiliùs inanimata, nequaquam essentialis.

Sanguis est pars essentialis, sed tamen concomitans.

Qualis ergo? Conservatrix, ut vocant Philosophi, quemadmodum pituita, atra & flava bilis; item lac, semen, spiritus vitales & animales, quia utique conservant vivens nutriendo, & adminiculum præstando operationibus vitalibus.

Nomina partium non significant subsistentiam.

Constat porrò nomina quarumcumque partium non significare subsistentiam, licèt aliquam partialem habeant; quoniam non significant illas partes ut existentes in se, sed in alio. Sic non dicitur, Verbum assumpsisse caput subsistens, sed dicitur assumpsisse, caput, manus &c. Et similiter dicitur, non homo tantùm, sed & humanitas constare ex capite, manibus &c. Quod idem locum habet in Sanguine: dicimus enim Verbum assumpsisse Sanguinem; & humanitatem constare ex carne & Sanguine: ergo per ly *Corpus* & ly *Sanguis*, non significatur præcisè natura cum subsistentia, sed natura sola.

222. Obiectio Solvitur.

Neque obstat effusio Sanguinis in triduo mortis; quia etiam caput abscissum, & anima separata retinent nomen & conceptũ partis. Unde Verbum in triduo non dicebatur anima, sed unitum animæ: similiter nec Sanguis, sed unitũ Sanguini. Ergo per Sanguinem, etiam effusum, non significatur subsistentia, sed natura: licet enim minùs propriè, adhuc tamen concipitur ut pars humanitatis mortuæ.

Sanguis etiam effusus, non significat subsistentiam.

Instas:

Instas: expellitur aliqua subsistentia ex vi verborum; ergo etiam aliqua introducitur. Resp. Negando Consequentiam; quia etiam expellitur forma substantialis, utique perfecta & completa, substantiæ panis, & tamen hujusmodi non introducitur. Pari modo simpliciter definit terminus substantialis à quo, neque ideo tamen simpliciter de novo producitur terminus substantialis ad quem. Ratio est; quia verba practicè significant ibi nihil substantiæ remanere: neutiquam autem significant ibi poni formam, aut subsistentiam, vel de novo simpliciter produci substantiam.

Sit itaque, & maneat resolutio finalis; nec unio hypostatica, nec Divinitas, aut Personalitas Verbi in hoc Sacramento existunt ex vi verborum, sed solùm per concomitantiam. Quæ concomitantia, an etiam locum inveniat in Patre & Spiritu Sancto, restat explicandum.

223. Assertio in Sacramento præsentialis

Herculè non video rationem negandi; major siquidem est identitas inter Divinitatem ab una parte, & Paternitatem, ac Spirationem passivam ex altera, quàm inter humanitatem, & Divinitatem. Si itaque Divinitas adest per concomitantiam propter admirabilem illam ejus cum Corpore & anima hypostaticam unionem; quidni etiam, licèt magis mediatè, adsit tota Trinitas propter realem ejus cum natura divina identitatem?

Affirm. S. Thom.

Audacter affirma cum Doct. Angelico opus. 63. cap. 2. p. 3. *Deus pater* in Eucharistia *totum, quod ipse est, & habet cum Spiritu Sancto, in summo dedit.* Et infrà: *Quocumque tempore, quocumque loco, à quocumque Sacerdote fideli bono vel malo salutare illud sacrificium in forma Ecclesiæ oblatum fuerit, toties Deus Pater cum Filio, & Spiritu Sancto, se totum singulis animabus ad fruendum exhibet.*

D. Bernardus

Exclama cum Divo Bernardo (apud Antonium Reimpingolum Sermone de Corpore Christi) *O Sacramentum Sacramentorum, in quo Pater, Filius, & Spiritus Sanctus datur.*

Vasquez.

Idem habet Lanspergius Tract. de Eucharistia, qui habetur cum Pharetra divini amoris, ibi: *Cumque non habeam* (inducit Christum loquentem ad animam fidelem) *corpus exangue, neque inanimatum, necesse est etiam concomitanter in eodem corpore esse animam, sanguinem, gratias, & virtutes meas: quibus omnibus Verbum cum sit unitum, hoc est Persona una Trinitatis, à qua reliquæ duæ Personæ sunt indivisæ, sequitur totam Trinitatem Sacramento huic inesse, non minus verè quàm in cælo, licèt aliena specie, puta Sacramentali velatam.*

224. Impropria videtur locutio Lugo Patrem, & Spiritum Sanctum dicere corporeum

Cæterùm controvertitur, an ratione hujus concomitantiæ dici possit, quòd manducatur Pater & Spiritus Sanctus à sumente Eucharistiam. Existimat Lugo suprà n. 126. illam esse locutionem impropriam; quia manducari importat motum localem, quo ab ore in stomachum trajicitur cibus, quod non potest propriè convenire Patri vel Spiritui Sancto. Verbo autem convenit propter communicationem idiomatum cum humanitate, quæ verè manducatur. Hæc ille. Quæstio est de nomine, in qua neuter modus loquendi aliquam meretur censuram.

sed quæstio est de nomine, in qua neuter modus loquendi aliquam meretur censuram.

Vasquez disp. 185. n. 18. Cùm, inquit, concedant ibi esse duas personas ratione consecrationis, & non solùm ratione immensitatis, propter naturalem connexionem; cur non dicent, omnes personas manducari, sicut Divinitatem ipsam? Aut explicent peculiarem modum existendi ibi, ratione cujus Divinitas manducari dicatur, non autem duæ illæ personæ.

225. Modum affirmativum tenet Vasquez, quem sequitur Dicastillo.

Vasquez sequitur Dicastillo disp. 5. n. 69. omnes enim hæ personæ, & Divinitas, verè sunt speciali modo in speciebus panis & vini, quæ verè manducantur, & potantur, quamvis aliàs nulla sit communicatio idiomatum inter Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum ex una parte, & inter Corpus, & Sanguinem Christi ex altera.

Sicut etiam ad manducationem specierum panis dicitur manducari Sanguis, & ad potationem specierum vini Corpus etiam dicitur potari, etiamsi nulla sit inter Sanguinem, & Corpus idiomatum communicatio. Neque enim id verificatur ratione communicationis idiomatum; sed ex eo tantùm, quòd eo ipso, quo aliquid sumitur, pariter etiam sumitur, quod est cum ipso peculiari modo connexum & conjunctum. Hucusque Dicastillo.

qui respondet ad rationem Lugonis.

Ad rationem Lugonis in contrarium respondet n. 71. Licèt motus localis illis non ita propriè & perfectè conveniret, sufficere tamen quòd eâdem proprietate, quâ dicuntur speciali modo esse in Eucharistia, eâdem, inquam, proprietate dicantur venisse ab ore per fistulam cibalem ad stomachum.

226. Non potest dici, quòd panis convertatur in Patrem & Spiritum Sanctum;

Placet responsio. Interim tamen noto, quod docet idem Auctor n. 66. videlicet, non posse dici, quòd panis convertatur in Patrem, & Spiritum Sanctum; quia, inquit, id, in quod fit conversio, debet succedere loco panis, id autem non convenit Patri, & Spiritui Sancto, sed solùm Corpori, & Sanguini Christi. Quod si dicatur converti in Filium, ad id sufficit communicatio idiomatum provenientium ex unione hypostatica, quam habet Corpus cum Verbo, non cum Patre & Spiritu Sancto.

Ergo secundùm Dicastillonem, & rei veritatem, est aliqua communicatio idiomatum inter Filium ex una parte, & inter Corpus & Sanguinem Christi ex altera, quæ non est inter Patrem, & Spiritum Sanctum ex una parte, & inter Corpus & Sanguinem Christi ex altera.

sicuti nec possumus Patrem & Spiritum S. dicere corporeum &c.

Num fortè audebimus Patrem, & Spiritum Sanctum dicere corporeum, aut speciosum formâ præ filiis hominum? Absit à nobis hujusmodi locutio: & tamen de Filio pronuntiavit Spiritus Sanctus per os Psalmistæ Psalm. 44. v. 3. *Speciosus formâ præ filiis hominum.* Quia utique Psal. 44.

corpus assumpsit perfectâ pulchritudine donatum.

Quidni ergo etiam solus Filius dicatur verè manducari in Eucharistia; quia ipse solus assumpsit Corpus, quod verè manducatur? Aut, si sufficit specialis modus existendi sub speciebus, ut Pater & Spiritus Sanctus verè dici possint manducari, cur non similiter sufficiat ille modus, ut verè dici possit, quòd panis convertatur in Patrem & Spiritum Sanctum?

227. Explicatur specialis modus, quo Pater & Spiritus Sanctus censentur præsentes in Eucharistia.

Cæterùm si quæritur, quis sit ille specialis modus seu titulus, quo Pater, & Spiritus Sanctus censentur præsentes in Eucharistia? Resp. si per impossibile non essent præsentes ubique, deberent esse præsentes in Eucharistia propter præsentiam humanitatis unitæ Verbo, cujus Verbi essentiæ realiter identificantur.

Hanc porrò identitatem aliqui vocant circuminsessionem, juxta illud Ecclesiæ in Hymno ad Laudes Feriæ 2. *In Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.* Unde dicunt Patrem & Spiritum Sanctum poni in Eucharistia per mutuam circuminsessionem, quod in re idem est, atque per concomitantiam magis mediatam.

228. Objectio solvitur.

Nec dictis obstat, quòd sola Persona Verbi hypostaticè terminet humanitatem; ad hoc quippe sufficit realis distinctio, imò nec illa requiritur, cùm fidei sit, naturam divinam non terminare, quæ tamen à Persona realiter est indistincta: porrò ut aliquid non sit præsens ubi est aliud, quoniam id involvit quamdam localem separationem, non solùm requiritur distinctio; sed etiam ut inter res non sit aliqua naturalis connexio, per quam unum trahatur ad locum alterius: Personæ autem divinæ licèt realiter inter se distinguantur, habent necessariam quamdam connexionem ratione unius essentiæ, cum qua identificantur, ex qua connexione necessarium est omnes tres Personas ubique simul reperiri; non tamen est necessarium, ut natura, quæ ab una Persona hypostaticè terminatur, ab aliis duabus etiam terminetur.

D. Aug. Quod significare videtur, (inquit Dicastillo n. 65.) Divus Augustinus Serm. 3. De Tempore dicens: *Suscepit Filius carnem in proprietate, sed tamen & Pater & Spiritus Sanctus non defuit maiestate.* Et infrà: *Cùm ergo una sit Deitas, una sit Divinitas, implevit quidem carnem Christi & Pater & Spiritus Sanctus, sed maiestate, non susceptione.*

229. Explicatur D. Aug.

Ut ut sit de mente Divi Augustini, qui fortè numquam cogitavit de isto speciali modo, quo Pater & Spiritus Sanctus existunt in Sacramento Eucharistiæ, & commodè intelligi potest de immensitate divina, ut colligitur ex verbis sequentibus: *Sicut cœlum & terram implet Pater, implet & Spiritus Sanctus.* Quomodo implent? Utique suâ immensitate, quâ etiam absque dubio impleverunt carnem Christi.

Quidquid ergo sit de mente Divi Augustini, suppositâ veritate illius specialis modi, quæro rursùm, cur dici nequeat, quòd panis convertatu in Patrem & Spiritum Sanctum, saltem per concomitantiam, sicuti dicitur converti in Filium, & sicuti dicitur converti in Sanguinem & animam Christi; neque enim id necessariò verificatur ratione communicationis idiomatum, sed ex eo tantùm, quòd hoc ipso, quo aliquid convertitur in alterum, etiam pariter convertatur in omne illud, quod cum ipso peculiari modo est connexum, utpote simul succedens saltem mediatè sub eodem communi ex vi desitionis termini à quo, ita quòd specialiter ibi existat virtute conversionis, id est, tametsi alibi non existeret, hìc tamen necessariò adesset. Cur nequeat dici, quòd panis convertatur in Patrem &c.

230. Si dixeris: illud, in quod fit conversio, debet succedere loco panis in ordine ad sustentanda accidentia: Pater autem & Spiritus Sanctus non succedunt in hoc munere, sed solus Filius, qui per suum Corpus sustentat accidentia panis.

Objectio. Contrà: Si Filius succedit in hoc munere, ergo pariter divina natura, utpote realiter Filio identificata: ergo similiter Pater & Spiritus Sanctus, qui realiter identificantur naturæ divinæ.

Solvitur. Assignas disparitatem; quòd Verbum est suppositum, in quo est Corpus Christi: denominationes autem corporis tribuuntur toti supposito, sicut dicimus hominem album, licèt albedo sit in sola materia; & Pater & Spiritus Sanctus sunt alia suppositа, quibus nullo modo communicantur denominationes humanitatis.

Alia objectio solvitur. Sed contrà; etiam manducatio est denominatio corporis. Resp. sed planè extrinseca; desumpta utique à præsentia locali, sive motu, aut transitu ab ore ad stomachum per totum spatium intermedium: jam autem eodem modo, quo fatemur Patrem & Spiritum Sanctum præsentes in Eucharistia, scilicet alio titulo quàm immensitatis, fateri quoque debemus, quòd Pater & Spiritus Sanctus successivè, & ad modum specierum & Corporis sub ipsis contenti incipiant esse illo titulo, & quasi transire per totum spatium ab ore ad stomachum. Atque hæc satis de modo loquendi, ubi constat de re.

231. Explicatur ultima pars Concil.

Venio ad ultimam partem Conclusionis, videlicet: *In triduo mortis sub specie panis fuisset aliquis Sanguis, sub specie vini totum Corpus, sub utraque Divinitas, sub neutra anima.* Quæ omnia ex dictis sunt manifesta: eo supposito, quòd totus Sanguis in Passione non fuerit effusus, ut multis apparet verosimiliùs; imò vix videtur possibile ex toto, & tanto corpore humano, ita totum sanguinem effundi, ut nec in jecore, nec in vasculis venarum, etiam capillarium, aliquid sanguinis adhæserit. Verosimilius in Passione non fuit effusus totus Sanguis.

Enimverò Sacerdos sugat iterum, ac sæpius ad labrum calicis, vix, imò ne vix quidem poterit

poterit ita totum calicem exhaurire, ut nihil in concava ejus superficie hæreat, & tamen ibi non sunt anfractus & ambages obliquique meatus, qui sunt in Corpore Christi instar labyrinthi.

Hoc itaque supposito, in primis certum est, quòd in triduo mortis Christi sub specie panis fuisset aliquis Sanguis, ille scilicet, qui remanserat in Corpore; sicut fuisset totus Sanguis, si moriens Christus non fudisset Sanguinem. Secundò sub specie vini extitisset totum Corpus, vi utique naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ copulabatur illi parti Sanguinis, quæ remanserat, & quæ ex vi verborum cum Sanguine effuso existere debebat sub specie vini. Tertiò sub neutra specie extitisset anima, utpote neque Corpori, neque Sanguini unita. Denique sub utraque specie fuisset Divinitas, quoniam hypostaticè unita tam Corpori, quàm Sanguini; si, quod verius existimamus, Sanguis immediatè fuerit assumptus: sin minùs (quod sine errore potest sustineri) adhuc tamen Divinitas fuisset sub specie vini, propter scilicet unionem ejus cum Corpore.

Cæterùm gratis admisso; Primò, quòd totus Sanguis fuerit effusus vel naturaliter, vel per miraculum; Secundò, quòd Sanguis non fuerit immediatè assumptus, constat omnino nullum Sanguinem sub specie panis fuisse ponendum: similiter neque Corpus, neque Divinitatem sub specie vini; adeoque Sanguinem Christi non debuisse adorari latriâ.

Dices; Tridentinum definit sess. 13. cap. 5. Eucharistiæ deberi cultum latriæ. Resp. ob Divinitatem, quæ adest de facto, etiam sub speciebus vini; non propter unionem cum Sanguine; sed (ut ait ipsum Tridentinum cap. 3.) *propter admirabilem eius cum corpore & anima hypostaticam unionem.* Loquitur autem Concilium de Corpore, de quo priùs fuerat locutum, id est, de Corpore quod ex vi verborum ponitur sub specie panis, adeoque de Corpore, quod est aliud essentialiter à Sanguine.

Loquitur ergo Tridentinum cap. 5. de Eucharistia secundùm modernum statum. Quæris quis sit ille status? Resp. verbis ejusdem Concilii sess. 13. cap. 3. *Verissimum est, tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius parte, totus item sub vini specie & sub eius partibus existit.*

Et can. 3. ejusdem sess. *Si quis negaverit in Venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unamquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus, separatione factâ, totum Christum contineri; anathema sit.* Itaque erit

CONCLUSIO IX.

Totus & integer Christus existit sub quavis speciei parte, fortè etiam sub indivisibilibus (si dentur) tam antè, quàm post divisionem.

234. Totus & integer Christus est sub quavis speciei parte post divisionem. *Trident. Florent.* Probatur ex facto Christi, *Luc.* 22.

TOtum & integrum Christum existere sub quavis speciei parte post divisionem, expressè definitur à Concilio Tridentino sess. 13. can. 3. jam allegato. Idemque priùs docuerat Eugenius IV. in Concilio Florentino ibi: *Sub qualibet quoque parte hostiæ consecratæ, & vini consecrati, separatione factâ, totus est Christus.*

Et abundè probatur ex facto Christi, qui calicem consecratum Lucæ 22. v. 17. dedit Discipulis dicens: *Accipite & dividite inter vos.* Quis autem audeat cogitare singulos accipientes partem calicis non sumpsisse totum Christum?

235. & Sanctis Patribus, D. Hieronymo,

Nec desunt Sancti Patres, qui eandem veritatem expressè doceant. Divus Hieronymus in Sermone Dominicæ quintæ post Epiphaniam, & refertur de Consecratione dist. 2. cap. 77. sic inquit: *Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est: nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet in singulis.* Habetur in Missali Ambrosiano, in præfatione illius Dominicæ, quæ, ut ait Guitmundus, per totum orbem latinum decantatur.

Intellige, suo tempore; nam in Ecclesia Romana indubiè ampliùs non decantatur. Porrò quid refert sive à principio plures distinctæ portiones consecrentur, sive ex magna hostia post Consecrationem dividantur?

S. Augustino,

Adstipulatur Divus Augustinus Serm. de Verb. Domini (ut refert Gratianus eâdem distinctione cap. 75) inquiens: *Manducetur Christus: vivit manducatus, quia surrexit occisus, nec quando manducamus, partes de illo facimus. Et quidem in Sacramento sic sit. Et norunt fideles, quemadmodum manducent carnem Christi. Vnusquisque accipit partem suam: unde & ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, & manet integer totus.*

& D. Hilario.

Accedat testimonium Divi Hilarii, quod ponitur citatâ distinctione cap. 78. *Vbi pars,* inquit, *est corporis, est & totum.* Probat à simili dicens: *Eadem ratio est in Corpore Domini, quæ in Manna, quod in eius figura præcesit, de quo dicitur:* Qui plùs collegerat, non habuit ampliùs, neque qui minùs paraverat, invenit minùs. *Non est omnino quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus Sacramenti spiritualis.*

Divisâ hostiâ Christus non dividitur.

Unde sequitur, divisâ hostiâ Christum non dividi, & tantùm accipere communicantem sub

sub minima particula, quantùm communicantem sub maxima. Hinc illæ voces Ecclesiæ: *Fracto demùm Sacramento, ne vacilles, sed memento, tantùm esse sub fragmento, quantùm toto tegitur. Nulla rei sit scissura, signi tantùm fit fractura, quâ nec status nec statura signati minuitur.*

236. Quòd ante divisionem totus Christus existat sub quavis speciei parte, aliquibus non apparet satis expressè revelatum. *Trident.*

Altera pars Conclusionis, scilicet ante divisionem totum Christum existere sub quavis speciei parte, aliquibus apparet non satis expressè revelata, ut oppositum censeatur error in Fide; quamvis enim Tridentinum suprà cap. 3. nullam faciat distinctionem inter partes ante & post separationem; sed simpliciter dicat: *Totus & integer Christus sub panis specie, & sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit:* attamen can. 3. qui correspondet illi capiti, & magis propriè dicitur definitio Fidei, expressè distinguit, ut patet ex verbis suprà memoratis.

Dicastillo. Interim responderi posset cum Dicastillone disp. 5. n. 72. Quoniam hoc de partibus continuis negari non poterat; postea can. 3. illud definit de partibus separatis.

Est equidem communeTheologorum assertum,

Et verò quidquid sit de possibili, id est, an Sacramentum ita potuerit institui, ut totus Christus esset sub singulis partibus post separationem & non antè; aliter fuisse institutum est certa & communis Theologorum sententia contra Albertum, ut aliqui volunt, quem tamen alii excusant.

237. & probatur primò, quia sola separatio, quæ fit virtute naturali, non constituit Christum ubi antè non erat absque nova Consecratione, neque per solam mixtionem partium desinit esse ubi antea erat.

Probatur primò; quia sola separatio, quæ fit virtute naturali, non constituit Christum ubi antè non erat absque nova Consecratione. Item è converso, consecrentur seorsim duo calices, & postea simul misceantur, num ideo desinet totus Christus esse sub illis partibus, sub quibus ante mixtionem erat? Nonne de dimidia parte totius mixti dictum fuerat esse totum Sanguinem Christi? Quomodo ergo non deficiet veritas verborum Consecrationis? Si verò non desinit totus Christus esse sub illis partibus, quid obstat, quò minùs posset etiam sub illis partibus esse, licèt unicâ Consecratione fuissent consecratæ?

Responsio. Dices; quia veritas unius Consecrationis solùm petit, quòd in tota illa specie sit totus Sanguis, non autem quòd in singulis partibus sit totus.

Rejicitur. Sed contrà: ergo etiam post separationem illarum partium non debet per Consecrationem poni totus Sanguis sub singulis, quia nec hoc exigit veritas verborum.

238. Probatur secundò, quia Corpus Christi est in hoc Sacramento modo indivisibili,

Probatur secundò hæc doctrina; quia Corpus Christi est in hoc Sacramento modo indivisibili, & non quantitativo; hic autem modus includit & essentialiter exigit, ut totum sit in toto, & totum in singulis partibus, uti patet in anima rationali respectu corporis, Angelo respectu præsentiæ illius extensæ.

Cæteroquin cùm Corpus Christi notabiliter excedat quantitatem hostiæ, si retineret ibi modum existendi quantitativum, id est, figuram corpori humano proportionatam, necessariò ejus partes (quæ alioquin extra hostiam extarent) per compressionem, sive penetrationem ad tantillum spatium modo satis absono redigerentur, quibuslam tantùm partibus sine mutua penetratione permanentibus. ut ostendatur ex absurdis, quæ alioquin sequerentur. Primum.

Præterea fiat hostia major homine, vel dabuntur aliquæ partes, in quibus Christus nequidem secundùm partem sit, vel Christus debebit nimiùm dilatari, ut repleat totum illud spatium per unicam præsentiam non replicatam. Secundum.

Accedit, quòd sic caput aliquando erit deorsùm, & pedes sursùm: cumque corpus humanum non sit rotundum, fieri nequit ut repleat spatium rotundum magnum, nullâ prorsus vacuitate relictâ, nisi aliquæ partes corporis ponantur in pluribus partibus illius spatii; vel nisi intelligamus ossa & partes duriores liquefieri, ut ad modum ceræ vel massæ possint recipere illam positionem rotundam hostiæ, quod indicens valde est. Tertium.

Non repugnat quòd quantum exsistat modo non quantitativo.

Et quamvis repugnet spiritui, existere modo quantitativo & divisibili (cùm hic modus involvat essentialiter partes distinctas, quibus spiritus caret) sic ut totum locatum toti loco, & partes locati partibus loci correspondeant; haud tamen repugnat corpori existere modo indivisibili, etsi enim ille modus existendi partes non includat, tamen etiam eas non excludit, dummodò totum locatum sit in toto loco, & totum in singulis partibus; quod fiet, si corpus positum divinitùs in puncto replicetur per spatium extensum: atque ita contingit cum Corpore Christi in Eucharistia.

Sed cùm hæc satis constent: dubitatur tamen ab aliquibus, an intelligi debeant de quacumque parte quantumvis minima; cùm enim illæ sint infinitæ in sententia, quæ componit continuum ex partibus sine fine divisibilibus, etiam præsentiæ Corporis Christi erunt infinitæ, quod videtur inconveniens. 239.

Existit totus Christus sub omnibus illis particulis, sub quibus fuit substantia panis.

Verumenimverò quandoquidem Concilia & Patres generaliter loquantur, sine urgenti ratione non est fatienda exceptio, sed simpliciter tenendum, existere totum Christum sub omnibus illis particulis, sub quibus alioquin existeret substantia panis.

Ad argumentum in contrarium, dicunt aliqui Christum totum esse in singulis partibus, quantumvis minimis, & in singulis earum partibus, cæterùm non habere infinitas præsentias; quia in singulis partibus adeò exiguis, ut humanâ industriâ non sint divisibiles, non habet Christus plures præsentias, sed unam indivisibilem, quâ est totus in illa particula, & totus etiam in singulis partibus. Ad argumentum contrarium respondetur primo

Quòd si fortè, quando dividitur hostia, contingat dividi aliquam ex his particulis minimis simul

simul cum aliis, Respondent vel Deum ab initio illas præsentias disponere in iis particulis, quas novit non dividendas, vel præsentiam illam amitti, & extendi præsentiam partium proximarum.

240. Alii respondent, & melius, nullum inconveniens novum apparere in partibus illius præsentiæ, quod non sit in partibus specierum, & in partibus cujuslibet continui; quare sicut partes specierum communiter dicuntur infinitæ solùm syncategorematicè, sic etiam de partibus illius præsentiæ dicendum esse, cùm omnino commensurentur partibus spatii.

Nam quemadmodum in ipsis speciebus panis & vini sunt plures partes componentes unam quantitatem integram & totalem; sic illa præsentia Corporis & Sanguinis Christi habet plures partes pro divisibilitate spatii, quarum singulæ sunt præsentiæ partiales, & omnes componunt unam præsentiam integram totalem ad totum illud spatium.

Christus est præsens semel totaliter, & pluries partialiter. Unde in aliquo sensu Christus est semel in illo spatio, non ita ut non sit totus in singulis partibus spatii, sed ita ut non sit in illis per plures præsentias totales, sed per plures partiales; atque ideo est semel totaliter, & pluries partialiter, non partialitate corporis, sed partialitate præsentiæ: sicut Angelus, vel anima est pluries partialiter in suo spatio, hoc est, per plures partes præsentiæ, quarum singulæ faciunt præsentem totum Angelum, vel animam parti spatii, sed omnes componunt unam præsentiam totalem, sicut plures partes aquæ unam aquam: quod quidem in præsentia Corporis Christi faciliùs intelligitur, cùm sit materialis, & possit habere absque difficultate eandem divisibilitatem, quam habent res materiales. Ita Lugo disp. 8. n. 48.

241. Cæterùm licèt omnes illæ præsentiæ possent dici integræ, quatenus una sola posset existere sine alia, velut una pars aquæ sine alia; de facto tamen unaquæque est partialis propter connexionem cum alia, exemplo ejusdem aquæ, quæ esset aqua integra, si existeret se solâ; attamen unita alteri solùm est pars majoris aquæ.

Ac per consequens, insistendo eidem simili, quemadmodum illæ partes aquæ majoris sunt, & dicuntur esse continuæ; ita pariformiter illæ præsentiæ partiales, sive Corporis Christi in Sacramento, sive Angeli & animæ in suo spatio, non contiguæ (sicut arena in cumulo) sed verè continuæ possunt, & debent dici.

Præsentiæ partiales debent dici continuæ.

242. Objectio. Contrà; ergo per fractionem hostiæ perit aliquid intrinsecum Corpori, scilicet continuatio præsentiarum, quod videtur absurdum. Confirmatur; quia si Deus annihilaret species, & conservaret omnes illas præsentias, tunc non essent continuæ: ergo nec jam sunt, cùm propriè non uniantur speciebus.

Solutio. Resp. si eo modo hostia frangatur, ut species mutent locum, fieri mutationem in Corpore, non solùm quia perditur unio præsentiarum; sed quoniam aliqua præsentia perditur & nova acquiritur: quod in sententia, quæ agnoscit præsentiam sacramentalem divisibilem, secundùm quam procedit hæc secunda responsio, non est majus inconveniens, quàm quòd Corpus Christi existens in cælo, accipiat novam totalem præsentiam in Sacramento per Consecrationem: nam illa acquisitio novæ præsentiæ per fractionem specierum, seu potiùs per motum localem specierum, supposito primo miraculo, est quasi naturaliter debita. Sin antem species fractæ maneant in eodem loco; ablatâ dumtaxat earum continuatione, dico nihil omnino mutari in Corpore Christi, sed præsentias manere continuas, sicut anteà erant; quia ad illam continuationem solùm requiritur unitas spatii.

Ad continuationem præsentiarum solùm requiritur unitas spatii.

Ex quo citiùs respondetur ad confirmationem: si annihilatis speciebus maneret præsentia Corporis Christi, omnino foret continua sicut priùs; quia hæc continuatio ex se non pendet à continuatione, vel præsentia specierum, sed magis à continuatione spatii: eodem modo, quo præsentia animæ rationalis, quam imitatur, esset continua & una sicut priùs, si annihilato corpore, vel discontinuatis ejus partibus, maneret in eodem spatio.

Hucusque de partibus; sed quid de indivisibilibus, sive terminativis, sive continuativis, si dentur? 243. Communior sententia affirmat, etiam sub his totum Christum existere: & quidem si continuum componitur ex solis indivisibilibus, res est plana; tunc siquidem non adveniunt nova indivisibilia continuativa per continuationem, neque terminativa per divisionem, sed quæ priùs erant continuativa, fiunt terminativa, & è contra, ablatâ solùm, vel positâ unione: utì ergo ante Consecrationem sub illis erat substantia panis, ita post Consecrationem erit Corpus Christi.

Christus est sub indivisibilibus specierum si ex illis solis continuum componatur.

Porrò in alia sententia magis communi, quæ componit continuum ex partibus divisibilibus in infinitum, nisi in hujusmodi continuo tam permanenti, quàm successivo negaveris omnia indivisibilia, non effugies difficultatem.

sed quid si ex partibus divisibilibus in infinitum.

Hanc videtur prævidisse Doctor Subtilis dum 4. dist. 10. q. 9. n. 3. ait: *Corpus Christi non est præsens speciei alicui ad minus, nisi minimo sensibili, quia nulli indivisibili est præsens ibi.* Unde sententiam illam tamquam Scoti docet noster Hiquæus in suo Commentario ad illum locum n. 12. citans pro ea præter Scotum, Albertum, Richardum, Ægidium, Vasquesium, aliosque modernos.

Sententiam negantem adscribit Scoto Hiquæus.

Probatur autem primò; quia substantia panis, cui succedit Corpus Christi, non fuit sub illis indivisibilibus. Secundò; quia sequeretur, quòd fractâ hostia, Christus inciperet esse sub aliquibus indivisibilibus terminativis, sub quibus ipse anteà non erat, vel certè sub quibus

Probatur primò.

Secundò.

anteà non erat substantia panis, idque sine nova Consecratione, quod videtur inconveniens: Tertiò; quòd non possit secundùm aliquos Angelus esse in puncto: ergo neque Corpus Christi.

244. Respondetur ad 3. Equidem hæc non convincunt: sanè Antecedens tertii nimìs incertum est, unde etiam contrarium ab Auctoribus contrariis assumitur ad probandum Corpus Christi ita existere sub indivisibilibus, sicut Angelus existit sub punctis, ne alioquin ejus præsentia sit interrupta, & non continua.

Responsio ad 2. Ad secundum respondeo; per fractionem hostiæ non produci nova indivisibilia, sed illa, quæ præfuerunt in illis partibus, jam terminare. Deinde illa nova indivisibilia sunt intimè præsentia partibus, adeoque sub illis continetur Christus ratione præsentiæ, quam habet sub partibus: sicut si speciebus accederet aliquis color, vel quantitas rarefieret, Christus esset illis præsens per præsentiam & Consecrationem antiquam.

Responsio ad 1. Hinc ad primum dico; tametsi substantia panis non fuerit sub illis indivisibilibus secundùm se spectatis, fuit tamen sub illis, prout continentur in partibus: ergo consimiliter Corpus Christi, etsi non distinctâ, eâdem tamen præsentiâ (quod sufficit ad veritatem Conclusionis) quâ est præsens partibus, est etiam præsens indivisibilibus, quæ intrinsecè partibus inexistunt: præsens, inquam, id est, indistans; nam formalis præsentia sicut contenti ad contentum, aut signi ad signatum, & quasi ubicationis ad terminum, quamvis esset possibilis, non videtur necessaria. Et hoc intendit Doctor suprà, inquit Hiquæus n. 16.

245. Explicatur Scotus quòd non fuerit locutus ex propria sententia; Alii aliter ipsum explicant, & existimant ibi non loqui ex propria sententia; nam eâdem distinctione qu. 5. nu. 5. comparat præsentiam Corporis Christi in Eucharistia cum præsentia Angeli dicens: *Nec illud*, corpus, *est magis præsens hîc alicui corpori in ratione passi, quam si Angelus esset hic*: Angelum autem posse existere in puncto, docet problematicè 2. dist. 2. q. 6. n. 13. *Si tamen*, inquit, *posset*, Angelus, *esse in puncto vel non, non videtur ratio necessaria nec ad unam partem, nec ad aliam: quia licet Angelus sit indivisibilis, non habet tamen indivisibilitatem limitatam, sicut punctus, & ideo non oportet ipsum esse in puncto, sicut in loco.*

Nec fortè repugnat sibi esse in puncto, sicut in loco: quia nullum inconveniens videtur ex hoc inferri; quia si ex esse in puncto, sicut in loco, hoc inferatur, quòd non posset moveri localiter, nisi spatium esset ex punctis, non sequitur; posset enim immediatè ex loco punctuali ferre se in continuum, cuius continui punctus est terminus.

Itaque loco suprà citato ex lib. 4. dist. 10. q. 9. n. 3. videtur solùm argumentari ad hominem contra illos, qui admittebant Corpus Domini esse præsens minimo sensibili, & tamen dicebant illud non esse naturaliter visibile, etiam oculo glorioso; quia non potest esse contactus physicus inter oculum & Corpus Christi, eò quòd illud in Sacramento non respiciat species ratione quantitatis: quam rationem rejicit, quia minimum sensibile potest percipi à sensu perfectissimo.

sed solùm argumentando ad hominem.

Quapropter Conclusionem nostram tenent multi Scotistæ tamquam à doctrina Scoti minimè alienam, & rationi naturali non parùm consonam: Christus namque vi Consecrationis ponitur sub speciebus, sub quibus præerat substantia panis & vini; atqui illæ species componuntur non ex solis partibus, sed ex partibus simul & punctis tam continuativis, quàm terminativis: ergo &c. 246. Probatur Conclusio.

Confirmatur; quia non magìs repugnat Christum totum esse in indivisibilibus, quàm divisibilibus; & certè nisi ita sit, præsentia ejus non erit continua, sed per infinita indivisibilia copulantia actu in omnem sui partem divisa. & confirmatur.

Si respondeas, satìs esse continuam, eò quòd indivisibilia intimè inhæreant partibus, rem acutetigisti; hoc enim contendimus, Corpus Christi realiter quidem & intrinsecè esse in omnibus punctis specierum sacramentalium, non tamen per se primò & adæquatè, sed necessariâ quadam consecutione: sicuti etiam per se primò & adæquatè non possunt consecrari, sed solùm quatenus inhærent intimè partibus per se primò & adæquatè consecrabilibus. 247. Responsio quidam ducitur ad oppositum. Indivisibilia per se primò non queunt consecrari.

Unde libenter admittimus ejusmodi indivisibilia per possibile vel impossibile separata, non posse primò consecrari (quod etiam plures affirmant de partibus minoribus minimis, si dentur) sed neque Consecrationem priùs factam retinerent; quoniam ut sic non retinerent substantiam panis aut vini. nec separata per possibile vel impossibile consecrationem retinerent.

Cæterùm sicuti impossibile apparet concipere durationem Angeli continuam, si alicui instanti non coexistat, ita ut in illo verum sit dicere, Angelum non esse; sic quoque impossibile est intelligere præsentiam Angeli (& similis est ratio Corporis Christi in Sacramento) continuam in aliquo toto spatio, si alicui indivisibili illius nullo modo coexistat, ita ut sit verù dicere, in illo indivisibili Angelus nullatenus existit.

Nec satisfacit discrimen, quod ab aliquibus assignatur: instanti temporis etiam convenit sua duratio; indivisibili verò superficiei extensæ non convenit extensio, ac proinde non potest aliquid ibi esse tamquam in loco: non satisfacit, inquam, hæc disparitas; nam & Angelus indivisibilis est, & Corpus Christi sub speciebus indivisibiliter existit. 248. Discrimen inter instans temporis & superficiem indivisibile rejicitur.

Omittò, quòd Corpus Christi non sit sub speciebus tamquam in loco. Cur autem nequeat esse præsens sacramentaliter utì partibus, ita & indivisibilibus? Quære rationem; sed timeo ne frustra. Ad alia festinat meus calamus, & dubitans an præsentia sacramentalis dependeat à naturali, istiusmodi subscribit resolutionem. Corpus Christi non est sub speciebus tamquam in loco.

CON-

CONCLVSIO X.

Præsentia sacramentalis non supponit simpliciter necessariò existentiam, seu modum existendi naturalem; proinde potuit Christus priùs sacramentaliter existere, quàm circumscriptivè, priùs in Sacramento, quàm in Virginis utero.

249. Scot. Quid sit necessitas simpliciter, & secundum quid.

NOta ex Scoto 4. dist. 10. q. 4. n. 4. duplicem esse necessitatem, unam simpliciter & absolutam, quando videlicet ex positione antecedentis simpliciter necessariò sequitur consequens; aliam verò secundùm quid, quando sequitur ex suppositione, hoc est, suppositâ existentiâ subjecti consequentis.

De prima necessitate loquitur Conclusio;

De prima necessitate loquitur Conclusio, & probatur ex Scoto.

De prima necessitate loquitur Conclusio, & probatur ex Scoto. ita ille; quòd si sub modo naturali habet partes & proprietates (Corpus Christi) quòd habeat easdem sub modo sacramentali.

Probatio est evidens: *Quia post resurrectionem non erit Eucharistia, nec etiam Corpus Christi habebit sub isto modo proprietates seu passiones: & tamen tunc Corpus Christi sub modo essendi naturali habebit ista.*

Consimiliter: *Non est simpliciter necessitas è converso, scilicet quòd non sequatur simpliciter necessario, si Corpus habet istas partes & proprietates sub modo sacramentali, quòd propter hoc eas habeat sub existentia naturali.*

Probatur: *Quando existentia aliqua est indifferens ad duos modos, sicut potest simpliciter haberi sub uno modo, sic & sub alio; sed existentia Corporis Christi simpliciter seu realis indifferens est ad istos duos modos, scilicet naturalem & sacramentalem: ergo potest haberi sub isto modo, licet non sub alio.*

250. Modus sacramentalis non pendet à modo naturali;

Et si arguas cum aliquibus: quia modus sacramentalis dependet à modo naturali: *Contra* (inquit n. 5.) *& est ad Conclusionem principalem* secunda probatio: *Existentia sub modo naturali non est de essentia existentiæ sub modo sacramentali, nec est eius causa: ergo ista non dependet ab illa; quia nihil dependet ab aliquo, quod non est de essentia eius, nec causa eius.*

cum nihil dependeat ab aliquo, quod non est de essentia, nec causa ejus,

Prima pars Antecedentis patet; quia res Eucharistiæ non habet ibi modum existendi naturalem, scilicet extensivum; haberet autem, si esset de essentia illius existentia, vel modi existendi, quem ibi habet: quia omne habens aliquid, habet illud, quod est de essentia eius. Probatio secundæ partis Antecedentis; quia Deus est causa immediata istius existentiæ, scilicet Corporis Christi in Sacramento: ergo Corpus sub naturali existentia non est causa existentiæ sacramentalis.

Quis huic evidentiæ contradicit, nisi quem plus delectat defensare quod sentit, quàm quid sentiendum sit invenire? Nullum sanè video probabile fundamentum hujuscemodi necessariæ dependentiæ seu connexionis inter præsentiam sacramentalem & naturalem magis, quàm inter duas præsentias naturales, aut duas sacramentales, attentâ præcisè naturâ rei.

ut evidenter à Scoto probatur.

Nam quòd Scotus suprà objicit: Eucharistia includit respectum, cujus terminus est existentia corporis modo naturali, facilem ex ipso habet responsionem: *Existentia licet sit eadem sub duobus modis, scilicet naturali & sacramentali: tamen non est terminus relationis, quæ includitur in Eucharistia sub modo naturali, sed sub modo disparato.*

251. Satisfit objectioni, quam sibi proponit Scotus.

In quibus verbis, si oculatiùs introspiciantur, inveniuntur tres termini distincti, nempe *existentia simpliciter*, quæ est substantialis, & *existentia sub modo naturali*, videlicet cum extensione in ordine ad locum per quantitatem, & *existentia sub modo sacramentali*, quæ est ipsa præsentiâ sacramentalis & inextensa, excludens existentiam modo quantitativo.

Triplex existentia, simpliciter, sub modo naturali, & sub modo sacramentali.

Unde probationem continuò subjungens, ait: *Eo modo est res contenta in Eucharistia, quo modo est primum signatum huius signi: hæc est enim differentia huius Sacramenti ad alia, quia realiter continet suum primum signatum, ut est suum signatum primum: sed existentia sub modo naturali non continetur hic realiter, imò sub modo alio disparato: ergo &c.*

Scotus.

Si hos terminos bene intellexisset Cajetanus, arbitror planè, quia facilè sententiæ Doctoris nostri, quæ hodie communis est, subscripsisset: nunc autem, quia qui malè percipit, malè respondet, satis insensè in ipsum invehitur, non veritus verbis mox recitatis subnectere 3. parte q. 76. art. 2. Multa alia adfert Scotus, quæ etiam referre pudet, ne tanto tempore in chimeris versèr.

252. Rejicitur censura Cajetani.

Sed Cajetanus, etiam vigilando somnians, cum chimeris à se fabricatis luctatur, putans se Scotum apprehendisse. Nec pudere debet Cajetanum, referre illa, quæ non puduit Doctorem Subtilem invictissimum Theologorum Principem scribere. Et quænam ista? Consule textum, & noli somnia tua apocalypses arbitrari, haud dubito quin omnia reperies relatu dignissima, & rationi etiam maximè consentanea.

Quid ergo? *Ex hac* (inquit Doct. suprà n. 6.) *secunda Conclusione* (quæ est eadem cum illa, quam in præsenti tractamus) *sequitur corollarium: quòd ante Incarnationem potuit ita verè Eucharistia fuisse, sicut & nunc, & hoc tam quan-*

253. Potuit Christus priùs sacramentaliter existere, quàm circumscriptivè.

tùm ad significationem, quàm quantùm ad rem significatam, & contentam.

Secundum est corollarium: post Incarnationem posset Corpus Christi desinere esse sub modo naturali, & tamen Eucharistia verè maneret, & quantùm ad veritatem signi, & quantum ad veritatem signati, & contenti. Proinde potuit Christus priùs sacramentaliter existere, quàm circumscriptivè; priùs in Sacramento, quàm in Virginis utero.

Probatur à Scoto.

Quid miramur? *Quia si ad Corpus Christi* (utor verbis Doctoris) *realiter contineri in Eucharistia, non necessariò sequitur, Corpus illud habere existentiam modo naturali: ergo primum potuit fieri sine secundo, præcedendo sive remanendo post destructionem illius secundi.*

Confirmatur ex eodem.

Confirmatur: *Vbicumque res temporalis potest habere veram existentiam realem, ibi postquam non fuerit, potest incipere esse simpliciter: sed Corpus Christi potest simpliciter habere existentiam realem sub modo existentiæ sacramentalis: ergo postquam non fuit hoc, potest simpliciter incipere esse: ergo non oportet ad hoc, quòd sub hoc modo incipiat esse, quòd sub alio modo incipiat etiam esse.*

254. Hanc doctrinâ amplectitur Suarez, Vasquez & plerique Recentiores.

Hæ sunt chimeræ illæ, quas pudet Cajetanum referre; eas tamen, & meritò, tamquam doctrinam fundatissimam amplectitur Suarez disp. 48. sect. 2. Vasquez disp. 192. cap. 1. & plerique Recentiores, si loquamur de potentia Dei absoluta, id est, de connexione ex natura rei, non attentâ institutione Sacramenti, quæ de facto est. Nec video quid opponi possit ab his, qui terminos intelligunt.

Eam impugnat Cajetanus.

Juvat equidem audire Cajetanum: Scito (inquit) dignum admiratione esse, quòd cùm Scotus supra Corpus Christi verum, quod est in cælo, nihil addere ponat esse in hoc Sacramento, nisi respectum extrinsecùs advenientem (puta respectum præsentiæ ad species panis) quomodo potuerit etiam fingere, si auferretur Corpus Christi per annihilationem, remanere aliud, etiam per divinam omnipotentiam, quàm illum respectum præsentiæ, Deo illam conservante.

Nam si nihil aliud remaneret nisi dictus respectus, quomodo fingi potest, quòd remaneant partes & proprietates Corporis Christi? Et si aliquid aliud, quàm ille respectus remanet, oportet quòd esse sub Sacramento plus addat supra Corpus Christi, quàm illum respectum. Quocirca si conservaretur à Deo respectus ille non conservato Christi Corpore in rerum natura, non esset Corpus Christi sub Sacramento; quemadmodum si conservaretur respectus localis, quo Corpus Christi est in cælo, non conservato Corpore Christi, non esset Corpus Christi in cælo: aliud quippe est conservari respectus illos extrinsecos, & aliud conservari corpora, quorum sunt.

Magnaque differentia est inter requisita & concomitantia ad verificationem respectuum tantummodò, & inter requisita & concomitantia ad verificationem denominatorum corporum ab illis respectibus. Ad verificandum siquidem respectum illum conservatum, sufficit quòd respectus ipse sit; nec inde sequitur, quòd res, quæ denominabatur, ampliùs denominetur: si enim respectus præsentiæ solùs conservaretur, esset præsentia sine corpore aliquo præsente, sicut si esse in cælo tantùm conservaretur, esset esse in loco sine aliquo existente in loco. Et hæc sint dicta ad claritatem doctrinæ, & secundùm veritates conditionales, non curando de possibilitate, vel impossibilitate antecedentium & consequentium. Hucusque Cajetanus.

255. Sed falso fundamento,

Sed interrogo unum verbum. Ubi Scotus fingit, si auferretur Corpus Christi per annihilationem, remanere aliud per divinam omnipotentiam, quàm respectum præsentiæ? Tua fictio est Cajetane, qui Scoto attribuis, quod numquam cogitavit, imò cujus oppositum docet suprà n. 9. ibi: *Si verò arguas de desitione, quia si desitio sub modo naturali est desitio simpliciter, nam illa corruptio est corruptio simpliciter, & hoc ubique: quare si non corrumpatur hic, ergo manet postquam corruptum est.*

ut ostenditur ex verbis Scoti.

Respondeo, nulla contradictoria sunt de eodem concedenda propter distinctionem istorum modorum essendi. Si ergo loquaris de corruptione, quæ est separatio partis à parte, sicut corporis ab anima, vel formæ corporeitatis à materia, si talis corruptio est existentis sub tali modo, est etiam eiusdem sub quocumque modo: alioquin eadem forma simul informaret idem, & non informaret; & per consequens posset Corpus Christi sub modo naturali fieri inanimatum, quin fieret sub Sacramento manimatum, & è converso. Nec etiam resolvi in materiam separatâ formâ corporeitatis hic, quin ibi fieret tale sub modo sacramentali, nec è converso. Vultis rem clarius? Auscultate quod sequitur.

Non potest corpus in diversis ubi esse animatum & inanimatum.

256. Per desitionem totius existentis sub isto modo, intelligitur desitio modi, qui est respectus extrinsecus.

Si loquamur de corruptione partium totali, id est, desitione totius existentis sub isto modo, & sub isto modo, bene posset desinere esse, ut hic, non desinendo esse ibi, & è converso: quia totum posset desinere habere unum modum suæ existentiæ, retinendo sibi alium modum, sub quorum modorum utroque verè tota ista existentia salvaretur. Neque hic finis.

Ex hoc sequitur corollarium, scilicet quòd per corruptionem, quam natura posset facere in Corpore Christi, scilicet separando partem à parte, necesse esset separationem fieri partium huius rei eodem modo hic, & ibi: sed per illam desitionem, quam posset Deus de potentia absolutâ facere, non quidem esse rei simpliciter (id est, rem annihilando) sed rei sub isto modo, posset res illa non habere istum modum essendi, & tamen habere illum. Quis non obstupescat & supra modum admiretur, quî fieri potuerit, ut Cajetanus libros Scoti legerit, nec istud animadverterit?

Præsentia sacramentalis Corporis

Præclarè animadvertit Suarez suprà dicens: Certum est præsentiam sacramentalem Corporis

poris Christi necessariò supponere naturale esse, seu existere Corporis Christi, & ab illo, ut à subjecto, essentialiter pendere: neque oppositum unquam docuit Scotus, quidquid illi falsò Cajetanus imponat. Similiter loquitur Vasquez 3. parte disp. 192. cap. 1. ubi sic habet: Cajetanus qu. 76. art. 2. sententiam quamdam absurdam imponit Scoto, eamque acriter & efficaciter impugnat, à mente tamen illius longè distat.

257. Sed quæ causa tanti diffidii inter illos Doctores? Malus utique intellectus terminorum; quia unus per esse naturale intelligit esse substantiale sive reale, alius autem modum existendi quantitativum; de quo utique modo intelligitur Tridentinum sess. 13. cap. 1. dicens: *Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, juxta modum existendi naturalem, & multis nihilominus alijs in locis sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit.* Illum autem modum naturalem sive quantitativum posse tolli à corpore per omnipotentiam divinam integrâ manente substantiâ ejus sub modo sacramentali, non video quomodo homo alicujus judicii possit negare.

Et si objicitur (inquit Doctor suprà) *contra illud, quia illud quod nihil est in se, nihil est in altero: ergo si Corpus Christi non haberet in se existentiam, id est, sub modo naturali, non posset habere eam sub Sacramento. Dico si in se intelligatur interimendo vel præscindendo omnem modum essendi in aliquo, Minor est falsa: nam Corpus Christi æque vere habet esse suum reale sub modo existendi in alio, sicut in se. Si autem intelligatur in se non præscindendo, sed ponendo propriam existentiam hujus realem, Concedo Majorem; & tunc dico quòd si Corpus est tantum in Eucharistia, non sequitur, quòd non sit hoc modo in se; quia ita verum esse habet isto modo in se in Eucharistia, ubi est sub signo, sicut in cœlo, ubi est non sub signo.*

258. Quid videtur candide Lector, num Scotus hìc affirmat, dari posse respectum sine fundamento, & præsentiam sine re præsente? Stolida nimùm doctrina pro viro sapiente. Quid igitur? Vult, esse simpliciter Corporis Christi se habere ad præsentiam sacramentalem & ad præsentiam naturalem, tamquam ad duos respectus disparatos, ad quos est indifferens, & quos fundare potest tum simul, tum seorsim: unde quemadmodum nunc fundat utrumque, & ante institutionem Eucharistiæ fundabat tantùm alterum, scilicet respectum præsentiæ naturalis; ita ante Incarnationem illud idem esse simpliciter Corporis Christi fundasset tantùm respectum præsentiæ sacramentalis: & ita præsentia illa sacramentalis non fuisset sine re præsente, nec fuisset phantastica vel chimerica, qualem satis stupidè & sine fundamento imaginatus est Cajetanus Scotum posuisse; sed fuisset præsentia Corporis Christi realiter & simpliciter existentis: nec non in ea hypothesi primùm producti secundùm suum esse simpliciter, sacramentale tamen, non naturale. Ita noster Meurisse de hoc Sacramento cap. 2. q. 2. circa finem.

Addit: Non hæreo in solvendis ejus (id est, Cajetani) argumentis, quæ omnia in hac prava & æquivoca intelligentia fundantur, ne plùs temporis, quàm par sit insumam in sanando illo plumbeo intellectu, qui non valens patentes veritates intueri ex nimia familiaritate, quam contraxit cum chimeris, sibi videtur semper videre chimeras. Hæc ille.

259. Nota autem per Incarnationem hìc non intelligi unionem Verbi cum humanitate (aliàs enim non esset Christus; nec consequenter Christi Corpus) sed conceptionem & formationem ejus ex Virgine. Et sanè si Verbum divinum assumpsisset corpus aliundè formatum, quàm ex Virgine, & in primo instanti existentiæ suæ realis, per Deum inextensè ubicatum, quis ausus fuisset dicere, quare sic fecisti? Et quis tam temerarius, ut negare præsumpsisset omnipotentiæ divinæ assumptionem ejusdem corporis in utero Virginis sub modo seu ubicatione extensa?

Quin imò, dicet aliquis, temerarius esset, qui hoc tribueret omnipotentiæ divinæ: nam sic illud corpus posset incipere esse postquam fuit. Et consimiliter, si posset desinere Corpus Christi sub modo naturali & manere sub præsentia sacramentali, jam idem corpus desineret esse, postquam destitit esse. Probatur; quia desinendo esse sub modo naturali, desineret esse; & tunc maneret, si Eucharistia verè maneret, & tunc posset etiam desinere esse sub Eucharistia.

Resp. cum Doctore suprà n. 8. *Quòd neutra consequentia valet: quia habens* esse *simpliciter, si incipit sub alio modo, non incipit nisi secundùm* quid: *& simpliciter manens, si desinit alicubi sub alio modo, non desinit nisi secundùm* quid. *Ad rationem* (aliàs probationem) *de Incarnatione dico, quòd possibile esset, illud idem Corpus fuisse formatum de sanguinibus Virginis, & hoc sub modo essendi naturali, non obstante quòd Eucharistia præcessisset vera, sed illa formatio non fuisset tunc inceptio Corporis, nisi secundùm* quid: *sicut modo conversio panis in Corpus, non est inceptio Corporis, nisi secundùm* quid. *Et tota ratio est, quia quod sic incipit, præhabet* esse *simpliciter.*

Similiter dico ad secundum, quòd desitio Corporis sub modo naturali, non esset desitio nisi secundùm quid, *si tamen maneret idem Corpus habens eandem existentiam realem sub modo sacramentali.*

Et si objicias; fuit nunc inceptio Corporis simpliciter in conceptione Christi: ergo etiam tunc; nam non fuisset minùs verum esse Corpus Christi sub modo naturali tunc, quàm nunc.

Respondet Scotus: *Inceptio simpliciter requirit*

Incarnationem fuisset præsentia Corporis Christi realiter & simpliciter existentis. *Meurisse.*

Per Incarnationem non intelligitur unio Verbi cum humanitate, sed conceptio ejus & formatio ex Virgine.

Duplex objectio: Quod bis inciperet, & bis desineret Christus simpliciter esse.

Solvitur à Scoto.

Alia objectio.

Responsio Scoti.

quirit non tantùm quòd sit acceptio esse simpliciter eius, quod dicitur incipere, sed quòd sit ad primum esse eius: nunc autem fuit in Incarnatione acceptio non tantùm esse simpliciter Corporis; sed etiam primi esse: tunc autem fuisset inceptio esse simpliciter sub modo uno, non tamen primò: quia præcessisset idem esse simpliciter sub alio modo: & ideo tunc fuisset inceptio secundum quid, modo autem simpliciter.

Inceptio simpliciter, est acceptio non tantum *esse* simpliciter, sed primi *esse*.

261. Instantia duplex.

Verùm nondum videtur exhausta tota difficultas; quia in nostra hypothesi Corpus Christi fuisset verè formatum ex purissimis sanguinibus Virginis, sicque fuisset genitum, atque adeò simpliciter productum.

Præterea sanguines illi fuissent principium materiale Corporis existentis priùs modo sacramentali: ergo non fuisset idem Corpus.

Responsio Meurisse, quòd tali casu in Incarnatione non fuisset vera generatio ejusdem corporis.

Ad has & similes difficultates Respondet Meurisse suprà, quòd ex pane vel alia materia fuisset primò formatum corpus verè humanum: quemadmodum servatâ proportione per potentiam divinam formatus est primus parens, habens veram carnem ex limo terræ, & ita non fuisset transubstantiatio panis, aut alterius materiæ in Corpus Christi præexistens; sed vera formatio primi esse illius corporis ex illa materia: postmodùm verò in Incarnatione non fuisset vera formatio aut generatio ejusdem corporis; sed transubstantiatio sanguinum Virginis in corpus præexistens, qui proinde non fuissent principium intrinsecum materiale ejusdem corporis ut nunc, sed materia, ad cujus desitionem incepisset esse Corpus Christi in utero Virginis; sicut panis in Eucharistia non est principium intrinsecum Corporis Christi, sed terminus à quo sive materia, ad cujus desitionem incipit esse Corpus Christi in Sacramento. Ita ille.

Responsio Hiquæi, quòd fuisset formatio corporis secundùm *quid*;

Hiquæus autem in suo Commentario ad illum locum Scoti n. 18 & 19. Hæc, inquit, formatio esset quoad nutritionem & augmentum & reliquas dispositiones, quæ consequerentur ad animationem corporis animati in ventre matris, quæ subministrat alimentum ex proprio sanguine, donec fœtus ad maturitatem perveniens editur.

Nec ergo conciperet propriè per actionem generativam, nec communicaret materiam, neque concurreret ad alterationem præviam ad formâ corporis, neque ad animationê ejus, quia hæc omnia supponeret; posset tamen ad reliqua concurrere, quæ ad formationem fœtûs secundariam, & secundùm modum naturalem existendi seu quantitatiuum spectant. Hanc autem formationem vocat Doctor formationem, seu inceptionem corporis secundùm *quid*, quia supponitur *esse* ejus simpliciter.

262. adeoque D. Virgo non fuisset mater saltem in fieri.

Et si quæras ab utroque Auctore, an in tali casu Virgo Maria esset verè mater Christi? Respondet posterior, quòd tantùm esset mater ejus secundùm modum, quo procederet ab ipsa, & non aliter; quia generatio, in qua fundatur maternitas, non esset à Virgine, ideo non esset mater in fieri saltem, quidquid sit an esset mater in facto esse; quia formatio corporis, quam supponeret, posset ab ipsa esse simpliciter, & foret, nisi jam præveniretur à causa superiori; reliqua autem, quæ subsequuntur, à Virgine fierent.

Meurisse putat quid fuisset mater.

Quid autem Meurisse? Genuisset, inquit, de propria substantia; non quidem ut principio materiali intrinseco Christi Corporis, sed ut termino à quo, probabile verò est mihi sufficere ad rationem maternitatis, quod suppeditetur illius, quæ mater dicitur, propria substantia; sive interim illa constituat intrinsecè genitum, sive sit tantùm terminus à quo, ad cujus desitionem idem genitum ponatur.

Addo, & potuisse esse matrem, fovendo corpus ipsum in suis visceribus. Fortè enim etiam mulier illa dici posset mater, in cujus uterum Deus de potentia absoluta asportaret materiam ex alia muliere desumptam, quam foveret, organizaret & cætera (demptâ solâ subministratione materiæ) præstaret. Hactenus Meurisse.

263. Nec sequitur quod idem esset ejus foret duabus causis totalibus.

Contrà: ergo idem effectus à duabus causis totalibus. Respondet Meurisse Negando Consequentiam; quia, inquit, eâdem conservatione omnino quâ conservatum fuisset Christi Corpus tunc positum sacramentaliter in rerum natura, reproductum fuisset ex Virgine; hoc excepto, quòd illa conservatio connotasset concursum hujus creaturæ, scilicet Virginis Mariæ.

Objectio Doct. Subtil.

Aliter sibi objicit prædictus Auctor ex Doctore Subtil. in 3. dist. 8. q. 1. n. 19. *Filiatio fundatur super existentia naturæ acceptæ per generationem absolutè*; Christus jam fuisset existens simpliciter: ergo &c.

Responsio Meurisse.

Respondet ad Minorem, quòd etiamsi jam fuisset existens; tamen existentia illa ut fuisset Christi, vel conservati, vel reproducti per connotationem & additamentum concursûs Virginis satis fuisset ad fundandam filiationem; nec enim ad id requiritur, ut existentia sit nova, vel ut sit naturæ de novo productæ: sed sufficit ut sit naturæ acceptæ per generationem, quamquam interim illa generatio ad aliquid præexistens terminetur.

Quæstio ergo de nomine. Equidem quæ necessitas maternitatis in talibus circumstantiis? Nulla prorsùs. Sed numquid necessaria fuisset aliqua forma verborum? Non puto: interim hæc aut similis potuisset sufficere: *Hoc est Corpus Christi venturi in propria specie, & ex Virgine nasciturî.*

264. Alia objectio. Solvitur primò. Non est in ratione conversionis convenire in rem præexistentem.

Objici adhuc posset: conversio sacramentalis est conversio in rem præexistentem. Resp. de facto, Concedo; ex natura conversionis, Nego: patet in conversione ligni in ignem, per quam primò producitur ignis, in quem lignum convertitur; & idem cernitur in aliis conversionibus naturalibus.

Resp.

Solvitur secundò: substantia Christi præexistisset naturâ

Resp. secundò: in nostra hypothesi substantia Christi præexistisset naturâ, licèt non tempore; quæ præexistentia, sicut sufficit, ut aliquid sit subjectum accidentium, ita etiam ut sit terminus ad quem conversionis.

Ex his reor, omnis nebula dissipatur, quæ vel in minimo poterat obscurare fundatissimam doctrinam Scoti, quam plerique, ut suprà notavi, hodie sequuntur, si intelligatur de connexione istarum præsentiarum ex natura rei. Quin inveniuntur, qui affirmant nec etiam de facto ex institutione hujus Sacramenti præsentiam sacramentalem necessariò dependere à præsentia naturali, quam habet Corpus Christi in cælo; ita ut etiamsi Corpus Christi desineret esse in cælo, non ideo ex institutione hujus Sacramenti sequeretur, quòd desineret esse sub speciebus consecratis. Sic docet Eminent. Lugo de Sacramento Eucharistiæ disp. 5. nu. 191. contra Suarium suprà & alios communiùs. Nec video, candidè loquendo, quibus argumentis hæc doctrina efficaciter posset improbari: satisfaciamus singulis.

Secundùm aliquos præsentia sacramentalis nequidem de facto dependet à naturali; Lugo. Suarez.

265. gratis enim asseritur, humanitatem Christi esse principium physicum præsentiæ sacramentalis;

Opponunt ergo primò: humanitas Christi est principium physicum præsentiæ sacramentalis. Resp. id gratis asseri. Deinde, quid tum? Ergo prærequiritur Corpus Christi alibi existens cum præsentia naturali, Neg. Conseq. Nam primò sufficeret prioritas naturæ, præscindendo ab hac vel illa præsentia; sicut de facto sufficit hæc prioritas ut Corpus Christi sit causa materialis suæ præsentiæ naturalis. Potuit ergo Deus pro illo priori instanti naturæ velle conservare Corpus Christi independenter à verbis Consecrationis, & tamen de facto dare illi solam præsentiam sacramentalem dependenter à verbis, & ab ipso Christo.

Et estò dependeret in fieri, num ideo etiam in facto esse?

Secundò: dependeat præsentia sacramentalis ab humanitate Christi in fieri, num ideo etiam in facto esse, sive conservari? Destruatur ergo præsentia naturalis in cælo, quidni ex vi Consecrationis permaneat in Eucharistia? Consecret rursum Sacerdos, cur nequeat humanitas Christi sacramentaliter existens, physicè concurrere ad aliam præsentiam sacramentalem, spiritualem utique; sicuti anima physicè in Sacramento producit actus intellectûs & voluntatis?

266. Licet Consecratio non valeret, quæ de novo fieret, saltem perseveraret, quæ ante destructionem præsentiæ naturalis Christi fuisset?

Opponunt secundò: Consecratio ex vi præsentis institutionis non valet, nisi quatenus fit in persona Christi, tamquam principalis consecrantis.

Resp. estò non valeret Consecratio, quæ de novo fieret, saltem perseveraret, quæ ante destructionem naturalis præsentiæ Christi fuisset facta; sicut indubiè perseverasset in triduo mortis, etiam ipso Christo destructo.

Deinde, ubi revelatum est, quòd Sacerdos consecrans debeat necessariò loqui in persona Christi naturaliter existentis, & non sufficiat quòd loquatur in persona Christi sacramentaliter existentis?

Denique, incertum est, an in triduo mortis non valuisset Consecratio; cùm tamen tunc neque naturaliter, neque sacramentaliter existeret humanitas Christi.

Vel ex quo ostenditur, Consecrationem non valere si neque naturaliter, neque sacramentaliter existat humanitas Christi? Num ex falsitate formæ?

Contrà: ergo forma falsa; Nego Conseq. Nam responderi posset, satis esse, si anima existat; ut Sacerdos tamquam minister Christi verè dicere possit: *Hoc est Corpus meum*, scilicet quod anima Christi de facto habet, vel ultimò habuit; quippe penes animam residet moraliter voluntas præterita, quâ Christus sibi talem ministrum ad operandum substituit.

Petes; quid si Corpus fuisset corruptum? Resp. Deus idem Corpus reproduxisset, id exigente veritate practicâ verborum, quæ significant Corpus, quod anima ultimò habuit Christo vivente, si de facto non habeat aliud. Sin autem nec ipsa anima ullo modo existeret, planum est Sacerdotem non posse intelligi loqui in persona Christi; quoniam tunc nec prima voluntas existeret substituendi talem ministrum, quæ tamen videtur omnino necessaria; ut illa actio esset moraliter actio Christi. Hæc summatim ex Lugone suprà. Quæ probè intelligens quidam novus Auctor.

267. Præsentia naturalis est modella secundùm quam regulatur sacramentalis;

Opponit tertiò contra hanc doctrinam; quia præsentia naturalis est modella, secundùm quam regulatur sacramentalis, adeò ut non spectetur modus præsentiæ alterius sacramentalis, sed solius naturalis. Unde, quia Christus jam in cælo est gloriosus, est etiam sic in Sacramento; & quia in triduo mortuus, sic etiam fuisset tunc in Sacramento. Quod clarè confirmatur; quia in ultima cœna fuit in Sacramento Christus vivus, passibilis, & si fuisset reservatum, fuisset dein in eodem mortuus, & rursum post triduum fuisset in eodem vivus & gloriosus: ergo etiam in Sacramento esse planè desiisset, si Corpus & Sanguis fuissent planè destructa & corrupta secundùm præsentiam naturalem.

intelligendo per præsentiam naturalem existentiam realem;

Resp. cum distinctione: si per præsentiam naturalem Opponens intelligat cum Cajetano existentiam realem, Concedo totum; sin verò, uti debet, intelligat cum Scoto modum existendi quantitativum, ex dictis manifestè liquet falsitas Antecedentis & Consequentis: neque enim extensio Corporis Christi est modella; sic quippe & ipsa deberet esse in Sacramento, sed substantia, quæ extensa est, ejusque proprietates, in suo conceptu essentiali ab omni extensione præscindentes; alioquin quomodo indivisibiliter existeret in Sacramento?

secùs modum existendi quantitativum,

268. Fatemur itaque Corpus Christi vivum & passibile in terris, vivum quoque & passibile in Sacramento, mortuum in terris, mortuum in Sacramento, gloriosum in cælis, gloriosum in Sacramento, realiter & simpliciter ubique destructum, nullibi in Sacramento posse existere. Sed quid hæc ad propositum, cùm Corpus Christi tam in terris, quàm in cælis possit esse vivum & mortuum, passibile & gloriosum absque

sine quo potest Corpus Christi tam in terris, quàm in cælis esse vivum & mortuum, passibile & gloriosum.

absque præsentia naturali, id est, modo existendi quantitativo? Vel si non possit, ostendatur implicantia.

Sanè cùm corpus sit indifferens ad præsentiam extensam & inextensam; quare Deus, qui facit omnia quæcumque vult, non poterit per omnipotentiam suam conservare Corpus Christi, seu ipsum Christum in cælo sine ubi circumscriptivo? Imò cur semper aliquam præsentiam debeat habere in cælo, cùm non sit ubique?

269. Oppones quartò; Eucharistia secundùm præsentem institutionem significat mortem Christi præteritam. Deinde solùm connotat actionem adductivam.

Ad veritatem practicam verborum perinde est utrùm Christus ponatur præsens per actionem adductivam, seu productivam, sive Corpus sit passibile sive impassibile &c.

Resp. institutionem nihil aliud esse quàm efficacem & absolutam voluntatem Dei cooperandi formæ sensibili verborum, prout significat practicè Christum præsentem speciebus. Perinde autem est, sive hoc fiat per actionem adductivam, sive productivam; sive Corpus sit passibile, sive impassibile; sive significetur mors Christi præterita, sive præsens, sive futura, ut patet in ultima cœna: sicut indifferens est ad Sacramentum Baptismi sive effectus creetur, sive educatur è potentia materiæ.

adeoque institutio Eucharistica foret eadem, quantùm ad rationem & essentiam suam.

Institutio ergo foret eadem, quantùm ad rationem & essentiam suam, utpote minimè connotans aliquam determinatam actionem, vel proprietatem corporis, sed hanc vel illam pro diversitate temporum, aliarumque circumstantiarum, ex qua oritur dumtaxat aliqua diversitas accidentalis, ad præsentem controversiam decidendam planè impertinens. Quæ ergo decisio? Haud esse necessariam dependentiam præsentiæ sacramentalis à præsentia naturali, etiam secundùm præsentem institutionem hujus Sacramenti.

Porrò quâ necessitate sit consecranda utraque species, an necessitate Sacramenti, an juris tantùm ecclesiastici, vel divini; consestim resolvitur, partìm ex dictis, partìm ex dicendis disp. 5. de Sacrificio. Et verò quid? Id quod sequitur.

CONCLVSIO XI.

Consecratio unius speciei non dependet necessitate Sacramenti à Consecratione alterius, bene necessitate præcepti, tum Ecclesiastici, tum Divini.

270. Prima pars Conclus. fundatur in praxi Ecclesiæ,

DE prima parte non est relictus locus dubitandi: alioquin quomodo sine gravissimo errore Ecclesia proponeret hostiam adorandam ante Consecrationem vini? Ratio in promptu est; quia Consecrationi utriusque speciei, vel (si non placeat ita loqui) utrique speciei consecratæ seorsim competit tota definitio Sacramenti, scilicet, *Signum sensibile, efficax gratiæ*; nec enim significatio formæ Consecrationis Corporis dependet à significatione formæ Consecrationis Sanguinis, vel è converso; sed utraque habet suam veritatem, & per consequens causalitatem independenter ab alia. & solida ratione.

Quod autem excogitavit Lugo disp. 19. n. 103. dicens: Si Sacerdos vellet consecrare, non tamen offerre Sacrificium, ita ut voluntas non offerendi Sacrificium prævaleret, & esset magìs efficax, tunc nihil prorsus efficeret: verum quidem est, ex hypothesi quòd Sacrificium & Consecratio non distinguantur; sed parùm ad rem, quia cum tali intentione, etsi consecraret utramque speciem, nihil efficeret: ergo quòd non consecraret validè unam speciem solam, non oritur ex defectu Consecrationis alterius speciei, sed ex defectu debitæ intentionis consecrandi illam solam; si enim vellet inchoativè saltem sacrificare, jam conficeret Sacramentum, etiam in sententia Eminentissimi, tametsi positivè nollet alteram speciem consecrare. Nulla ergo ex natura Sacramenti est essentialis dependentia præsentiæ Christi sub una specie à præsentia Christi sub altera. Lugo. Quid esse dicendum si Sacerdos vellet consecrare, non tamen offerre Sacrificium?

Examinemus necessitatem præcepti. Obligatio certè præcepti ecclesiastici satis evidenter ostenditur ex perpetua totius Ecclesiæ praxi. Unde Gelasius Papa Majorico & Joanni Episcopis scribit in hæc verba, quæ referuntur de Consecr. dist. 2. cap. 12. *Comperimus quòd quidam* (Sacerdotes) *sumptâ tantummodo Corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui proculdubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius eiusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Si debeant sumere utramque speciem: ergo etiam consecrare, ad minùs ex præcepto Ecclesiæ. 271. Consecratio unius quæque speciei est de necessitate præcepti Ecclesiastici, Gelasius Papa quod habetur de Consecrat. distinct. 2. cap. 12.

De obligatione juris divini major est difficultas: eam affirmat Scotus 4. dist. 8. q. 3. n. 4. ibi: *Dico quòd in isto casu* (quando Sacerdos loco vini consecravit, & percepit aquam) *tenetur consecrare Sanguinem de novo, & consecratum percipere: quod probatur, quia quando sunt duo præcepta ordinata, præceptum superioris magis ligat: nunc autem præceptum Christi, & Ecclesiæ, & ex ipsa ratione Sacramenti est, quòd Sacramentum quando conficitur, conficiatur integrum, quoniam Sacramentum est in se quoddam integrum ex duobus.* De obligatione juris divini major est difficultas: illam affirmat Scotus

Optima probatio desumitur ex Concilio Tridentino sess. 22. cap. 1. ibi: *Ut* Christus *dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendum, repræsentaretur ..... Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit; ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti* 272. Probatur autem ex Tridentino,

Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem.

Et paulò post: *Novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui Sanguinis effusionem nos redemit.*

Idem definit can. 2. ibi: *Aut non ordinasse, ut ipsi, aliiq; Sacerdotes offerrent Corpus & Sanguinem suum* (utique sub diversis speciebus) *anathema sit.*

273. Gratis autem dicitur sufficere, ut aliquando id fiat in Ecclesia. Alioquin ad quid tanta sollicitudo Consecrationis utriusque speciei in quocumque eventu? Audi Toletanum VII.

Toletano VII. c. 1. cap. 1. *Censuimus convenire, ut cùm à Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si ægritudinis accidit qualibet eventus, quo cœptum nequeat Consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo, vel Presbytero alteri Consecrationem exequi officii cœpti.*

Toletano XI. c. 14. Toletanum verò XI. cap. 14. præcipit, *Ut ubi temporis, vel loci, sive cleri copia suffragatur, habeat ille quisquis canens Deo atque sacrificans, post se victui solaminis adiutorem, ut si aliquo casu ille, qui officia impleturus accedet, turbatus fuerit, vel ad terram elisus, à tergo semper habeat, qui eius vicem exequatur intrepidus.*

274. Hinc Rubricæ Generales Missalis Romani Tit. de defectibus §. 10. n. 3. *Si Sacerdos ante Consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa: si post Consecrationem Corporis tantùm, ante Consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non ieiunum.*

De Rubricis generalibus Missalis Romani,

Ad quid, inquam, tam sollicita providentia Ecclesiæ, si sufficiat, ut aliquando offeratur Sacrificium in utraque specie? Sin autem semper necessarium est, profectò æqualis erit necessitas confectionis Sacramenti, cùm illud non conficiatur nisi in Sacrificio, imò confectio illius sit ipsum Sacrificium.

De demùm ex Tridentino confirmatur.

Confirmatur ex Tridentino sess. 21. cap. 1. in principio: *Itaque sancta ipsa Synodus à Spiritu Sancto . . . . . edocta, atque ipsius Ecclesiæ iudicium & consuetudinem secuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto Laicos, & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum.* Igitur à contrario sensu iudicat Concilium, Sacerdotes conficientes teneri divino præcepto ad utramque speciem sumendam, & consequenter ad utramque simul conficiendam.

275. Nihilominus pro oppositâ sententia minùs communi objicitur primò factum Christi in Emmaus.

Respondetur; estò verè ibi consecraverit (de quo tamen inter Patres, & Interpretes dubitatur) potuit Christus solum panem consecrare potestate, quam vocant, excellentiæ, quam Ecclesiæ non communicavit; potuit etiam consecrasse vinum, etsi Euangelistæ id non referant.

Satisfit primæ objectioni.

Objicitur secundò (estque ratio à priori illius sententiæ) Consecratio Corporis non dependet à Consecratione Sanguinis, quæ fit per aliam formam & aliam materiam: ergo habet suam per se significationem propriam; ergo in casu quo fieret illa sola, fieret oblatio, sicut & Sacramentum; consistit enim oblatio in Consecratione. Probatur Consequentia; quia per Consecrationem vini non fit Christus præsens speciebus panis: ergo extra Consecrationem non complet intrinsecè aliter in esse Sacrificii, quàm in esse Sacramenti.

276. Secunda objectio, quod Consecratio Corporis non dependeat à Consecratione Sanguinis.

Ita argumentatur Hiquæus in suo Commentario ad locum Scoti suprà citatum n. 54. ubi illam opinionem vocat satis probabilem, tum ex auctoritate gravium Theologorum Adriani, Majoris, Alensis, qui eam docent; tum, quia cius oppositum nequit convinci ratione, aut auctoritate: totum enim dependet ab instituto Christi.

Hiquæus.

Adrianus. Maior. Alensis.

Imò, quia totum dependet ab instituto Christi, ideo existimo illam opinionem parùm probabilem; si quidem satis manifestè significat Tridentinum suprà primo loco, voluntatem Christi fuisse, ut numquam Sacrificium offerretur in Ecclesia sub una tantùm specie: non quòd putem Sacrificium essentialiter consistere in Consecratione utriusque speciei; sed quia utraque Consecratio, utì etiam Sacramenti sumptio, requiritur ad integram, magisque expressam significationem Sacrificii, quam instituens Sacrificium, tamquam primarium cultum Dei rationabiliter potuit velle & censetur voluisse.

Solvitur.

Utraque Consecratio requiritur ad integram, magisque expressam significationem Sacrificii.

Sed instat Hiquæus suprà: Etiam deest significatio completa Sacramenti, quod per modum convivii institutum est in cibo & potu: sed hoc non obstante, contingit usus unius speciei in Laicis.

277. Instantia Hiquæi.

Contingit planè, sed ex voluntate instituentis, quam proprio ore significavit Joannis 6. v. 59. dicens: *Qui manducat hunc panem vivet in æternum*; quibus verbis promittit gratiam sumenti unam speciem. Et quamvis ex illo loco id non sufficienter colligeretur, hodie tamen post definitionem Tridentini sess. 21. can. 1. hæreticum est dubitare: *Si quis dixerit ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere; anathema sit.*

Solvitur.

Ioan. 6.

Trident.

Iussit ergo Dominus Jesus, utique post institutionem hujus Sanctissimi Sacramenti & incruenti Sacrificii, jussit, inquam, Apostolis suis facere, quod ipsum viderant facientem;

nisi vel ab ipso, vel à Spiritu Sancto, quem missurus erat ad docendam omnem veritatem, contrarium edocerentur. Plura in materia de Sacrificio.

278. Ex dictis infertur, non licere sub una specie consecrare ad communicandum infirmum.

Tantùm hìc infero ex dictis, non licere sub una specie consecrare, etiam ad communicandum infirmum, juxta Doctores communiter; sicuti illicitum est, ut suo loco dicetur, ad eundem finem consecrare utramque speciem sine vestibus sacris, cùm tamen usus sacrarum vestium solùm sit præcepti ecclesiastici; idque, quia licèt præceptum communicandi in articulo mortis esset divinum, equidem non obligat, nisi quando commodè potest adimpleri. Certè majus incommodum est consecrare unam dumtaxat speciem contra præceptum divinum, quàm celebrare sine vestibus sacris contra præceptum Ecclesiæ.

Majus incommodum est consecrare unam speciem, quàm celebrare sine vestibus sacris.

Quòd si à me quæritur, unde colligi possit, an præceptum aliquod divinum aut ecclesiasticum cum tanto, vel minori rigore obliget? Resp. ex sensu Doctorum & Ecclesiæ interpretatione: prout scitur præceptum divinum integrè confitendi facilè pati Epykiam; uti etiam faciliùs cessat obligatio ecclesiastica non communicandi post sumptum cibum aut potum, quàm non celebrandi. Prudenti itaque judicio opus est in discernendis obligationibus, quæ cui prævaleat.

279. In aliquibus casibus licitè Sacerdos omittit Consecrationem alterius speciei.

Proculdubio etiam in aliquibus casibus licitè Sacerdos omittit Consecrationem alterius speciei; v. g. si deprehendat post Consecrationem Corporis, vinum veneno esse infectum, vel esse aquam, & aliud vinum reperiri nequeat: aut si immineat vitæ periculum, v. g. ex ruina templi, incendio aut incursu hostium; & generaliter quando unâ specie jam consecratâ, altera species physicè vel moraliter est impossibilis; quia *Nemo potest ad impossibile obligari*: Reg. 6. de Reg. Juris in 6.

Reg. 6. de Reg. Juris in 6.

Impossibile, inquam, physicè vel moraliter, potissimùm si loquamur de præceptis affirmativis, obligantibus quidem semper, sed non ad semper; imò & in negativis obtinet hæc regula sic intellecta, quando tota obligatio oritur ex positiva voluntate Legislatoris, qui rationabiliter præsumitur casum extremæ aut gravis necessitatis voluisse excipere.

Machabæi per se non fuerunt obligati abstinere à carnibus porcinis.

Unde putamus Machabæos in veteri Lege per se & vi præcepti negativi non comedendi carnes porcinas non fuisse obligatos abstinere ab hujusmodi carnibus, si abfuisset scandalum & periculum contemptûs Religionis eorum, quod utique non contigit; quia ut ex historia, quæ refertur 2. Machab. 7. patet, præcipiebatur ab Antiocho, ut carnes porcinas manducarent in contemptum Religionis suæ: & ideo cum Eleazaro, de quo eodem libro cap. 6. fit mentio, glorioſissimam mortem magis, quàm odibilem Deo vitam amplexi sunt. Vade, & tu fac similiter, si fortè à quopiam cogaris in contemptum Fidei Sacrificium mutilare.

2. Machab. 7.

280. Pontifex non potest propriè dispensare in jure divino.

De cætero Pontificem non posse propriè dispensare in jure divino, etsi illud possit interpretari, communiùs docetur in Tract. de Legibus & longè probabiliùs oppositò; si quidem inferior non dispensat in lege superioris sine generali aut speciali commissione. Ubi autem Christus Beato Petro, & successoribus ejus vel specialiter, vel saltem generaliter commiserit potestatem dispensandi in suis legibus, sive fidei, sive Sacrificii aut Sacramentorum, non reperio.

Lego quidem dictum Petro à Christo Joannis 21. v. 17. *Pasce oves meas*, & Matt. 16. v. 19. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in cælis.* Sed numquid ideo verè dixerim, Pontificem posse dispensare in fornicatione, adulterio, occisione innocentis & reliquis præceptis Decalogi; item in materia & forma essentiali Sacramentorum, in articulis Fidei hodie explicitè credendis, ut sunt Sanctissima Trinitas, Incarnatio Christi, mors, resurrectio &c.? Nullus sanè hactenus vel saltem adulatoriè talem Pontificibus ausus fuit potestatem adscribere.

eâ dictum fuerit Petro Joan. 21. v. 17. Pasce oves meas, & Matth. 16. quodcumque ligaveris &c.

281.

Nec ego adscribo; sed dico cum Bonifacio VIII. Reg. 81. de Reg. Juris in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Putasnè Christus in specie esset concessurus mutilationem Sacrificii? Id putare non est sapientis. Quare? Quoniam Ecclesia Christi est corpus aliquod mysticum, cœtus nempe hominum, Christianæ fidei professione, ac eorumdem Sacramentorum, nec non ejusdem Sacrificii participatione, sub uno legitimo Pastore coadunatorum; quæ profectò coadunatio, parva, aut nulla foret, si Papa posset dispensare, ut hìc in solo pane sacrificetur, ibi in solo vino; hìc conferatur Baptismus in aqua rosacea, alibi in vino, aut in sola forma verborum, & sic in cæteris. Unde factum, ut Christus in nova Lege tantùm dederit præcepta fidei & Sacramentorum; quibus tamquam fundamentis manentibus inconcussis & immutabilibus, etiam Ecclesia inconcussa & immutabilis permaneret.

282. Nec propterea minùs bene provisum utilitati spirituali fidelium, quando ea tantùm non licent, quæ magis vergerent ad destructionem, quàm ad ædificationem, & ex quibus, si licerent, multò graviora incommoda provenirent, quàm si non liceant. Quocirca admiratione dignum est, nonnullos Doctores ex illis, qui existimant Consecrationem utriusque speciei esse juris divini, concedere nihilominus Pontifici potestatem in ea dispensandi, cùm non sit major ratio de una lege, quàm de cæteris omnibus.

Nec propterea minùs provisum est licent jure divino, quæ magis vergerent ad destructionem, quàm ad ædificationem, & ex quibus, si licerent, multò graviora incommoda provenirent, quàm si non liceant.

Respon-

Duplex responsio Adversatio-num.

Respondent, diversitatem rationis petendam esse ex necessitate communi, quando v. g. in toto aliquo regno defectu vini non posset haberi usus Sacrificii, & consequenter Sacramenti: ergo sicut Papa propter similem rationem dispensat in voto, juramento, matrimonio rato, quæ sunt juris divini, ita quoque posset dispensare in integritate Sacrificii. Deinde est præceptum divinum, ut consecrans communicet sub utraque specie; sed novi Sacerdotes, qui consecrant simul cum Episcopo, communicant tantùm sub una specie: ergo &c.

283. Solvitur secunda. Non extat præceptum divinum obligans omnes istos concelebrantes ad communionem sub utraque specie, cùm etiam perraro accidat, ut utramque speciem consecrent: satisfit ergo præcepto Christi de integritate Sacrificii, quando principalis offerens consecrat utramque speciem, & ipse, vel alius, eo impedito, utramque speciem percipit.

Quamvis enim in rigore physico sint in tali casu plures Consecrationes, adeoque plura Sacrificia, imò & multiplices fructus Sacrificii; tamen moraliter loquendo propter unitatem Episcopi, qui est principalis sacrificans, & cui novi Sacerdotes dicuntur tantùm concelebrare, meritò censeri potest unum Sacrificium, non exigens sumptionem sive consummationem per usum utriusque speciei, nisi ab uno.

284. Objectio Hiquæi.

Dices cum Hiquæo suprà n. 55. Consecratio non magis fit ab Episcopo, quàm ab aliis; quia idem character sacerdotalis invenitur in singulis, & ejusdem potestatis est, & singuli concipiunt intentionem in his ergo sicut sunt pares, ita non invenitur aliquis principalis offerens quoad Consecrationem.

Solvitur.

Resp. valde esse disparem in intentione; nam concelebrantes si vel priùs vel posteriùs absolvant verba Consecrationis quàm Episcopus, nihil efficiunt; Episcopus autem semper consecrat: & idcirco in multis Episcopatibus ille mos simul consecrandi exolevit.

285. An Pontifex propriè dispenset in voto, juramento &c.

Magis urget prior instantia, à qua aliqui nimis leviter se expediunt, dicentes, Papam non dispensare in illis, sed solùm declarare, seu interpretari legem divinam aut naturalem. Quod si verum est, profectò nulla erit necessitas recurrendi ad Pontificem, neque opus erit potestate jurisdictionis, cùm quilibet prudens possit legem quamcumque doctrinaliter declarare & interpretari. Deinde constat dispensari, ubi aliàs certa esset obligatio. Denique ipsum verbum Dispensandi, quo utuntur jura, in proprietate significat relaxationem juris, & non tantùm interpretationem.

Improbatur sententia opposita.

Ideo alii respondent, non dispensare Pontificem in voto, juramento, & matrimonio; sed tollere promissionem, materiam juramenti, & contractum, quæ dependent à voluntate humana; & idcirco per illam tolli possunt, quibus sublatis, obligatio juris naturalis aut divini per se corruit.

286. Objectio duplex.

Sed contrà: Pontifici non fit promissio; unde nequit tolli nisi ab ipso, qui habet potestatem relaxandi obligationem præcepti.

Præterea, ideo tenet contractus Matrimonii indissolubiliter, quia ex præcepto divino habet annexam hujusmodi obligationem; alioquin mutuo consensu posset solvi, sicut alii contractus: ergo in potestate Pontificis non est tollere illum contractum, nisi relaxando obligationem præcepti divini.

An Ecclesia solvat vinculum Matrimonii rati?

Hinc multi docent, & satis probabiliter, Ecclesiam non posse dispensare sive solvere vinculum Matrimonii rati, sed solùm declarare Deum illud solvere, quando quis profitetur in Religione approbata.

287. Proponitur sententia affirmativa.

Nihilominus quia & in aliis casibus non semel, sed sæpiùs Pontifex dissolvit Matrimonium ratum, ut suo loco videbitur, propterea non infimæ notæ Theologi, & sanè quamplures ingenuè fatentur Pontificem hìc verè dispensare in jure divino, idque ex speciali commissione; quia esset nimis magnus error, si Ecclesia in dispensatione tam frequenti, usa fuisset potestate, quam à Deo non habet.

An eadem ratio relaxationis voti & juramenti?

Et similiter responderi posset, relaxationem voti & juramenti esse quidem propriam dispensationem in jure naturali; fieri equidem ex voluntate Dei per Spiritum Sanctum Ecclesiæ specialiter intimatâ, & idcirco à principio Ecclesiæ usque ad hæc tempora sine ullo scrupulo aut contradictione fuisse practicatam, qui sanè usus esset intolerabilis error in re maximè necessaria ad mores pertinens, qui error Sanctitati Ecclesiæ repugnat.

288. Nulla est necessitas admittendi propriam dispensationem in jure naturali formaliter & directè.

Cæterùm nulla hìc est necessitas admittendi propriam dispensationem in jure naturali formaliter & directè. Lex quippe naturalis in proposito casu est, ut vota & juramenta reddantur Deo, quæ Lex non potest conservari, nisi quamdiu vota & juramenta conservantur; quibus proinde sublatis, necesse est ipsam Legem per se corruere, sicut sublato fundamento, in instanti totum ædificium evertitur.

Probatur à simili.

Simile sit in lege positiva humana, quâ stante Lex naturalis dictat illam esse observandam. An ideo aliquis negat Legislatorem humanum posse dispensare in propria lege? Aut certè si dispensat, etiam dispensare in lege naturali? Nemo sic loquitur.

Aliud simile.

Rursus unus homo potest alteri remittere debitum ergà se contractum, nec tamen propterea dicitur dispensare in lege naturali propriè & formaliter loquendo, sed tantùm est dispensatio sive condonatio juris sibi per contractum, vel aliâ ratione acquisiti.

Eodem modo assero, dispensationem in voto aut juramento tantùm esse condonationem obligationis,

Dispensatio in voto tantùm est condonatio obligationis facta à Prælato nomine Dei.

ligationis, ortæ ex illis actibus humanis, factam à Prælato nomine ipsius Dei. Et verò licèt hæc obligatio non tantùm sit humana, sed etiam partim divina; quia non tantùm dependet à voluntate hominis, sed etiam à voluntate Dei acceptantis: attamen sicut Deus potest remittere illam obligationem per se, ita etiam per suum Vicarium; prout Rex potest aliquem eximere à lege propria, non tantùm per se, sed etiam per suum Vicarium.

289. Conveniens fuit illam potestatem dari hominibus,

Porrò conveniens fuit illam potestatem dari hominibus; quia votum & juramentum habent se instar legis alicujus privatæ ab hominibus impositæ, quæ sæpiùs indiget relaxatione propter varias necessitates ex conditione humana provenientes, ut quotidiana experientia testatur; adeoque Christus in necessariis quodammodò Ecclesiæ suæ defuisset, nisi hujusmodi potestatem illi dedisset.

Quid horum simile reperitur in Sacrificio? Hoc siquidem, tamquam cultus Dei magis principalis, convenit ubique esse unum & idem, in nulla sui parte mutilatum, sed integrum & perfectum, Deo ita providente, ut omni loco & tempore necessario, utraque species consecrabilis haud difficilè sit invenibilis.

non ita fuit conveniens potestas dispensandi in integritate Sacrificii.

Certè propter casus rarissimos non debuit potestas dispensandi in integritate Sacrificii Ecclesiæ committi; sicut nec commissa fuit potestas dispensandi in materiis & formis essentialibus Sacramentorum; quamvis in his sæpiùs occurrere possint casus necessitatis: quippe Deus non omni casui extraordinario providere debuit medio ordinario. Alioquin dicamus, quòd, quando in aliquo integro regno non esset invenibilis neque panis, neque vinum, ne fidelibus desit Viaticum Corporis & Sanguinis Christi, Ecclesiæ commissum esse, determinare seu instituere novam materiam.

290. Objectio ex facto Pontificum *Innoc. VIII. Innoc. IV.*

Dices; Pontifex aliquando dispensavit, puta Innocentius VIII. cum Saxonibus, ut in solo pane consecrarent, teste Volaterano lib. 7. Geographiæ cap. de Saxonibus. Idem ab Innocentio IV. concessum esse Norwegiis quidam dicunt, eò quòd ibi vinum ob nimiam loci frigiditatem conservari non possit.

Altera objectio ex Conc. Trident.

Accedat Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. declarans *hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum & locorum varietate magis expedire judicaret* &c. Sed expedit utilitati communi totius regni aut provinciæ, in qua vinum haberi nequit, aut conservari, ut usus hujus Sacramenti, ad quem omnes obligantur, non intermittatur: ergo &c.

Confirmatio.

Confirmatur; quia majoris & superioris obligationis est offerre Sacrificium, quàm offerre sub utraque specie: ergo in his partibus, in quibus altera species est impossibilis, esset valde durum asserere, non licere offerre Sacrificium, quod unicum est in Lege nova, aut hanc connexionem utriusque speciei ita institutam esse, ut relaxari non possit, cùm Christus universalem esse voluerit usum Sacramenti & Sacrificii in tota Ecclesia.

Herculè non dubito de tali voluntate, verumtamen pro loco & tempore, quo usus ille commodè potest haberi, sicut suprà diximus, fortè Christum universaliter voluisse Communionem in articulo mortis, sed quando commodè haberi potest; & ideo non licet sub una specie celebrare ad moribundum communicandum. 291. Responsio ad confirmationem.

Ergo similiter, voluit quidem Christus universaliter in tota Ecclesia offerri Sacrificium, non tamen quodcumque, sed essentialiter & integraliter perfectum; ita ut non sint diversa præcepta offerre Sacrificium & offerre sub utraque specie, sed unum & idem, impositum illis verbis Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, haudquaquam obligans ad substantiam seu essentiam Sacrificii, quando integritas physicè vel moraliter est impossibilis. Luc. 22.

Et dato (quod hactenus non scitur contigisse) quòd in toto aliquo regno vel provincia non inveniretur altera materia consecrabilis, neque sic opus foret dispensatione, sed sufficeret benigna interpretatio mentis Legislatoris, attentâ præcepti gravitate aliisque circumstantiis; prout in aliis legibus tam naturalibus, quàm divinis positivis fieri consuevit.

Hinc quod attinet ad Innocentium IV. nil tale de eo referunt historiæ; nullum etiam exstat hujusmodi dispensationis vestigium: uti nec factæ ab Innocentio VIII. permanente tamen eâdem necessitate; quam experientia ostendit etiam in Norwegia non esse tantam, quin vinum ibi commodè conservari possit. 292. Responsio ad dictum Innoc. IV. & VIII.

Accedit repugnantia in verbis Volaterani, qui refert Innocentium permisisse, ut sine vino Calicem consecrarent; non potuit autem Calix vacuus consecrari, nec mutari à Pontifice materia essentialis à Christo instituta. Et quamvis modum loquendi Volaterani emendaverit Onuphrius ad annum 1490. omittendo ly *Calicem*; non tamen facit majorem fidem, quia ex solo Volaterano accepit.

Supereſt Concilium Tridentinum, ad quod facilè respondeo; Ecclesiam, sicut potest statuere in Sacramentorum dispensatione, quæ suscipientium utilitati magis expedire judicat, ita pariter eâdem utilitate exigente posse mutare, quæ à se anteà statuta fuerant; secùs quæ à Deo sive Christo. Responsio ad Conc. Trident.

Unde cap. 1. præmiserat *Nullo divino præcepto Laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum*: quasi diceret, quandoquidem Communio

nio sub utraque specie jure divino minimè obliget Laicos & Clericos non conficientes Sacramentum; & præterea cùm in Ecclesia sit potestas mutandi ea, quæ ab ipsa statuta sunt, hinc est, quòd gravibus & justis causis adducta, approbet consuetudinem communicandi sub altera specie.

Certè non est credibile Apostolum, cujus 1. Cor. 11. adfert auctoritatem ex 1. Cor. 11. v. 34. *Cætera autem cùm venero disponam*, quidpiam disposuisse contrarium iis, quæ à Christo in confectione hujus admirabilis Sacramenti, & Sacrificii disposita, & præcepta fuerant.

293. In Paraseve non offertur novum Sacrificium. Petes; quomodo ergo Ecclesia feriâ sextâ in Paraseve offerat Sacrificium sub una specie? Resp. nequaquam offerre novum Sacrificium; sed Sacrificium præcedenti die factum & consummatum quoad unam hostiam, consummare quoad alteram, pro quo nullâ indiget dispensatione, cùm non sit ulla obligatio singulis diebus novum Sacrificium offerendi.

Unde teste Lugone disp. 19. n. 121. Ecclesia Græca statuit per totam ferè Quadragesimam eodem ritu celebrari ex speciebus panis præconsecratis sine speciebus vini; & tamen neque in Sanctis Patribus, neque in ullo Concilio vel minima fit mentio alicujus dispensationis. Lugo.

Quapropter omnibus maturè consideratis, & ab utraque parte æquâ lance libratis, judico omnino asserendum, vel integritatem Sacrificii solùm esse juris Ecclesiastici, vel certè Pontificem in ea haudquaquam posse dispensare: sicuti non potest dispensare in præcepto divino integrè confitendi & similibus; quantumvis in multis casibus non currat obligatio, Pontifice, aut aliis viris prudentibus ita præcepta illa benignè interpretantibus. Vel integritas Sacrificii est tantùm juris Ecclesiastici, vel certè in ea non potest Pontifex dispensare,

Atque hujus Sectionis iste sit finis; nam quæ sequuntur de actionibus & passionibus Eucharisticis, maximè intricatas habent quæstiones, pro quibus resolvendis instituitur

SECTIO QVINTA.

De Actionibus & Passionibus Eucharisticis.

1. Esse Eucharisticum sequitur actio & passio Eucharistica. Quemadmodum ad esse naturale sequitur actio & passio naturalis; ita quoque ad esse Eucharisticum sequitur actio & passio Eucharistica. Quæro itaque, quid Christus possit in hoc Sacramento agere & pati. Ante resolutionem

Nota I. aliam esse actionem immanentem, cujus terminus necessariò recipitur in principium à quo egreditur, ut intellectio, volitio &c. Aliam transeuntem, cujus terminus non necessariò sic recipitur, ut omnes actiones Dei ad extrà, productio caloris in aqua, motus localis &c.

Duobus modis aliquid inest Christo in Sacramento, primò videlicet, & concomitanter. Scotus. Nota II. ex Scoto 4. dist. 10. q. 5. duobus modis aliquid inesse Christo in Sacramento, primò videlicet, & concomitanter. Quos terminos sic explicat n. 2. *Primò dicitur aliquid inesse Christo, ut hìc, quod sibi inesset, si nusquam alibi esset, nisi hìc; concomitanter autem dicitur aliquid sibi inesse hìc, quod primò inest sibi, ut alibi, & ex hoc sibi inest, ut hìc, propter identitatem subiecti & formæ.* Intellexisti terminos? Planè, inquis; sed quid hi termini ad propositam quæstionem? Jam edissero.

CONCLUSIO I.

Omnis operatio immanens, quæ primò inest Christo in Cælo, inest eidem concomitanter in Sacramento.

Est Scoti suprà ibi: *Christo ut hìc, concomitanter inest omnis operatio, quæ primo sibi inest ut in cælo.* Probatio in universali; quia *nullum absolutum desinit esse in aliquo propter novum respectum extrinsecùs advenientem: operatio autem* (supple, immanens, nam de illa instituebatur quæstio) *est forma absoluta ..... ergo propter præsentiam novam, quæ est respectus novus extrinsecùs adveniens, non desinit illa operatio inesse suo subiecto.* Scotus. 2. Concomitanter inest omnis operatio immanens quæ primò inest in cælo.

Veritas hujus probationis habetur ex Conclusione 8. præcedentis Sectionis, ubi illam diffusiùs pertractavimus, causantes corpore replicato, etiam necessariò replicari omnia accidentia à loco absoluta; secùs quæ respiciunt hunc determinatum locum. Unde motus localis, qui primò inest Corpori Christi in cælo, nequaquam concomitanter inest eidem in Sacramento. Non ideò tamen motus localis;

Contrà; motus localis est operatio immanens: ergo falsa Conclusio. Antecedens probatur, quia recipitur ejus terminus in principium à quo egreditur.

Resp. Negando Antecedens. Ad probationem dico, præsentiam localem interdum quidem recipi in principium à quo egreditur, non tamen semper, ut patet in corpore, quod ab alio localiter movetur; porrò operatio immanens hìc intelligitur, cujus terminus necessariò recipitur in principium, à quo egreditur. cùm non sit operatio immanens.

3. An concomitanter insit impetus, quo Corpus Christi in cælo impellitur

Petes; an saltem impetus, quo Corpus Christi in cælo impellitur, non sit concomitanter in Sacramento? Responderi posset primò negativè; quia ille impulsus nequit causare præsentiam, nisi in uno loco; ergo videretur frustra poni in Sacramento: ergo non poneretur.

Responsio negativa impugnatur.

Contrà: potentia loco-motiva est ibi, & tamen ibi non operatur; prout etiam quantitas est ibi, licèt ibi non causet actualem impenetrationem, quia saltem perficit subjectum, & habet effectum suum formalem.

Responsio affirmativa.

Propterea responderi posset secundò, illum impulsum Corporis esse in Sacramento eo modo, quo sunt in Sacramento species impressæ, quas oculi ejus alibi ab objectis accipiunt.

Ex qua non sequitur Corpus Christi moveri in Sacramento.

Et si inferas: ergo etiam Corpus Christi movebitur in Sacramento. Resp. Neg. Conseq. quia quamquam ille impulsus non sit alligatus ad hunc locum; tamen est determinatus ad producendam præsentiam & motum in tali loco, & non in alio.

Confirmatur primò.

Confirmatur; quia sæpè potest esse impulsus in aliquo loco, in quo non producitur motus propter impedimentum, v. g. quando lapis impellitur ab aliquo sursum, & ab alio potentiori deorsum; in lapide quippe deorsum descendente, adhuc manet prior impulsus, ideo enim tardiùs movetur; & tamen ille impetus non operatur motum, ad quem ordinabatur.

Secunda confirmatio.

Confirmatur secundò; quia ad hoc datur impulsus alicui corpori, ut faciat, quod ipse impellens faceret, & ferat ipsum corpus ad locum, ad quem determinatè ab impellente dirigitur; jam autem impellens Corpus Christi in cælo, non dirigit illum impulsum ad motum causandum in Sacramento: ergo &c. Vide Cardinalem disp. 5. sect. 2. n. 43. & sequentibus.

Lege.

4. Objectio contra principalem Conclusionem.

Contra principalem doctrinam objicit sibi Scotus suprà n. 3. Operatio immanens non est forma simpliciter absoluta; quia requirit respectum potentiæ ad objectum.

Responsio ex Scoto.

Respondet: *Etiam aliæ quantitates vel qualitates in suo fieri dependent ab approximatione agentis, ut patet de calore & frigore & aliis qualitatibus, ad quas est alteratio: & tamen in esse suo sunt simpliciter absolutæ. Similiter operationes in suo fieri non requirunt talem respectum, & hoc ubi insunt concomitanter, & non primò: apparet enim quòd si Corpus Christi in cruce fuit infrigidatum, frigus etiam fiebat in Corpore Christi, ut in pixide concomitanter, sed non primò; & ad illud fieri non requirebatur approximatio agentis ad passum ibi: ergo à simili ista qualitas, cùm sit in se absoluta, licèt in fieri requirat præsentiam obiecti ad potentiam, hoc non erit, nisi ubi primò insit; potest ergo concomitanter inferi sine tali respectu.*

Instantia.

Instas: operatio est in continuo fieri; secùs aliæ qualitates: ergo requirit continuam approximationem potentiæ ad objectum.

Resp. cum Doctore nostro ibidem. *Licèt sit in fieri continuè, tamen non sequitur quin concomitanter possit inesse & continuè inferi sine obiecti præsentia vel approximatione. Sicut enim calor potest inferi Corpori in Eucharistia sine approximatione agentis, ut ibi: ita si esse caloris esset in fieri, semper posset causari calor in Corpore in Hostia, & tamen sine tali approximatione: non enim magis requiritur continuus respectus ad fieri continuum, quàm ad fieri transiens, respectus pro tunc præsens.* Ad quam respondetur cum Scoto.

5. Replica.

Et si replices; operatio respicit objectum, non tantùm ut est causa in fieri, sed etiam in ratione terminantis: sicut ergo impossibile est operans esse & non terminari ad objectum, sic impossibile est, quod alicubi insit, & ut ibi non terminetur ad objectum præsens.

Responsio Scoti.

Respondet Scotus suprà n. 4. *Quòd non oportet obiectum in se esse præsens propter terminationem actus, sed tantùm propter causationem: ita quod quando est aliqua causa sufficiens ipsius actûs, non requiritur præsentia obiecti propter terminationem.*

Probatio ejus à simili.

Probat à simili: *Sicut*, inquit, *patet de videnti creaturam in essentia divina, si essentia esset causa illius visionis, non requiritur illud obiectum, ad quod terminatur hæc visio præsens propriâ præsentialitate.* Hæc littera Doctoris non caret difficultate; videtur enim asserere ad cognitionem intuitivam non requiri objectum terminativum præsens, cùm tamen variis in locis contrarium doceat, nempe cognitionem intuitivam esse rei existentis & præsentis. Ante responsionem

6. Probatio Conclus. in specie Scoto.

Adverto ipsum specialiter fuisse sollicitum pro cognitione intuitiva sensûs externi: sic namque probat Conclusionem in speciali: *Quia omnis intellectio inest Christo ibi, & hìc: sed si anima Christi intelligeret præcisè secundùm modum intelligendi animæ viatoris, non haberet intellectionem intuitivam istius obiecti sine sensatione concomitante eiusdem: ergo cùm illam intellectionem haberet eandem hìc, & ibi, sequitur quòd etiam sensationem requisitam ad ipsam haberet hìc, sicut ibi.* Ubi ex inexistentia intellectionis intuitivæ (de abstractiva, quæ non requirit objectum præsens, nulla est controversia) hìc, & ibi tamquam notiori, infert inexistentiam sensationis prærequisitæ hìc, & ibi.

Alia probatio.

Adjungit aliam probationem: *Quia passio appetitûs sensitivi, utpote dolor, eadem insisset hìc, & ibi: ergo sensatio eadem. Antecedens probatur; quia mors secuta fuisset hìc, sicut ibi: ibi autem sequebatur ad dolorem immoderatum: ergo & hìc. Consequentia prima probatur; quia non est idem effectus sine eadem causa, & hoc non ponendo miraculum, & loquendo de causa naturali præcisa: dolor est effectus sensationis, vel obiecti non nisi sensati: ergo non potest esse idem dolor sine sensatione eadem absque miraculo.*

7. Responsio quorumdam

Si respondeas, quòd ad hoc sufficeret actus imaginationis in Christo. *Contra hac* (inquit) *dupliciter*

dum rejicitur.

dupliciter: Primò, quia responsio destruit se: non enim possibile est actum imaginationis inesse, cui actus secundùm sensum non potest inesse: quia imaginatio est motus factus à sensu: 2. de Anima. Secundò, quia imaginatio non est causa doloris ejusdem secundum speciem, cujus causa est sensatio exterior; alioquin somnians doleret dolore ejusdem speciei cum dolore vigilantis. Discursus subtilis, qui videtur probare, quòd visio, etiam sub ratione actionis, & non solùm sub ratione qualitatis, sit in Eucharistia.

Sensatio externa requirit præsentiam objecti, ubi primò elicitur, non tamen ubi concomitanter ponitur.

Et tunc dicendum est, quòd sensatio externa requirat præsentiam objecti, ubi primò elicitur, non tamen ubi concomitanter ponitur. Ratio pervia est; quia licèt respectus ad objectum præsens in operatione sit necessarius, ut hæc sit operatio in esse completo, & actu uniat objectum & potentiam; equidem supposito, quòd potentia semel sit unita objecto, sequitur unio, & per consequens visio sub ratione visionis ubicumque est: quia hoc ipsum, quod est constituere potentiam videntem completè & actu, est effectus absolutus visionis, quamvis dependeat à relatione illa ut conditione; ideoque talis effectus sequitur ad formam concomitanter ubicumque est.

8. Si tamen desineret in cælo secundum modum naturalem essendi, qualitas illa in Eucharistia nihil operaretur.

Quod tamen sic intelligendum puto, ut si desineret in cælo secundùm modum naturalem essendi, jam ampliùs, licèt conservaretur in Eucharistia visio sub ratione qualitatis, nihil operaretur potentia, ex defectu relationis requisitæ ad attingentiam objecti, quæ nequit inesse, nisi respectu præsentis & proportionati termini, qualis, ut supponitur, nullus esset, nec hìc nec ibi; adeoque etiam desineret effectus vitalis operationis, qui concomitanter tantùm est in potentia, ut est in Eucharistia.

Quomodo Scotus intelligendus, quando dicit, non requiri præsentiam objecti in se propter terminationem actûs.

Quod ergo Scotus suprà dicit, non requiri præsentiam objecti in se propter terminationem actûs; sed tantùm propter causationem, intellige vel de notitia intuitiva latè dicta, ut exemplum subjectum indicat, de quo agit 1. dist. 2. q. 4. vel certè tantùm voluit, ideo objectum ut præsens & existens necessariò terminare visionem; quia ut sic necessariò causat. Unde, Deo supernaturaliter supplente defectum causæ efficientis, possibilis est cognitio intuitiva, etiam propriè dicta objecti neque existentis, neque præsentis. Sed de hac quæstione alibi latiùs.

9. Fieri operationis distinguitur à facto esse.

Cæterùm ad instantiam propositam n. 4. aliter responderi posset, puta, licèt operatio sit in continuo fieri, nihilominus ipsum fieri operationis distinguitur à facto esse: fieri quippe est actio; at verò factum esse, actus seu qualitas, effectus utique actionis, species expressa, & formalis imago objecti. Quapropter estò fieri seu actio non poneretur in Sacramento, propter suam dependentiam continuam ab objecto præsente & movente, adhuc vix dubito quin ibi concomitanter esset actus seu qualitas, quantùm ad totum suum esse absolutum; fortè non ita quantùm ad attingentiam objecti; ut placet Hiquæo in suo Commentario ad illum locum Scoti n. 5. quoniam illa attingentia consequitur loci præsentiam.

Ex quo infert hic Auctor; si desineret visio sub modo naturali in cælo, Christum in Sacramento nihil visurum, tametsi Deus ibi conservaret absolutum visionis corporalis: quia ad visionem in genere requiritur, ut objectum sit præsens in se, vel saltem in aliquo eminenter continente objectum; neutrum horum esset in eo casu: ergo &c.

Scoti.

Alioquin sensatio posset primò inesse Christo (saltem quantùm ad conservari) ut est in Eucharistia, cujus oppositum videtur esse Scoti suprà n. 2. ibi: *Secunda Conclusio est, quòd nulla sensatio potest primò inesse Christo, ut in Sacramento.* Sed de hoc infrà. Sufficiat modò hic discursus: per visionem potentia visiva unitur objecto; ergo objectum debet existere: non existit in Sacramento, ut clarum est, neque etiam in cælo, ut supponitur; quo modo ergo poterit in Sacramento videri?

10. Objectio.

Dices: ergo neque absolutum visionis poterit in eo conservari. Probatur Consequentia; quia videre est effectus formalis istius formæ; effectus autem formalis nequit separari à forma in subjecto.

Solvitur ab Hiquæo.

Respondet Hiquæus suprà n. 9. quòd operatio in subjecto tribuit semper effectum formalem primarium, qui convenit ipsi, ut est qualitas absoluta; effectum verò secundarium & completum, qui est perfectissimus & finalis ejus, non potest tribuere se solâ sine conditione requisita; in quantùm enim est medium uniendi potentiam objecto (qui est finis ultimus) requirit præter absolutum, ordinem ad ipsum objectum in genere conditionis. Sanè diversitas illius ordinis sive attingentiæ objecti est in causa, cur Beatus eâdem planè & invariatâ substantiâ aut entitate visionis, nunc hanc, nunc illam videat in Verbo creaturam.

11. Manente visione in cælo, erit etiam concomitanter in Sacramento quoad attingentiam objecti.

Vera hæc sint, an falsa, non est hujus loci fusiùs examinare; hoc unicum dico, non satìs probare intentum: quippe ut visio concomitanter sit in Sacramento, etiam quoad attingentiam objecti, id est, ut Christus in Sacramento dicatur videns concomitanter, eâdem visione, quâ videt in cælo, videtur sufficere præsentia objecti in cælo: sicuti sufficit præsentia ignis Romæ, ut corpus Lovanii replicatum calefiat.

Ratio autem est: quia ex virtute agentis & approximatione, habet forma ut primò sit in subjecto; non tamen ex virtute agentis, & approximatione habet, ut postquam hic inest, alibi insit subjecto per concomitantiam, sed id habet ex identitate subjecti & formæ.

Hinc appositè Scotus suprà n. 6. *Non requiritur,*

Non requiritur objectum in debita proportione præsens ad actum sentiendi, nisi ubi objectum est causa sensationis.

quiritur, inquit, *obiectum in debita proportione præsens ad actum sentiendi, nisi ubi obiectum est aliquo modo causa sensationis: & hic, ut primò infiendæ.*

12. *Scotus.*

Nec quempiam moveat, quòd organum non habeat hìc modum extensivum, sub quo, & non aliter videtur receptivum sensationis; nam scitè respondet Doctor suprà: *Organum hoc verè est quantum hic, sicuti in cælo, & per consequens potest recipere sensationem, non obstante quòd sensatio non recipitur absolutè, nisi in quanto habente modum quantitativum: sed non habet hic modum quantitativum, id est coextensum quanto, cui est præsens, nec replet locum, & ideo, ut hic non potest sibi primò insieri sensatio. Iste enim modus quantitativus requiritur in organo ad hoc, quòd primò sibi insiat sensatio: sed non requiritur ad hoc, quod concomitanter sibi insiat, vel insit: quia non est causa necessaria recipiendi sensationem huiusmodi modus quantitativus: sed tantummodò conditio requisita per comparationem ad agens primò transmutans.*

Modus quantitativus requiritur in organo ad hoc, quòd primò sibi insiat sensatio.

Prætereo alias objectiones, quia levioris momenti, & unicâ illâ distinctione facillimè dissolvuntur, puta, quia plura requiruntur, ut sensatio primò insiat oculo, aut alteri potentiæ sensitivæ, quàm ut insit, vel insiat concomitanter.

Progrediamur ulteriùs, & interrogemus, si aliqua operatio primò potest inesse Christo, ut est in Sacramento? Non dubito quin possit. Sed quæ illa? Attende quod sequitur:

CONCLUSIO II.

Christo in Sacramento primò inest intellectio & volitio; incertum an etiam sensatio.

13. Christo in Sacramento primò inest intellectio à phantasmate independens: *Scotus.*

PRimæ parti omnes subscribunt, si intelligatur de intellectione independente à phantasmate. Est autem Scoti 4. dist. 10. q. 5. n. 2. ibi: *Tertia* Conclusio, *quod operatio spiritualis, ut intellectus & voluntatis, potest primò inesse Christo, ut in Eucharistia.*

Probat n. 5. *Quia anima Christi nunc beata intelligit sicut Angelus, quoad hoc, quod non dependet à sensibus, nec ex sensibilibus in intelligendo: ergo sicuti Angelus alicubi existens posset intuitivè intelligere obiectum sibi proportionaliter præsens, ita anima Christi ibidem existens potest illud obiectum intueri: ergo anima Christi ut hic, potest intuitivè intelligere illa intelligibilia, quæ sunt sibi ut hic præsentia, sicut Angelus posset, utpote intuitivè videre Angelum hic præsentem, & animam Sacerdotis, hæc autem intuitio inest animæ Christi primò ut hic; quia non inest illi animæ primò ut in cælo, supposito quòd immoderata distantia impediat intellectionem intuitivam creatam: sic enim Angelus existens in cælo intuitivè non videt, quidquid præsens hìc videt intuitivè.*

sunt enim Animæ Christi aliqua intelligibilia ut hic præsentia,

Ex quo infert, *Quòd Christus propter suum esse in Eucharistia non tantum non privatur aliquâ operatione, quam habet ut in cælo; sed ut in Eucharistia est, habet aliquam operationem primò, quam per consequens concomitanter habet ut in cælo . . . . & per consequens non est ad imperfectionem suam, quod sit in Eucharistia, sed ad ampliorem perfectionem.*

14. adeoque habet in Eucharistia aliquam operationem primò, quam per consequens concomitanter habet ut in cælo.

Et quid mirum si primò intelligat & velit in Eucharistia, qui fortè etiam primò sentit? Profectò intellectio & volitio speciesque ad illas actiones præcisè requisitæ, sunt merè spirituales, omnimodè independentes à corpore seu organo corporeo.

Addo ly *præcisè*; quia hodie naturâ per peccatum corruptâ dependent in nobis à phantasmate; phantasma autem à sensatione externa. Et hinc dubium, an intellectio dependens à phantasmate possit primò inesse Christo in Eucharistia?

Sed quid dicendum de intellectione à phantasmate dependente?

Suarius disp. 53. sect. 3. in fine negat, nisi forsitan Christus existens in cælo ibi habeat actum phantasiæ; hunc enim putat sufficere, ut intellectus in Sacramento exerceat suas operationes cum conversione ad phantasmata in propria specie; idque non solùm quia illa conversio ad phantasmata erit etiam per concomitantiam in Sacramento, sed etiamsi non esset, vel priùs naturâ quàm sit, propter radicationem harum potentiarum in eadem anima, & sympathiam earum: nam distantia vel propinquitas localis ipsorum actuum videtur nimis accidentaria ad hunc effectum. Ita ille.

15. Suarez negat illam primò inesse, nisi in cælo habeat actum phantasiæ.

Res parvi est momenti: nam, præterquam quòd actus phantasiæ in cælo semper concomitanter sit in Sacramento, intellectus Christi in Sacramento non indiget phantasmate ad suam operationem, utpote independens à sensibus. Pergam itaq; ad secundam partem Conclusionis.

Atque in primis nullam invenio rationem dubitandi, quin supernaturaliter sensus omnes tam externi, quàm interni operationes suas primò in Sacramento exercere possint; quæ enim implicantia? Ideoque quid supernaturaliter fiat, est nobis incognitum; quamvis ut varij observant, valde piè credatur, Christum de facto ibi audire & videre, quæ ab adstantibus & vicinis geruntur: congruum namque apparet, ut qui nobiscum in Sacramento corporaliter quasi habitat, non sit ibi quoad potentias & operationes corporales veluti modo quodam mortuo; sed magis habeat humanum quodammodò nobiscum commercium.

16. Possit supernaturaliter fieri intellectio omnis sensatio Christo ut existit in Sacramento.

De quo ergo hìc quæritur, est: An sine novo miraculo Christus, ut est in Sacramento, possit primò seipsum, aut circumstantes oculo corporeo videre, vel aliam quamcumque operationem sensûs tam externi, quàm interni elicere?

An non naturaliter, & sine novo miraculo?

Commu-

17. Communior sententia negat, quam amplectitur Scotus suprà nu. 2. dicens: *Secunda Conclusio est, quòd nulla sensatio potest primò inesse Christo, ut in Sacramento.*

Communis sententia negat cum Scoto,

Probat autem eam nu. 5. Primò: *quia organum sensûs non est in Corpore Christi in Eucharistia sub modo illo, qui requiritur, ad hoc quòd immutetur ab obiecto: quia oportet quòd tale habeat modum quantitativum, & sic sit localiter in loco, ad hoc ut patiatur à corpore obiecto.*

defectu modi quantitativi ipsius organi,

Probat secundò; Christo *ut in Eucharistia non est obiectum approximatum: ita enim est hic præsens cuicumque corpori, ut agenti, ac si non esset præsens, quia sic hic est ac si nusquam esset quantùm ad rationem patiendi à corpore; esse enim corpus agens, requirit passum sibi approximatum localiter; sic autem non est hic Corpus Christi localiter, sed solum species est hic isto modo: nec illud est magis præsens hìc alicui corpori in ratione passi, quàm si Angelus esset hic: ergo nulla sensatio potest sibi inesse primò, ut in Eucharistia existit.* Hæc ille, admodùm probabiliter.

& approximationis localis ad passum.

18. Equidem requiri localem extensionem potentiæ sensitivæ, ut possit pati ab objecto, recipiendo speciem sensibilem, & hâc mediante elicere sensationem, videntur negare Okam; Aliacensis, Major, & Gabriel citati à Vasquezio disp. 191. cap. 3. n. 21.

Localem extensionem potentiæ requiri negant Nominales citati apud Vasquez.

Fundantur primò: Quia non minùs videtur sufficere ad actionem ex parte agentis, si agens secundùm se totum sit æquè præsens passo, quàm si ratione quantitatis sit ei propinquum per aliquam partem sui; atqui Christus existens in Sacramento æquè est præsens secundùm se totum cuicumque passo: ergo &c.

Fundantur primò.

Secundò: Idem patitur à seipso; siquidem aqua reducit se ad pristinam frigiditatem: & quis ignorat speciem sensibilem causare actum sensationis in eodem loco, ubi ipsa est? Ergo non est necessaria distantia agentis à passo secundùm locum, neque approximatio causæ sensationis per contactum physicum.

Secundò.

Tertiò argumentantur: Modus accidentarius principii agentis non est necessarius ad actionem; hujusmodi autem modus est extensio actualis ad locum: ergo &c.

Tertiò.

19. Quid ad hæc Vasquezius? Argumenta, inquit, Okami, & aliorum, frivola sunt. Ad primum dicimus non sufficere præsentiam & propinquitatem Christi secundùm se totum, ut agere possit & pati; quia non sola propinquitas est conditio requisita, sed propinquitas cum contactu quantitatis.

Ad quæ fundamenta respondet Vasquez,

Pulchra verba; sed malo de re. Proba quod asseris: vel si hoc asserendo probasti, ego negando refutavi.

sed responsio rejicitur

Probo, inquit aliquis: quia ad actionem naturalem requiritur præsentia seu approximatio naturalis; ideo namque cognitio supernaturalis non disponit sufficienter ad habitum naturalem, quia habitus naturalis solùm exigit actum naturalem, à quo procedat.

Probatio æquè incerta: præterquam enim quòd non sit improbabile, actum supernaturalem fidei producere habitum naturalem; humanitas Christi cùm subsistentia supernaturali quomodo operatur? Nonnè naturaliter? Et tamen subsistentia est conditio requisita ex parte naturæ.

uti & alia probatio desumpta à cognitione supernaturali, quæ non disponit sufficienter ad habitum naturalem;

Video responderi posse: subsistentia naturalis in humanitate Christi optimè suppletur per divinam, quæ præstat totum, quod illa præstare posset; at verò præsentia naturalis non suppletur per præsentiam sacramentalem, quæ non est extensio in ordine ad locum, sed inextensio.

Verumenimverò unde constat talem extensionem requiri? Quoniam, ais, actio illa, quæ procederet ab agente inextenso, esset diversæ rationis in entitate sua intrinseca ab omnibus actionibus, quæ naturaliter oriri possunt ab agente localiter extenso: ergo miraculosa, & entitativè supernaturalis.

20. Similiter illa, quæ desumitur ex diversitate istius actionis ab omnibus aliis, quæ proveniunt ab agente localiter extenso;

Antecedens probatur; quia actio, quâ ignis inextensus, calefaceret hoc lignum, æqualiter procederet ab omnibus partibus, cùm æqualiter essent approximatæ objecto; actio autem, quâ ignis extensus calefaceret idem lignum, inæqualiter respiceret omnes partes, propter inæqualem approximationem, hoc est, aliquas ut magìs influentes, quia magìs propinquæ sunt; alias ut minùs influentes, quia magis remotæ sunt.

Resp. differentiam illam non esse essentialem, sed tantummodò accidentalem; sicut major & minor approximatio nihil est essentiale, sed dumtaxat aliquid accidentale. Nullum ergo hìc miraculum, nisi illa inextensio ignis, qui requirit naturaliter extensionem: interim igne supernaturaliter existente sine extensione ad locum, quidni naturaliter calefaceret, & æqualiter secundùm omnes suas partes? Certè talis actio naturaliter illi debetur: unde potiùs miraculum esset, quòd non ageret, quàm quòd ageret.

quippe illa differentia est tantùm accidentalis.

Quapropter cùm ex Fide constet Corpus Christi, adeoque sensus tam externos, quàm internos in Sacramento per miraculum miraculorum existere inextensè, faciliùs dicitur, quàm evidenter probetur, quòd nulla sensatio primò insit Christo ut in Sacramento.

Ad secundum argumentum Nominalium reponit Vasquez, experientiâ compertum esse, ut idem non possit agere in seipsum ullo modo, nisi quantitatem habeat ita dispositam, ut ratione illius habeat partes inter se loco distantes per modum illum extensionis; non solùm ut una pars agat in aliam, sed etiam ut in omnibus partibus simul à principio intrinseco effectus aliquis proveniat: ut quando aqua à seipsa ad statum pristinum frigiditatis reducitur. Ita ille.

21. Responsio Vasquez ad secundum argumentum Nominalium, desumpta ab experientia.

Sed quænam ista experientia? Num credere

Rejicitur.

debeo Vasquezium aliquando vidisse aquam inextensè politam, quæ non poterat se reducere ad statum pristinum frigiditatis? In æternum non credam. Experimur quidem aquam extensam se reducere ad pristinam frigiditatem; similiter sensum agere in organo extenso: at verò quòd non agat, aut non possit agere in organo inextenso, quis unquam expertus fuit?

Dices; & quis contrarium experitur? Resp. fortè Christus, cujus solius potentiæ sensitivæ ponuntur in Sacramento inextensè, & nos experiri possemus, si Deo placeret sensus nostros similiter inextensè ponere.

22. Responsio Vasquez ad tertium

Ad tertium ait idem Auctor; modum quantitatis, qui est extensionis ad locum, quamvis sit modus accidentarius, requiri ex parte agentis ad agendum, & ex parte passi ad patiendum; non ut principium, neque etiam ut dispositionem ad recipiendum passionem seu qualitatem, sed ut conditionem; sicut requiritur etiam propinquitas, & contactus agentis & passi.

petit principium.

Verùm de hoc quæritur, & non minùs probabiliter negatur, quàm affirmatur. Relinquo autem Physicis disputandum, an causa efficiens non posset in distanti effectum producere, nihil etiam producendo in medio. Vide Smising de Deo uno Tract. 2. disp. 5. qu. 1. à numero 31. usque ad 50. ubi secutus Magistrum suum 1. dist. 37. quæstione unicâ, dilucidè ostendit, quomodo & qualiter id possit fieri.

Smising.

23. Objectio pro communi sententia.

Vides quàm incerta sit communis sententia? Scio, quia vides: nihilominus pro ea objicis; species sensationis externæ est extensa; ergo non recipitur nisi in organo extenso: ergo nulla sensatio, saltem externa, primò in Sacramento.

Prima responsio.

Responsio plana est; quia etiam species, quæ primò recipitur in cælo, est extensa; similiter visio vel alia sensatio: & tamen concomitanter existunt in Sacramento, quis dubitat an inextensè?

Secunda.

Resp. II. sicut non tota species recipitur in oculum, etiam extensum, sed solùm aliqua pars; quæ tamen sufficienter repræsentat totum objectum: sic quoque dato quòd organum esset indivisibile vel inextensum, pariter species erit indivisibilis vel inextensa secundùm indivisibilitatem vel inextensionem subjecti, cùm forma naturaliter proportionetur suo receptibili: equidem hoc non obstat, quin per illam speciem indivisibilem, vel inextensam videatur objectum divisibile vel extensum; sicuti per partem speciei, sive per parvam speciem videtur magnum objectum.

Non ostenditur, cur non possit objectum divisibile causare speciem indivisibilem in subjecto indivisibili.

24. Quamvis ergo de facto ita naturâ sit comparatum, ut quia subjectum extensum est, & objectum extensum, species conformiter debeat esse extensa: attamen si subjectum esset inextensum, estò alioquin objectum sit extensum, cur species non reciperetur inextensè? Et è contra cur objectum inextensum in subjecto extenso non produceret speciem extensam? An fortassis quia nulla hujusmodi receptionis aut productionis experientia? Et ipsa experientia fallax est. Crede rationi naturali.

Et quæ illa? Quia eadem essentialiter est potentia, quæ respicit illud objectum & solùm contingit variatio in aliquo accidente. Quid igitur prohibet, quin eadem variatio fieri possit in forma, quæ recipitur aut producitur?

Dices; quia indè sequeretur, accidens spirituale naturaliter posse recipi in subjecto materiali, & è converso accidens materiale in subjecto spirituali. 25. Objectio.

Resp. Neg. Conseq. Ratio disparitatis; quoniam spiritualitas & materialitas non sunt sola accidentia subjecti, sicut extensio & inextensio; sed principia planè essentialia, atque adeò invariabilia: potentia siquidem spiritualis numquam fit materialis, vel è contra; quemadmodum bene potentia extensa, inextensa, & è converso. Similiter accidens sive forma materialis numquam potest fieri spiritualis, aut è contra; cùm tamen certum sit accidentia Christi in cælo extensa, in Sacramento existere inextensè. Solutio.

Hæc dixerim, non animo contradicendi sententiæ Scoti, quæ communis est; sed ostendendi ejus incertitudinem. Transeo ad actiones tranleuntes, & dico:

CONCLUSIO III.

Christus ut in Sacramento agere potest actione physicâ transeunte in passum externum.

HAnc Conclusionem tractat Scotus 4. dist. 10. q. 7. quæ talis est: *Utrum Christus in Eucharistia existens possit per aliquam virtutem naturalem transmutare aliquid aliud à se.* Ante resolutionem autem advertit: *Sicut homo est compositus ex anima & corpore, ita habet potentias quasdam meræ spirituales, quæ conveniunt animæ primo, tamen toti per se per animam, ut sunt intellectus & voluntas. Habet etiam quasdam potentias corporeas, quæ scilicet non sunt animæ per se, sed totius coniuncti ex anima & corpore, ex lib. de Sensu & Sensato: & quidem illarum, quæ sunt totius coniuncti, quædam sunt magis corporeæ, quæ scilicet consequuntur naturam corporis sic mixti, ut gravitas & aliæ similes; quædam sunt magis approximantes ad naturam animæ, scilicet quæ consequuntur corpus animatum in quantum tale, ut potentiæ vegetativæ, & sensitivæ. De his ergo potentiis, supponendo aliquas hinc inde activas actione transeunte, videndum est per ordinem.* 26. Scotus. Potentiæ hominis quædam meræ spirituales, quædam corporeæ. Aliquæ ex illis sunt activæ actione transeunte.

Atque

Atque in primis Doctor noster, consequenter ad illa, quæ docuerat q. 5. asserit hìc n. 2. *Quòd Christus in Eucharistia non potest uti aliquâ potentiâ activâ corporeâ*; adeoque quòd non potest Corpus Christi ut hìc primò nutriri, inspirare, vel respirare aërem, organicè movere seipsum vel aliud corpus sibi approximatum, calefacere manum tangentis &c.

Probat: *Quia omnis potentia activa corporea requirit passum, in quod agat approximatum localiter sibi; ista potentia, ut est hìc, non est alicui localiter approximata: ergo ut est hìc, non potest habere passum sibi approximatum, sicut requiritur ad actionem talis potentiæ. Major patet 7. Physicorum, ubi probatur, quòd oportet agens corporeum approximatum esse passo mediatè, vel immediatè.*

Sed quòd localiter, unde convincitur? Certè Nominales, Conclusione præcedenti citati, constanter Majorem illam negant, & consequenter docent, potentiam etiam corpoream primò hìc agere posse, tam in ipsum Corpus Christi, quàm in passum externum. Et si ab illis quæras, cur ergo non calefaciat Corpus Christi manum tangentis, continuò respondent: Ut detur locus fidei.

Instas: ergo perpetuum miraculum? Quid mirum ubi præcessit miraculum miraculorum, & omnia plena sunt miraculis? Potiùs ad miraculum videtur ipsis recurrendum, quàm sine evidenti fundamento neganda activitas aliquibus causis naturalibus. Res ergo incerta intellectui humano, soli Deo evidenter cognita.

Interim subtiliter & doctè, ut semper, ita & in præsenti respondet Scotus ad ea, quæ sibi objiciuntur: Primò; *Ista descriptio de potentia activa, scilicet quod est principium transmutandi aliud in quantum aliud, debet intelligi, quantum est ex parte sui; sed multa impedimenta*, inquit n. 6. *possunt provenire vel ex parte habentis, vel ex parte obiecti vel medii, propter quæ non potest habens illam potentiam exire in actum.*

Secundò dicit: *Quòd corpus hìc nutritur, si nutritur in existentia naturali, sed non sequitur, ergo ut hìc agit: quia nutritio non est nisi aggeneratio partis ipsius substantiæ nutritæ, & ista aggeneratio potest esse per actionem virtutis nutritivæ sive ut hìc, sive ut alibi.*

Tertiò reponit: *Quòd Corpus Christi, ut hìc non respirat aërem, nec inspirat: tunc enim oporteret ponere aërem aliquem, ut hìc simul cum Corpore Christi sub hostia; sed tamen Corpus Christi ut hìc, habet pulmonem refrigeratum sicuti alibi in existentia naturali, quia frigus causatum per aërem ibi attractum, causatur hìc concomitanter, licèt non primò.*

Quartò: *Quòd potentia illa motiva Christi quæ est organica & corporalis, licèt sit in Corpore Christi ut hìc; tamen non potest esse principium actûs sui in corpore, ut hìc; quia requirit partem extra partem, non tantùm in toto; sed in comparatione ad locum, ad hoc ut per unam partem motam localiter moveat aliam.* Hucusque Scotus. Equidem minimè contrarius nostræ assertioni; ad cujus veritatem abundè satìs est, quòd Christus, ut in Sacramento, possit agere in passum externum actione spirituali.

De hac autem actione ita disserit n. 3. *Secunda Conclusio est, quòd Christus in Eucharistia potest uti quacumque potentiâ activâ spirituali. Hoc probatur per medium oppositum; quia illa non requirit ad actionem, quòd habeat esse localiter: quia etsi agens per principium spirituale sit in loco, non tamen requiritur, quòd sit ibi localiter ad hoc, quòd agat.*

Explicans verò istam Conclusionem in speciali dicit: *Quòd Christus in Eucharistia potest habere aliquam actionem merè spiritualem, tam ex parte principii, quàm ex parte termini: & potest habere aliquam spiritualem ex parte principii agendi, corporalem tamen ex parte termini.*

Primum probat: *Quia si esset aliquis Angelus præsens Christo in Eucharistia, posset anima Christi illum Angelum illuminare, & illi loqui locutione mentali eo modo, quo Angelus existens, ubi Christus est, posset alium Angelum illuminare, vel alii loqui: nam ista illuminatio & locutio non requirit, nisi principium activum sufficiens in illuminante, & loquente, & subiectum capax ex parte illuminati, sive cui sit locutio: & fortè approximationem secundùm Ubi definitivum, seu approximationem simplicem illuminantis ad illuminatum, vel loquentis ei, cui loquitur: nec requiritur ibi localiter esse, sicut nec si unus Angelus loqueretur alii. Hæc autem omnino sunt in proposito.*

Siquidem, ut docet 3. dist. 14. q. 2. n. 21. *In patria animæ Beatorum habebunt eundem modum loquendi, quem Angeli*, testimonium perhibente Christo ubi ait. *In resurrectione enim neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo*, Matth. 22. v. 30. *Et ideo* (prosequitur Scotus suprà) *si alicui animæ reveletur priùs aliqua veritas in Verbo, quàm Angelo, poterit illuminare Angelum de illa veritate, sicut Angelus posset illuminare animam, si priùs esset revelata Angelo.*

Ergo anima Christi in Sacramento habet principium illuminandi Angelos, & loquendi eis intellectualiter. Quidni illuminet, & loquatur, si velit? Eritque indubiè talis illuminatio & locutio merè spiritualis, tam ex parte principii, quam ex parte termini.

Num etiam invenire poterimus actionem spiritualem ex parte principii, corporalem tamen ex parte termini? Declarat eam Scotus 4. d. 10. q. 7. n. 4 dicens: *Angelus habet potentiam motivam secundùm locum, non organicam. Patet, quia non potest habere potentiam aliquam organicam: illa potest esse principium movendi corpus, secundùm totum, non secundùm partes, quomodo corpus nostrum movetur organicè; qualibet autem*

Potest agere Christus ut in Sacramento in passum externum actione spirituali; 30.

Scotus.

quia tale agens non requirit localem approximationem ad passum.

Anima Christi in Eucharistia potest loqui Angelo spiritualiter.

31. In patria animæ Beatorum habent eundem modum loquendi, quem Angeli.

Talis autem locutio erit spiritualis tam ex parte principii, quàm ex parte termini, 32.

non sic actio potentiæ locomotivæ non organicæ,

anima intellectiva talem potentiam habet: ergo potest esse principium motûs; & per consequens illa est merè spiritualis ex parte principii, quia nullo modo organica: & tamen corporalis ex parte termini, quia eius terminus est motus localis corporis.

quam potentiam Scotus supponit esse in anima Christi,

Deinde paucis interjectis pro defensione duplicis potentiæ loco-motivæ, organicæ videlicet, & non organicæ, n. 5. in medio: *Hanc*, inquit, *potentiam motivam non organicam supponо esse in anima Christi, quia etiam erit in anima cuiuslibet Beati: non tantùm quantùm ad habitum, sed quantùm ad actum, vel usûs possibilitatem. Hâc etiam poterit uti immediatè movendo aliquod corpus secundùm se totum, sicut Angelus potest movere.*

eâque fortè usam fuisse in hac vita;

Hâc etiam forte usus est Christus in vita istâ, ut quando elapsus est de manibus Iudæorum, qui ducentes eum ad montem, super quem erat civitas eorum sita, voluerunt ipsum præcipitare: quando etiam elapsus est de manibus parentum, & mansit in Ierusalem, ut patet secundùm Originem super illud Lucæ 2. Cùm factus esset Jesus annorum duodecim. *Ergo anima Christi in Eucharistia existens poterit uti istâ potentiâ, movendo species illas, vel hostiam; & fortè sic aliquando mota est hostia à Christo immediatè.*

uti etiam in Eucharistia.

33. Ecce Conclusio nostra à Scoto asserta. Nam quis ambigat, motum illum localem specierum esse actionem physicam transeuntem in passum externum?

Et si quæras, nunquid priùs movit Corpus suum per istam potentiam motivam, quam hostiam? Respondet: *Non fuit necessarium, sicut nec oportet Angelum priùs movere se localiter ad hoc, ut corpus sibi approximatum moveat localiter.*

Quælibet anima intellectiva etiam pro statu viæ habet talem potentiam:

Porrò quod, etiam in via, quælibet anima intellectiva habeat potentiam loco-motivam non organicam, probat n. 4. quia *Sicut anima, quantùm ad multa alia, similis est Angelo, ita etiam quantum ad potentiam motivam corporis non organicam: non enim est ratio, quare ista substantia non habet huiusmodi potentiam motivam corporis: & universaliter nulli naturæ debet negari, quod esset in ea perfectionis, nisi manifestè appareat, quod tale sibi repugnet: quia secundùm Philosophum 2. de Generatione in fine: Dignificanda est natura semper secundùm melius, quantum possibile est.*

34. Cùm autem arguis, quòd illa nunc est frustra, quia nullus ejus actus potest haberi: Respondet n. 5. *Quod nunc gustum & alios sensus ponimus, & necessarios ad perfectionem naturæ humanæ: & tamen non oportet omnes istos esse in actu secundo aliquando, sed possunt esse sine actu suo, ut in Beatis: nec tamen sunt frustra, quia pertinent ad perfectionem naturalem illius, in quo sunt: si ergo illi non sunt ibi frustra, quorum tamen usus est frustra pro illo statu, qui est simpliciter status perfectus naturæ humanæ (possibilis autem est usus illorum præcisè pro isto statu naturali) multò magis illa potentia motiva non organica non est frustra, licet usus eius non possit modo haberi, cuius tamen usus erit perpetuò in beatitudine; quia non tantùm poterit tunc Beatus movere corpus suum progressive, id est, primò movendo unam partem, & per illam aliam, & sic totum; sed poterit statim, & immediatè movere totum corpus secundùm Vbi, sine tali ordine motûs partium.*

neque illa est frustra, licèt usus ejus non possit hic haberi.

De hac potentia loco-motiva non organica plura reperies apud Doctorem nostrum 4 dist. 49. qu. 14. quæ hìc non commemoro: quoniam ad Philosophos magìs spectat inquirere, an detur duplex illa potentia loco-motiva in anima; & gratis admisso, quòd non daretur (ut putat Suarez disp. 53. sect. 1.) equidem vera esset Conclusio, ut patet ex dictis.

Cæterùm Suarius disp. mox citatâ sect. 2. 35. quamvìs absolutè doceat concluſ. 1. Corpus Christi ut in Eucharistia existit, nihil pati posse ab extrinsecis agentibus naturaliter operantibus; equidem magis dubitat, an non possit naturaliter habere actionem transeuntem in extrinsecum corpus. Ratio dubitandi; quia actio transiens & passio recipitur in passo, non verò in agente: unde fit, ut necessariò recipiatur ad modum patientis, & consequenter ut participet modum existendi ejus: non est autem necesse, ut induat modum existendi agentis, quia non est in illo, sed ab illo: ab eo autem, qui existit modo spirituali, potest manare actio corporali extensoque modo recepta in passo; quia quidquid recipitur, ad modum recipientis recipitur.

Suarez negat dubitare de actione Corporis Christi in Eucharistia, quàm de passione.

Quamvìs ergo Corpus Christi sit supernaturali modo in Eucharistia, posset ab illo prodire actio non recipiens illum modum; ergo ex hac parte non repugnat hujusmodi actionem fluere à Corpore Christi: hæc autem erat potissima repugnantia in ipsa passione; nam altera ratio de receptione passionis mediâ quantitate, non habet hìc locum; quia immediata ratio agendi non est quantitas aliqua: alia verò ratio de contactu non videtur admodùm urgens; nam hic contactus non est per se simpliciter necessarius, sed solùm, suppositâ imperfectione modi existendi in loco, quem habent corpora; absolutè tamen sufficit virtualis contactus cum sufficienti propinquitate per realem præsentiam, ut patet in agente spirituali. Igitur quòd agens naturale nunc debeat esse extensum, quamquam ex natura rei necessarium sit, non tamen ex necessitate ipsius actionis, seu virtutis activæ ut sic, sed ex necessitate materiæ, ratione cujus non potest corpus naturale alio modo naturaliter existere. Hucusque Suarius, magìs dubitans de actione, quàm de passione Corporis Christi in Eucharistia.

Contrà verò Hiquæus in suo Commentario ad dist. 10. qu. 71. nu. 4. Utrumque, inquit, asserendum est vel negandum. Et probat numero præcedenti, retorquendo rationem Suarii: quia sicut se habet corpus ad actionem, ita ad passionem; quia potentia tam activa, quàm

36. Hiquæus asserit utrumque esse concedendum vel negandum.

quàm passiva in ipso manet indivisibiliter existenti: ac etiam formæ, quæ sequuntur, ut proprietates absolutæ, præsentia, & reliqua, quæ insunt in ordine ad locum indivisibilem; ergo quantùm est ex parte ejus, eadem est ratio; ergo sicut potest agere actione transeunte in aliud extensum, ita & pati ab ipso: quia quidquid recipitur in aliquo, per modum recipientis recipitur; quia actio sequitur naturam passi, & modum ejus existendi: ergo passio & actio, quæ fierent in corpus indivisibiliter existens, essent indivisibiles, & sic non repugnarent. Sicut neque passionem & actionem esse ab ipso in aliud divisibile, quia sequerentur modum essendi subjecti non agentis. Hæc ille.

35. Suaten. negat dubitat de actione Corporis Christi in Eucharistia, quin de passione.

Communis opinio utramque negat corpori indivisibiliter existenti.

Optimè profectò declarans incertitudinem tam actionis, quàm passionis, non recedens equidem à communi opinione, quæ utramque negat corpori indivisibiliter existenti; quia sicut in esse dependet corpus à quantitate, ita etiam in agere & pati: siquidem modus agendi & patiendi consequitur modum essendi.

37. Objectio.

Et si objicias, quòd indivisibile possit moveri localiter, quia quodlibet indivisibile sphæræ potest describere planum juxta Scotum 2. dist. 2. q. 9. n. 36.

Solutio.

Respondet; indivisibile in continuo moveri posse per accidens, & secundariò ab agente corporeo, quod primò potest movere totum, non tamen primò & per se; quæ repugnantia non oritur ex parte indivisibilis (nam ut dicit Scotus suprà n. 37. *Potest concedi..... quòd indivisibile posset per se moveri, si per se esset*) sed agentis corporei, quod nequit producere actionem, nisi suppositâ extensione sui; quia proximè non applicatur virtus ejus creata, nisi ut extensa est.

Scotus.

Sicut nequit agere agens corporeum substantiale primò per actionem formæ substantialis, nisi priùs agat per formam accidentalem; v. g. ignis per calorem, non ob subordinationem, quæ est inter formas simpliciter, sed respectivè ad passum, à quo debet primùm expelli qualitas contraria conservativa formæ præexistentis, quæ si abesset, posset esse actio substantialis primò in ipsum. Ita etiam in proposito, subordinatio, quæ est inter passum & agens ratione extensionis, oritur primò ex natura agentis, quod nequit agere, nisi ipsum sit extensum, qui est modus naturalis essendi ejus: unde si posset agere, posset etiam actionem recipere, & reciperet à virtute activa proportionata.

38. Notat. Corpus Christi ut in Eucharistia non potest moveri primò, vel primò naturaliter,

Hinc appositè Doctor Subtilis 4. dist. 10. qu. 6. nu. 2. *Prima* Conclusio *est ista: Corpus Christi ut in Eucharistia non potest moveri primò, motu vel mutatione propriè dicta à virtute creata. Secunda est ista, quòd potest primò moveri, motu propriè dicto, immediatè à Deo.*

Prima Conclusio probatur sic; quia nulla virtus creata agit circa corpus non sibi proportionaliter approximatum secundum locum: Corpus Christi est hic non ut in loco, & per consequens nulli approximatum secundum locum. sed bene suâ pernaturaliter. Primum probatur;

Rogas Doct. Subt. cur tam generaliter loquatur dicens: *Nulla virtus creata?* Respondet: *Quia etsi manifestius sit de corpore, quàm de Angelo: tamen Angelus si agat circa corpus realiter transmutando illud, realiter sibi approximatur localiter: vel saltem habet localem existentiam; quia virtus eius non potest esse ad aliquem motum in corpore, nisi præsupposito Vbi illius corporis.* etiam respectu virtutis Angelicæ.

In quibus verbis per ly *Vbi*, intelligo Ubi locale propriè dictum, & per ly *Motum*, acceptionem substantiæ, quantitatis, qualitatis, vel Ubi circumscriptivi. Alioquin indivisibile continui, si per se esset, cur ab Angelo non posset recipere novam formam respectivam ad aliud indivisibile spatii, haud satis clarè video. An autem eodem modo Angelus posset movere Corpus Christi indivisibiliter positum in Sacramento, statim videbimus.

Secundam Conclusionem probat Doctor nu. 3. *Quia omnem dispositionem necessariam ad recipiendum calorem habet Corpus Christi ut hic, quam habet ut in cælo: ergo ut hic, non repugnat recipere calorem, esto per possibile, vel impossibile, quod nusquam alibi esset: & per consequens tùm virtus divina omnem formam posset imprimere passo, cuius passum est receptivum; sequitur quòd Deus potest Corpus suum ut hic transmutare primò ad calorem.* Quidni etiam ad novam præsentiam sacramentalem? 39. Secundum probatur. Scotus. Potest virtus divina omnem formam imprimere passo, cujus passum est receptivum.

Nemo dubitat quin possit, & expresè traditur à Scoto nu. 2. dicente: *Tertia* Conclusio *est ista: Quod potest moveri, & movetur primò, motu extensivè sumpto.* Sed à quo? *Quarta* (inquit) Conclusio *est ista, quòd isto modo, & isto motu, non movetur nisi immediatè à Deo.* Scotus. Corpus Christi in Eucharistia movetur primo motu extensivè sumpto. Quid sit ille motus? Scotus.

Vocat autem motum extensivè sumptum, *Quamcumque acceptionem cuiuscumque novæ formæ, sive absolutæ sive respectivæ: & sive respectus pertinentis ad Vbi propriè, vel per quamdam similitudinem. vel reductionem, cuiusmodi respectus est præsentialitas Corporis Christi hic sub specie.*

Cæterùm pro majori claritudine hujus quartæ Conclusionis, de qua est aliqua controversia inter Doctores, propono illam aliis verbis, & dico:

CONCLUSIO IV.

A nullo agente creato physicè movetur Corpus Christi in Eucharistia motu locali proprio, aut simili, per se, vel per accidens. 40.

QUòd Corpus Christi in Eucharistia per se nō moveatur ab ullo agente creato, seu motu

A nullo agente creato movetur Corpus Christi ut hic propriè localiter.

locali proprio, seu simili, est sententia communis. Prima pars liquet: quia quod non est in loco, non potest propriè localiter moveri, nequidem ab agente increato; atqui Corpus Christi ut hìc non est in loco: ergo &c.

Pro secunda parte; motum similem voco acquisitionem novæ præsentiæ sacramentalis. Causam autem illius (saltem per se primò) esse solum Deum, nemo dubitat qui docet illam præsentiam esse supernaturalem, non tantùm in modo, sed etiam in sua entitate. Unde tametsi gratìs concederemus, Corpus Christi sic inextensè sive sacramentaliter positum, à se ipso, vel ab Angelo per potentiam loco-motivam non organicam posse moveri ad novam præsentiam sacramentalem, certè adhuc negare deberemus, vel à se ipso, vel ab Angelo sic posse primò sacramentaliter poni. De quo ergo litigatur?

An possit moveri ad novam præsentiam sacramentalem per se vel per accidens.

Primò, an Corpus Christi iam existens in Sacramento inextensè sic permanens, possit ab anima per potentiam non organicam, vel ab Angelo moveri ad novam præsentiam, sive sub iisdem speciebus, sive sub aliis, aut etiam extra omnes species sub aëre circumstante? Secundò, an saltem per accidens non moveatur ab illo, qui physicè movet species consecratas.

41. Negat Scotus.

Ad utramque quæstionem responsio Scoti videtur negativa; nam in primis sic probat n. 4. Conclusionẽ quartam superiùs ex ipso relatam: *Quia quod nullo modo habet virtutem motivam super aliud, quando illud est per se, non movet illud per accidens, quando est cum alio, cum quo non facit unum, sicut actus & potentia: sed virtus creata omnino non potest super Corpus Christi in se sub isto modo existendi, ad movendum ipsum: ergo quando est cum alio, respectu cuius non est sicut potentia, nec sicut actus; sequitur, quòd eadem virtus non poterit corpus illud movere etiam per accidens: sic autem est cum hostia, quia patet quòd species non est forma eius, nec ipsum forma speciei.*

Probatur, quòd per accidens non possit moveri.

Probatur, quòd non possit moveri per se.

Adde quod habet q. 7. n. 6. in fine: *Potentia autem alia motiva non organica potest in actum suum hic, sicut in cælo, & per consequens secundum istam potest movere corpus aliud sibi approximatum, sicut Angelus posset; sed tamen non potest movere Corpus suum, ut hic, quia ut sic illud Corpus non subest alicui potentiæ motivæ, nisi divinæ immediatè.*

Quare autumas, nisi quia & ipsa præsentialitas, quæ acquireretur per talem motum, non subest alicui potentiæ motivæ, nisi divinæ immediatè? Etenim in substantia sua, ut jam jam dixi, est supernaturalis, & non tantùm in modo; postulat autem eius supernaturale in substantia principium aliquod supernaturale.

42. Virtus creata potest movere corpus replicatum ad præsentiam aliàs indebitam,

Ex quo patet, quare potiùs virtus creata possit movere corpus replicatum ad præsentiam aliàs indebitam; quia videlicet illa præsentia solùm est supernaturalis quoad modum extrinsecum: unde supposito primo miraculo, cùm illud corpus ex natura rei habeat capacitatem, ut saltem in uno loco moveatur, videtur eidem debitus à Deo concursus, ut possit à seipso, vel aliis moveri: secùs accidit Corpori Christi, ut in Sacramento; cùm enim ibi habeat existentiam planè supernaturalem in sua entitate, etiam ipsi, ut in Sacramento, planè indebitus est concursus, ut possit à seipso, vel ab aliis moveri ad novam præsentiam sacramentalem.

An verò posset accipere aliam præsentiam naturalem ab Angelo, vel à seipso per potentiam loco-motivam non organicam destructâ præsentiâ sacramentali, dic quod placet; quia impertinens ad propositum: sic enim non movebitur Corpus Christi ut in Sacramento, sed extrà.

Sed his non acquiescunt Adversarij, existimantes Corpus Christi saltem per accidens moveri à sacerdote, vel ab alio movente species, propter unionem physicam inter illa. Et hâc ratione, inquiunt, dicitur Sacerdos Corpus Christi elevare, deferre infirmis &c. 43. Multi putant Corpus Christi moveri per accidens à Sacerdote,

Nec obstat quod species non sit forma corporis, vel corpus forma speciei; quia grave existens in navi movetur per accidens à movente navem, licèt grave non sit forma navis, nec è converso. uti movetur grave existens in navi ad motum navis.

Respondet Scotus suprà q. 6. n. 4 *Instantia non est ad propositum; quia virtus motiva illius posset super grave per se, si grave per se esset.* Responsio Scoti.

Vt autem omnis instantia tollatur, *Accipiatur* (inquit ibidem) *ista Maior: Quando aliqua coniunguntur præcisè per actum voluntatis, contingenter se habentis ad illam connexionem, si unum illorum secundùm se sit mobile omnino improportionatum alicui moventi, & reliquum proportionatum; ipsum non eâdem motione potest movere utrumque istorum coniunctorum.*

Movens unum coniunctum, non movet alterum, à per actum voluntatis contingenter.

Patet, quia si movet unum quod est sibi proportionatum, non propter hoc per accidens movet reliquum: quia reliquum non est præsens isti moto, nec sicut actus potentiæ, nec è converso: nec simpliciter ex aliqua necessitate naturali, sicut grave est præsens illi, cui imititur, & propter hoc simul movetur cum illo: sed tantummodo est sibi præsens voluntate aliquâ contingenter se habente ad illam coniunctionem; quæ per consequens potest non velle coniunctionem illam, stante tamen motione alterius illorum.

Exemplificat in Angelo: *Si Angelus* (inquit n. 5.) *voluntariè faceret se esse præsentem lapidi, si moveo lapidem, non propter hoc moveo Angelum: quia nec est mobile per se à virtute mea, nec per accidens in proposito: quia nec est forma, nec pars alicuius mobilis per se à me. Si ergo Angelus esset præsens lapidi moto à me in termino motus: hoc non esset per actum meum, sed per actionem suam propriam, quâ faceret se præsentem ibi.* 44. Ferem idem cui insistet Angelus, non adeo hic Angelus.

Eodem modo in proposito, cùm corpus sit præsens speciei tantùm per actum voluntatis divinæ; si facio speciem habere novum Vbi, per illam motionem non est ibi corpus: quia nullo modo subest præsentialitas illius corporis, neque nova, neque antiqua, volun-

tati,

tati meæ, nec etiam per accidens: quia non est forma, nec pars illius, quod subest meæ motioni. Ita Doctor; & meritò, cùm neget omnem unionem physicam, sive formalem sive effectivam, inter Corpus & species, ratione cuius per accidens Corpus, secundùm aliquos, physicè movetur à movente species. Vide quæ diximus sect. 4. conclusione 5. ad quam remitto Lectorem, ne eadem sæpiùs rescribendo, prolixiores simus, quàm oportet.

45. Prima objectio & responsio ex Scoto.

Solùm subjicio duas objectiones, quas invenio apud Scotum suprà n. 6. quarum prima hisce verbis exprimitur: *Quod movet aliquid per se, movet per accidens, quidquid est in illo: ergo virtus creata, quæ per se movet hostiam, per accidens movet Corpus, quod per se est in hostia.*

Respondet Doctor; *quòd illa propositio prima falsa est, nisi intelligatur de illo, quod est in moto, vel sicut actus in potentia* (ut anima in corpore) *vel sicut pars in toto* (ut caput in corpore) *vel sicut aliquid necessitate naturali coniunctum, ut grave illi, cui inititur* (v.g. homo navi cui insidet, aut cerevisia vasi, cui impenetrabiliter includitur) *Si enim tantum per actum voluntatis contingenter coniungitur hoc illi, movens istud, non propter hoc movebit illud: sed oportet quòd illa voluntas, quæ est causa coniunctionis, sit etiam causa motionis illius, quod nulla naturali necessitate coniungitur moto.*

43. Multi putant Corpus Christi moveri per accidens à Sacerdote;

Secunda objectio.

Objectio secunda: *Quia aliter esset novum miraculum, quoties Sacerdos transferret hostiam, quia illa translatio non posset fieri manente veritate Eucharistiæ sine speciali actione divina.*

Responsio: Motus Corporis Christi ad motionem speciem non est novum miraculum,

Respondet: *quòd non est novum miraculum, quia Deus eâ voluntate, quâ instituit Eucharistiam in Ecclesia, determinavit facere Corpus Christi semper præsens speciei post Consecrationem: & ideo specie manente, qualitercumque transferatur, quòd Deus faciat Corpus præsens aliâ præsentiâ, loquendo de præsentia respectu continentis, sicut species habet aliam præsentiam, & aliam, ut primò contenta, non est novum miraculum, sed antiqua determinatio voluntatis divinæ: sicut si Angelus determinaßet per voluntatem, quòd semper simul esset cum isto lapide, non diceretur miraculum, quia transfertur translato lapide: non tamen transferens lapidem per actionem suam transferret Angelum, sed Angelus voluntate propriâ.*

sed antiqua est antiqua determinatio voluntatis divinæ.

46. Objectio.

Sed dicet aliquis; valde verisimile videtur motum Corporis Christi ad motum specierum procedere ab anima Christi per dotem agilitatis, seu per potentiam loco-motivam non organicam: sicut enim per illam potest movere hostiam, sic non satis apparet, cur cum hostia nequeat physicè movere suum Corpus; adeoque convenienter dicitur sic de facto fieri. Unde eâdem ratione posset verisimiliter Angelus movere per se Corpus Christi, vel etiam per accidens ad motum specierum per contactum virtualem, sicuti potest localiter movere & impellere alterum Angelum.

Responsio.

Respondeo præsentiam hostiæ esse naturalem; Corporis autem, ut in Eucharistia, supernaturalem: & ideo animam posse movere hostiam, non autem suum Corpus; & similiter unum Angelum posse movere alterum Angelum, minimè verò Corpus Christi ut in Sacramento.

47. Instantia,

Instas; non producitur præsentia sacramentalis ad species, sed tantùm præsentia ad varia loca (quæ non est supernaturalis) cùm Christus semper maneat præsens speciebus; quocumque loco species ponantur. Resp. utramq; præsentiam esse supernaturalem, veluti totius Corporis in toto continente, & totius in qualibet parte.

Solvitur.

Profectò impertinens videtur ad supernaturalitatem præsentiæ; quòd continens sit species panis, vel aër circumstans. Quid enim Doctor Subtilis suprà n. 3. in fine? *Dico, quòd non est simpliciter necessarium illud Corpus esse præsens speciei; sed tantum ex ordinatione divinæ, de qua certificavit Ecclesiam. Posset ergo Deus de potentia absoluta facere Corpus suum non esse præsens speciei, isto modo, manente specie, & facere ipsum isto modo præsens aëri circumstanti hostiam, & etiam successivè nunc uni parti aëris, nunc alteri; & sic transferre Corpus de loco hostiæ usque ad quancumque partem universi, & semper sub eodem modo existendi, non localiter cum alio corpore replente locum.*

Ad supernaturalitatem præsentiæ impertinens est ipsum continens:

Scotus.

Ergo si modus existendi sub speciebus est supernaturalis in sua entitate, utpote omnino indebitus Corpori extenso, pariter erit supernaturalis in sua entitate idem modus existendi sub aëre circumstante (atque adeò supernaturalis præsentia, quam de facto habet Corpus respectu continentis species) utpote modus existendi inextensè, cùm ex natura sua corpus postulet extensionem in ordine ad locum.

sive enim sit aër sive species panis, idem est modus existendi.

48. Alia instantia.

Urges; anima potest elicere actus supernaturales, etiam visionis & fruitionis Dei: ergo similiter per potentiam loco-motivam non organicam poterit causare præsentiam supernaturalem.

Respondetur.

Transeat totum. Sed quid indè? Num ideo doctrina Scoti minùs vera? Nequaquam: etenim simpliciter adhuc verum est: Corpus Christi, ut in Eucharistia, non potest physicè moveri motu locali extensivè sumpto, sive per se, sive per accidens, nisi immediatè à Deo supernaturaliter concurrente per speciale auxilium creaturæ indebitum. Quòd autem de facto sic concurrat cum anima Christi, cui revelatum est?

Vel ergo dicendum est cum aliquibus Recentioribus (quibus Dicastillo disp. 5. n. 360. falsò annumerat Scotum, ut Concl. sequenti ampliùs declaro) præsentiam Christi in Eucharistia sive ad species, sive ad spatium, solùm esse supernaturalem quoad modum, & non in sua substantia, quod non est omnino improbabile; vel asserendum cum Scoto neque animam, neque Angelum solis viribus naturæ posse movere Corpus Christi ut hìc.

Ultimò

49. Ultima objectio,

Ultimò objicitur: quamvis hic modus præsentiæ sit supernaturalis etiam quoad substantiam, & ideo non possit anima, vel Angelus illum efficere in Corpus Christi, nisi in eo præsupponatur; tamen postquam Corpus Christi supponitur ita existens, non videtur adeò supernaturale, vel difficile, illud Corpus transferre ab uno loco in alium, mutando habitudinem ad spatium & propinquitatem, vel distantiam ad alia corpora. Hæc objectio procedit secundùm sententiam Nominalium, de qua egimus Conclusione 2.

cui satisfit.

Respondetur autem: Si hujusmodi præsentia, secundùm suam speciem, superat naturalem virtutem creaturæ, in quolibet individuo superabit; quia & tota species clauditur in quolibet individuo, & actio per se primò circa individuũ versatur: sicut ergo ens creatum non potest virtute naturali conferre corpori primam præsentiam sacramentalem; ita neque corpori jam habenti unam præsentiam sacramentalem potest dare alteram, ut priorem auferat: quia non est minùs supernaturalis secunda, quàm prima; & quòd prima præcesserit, nihil refert: quia nec dedit corpori naturalem aptitudinem ad similem præsentiæ modum; neque auxit virtutem causæ agentis; nec minuit perfectionem, aut difficultatem effectûs: nam ipsamet præsentia prior appetit suam conservationem, & suo modo resistit formaliter alteri præsentiæ sibi incompossibili. Ita Suarez disp. 53. sect. 1. conclusione 4. in fine.

Secunda præsentia Corporis Christi non est minùs supernaturalis, quàm prima.

Suarez.

Equidem qui reponeret cum Nominalibus, per primam præsentiam dari corpori naturalem quasi aptitudinem ad similem præsentiam, & cætera materialia inextensè recipienda, cùm forma naturaliter proportionetur suo receptibili, quomodo efficaciter redargueretur? Itaque & hæc Conclusio incerta: certior apparet, quæ sequitur.

CONCLUSIO V.

Intellectus creatus independens à sensibus potest Christum in Eucharistia naturaliter videre.

50. Quis intellectus sit à sensibus independens?

TAlis est intellectus Angelicus, intellectus animæ separatæ, & intellectus animæ conjunctæ corpori beato. Porrò per ly *Naturaliter*, non intelligitur sola natura intellectûs: quia anima est sicut tabula rasa, quæ nihil potest in se sola cognoscere; sed intelligitur natura intellectûs, concurrentibus aliis causis naturalibus, scilicet activo & passivo. Ly autem *Videre*, importat intellectionem intuitivam, ut distinguitur contra intellectionem abstractivam.

Et si quæras, quid sit intellectio intuitiva? Resp. ex Scoto 4. dist. 10. q. 8. n. 5. *Cognitio rei ut in se est præsens: abstractiva potest esse eius secundùm quod relucet in aliqua similitudine, quæ potest esse existentis, & non existentis, sive præsentis, sive non.*

Quid intellectio intuitiva, & abstractiva? Scotus.

Adeoque quid manifestius, quàm quòd noster intellectus, etiam adhuc alligatus sensibus, possit abstractivè intelligere Corpus Christi? *Impossibile est enim* (inquit Doctor suprà) *aliquam complexionẽ concipere, cuius extrema non concipiuntur: possibile est autem intellectum nostrum concipere hanc complexionem:* Corpus Christi est in Eucharistia, *alioquin non posset illam formare: ergo intellectus noster, & istam complexionem, & eius extrema potest cognoscere, & intelligere aliqua intellectione.*

Hic cognoscitur Corpus Christi in Eucharistia, etiam ab intellectu sensibus alligato.

51. Ignoras quomodo id possit fieri? Adi Divum Augustinum 8. de Trinit. cap. 4. & 5. ubi diffusè docet, quomodo habeamus fidem de Christo, cùm tamen Christum non viderimus; utique in quibusdam intentionibus communibus acceptis à singularibus: *Quia* (inquit Scotus suprà nu. 6.) *nihil interest ad fidem nostram, utrùm erremus in quibusdam conditionibus singularibus conceptu de Christo: quia fides nostra non respicit per se illas conditiones singulares proprias, sed aliquem hominem singularem, cuius notitia potuit nobis inesse ex notitia cuiuscumque singularis hominis; ita etiam existentia Corporis Christi hic, potuit nobis inesse ex alia existentia, utpote alicuius contenti in continente, seu signati in signo, vel tecti in tegente.*

51. Quomodo haberi possit fides de eo, quod non est visum, nec cognitum in se, ex Aug. Scotus.

De *Videre* igitur, hoc est, de intellectione intuitiva hujus existentiæ movetur quæstio. Ad quam est prima & communis responsio: Quòd intellectus noster pro statu viæ non potest naturaliter videre Corpus Christi ut ibi existens.

Intellectus noster pro statu viæ non potest intuitivè videre Christi Corpus ut ibi existens.

Hoc probatur: quia intellectus, qui non intelligit, nisi ex sensibilibus, eodem modo intelligit, sensibilibus eodem modo sibi præsentibus; noster intellectus pro nunc est hujusmodi: sensibilia autem sunt sibi eodem modo præsentia, antequam sit ibi Corpus Christi, & posteà: ergo &c. sed antè non videt intuitivè Corpus Christi, quia antè non est ibi: ergo nec post videt intuitivè. Certum est de facto sic esse: quid autem fieret si sensibilia mutarentur, & appareret color Corporis Christi ibi existentis, patebit ex infrà dicendis.

52. Secunda responsio est Scoti suprà n. 7. contra Divum Thomam, & alios communiter: *Omnis* (inquit) *talis intellectus* (id est, non alligatus sensibilibus in intelligendo) *sive Angelicus, sive animæ separatæ, sive hominis Beati, naturaliter potest videre existentiam Corporis Christi in Eucharistia.*

52. Secunda sententia Scoti. Intellectus non alligatus sensibilibus.

Probat: *Quia intellectus se habens ad intelligibilia, sicut ipsa sunt in se intelligibilia, prius intelligit illud, quod prius intelligibile est in se, & per consequens, quod est prius in se ens: quia unumquodque*

quodque, *sicut se habet ad esse, ita ad veritatem, id est, intelligibilitatem secundùm se, 2. Metaphys. intellectus autem talis respicit totum ens, & quodcumque secundùm ordinem suæ intelligibilitatis. Substantia autem est prior, sicut in entitate, sic in cognoscibilitate, quocumque modo accidentali ipsius substantiæ: ergo talis intellectus priùs intelligit ipsam substantiam, quàm quemcumque modum eius; & per consequens nullus modus, sub quo est substantia, potest impedire intellectionem substantiæ à tali intellectu.*

Breviter: *Modus accidentalis per se obiecti non impedit cognitionem illius obiecti; ista præsentia in Eucharistia est modus accidentalis substantiæ Corporis Christi: ergo non impedit illam substantiam cognosci ab intellectu, cuius ipsa est per se obiectum; est autem per se obiectum istius intellectus abstracti, qui non dependet in intelligendo à sensibilibus.*

33. Impugnatur. Hæc est ratio Scoti, quæ tantùm videtur concludere, substantiam Corporis Christi posse cognosci à tali intellectu; secùs intuitivè videri, juxta definitionem intellectionis intuitivæ suprà ex ipso assignatam, quòd sit *Cognitio rei ut in se est præsens*: sic enim & ipsa præsentia cognosci deberet, quæ tamen est supernaturalis in sua entitate, ut dictum est Conclusione præcedenti, & per consequens improportionalis cuilibet intellectui creato, ut naturaliter cognoscenti.

Responsio ex Scoto. Omissis aliquibus responsionibus, quæ minimè exhauriunt difficultatem, dico paucis cum Doctore Subtili suprà n. 8. totum ens creatum, etiam supernaturale in entitate, esse objectum naturaliter proportionatum tali intellectui, quantùm ad cognitionem tam abstractivam, quàm intuitivam. Probatur ex eodem n. 9. *Quia imperfectum ens posset esse supernaturale, & naturale aliquod posset esse perfectius eo, sicut omnis substantia est simpliciter perfectior omni accidente. 7. Metaphys. & tamen alicui substantiæ, quæ est ens naturale, potest inesse aliquod accidens supernaturale.*

ejus probatio.

Confirmatur: *Quia Virtutes Theologicæ, ut charitas, & huiusmodi, sunt in determinata specie qualitatis: & secundùm multos, Angelus habet naturaliter principia cognoscendi omnes species entium: ergo habet naturaliter principia cognoscendi istas virtutes, licèt sint entia supernaturalia*, non tantùm in modo, sed etiam in sua substantia, specie physicâ distincta à virtutibus naturalibus, juxta mentem Doctoris nostri, ut ostendi disp. 1. sect 4. concluf. 9.

confirmatur eodem.

34. Notat Dicastillo sect. 9. nihil creatum esse quoad substantiam supernaturale; Unde satis inconsideratè dixit Dicastillo disp. 5. n. 360. Scotus in 4 dist. 10. q. 8. & Vasquez 1. p. disp. 214. & communiter Scotistæ docent hunc modum unionis (sacramentalis) esse naturalem quoad substantiam, solumque esse supernaturalem quoad modum; ex diverso tamen fundamento: Nam Scotus, & Asseclæ id docent ex doctrina generali, quâ putant nihil creatum esse supernaturale secundùm substantiam.

Si hic Auctor vel à limine salutasset Scotum, inspiciendo Prologum Sententiarum q. 1. non dubium, quin cum Hugone Cavello (qui scholia per universum opus in textum inseruit) primo intuitu deprehendisset nu. 22. in fine distinctionem actûs supernaturalis in modo, ab actu supernaturali in substantia. sed gravissimè errat;

Differentia (inquit Doctor) *istorum duorum modorum ponendi supernaturalitatem notitiæ revelatæ, patet separando unum ab alio: puta si agens supernaturale causaret notitiam obiecti naturalis, ut si infunderet Geometriam alicui, illa esset supernaturalis primo modo* (id est, fieret ab agente supernaturali) *& non secundo modo* (id est, non fieret ab agente supernaturali supernaturaliter agente) *si autem infunderet notitiam huius*, Deus est trinus, *vel similum, hæc supernaturalis esset utroque modo; quia secundus infert primum, licèt non è converso. Vbi autem est primus tantum, ibi non est necesse, quòd sit sic supernaturalis, quin naturaliter possit haberi: ubi verò est secundus modus, est necessitas ut supernaturaliter habeantur; quia naturaliter haberi non potest.* Quomodo evidentiùs posset ponere formam intrinsecè, & suapte naturâ supernaturalem, & non tantùm in modo? Simile habet 2. distinct. 3. quæst. 9. n. 16. cùm exprese distinguat actum supernaturalem in modo, ab actu supernaturali in substantia;

Sed quia (ait Hugo in scholio præfixo n. 20) à non intelligentibus reprehenditur, quòd negaverit dari ullam formam suâ naturâ supernaturalem, sed tantùm per accidens; quia à Deo datur immediatè, ut visus cæco; adduco alia ejus loca ad hoc improbandum 1. dist. 17. q. 3. §. *Ad solutionem* ponit habitum infusum Charitatis. Et 3. dist. 23 §. *Aliter potest*, fidem infusam. & 3. dist. 26. §. *Ad quæstionem*, spem infusam. Et simile habet 4. dist. 49. q. 11. quibus locis, docet habitus infusos concurrere effectivè ad actus, ex quo colligitur, actus esse ejusdem ordinis cum ipsis. Item 2. dist. 3. q. 9. n. 7. docet gratiam & gloriam merè esse supernaturales. Præterea 3. dist. 23. §. *Aliter potest*: dicit actum fidei infusæ, & acquisitæ esse diversi ordinis. Et Quodlib. 14. docet actum charitatis essentialiter differre ab amore naturali; ergo sentit hos actus esse supernaturales. Et quando ait habitum esse propriè supernaturalem, non actum, 1. dist. 17. q. 3. *Ad tertium*. Ideo hoc dicit, quia forma illa charitatis, licèt sit supernaturalis, posita in esse; naturaliter agit, & quia causa secunda concurrit ad actum, non ad habitum, quia creatur. Et ibidem docet actum esse supernaturalem ratione formæ concurrentis ad ipsum. Constat ergo manifestè, secundùm Scotum, habitus & actus intrinsecè dari supernaturales. Hucusque Cavellus. 55. quod ex variis ejus locis clarè deducitur. *Hugo Cavellus.*

Quidni etiam constet, secundùm Scotum, dari præsentiam sacramentalem intrinsecè supernaturalem? Certè non video cur alioquin absolutè & simpliciter asserat Corpus Christi in 56. An secundùm Scotum præsentia sa-

cramentalis sit intrinsecè supernaturalis,

Eucharistia non subesse immediatè alicui potentiæ motivæ, nisi divinæ.

Explicantur verba Scoti.

Quod ergo hìc dicit nu. 9. *Naturale & supernaturale non distinguunt naturam alicuius in se, sed tantùm in comparatione ad agens: ideo enim dicitur aliquid supernaturale, quia à supernaturali agente; naturale verò, quia à naturali agente: sed habitudo ad agens aliud & aliud, non necessariò concludit aliquid esse aliud & aliud in se, secundum Augustinum 3. de Trinitate cap. 9. ergo non necessariò concludit, illud esse aliud & aliud in ratione intelligibilis.* Hæc, inquam, verba commodè intelligenda sunt, prout ea explicavi disput. 1. sect. 4. nu. 137. de alio & alio esse in genere entis creati; vide ibi dicta. Vel si non placeat illa explicatio, fortè non displicebit quod hìc subjicio, puta hæc verba esse responsionem ad objectionem Adversariorum, non secundùm propriam mentem Scoti, sed aliorum probabilem sententiam, quæ docet præsentiam sacramentalem non esse supernaturalem nisi quoad modum; quam doctrinam sequitur Vasquez 1. parte disp. 214. num. 34. quoniam, inquit, hic modus (existendi indivisibiliter) aliis etiam naturâ suâ convenit, ut Angelis & spiritibus. Et quamvis sit diversæ rationis, non propterea consequitur esse ordinis supernaturalis: siquidem aliquis modus reperitur naturalis ordinis, quo creatura aliqua existit tota in toto, & tota in quavis parte; quare hic effectus secundùm suam naturam non potest esse supernaturalis ordinis. Hæc ille.

Vasquez.

57. Illuminatio cæci non est alia à se, tametsi à solo Deo proveniat.

Verissimè ergo dixit Scotus: *Habitudo ad agens aliud, & aliud, non necessariò concludit aliquid esse aliud, & aliud in se*, ut patet in ente supernaturali quoad modum tantùm, v. g. in illuminatione cæci, quæ non est alia in se, tametsi à solo Deo proveniat. Ergo ex illis verbis Scoti bene probatur, Scotum simpliciter docere, nihil creatum esse supernaturale secundùm substantiam, Negatur Consequentia.

Objectio.

Dices: saltem sequitur præsentiam sacramentalem, secundùm ipsum, non esse supernaturalem, nisi quoad modum: adducit siquidem auctoritatem Divi Augustini, in qua non agitur nisi de effectibus in substantia naturalibus, miro tamen modo nobis incognito, per Angelos bonos sive malos, productis.

Solvitur.

Resp. neque hoc sequitur; nam ad intentum ipsius satis erat, quòd daretur aliquod ens supernaturale, naturaliter visibile intellectui creato; jam tunc enim solvebatur objectio Adversariorum, puta: Existentia Christi in Eucharistia est supernaturalis; ergo improportionalis cuilibet intellectui creato ut naturaliter cognoscenti, negat namque Doctor Consequentiam; quia aliquod ens supernaturale, v. g. illuminatio cæci, est proportionale intellectui creato ut naturaliter cognoscenti. Et idcirco infert: *Ergo non necessariò concludit illud esse aliud, & aliud in ratione intelligibilis.*

58. Cæterùm, ut propiùs accedamus ad difficultatem principalem, etiam admisso cum Scoto, & communi aliorum sententiâ, existentiam illam Corporis Christi totius in tota hostia, & totius in singulis partibus esse supernaturalem in sua entitate, adhuc non necessariò concluditur, eam existere limites objecti adæquati naturalis intuitionis intellectûs creati, qui non dependet in intelligendo à sensibilibus; quia adhuc manet ens creatum, quod quantùm quantùm est, proportionatur tali intellectui.

Ens in ⁊ supernaturale est intra limites objecti adæquati naturalis intuitionem intellectûs creati.

Unde non valet hæc Consequentia: Existentia illa est supernaturalis; & per consequens est verum supernaturale; ergo est tantùm supernaturaliter cognoscibile: non ergo ab aliquo intellectu creato naturaliter; non valet, inquam: *Quia* (utor verbis Scoti suprà n. 11.) *in Antecedente ly* Supernaturale, *dicit habitudinem ad causam suam, à qua potest accipere esse; licèt autem non possit accipere esse, nisi a causa supernaturali* (ergo agnoscit Doctor præsentiam supernaturalem in substantia) *tamen est cognoscibile naturaliter: quia quantumcumque aliquid supernaturaliter ponatur in esse, postquam tamen positum est in esse, est quoddam ens naturale, & proportionatum potentiæ naturaliter cognoscenti, vel cognitivæ.* Non dicit simpliciter, *Est ens naturale*; sed, *Est quoddam ens naturale* &c. quasi diceret: Est ens naturale in cognoscibilitate.

Scotus.

quia possquam non ens est positum in esse, est quoddam ens naturale.

59. Contrà; est manifesta petitio principii: de hoc enim disputatur, an ens in substantia supernaturale possit naturaliter cognosci.

Disputatur planè; sed unde probatur, quòd non possit? Sanè non dicitur ens aliquod supernaturale in substantia à cognoscente, id est, quia non potest naturaliter cognosci; sed ab agente, id est, quia non potest per solas vires naturæ unquam produci. Gratis autem infertur ex improducibilitate, incognoscibilitas; sicuti etiam inappetibilitas.

Gratis infertur ex improducibilitate incognoscibilitas,

Cur enim nequeat voluntas naturaliter appetere visionem & fruitionem Dei? Respondeat ille, qui hujusmodi appetitum in sua voluntate non agnoscit. *Si dixisset* (inquit Divus Augustinus 13. de Trinit. cap. 3.) *omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate.* Quòd si voluntas cujuscunque naturaliter appetit beatitudinem, quidni intellectus naturaliter cognoscat? Scio & hunc appetitum naturalem à quibusdam negari; sed sine fundamento.

S. Augst.

& inappetibilitatem,

60. Per hoc patet responsio ad aliam Consequentiam: Factibile supernaturale, non est naturaliter factibile: ergo cognoscibile supernaturale, non est naturaliter cognoscibile. Patet, inquam, responsio ex Scoto suprà n. 11. ibi: *Si supernaturale ubiq; per se determinet illud, cui additur, potest concedi Consequens, sicut etiam Antecedens: & tunc Minor est falsa, quod ista scilicet existentia sit cognoscibile supernaturale*, id est, numquam adæquatè per vires naturales cognoscibile.

Non verum est factibile supernaturaliter, ergo cognoscibile supernaturaliter.

Scotus.

Si

Si autem supernaturale non determinet per se illud, cui additur, sed quoddam aliud implicitum, utpote ens, Consequentia non valet: quia in Antecedente per se determinat ipsum sub ratione factibilis, & ideo repugnat ei hoc, quod est fieri naturaliter: in Consequente verò non determinat cognoscibile sub fieri, & ideo non repugnat ei cognosci naturaliter.

61. Non obest cognitioni intuitivæ fides, quam hic habemus.

Arguis rursum; de Sacramento habemus fidem: ergo non cognitionem naturalem. Probatur Consequentia; quia cognitio fidei est simpliciter eminentior omni cognitione naturali.

Resp. primò, distinguendo Antecedens: pro statu viæ, quando intellectus adhuc dependet in intelligendo à sensibilibus, Concedo; pro statu patriæ, quando intellectus ampliùs non dependet, Nego.

Respondeo secundò, Negando Consequentiam. Instantia clara; quia fide credimus Deum esse unum: ergo cognitio naturalis impossibilis; Consequentia non valet.

Angeli intuitivè potuerunt naturaliter cognoscere Christum puti & mortuum.

Ad probationem Consequentiæ respondet Doctor suprà nu. 12. *Angeli intuitivè potuerunt naturaliter cognoscere Christum puti & mori, sicut poterant naturaliter cognoscere ipsum vivere vitâ humanâ: nos autem de illa morte habemus cognitionem fidei: illa autem cognitio intuitiva* (in ratione cognitionis præcisè) *multò perfectior est nostrâ cognitâ, & de eodem subiecto: ita dico de existentia Corporis Christi in Eucharistia.*

62. An potuerint cognoscere mysterium Eucharistiæ possibile? Prima resp.

Contrà; ergo Angelus potuit cognoscere illud mysterium possibile: ergo etiam Dæmon; quia secundùm Dionysium 4. de divinis nominibus, remanent in dæmonibus naturalia integra.

Resp. primò Neg. Conseq. quia probabile est virtutem innatam intellectûs Angelici, aliunde non impediti, clarè videre Incarnationem jam existentem, quam tamen non potuit evidenter cognoscere possibilem.

Secunda. Dæmon videt Christum in Eucharistia, nisi à Deo impediatur.

Deinde transeat totum. Ergo de facto videt malus Angelus Christum in Eucharistia. Quidni videat, nisi à Deo impediatur? *Si absolutè permittatur* (ait Scotus suprà) *quicumque Angelus malus uti suâ potentiâ cognitivâ naturali, potest intelligere quodcumque intelligibile causatum, & per consequens posset intelligere cognitiones cordium, & mysteria gratiæ, ex quo posita sunt in effectu; sed sicut dicit Magister lib. 2. dist. 7. multa possent esse naturâ suâ, quæ non permittuntur eis, & ita supponitur quòd non permittitur Angelo malo videre secretum cordis, & hoc modo, & non alio posset videre Corpus Christi in Eucharistia. Sic ergo supponitur, quòd non permittitur videre mysteria gratiæ.*

Scotus.

63. Explicatur auctoritas D. Ambrosii.

Et sic exponit auctoritatem Divi Ambrosii supra illud Lucæ 1. *Missus est*, quia secundùm eum, malignum spiritum latuit mysterium Incarnationis: exponit, inquam, *de mysterio Incarnationis, non absolutè, quin quilibet Angelus malus posset videre, vel cognoscere integritatem Mariæ, tam in mente, quàm in carne, aequè sicut potest cognoscere tactum digiti ad digitum, vel aliam intellectionem naturalem alicuius intellectûs: sed non fuit permissus propter certas causas, ne impediretur redemptio nostra:* Si enim cognovissent, numquam Deum gloriæ crucifixissent, *id est, numquam me redimi eius morte procurassent.*

1. Cor. 2. v. 8.

Unde quando Damasc. lib. 4. cap. 14. loquens de hoc Sacramento, ait: *Spiritus operatio, ea quæ naturam superant, efficit, quæq; nisi sola fide capi atque intelligi nequeunt.* Et paulò post: *Tu quoque nunc quæris quomodo panis Corpus Christi, & vinum cum aqua coniunctum Sanguis Christi fiat? Tibi item respondeo, Spiritus sanctus supervenit, eaq; efficit, quæ orationis facultatem, ac mentis intelligentiam excedunt:* loquitur de nobis pro statu isto; vel si etiam de Angelo, non potest esse verum de naturali potentia intellectûs Angelici; sed tantùm de potentia Angeli ut permissi, & hoc de malo Angelo. Est interpretatio Scoti suprà nu. 13.

& Damascenus.

64. Objectio, quòd Corpus Christi sit sub Eucharistia contingenter.

Quòd si iteratò objicias: nullus intellectus creatus potest cognoscere futurum contingens; Corpus Christi esse sub Eucharistia est æquè indeterminatum, sicut futurum contingens; quia dependet merè à voluntate divina, ad hoc contingenter se habente: ergo &c.

Responsio Scoti, quòd contingens postquam contingenter positum est, habet determinatam entitatem.

Respondet continuò Doctor suprà; *Quòd contingens, dum est contingens, scilicet dum est in causâ suâ, non potest sciri ab intellectu creato: sed quantumcumque aliquid contingenter sit in causâ suâ, postquam tamen contingenter positum est in esse, sicut iam habet determinatam entitatem, ita iam potest habere determinatam cognoscibilitatem, & hoc in quocumque intellectu respiciente totum ens: licèt ergo aliquis intellectus non possit præscire, quòd in ista hostia continebitur Corpus Christi: tamen ex quo istud factum est, bene potest intellectus naturaliter intueri Corpus ibi existens.*

Christus posset videri in Eucharistia absque eo, quòd videretur ejus præsentia.

Profectò, tametsi gratis admitteremus, intellectum naturaliter non posse intueri existentiam sive præsentiam sacramentalem, adhuc Conclusio esset vera. Nonne anima Christi novit naturaliter se esse, ubicumque est, & per consequens se, & Corpus quod informat, esse in Eucharistia? Quis potest ambigere? Et verò quid aliud requiritur, ut videat Christum esse in Eucharistia? Nonne secundùm Scotum 1. dist. 1. q. 2. videri potest essentia divina sine Personis? Et tamen inter illa solùm est distinctio formalis. Quantò ergo magis Corpus sine præsentia realiter ab ipso distincta?

65. Objectio.

Ex quo etiam haud operosè solvitur, quod alii objiciunt: Intellectus separatus nihil videt naturaliter nisi per species congenitas; quia nullas accipit à rebus: atqui non habet congenitas hujus mysterii; ergo &c.

Solvitur primò.

Resp. primò, Negando Majorem; quia secundùm Scotum 2. dist. 3. q. 11. n. 4. Angelus habet intellectum agentem & possibilem;

Angelus habet intellectum agentem & possibilem.

ergo potest habere notitiam à rebus per abstractionem specierum, quibus eas intuitivè cognoscat: quæ enim in tali abstractione & cognitione ostendi potest implicantia? Et alioquin tam intellectus agens, quàm possibilis, est perfectio naturalis.

Scotus.

Patet, inquit Doctor suprà nu. 5. *in Christo, qui licèt omnia viderit in Verbo ab instanti suæ nativitatis in utero, tamen fuit in eo intellectus agens, & possibilis, aliàs non fuisset perfectus: & eodem modo si vidisset omnia in genere proprio, habuisset intellectum agentem & possibilem. Ideo similiter, posito quòd Angelus species omnium receperit ab instanti suæ creationis, & non possit non esse in actu, cùm sit præventus ab agente superiori, tamen est perfectionis naturalis suæ, quòd habeat potentiam, quâ possit in operationem suam, si non esset præventus à superiori agente.*

Secunda responsio. Angelo debentur species necessariæ ad cognitionem objecti naturalis sui intellectûs.

Resp. secundò Negand. Minorem; quia Angelo debentur illæ species, quæ sunt necessariæ, ut cognoscat omnia, quæ ponuntur in esse, & continentur sub objecto naturali sui intellectûs; atqui tale objectum est Corpus Christi in Eucharistia, fortè etiam illius præsentia: ergo &c.

Dico, *fortè*, propter aliqualem incertitudinem, maximè ex auctoritate Doctoris Angelici. Quia tamē natura creata dignificanda est quantùm fieri potest sine injuria Creatoris, malo asserere intellectum viribus propriis intuitivè cognoscere ipsam etiam præsentiam, quàm sine solido fundamento ex ratione idipsum negare.

66. Alia objectio.

Dices; quod ens naturale exigit connaturaliter existere, ad hoc, ut ipsum existat, illud quoque debet esse naturale, sive non supra naturam; atqui visio, quâ Angelus videret præsentiam Eucharisticam, est secundùm nos ens ordinis naturalis, & ipsa ad sui existentiam requirit existere suum objectum, scilicet præsentiam Eucharisticam: ergo sequitur hanc quoque fore ordinis naturalis.

Solvitur. Non omne illud debet esse naturale, quod ens naturale connaturaliter exigit ut existat.

Respondeo Negando Majorem. Instantia clarissima; nam recordatio actûs supernaturalis est tantùm actus naturalis, quis autem ignorat eam exigere eundem actum supernaturalem aliquando extitisse, prout eundem actu existere requirit actus reflexus de eodem? Imò quodlibet ens naturale ad sui existentiam postulat connaturaliter, imò absolutè necessariò, existere ipsum Deum, ejusque decretum, quæ sunt ens supernaturalissimum.

Cæterùm si hæc præsentia solùm supernaturalis esset quoad modum, quemadmodum visus cæco restitutus, unio corporis & animæ in resurrectione, albedo, quæ per Deum poneretur in Ethiope, accidentia, quæ existunt extra subjectum, & similia, constat nullam esse difficultatem. Sin autem, ut verius existimamus, supernaturalis sit in sua entitate; neque sic ratio naturalis satis ostendit, eam effugere aciem intellectûs creati, quin possit naturaliter, Deo non impediente, ab illo intellectu videri, qui non dependet in cognoscendo à sensibilibus. Sed quid dicam de oculo corporeo?

CONCLUSIO VI.

Oculus corporeus nequit videre Corpus Christi, prout est in Sacramento.

67. PRænotandum primò, particulam illam: *Prout est in Sacramento*, posse habere duplicem sensum, scilicet specificativum, & reduplicativum: per sensum specificativum significatur Corpus Christi existens in Eucharistia, præscindendo à modo, quo ibi existit; per sensum autem reduplicativum significatur idem Corpus, non modò existens in Sacramento, sed etiam secundùm modum, quo ibi existit.

Prænotandum secundò, Conclusionem posse intelligi duplici viâ; nimirum vel naturaliter, vel per miraculum.

Nominales putant posse videri naturaliter Corpus Christi, prout est in Sacramento,

Nominales, quos suprà retulimus Conclusione secundâ, putant videri posse naturaliter, si Deus permitteret, nec hujusmodi visionem cohiberet propter meritum Fidei. Probatur; quia est objectum lucidum & coloratum: ergo intrà latitudinem objecti naturaliter visibilis. Antecedens quoad secundam partem ab omnibus admittitur. Prima pars communiter negatur; quia objectum indivisibiliter existens nequit naturaliter illuminari, cùm agens naturale non possit naturaliter producere suum effectum inextensum in ordine ad locum. Sed de hoc suprà egimus Conclusione secunda, & qui mordicùs id negaret, difficulter posset convinci.

cùm sit lucidum, & coloratum.

68. Profectò Corpus Christi illuminatur in cælo: ergo concomitanter, secundùm mentem Scoti, in Sacramento; quia lux est accidens à loco absolutum. Quid ergo obstat, quin possit naturaliter videri? Inextensio, inquis, & supernaturalitas modi existendi. Sed unde hoc probatur? Certè ens aliquod non dicitur supernaturale, quia non potest solis viribus naturæ videri; sed quia non potest produci. Deinde, estò modus existendi non videatur, an propterea nec ipsum Corpus?

68. sithem concomitanter.

Non debet videri modus existendi indivisibiliter, ut hoc ipsum Corpus videatur.

Planè, reponis, nec ipsum Corpus: quoniam ut docet Auctor Perspectivæ, & ex illo Scotus suprà n. 1. *Quidquid videtur, videtur sub pyramide, cuius basis est in re visa, & conus in oculo: ergo Corpus Christi videtur sub tali pyramide, sed non est ibi dare basim pyramidis, quia illa esset simul cum base pyramidis, sub qua videtur hostia: nam ubique est Corpus cum hostia, & tunc Corpus Christi, & hostia simul viderentur sub æquali angulo correspondenti, sed quæ videntur sub eodem angulo, videntur æqualia: ergo Corpus Christi videretur æquale speciei: sequeretur etiam quòd Corpus Christi*

Objectio ex Scoto.

Christi videretur ut rotundum ; quia basis , sub quâ videtur species , est rotunda.

Spiritus. Resp. Auctorem Perspectivæ loqui de objecto extenso, omnibus se habentibus modo naturali, nullo concurrente miraculo, de quo solo expertus est, & quod unicum perspexit. Cæterùm si color & lux supernaturaliter existerent, & indivisibiliter, incertum prorsus quid fieret, quia nulla experientia.

69. Alia objectio. Dices; res spirituales sunt extra objectum visûs; atqui Corpus in Sacramento imitatur omnino res spirituales: ergo &c. Probatur Consequentia; quia si aliquis sapor poneretur divinitùs, ita ut imitaretur colorem, & in omnibus appareret color, non posset ullo modo percipi per gustum, utpote qui non possit etiam divinitùs percipere colorem: ergo &c.

Solvitur. Resp. Corpus Christi quamvis imitetur res spirituales in existendo, quia totum in toto, & totum in singulis partibus; verè tamen retinet suam materialitatem, similiter colorem, licèt non figuram & alia sensibilia communia, adeoque secundùm colorem videri poterit; quemadmodum & ille sapor per gustum sentiri, cùm semper maneat verus sapor.

Corpus Christi in Eucharistia retinet suam materialitatem, uti & colorem.

70. Instantia. Contrà; omnes partes Christi penetrant se: ergo Christus videretur ad modum unius indivisibilis.

Solvitur primò. Resp. primò, indè ad summum sequi, non posse videri divisibilitatem corporis, sive modum ejus existendi.

Secundò. Resp. secundò, Negando Consequentiam; quando enim percipitur color intensus, habens plures gradus penetratos, nequaquam percipitur sicut color remissus; sed percipitur quoque ipsa intensio, adeoque pluralitas graduum penetratorum: sic qui videret Corpus Christi in una parte hostiæ, hoc est, omnes partes corporis ibi existentes, verè plus perciperet, quàm si videret solùm unam partem; apprehenderet siquidem colorem aliquem mixtum, propter confusionem, quâ omnes illi colores simul perciperentur.

Qui videret plures partes Corporis Christi in una parte hostiæ, plus perciperet, quàm si videret solùm unam.

71. Alia instantia solvitur. Contrà; ergo non discerneret. Resp. sicut oculus videns colorem intensum discernit à remisso: & sicut tactus percipit ac discernit temperamentum quatuor qualitatum penetratarum à temperamento ex duabus tantùm.

Confirmatur: quia Corpus Christi non existit in solo indivisibili, sed simul in partibus spatii: vel, ut verbis Scoti utar suprà n. 3. *Corpus Christi non est præsens speciei alicui ad minus, nisi minimo sensibili, quia nulli indivisibili est præsens ibi: minimum autem sensibile potest percipi à sensu perfectissimo secundùm Aristotelem in fine de Sensu & Sensato, in dubitatione ultima: ergo istud poterit percipi à visu perfectissimo, non obstante suo modo existendi hic.* Quidni poterit percipi à visu etiam imperfectissimo, ut præsens est integræ hostiæ?

Scotus.

72. Contrà; visus corporeus non percipit rem sine sua figura. Resp. ubi habet figuram situalem seu dispositionem partium in ordine ad spatium, Concedo; aliàs, Nego. Sicut si lux indivisibilis poneretur in spatio bipalmari, videret oculus totum spatium illuminatum; non videret tamen figuram situalem lucis, quia figura est dispositio partium; illa autem lux non haberet partes.

Tertia instantia solvitur.

Potest oculus videre totum spatium illuminatum, non visâ figurâ situali lucis.

Cur ergo similiter in Eucharistia non possit videre colorem Corporis per totum spatium, non visâ figurâ situali? Loco autem illius videret aliam ubicationem supernaturalem, quam habent partes in Sacramento, si ubicatio videri possit, de quo alibi.

73. Contrà; ergo non videret Corpus. Resp. sicut modò dicimus videre corpus ratione coloris.

Quarta instantia solvitur. Item quinta. *Vasquez. Lugo.*

Contrà; saltem oculus debebit elevari, ut cum aliis docet Vasquez disp. 191. cap. 2. quem sequitur Cardinalis disp. 9. sect. 2.

An requiratur elevatio oculi, ut possit videri Corpus Christi in Eucharistiâ.

Respondeo illam necessitatem non satis probari; quia experientiæ hîc non habent locum. Interim magis certum est, oculum elevatum posse videre, quàm non elevatum.

Quod attinet Doctorem Subtilem, negat hîc cum communiori sententia potentiam naturalem: & quod plus est, videtur etiam negare potentiam elevatam, si accipiatur Corpus Christi, prout est in Sacramento, secundùm sensum reduplicativum; & quia ille sensus est magis obvius, ideo Conclusio simpliciter negat, oculum corporeum posse videre Corpus Christi, prout est in Sacramento.

74. Tota doctrina Scoti comprehenditur his duabus assertionibus suprà n. 5. *Ad quæstionem ergo dico, quòd Deus de potentia absoluta posset causare in oculo glorioso, vel non glorioso visionem istius corporis, licet istud corpus nusquam esset nisi in Eucharistia. Hoc probatur, quia visio est forma absoluta, ex primo libro dist. 3. ergo sine contradictione potest fieri sine respectu præsentialitatis ad obiectum, vel quocumque tali respectu.*

Proponitur doctrina Scoti.

Potest Deus causare visionem Corporis in Eucharistia in quocumque oculo.

Ubi si ly *Quocumque*, distribuat pro omni respectu, etiam attingentiæ, patet manifestè assertionem intelligendam esse quoad absolutum visionis; non quòd mediante tali visione oculus videret objectum.

Sed quia hic intellectus non videtur facere ad scopum controversiæ & titulum quæstionis; cùm utrumque supponat quæstionem esse de visione quâ est operatio, & constituit videntem: ideo aliqui intelligunt hanc doctrinam de visione, ut habet hunc effectum annexum, dicentes per ly *Quocumque* Doctorem non excludere quemcumque respectum, etiam mensuræ vel attingentiæ objecti, sed dumtaxat respectum præsentiæ localis, & extensæ, nempe approximationem & distantiam debitam objecti secundùm locum, de qua sola loquitur in secunda assertione, quæ talis est.

Secundo dico: Quòd nulla visio etiam sic causata

75. Talis visio

non esset Corporis ut hic ;

posset esse Corporis ut hìc primò ; quia hæc includeret Corpus ut hic, vel esse causam primò visionis, vel esse proprium, & primum terminum visionis ; sed Corpus ut hìc neque potest causare primò, neque terminare primò ; quia tam causatio, quàm terminatio talis requirit in obiecto primò causante vel terminante dispositionem debitam, & hoc secundum locum, utpote approximationem & distantiam debitam:

cùm ut hìc Corpus non possit debitè approximari organo vel distare debitè,

sed Corpus istud ut hic, non potest debitè approximari organo, vel distare debitè, quia non est in loco ut hic, nec miraculum ad hoc iuvat, quia Corpus ut hìc absolutè non est visibile, nec ut causativum visionis, nec ut terminativum : miraculum autem non est ad illud, quod includit contradictionem.

Simili modo loquitur in Reportatis (Coloniæ impressis) 4. dist. 10. q. 9. n. 8. *Dico quod nec oculus, nec sensus glorificatus, nec non glorificatus, nec per miraculum, nec naturaliter potest videre Christum in altari.* Rationem subjicit : *Quia*

An visio Corporis ut hìc implicet.

obiectum terminativum visionis, quod immutat potentiam est in loco determinato, quomodo non est Corpus Christi in Eucharistia. Unde non potest Deus facere, quòd Corpus ut non dimensivè, vel ut non in loco, sit visibile, neque quòd ut sic manens terminet vel immutet visum. Sed bene potest facere, quod istud videatur non sic manens, sed non simul utrumque. Quibus verbis luculentissimè, ut sic loquar, negat omnipotentiæ divinæ productionem visionis sensitivæ Corporis Christi, prout est in Eucharistia, saltem reduplicativè, imò fortè

Hiquæus.

etiam specificativè, ut advertit Hiquæus in suo Commentario ad illum locum n. 31. Quod probabile esse docet Suarez disp. 53. sect. 4. concluf. 2.

Suarez.

76. Scotus.

Utcumque sit de mente Scoti, quæ incerta est ; dico cum eodem 4. dist. 10. q. 2. nu. 11. *Quod est maxima mihi certissima, quòd Deo est possibile omne, quod non includit evidenter contradictionem, & ad quod non sequitur necessariò contradictio.* Hanc autem evidentiam & necessitatem contradictionis impræsentiarum non satìs video.

Non repugnat, quòd videatur sensibile proprium sine communi,

Nam in primis minimè repugnat, quòd videatur sensibile proprium, v. g. color, aut lux, etiam hìc præsens, seu indistans ab aliis sine sensibili communi, v. g. motu, quiete, numero, figura, vel magnitudine : ergo potest Deus agere ad visionem Corporis, ut est sub speciebus, loquendo specificativè, licèt per illam neque extensio, neque privatio extensionis videatur expresè tamquam objectum visum.

quia sunt in re ipsa distincta.

Probatur Antecedens : quia color, & actualis extensio sunt in reipsa distincta ; ergo etiam respectivè ad sensum. Consequentia patet ; quia extensio non est ratio intuendi colorem, imò neque conditio prævia per se requisita simpliciter, ut color videatur ; sed potiùs è contra color, tamquam sensibile proprium, est ratio intuendi extensionem, utpote quæ solùm est objectum secundarium. Quis autem ignorat, intuitionem objecti primarii neutiquam dependère ab objecto secundario ; sed è converso ?

77. Ut color videatur, sufficit vel entia ejus & præsentia.

Sufficit itaque quòd color sit existens & præsens ; in his siquidem duobus, existentia scilicet & præsentia objecti, distinguitur operatio sensûs externi ab operatione abstractiva intellectûs. Et verò hæc duo, existentia nimirum & præsentia objecti videri possunt, absque eo quòd visus tendat in extensionem objecti, aut privationem extensionis.

Probatur.

Probatur ; quia existentia prior est extensione aut ejus privatione : ergo ab illa independens in esse ; quidni etiam in cognosci, sive per sensum, sive per intellectum ? Omne enim quod est primò sensibile, & per se, potest reduci in actum, hoc est, potest sentiri, absque eo quòd sentiatur objectum secundarium, & dependens ab ipso, saltem divinâ virtute.

De præsentia autem quid dicam ? Illa sola hìc requiritur, quâ objectum possit videri in suo esse, ita ut non in alio : nulla autem est repugnantia, saltem in ordine ad potentiam divinam, quin sic videri possit Corpus Christi sub speciebus, non visâ extensione, aut ejus privatione.

78. Confirmatio.

Confirmatur Primò ; quia de ratione intuitionis sive intellectivæ, sive sensitivæ, non est, videre quodcumque reipsâ conjunctum, aut inclusum in objecto, quod videtur : quippe non repugnat, secundùm Scotum, videri essentiam divinam in propria existentia, non visis Personalitatibus vel attributis 1. dist. 1. q. 2. n. 5. *Non video*, inquit, *contradictionem, quin possibile sit ex parte intellectûs & voluntatis, quòd utriusque actum terminet essentia, & non persona.*

Potest videri essentia divina, non visis Personalitatibus.

Scotus.

Item videri potest corpus quà lucidum, non viso ejus colore, quamvis lux & color sint objectum proprium ; ergo magìs corpus quà coloratum, non visâ extensione, motu, aut figurâ, quæ solùm sunt sensibile commune aut secundarium.

Item corpus quà lucidum, non viso ejus colore.

Consequentia est manifesta ; quia utrumque objectum quantùm ad conjunctionem in re ipsa perinde se habet ; ut comparatur autem ad potentiam, hæc indubiè magìs inclinatur in sensibile proprium, quàm commune aut secundarium.

79. Alterum confirmatio.

Confirmatur secundò ; quia alioquin color esset ratio videndi extensionem, & è converso ; adeoque dependèrent à se mutuò secundùm dependentiam ejusdem generis, quæ admitti non potest, nisi simul velis admittere, quodlibet esse priùs, & posteriùs in ratione sensibilis, quod constat esse absurdum.

Potest videri corpus quà coloratum, non visâ explicitè ejus substantiâ.

Profectò color ampliùs dependet à corpore, quàm ab ejus extensione aut quantitate ; nec tamen aliquis dubitat, quin possit coloratum videri, non visâ explicitè substantiâ corporis in seipso. Et singularitas albedinis, nonne magìs intrinseca est albedini, quàm quantitas ? Num ideo movet, aut terminat visionem ?

Nequa-

Nequaquam; nisi sub ratione sensibilis communis, vel secundariò ratione coloris individui, qui est proprium & primarium objectum potentiæ visivæ.

80. objectio. Contrà: ergo sicuti nequidem per Deum potest videri color non individuus; ita neque inextensus.

Solvitur. Resp. Negando Consequentiam; differentia est: quia non nisi singularia existunt; colorem autem inextensum existere; quis audeat negare? Color singularis numquid mutare poterit suam singularitatem; & manere idem? Quis sanæ mentis id cogitaverit? Color extensus manere poterit idem, variatâ extensione hâc vel illâ quantitatis? Poterit indubiè. Etiam in esse visibilis? Etiam.

Color non dependet ab ulla extensione, etiamquâ visibilis est: Infero: ergo non dependet per se ab ullâ extensione, etiam quâ visibilis est. Probatur Consequentia: quia secundùm Scotum 4. d. 10. q. 1. n. 15. *Quæcumque natura contingenter respicit quamlibet formam alicuius generis simpliciter, se habet contingenter ad totum genus.*

Scotus. Dices; hoc argumentum concludit etiam naturaliter posse videri coloratum sine ullâ extensione.

Nequit tamen inextensus naturaliter videri. Resp. Negando Conseq. nam color exigit modum naturalem essendi, quo existat in subjecto quanto & extenso, qui modus supponitur ad actionem, seu immutationem sensûs factam ab ipso naturaliter.

Numquid etiam ad terminationem? *Dico* (verba sunt Scoti 4. dist. 10. q. 5. n. 4.) *quòd non oportet obiectum in se esse præsens* (præsentiâ quantitativâ) *propter terminationem actus; sed tantùm propter causationem, ita quòd quando est aliqua causa sufficiens ipsius actûs, non requiritur*

Modus quantitativus non requiritur propter terminationem actûs, sed tantùm propter causationem. *præsentia obiecti propter terminationem: sicut patet de vidente creaturam in essentia divina; si essentia esset causa illius visionis, non requiritur illud obiectum, ad quod terminatur hæc visio præsens propriâ præsentialitate.*

81. Sit itaque extensio necessaria ad movendum; non tamen propterea ad terminandum: in casu autem quo Deus produceret visionem Corporis Christi Eucharistici in oculo meo, color Corporis non moveret, Deo supplente actionem causæ secundæ, sed dumtaxat terminaret: ergo saltem supernaturaliter posset videri Corpus Christi in Sacramento specificativè; id est, Corpus Christi, quod est in Eucharistia, licèt nusquam esset nisi ibi.

Quæ causa-litas potest supplerì à causa pri-ma.

Sic tamen quòd talis visio non extenderetur ad Corpus Christi ut privatum extensione, hoc est, ad ipsam privationem extensionis; quoniam privatio non cadit per se sub sensum, neque ut sensibile proprium, neque ut commune; sed solùm argutivè, & secundùm experientiam, quatenus sensus non percipit actum circa sensibile: v. g. dicitur videre tenebras, quatenus non percipit lucem; & videret in proposito casu corpus inextensum, quatenus non percipere ejus extensionem.

Quocirca simpliciter verum est; Corpus, ut existit in Eucharistia, id est, secundùm præsentiam sacramentalem, quâ est totum in toto, & totum in singulis partibus, non potest videri oculo corporeo, etiam supernaturaliter. Patet: quia illa præsentia non est objectum visûs, nec per se; nec per accidens ratione coloris, vel lucis; cùm neque lux, neque color ostendant partem extra partem in ordine ad totum, sine actuali extensione in ordine ad locum: ideo namque in corporibus naturaliter existentibus videmus partes inter se ordinatas, figuram, & alia sensibilia communia, & per consequens potentia percipit partem esse extra partem, ideo, inquam, quia pars est extra locum partis. Ut omittam, præsentiam illam formaliter esse relationem; quæ autem connexio lucis aut coloris cum relatione?

Non potest equidem præsentia sacramentalis, nequidem supernaturaliter, videri, cùm formaliter non sit aliud, nisi relatio.

Plus audeo: neque Christus materialiter, quâ totus indistans, ut ita loquar, & contentus sub tota specie, & sub qualibet parte speciei, unicâ, aut pluribus visionibus simul poterit attingi. 82.

Nequit videri Christus materialiter quâ totus sub tota specie, & sub qualibet parte speciei.

Dubitas? Consule experientiam & rationem; illa dicet tibi: species sacramentalis non videtur unico actu distinctè secundùm omnes suas partes extensas. Num fortè distinctis visionibus? Ratio clamat, potentia finita non est capax infinitarum quasi visionum, infinitarum partium extensarum. Quomodo ergo Christus sub illis videbitur? Quamvis enim respectivè ad hanc vel illam partem posset videri ut conjunctum indistans; haud equidem ut totus est in singulis ejus partibus; quia ad hoc singulæ visiones requirerentur, quæ inesse non possunt.

Posset videri specificativè, ut est primò in toto ambitu hostiæ.

Posset ergo videri Christus specificativè, ut est primò in toto ambitu hostiæ consecratæ, & sic non videretur totus, ut replicatus ad singulas partes; neque ut non replicatus; quia sic non cadit sub sensum, qui reflectere nequit super actum suum, neque super re visa: sed directè, ut habet terminos extrinsecos essendi, & commensuratos secundùm locum, in ipsum tendit.

Videret etiam simul Christum in pluribus partibus hostiæ per plures visiones, quarum quælibet esset visio ejus determinata & distincta secundùm diversas partes, in quibus videretur: sicuti v. g. in speculo fracto multiplicatis speciebus visibilibus videtur objectum in singulis partibus speculi per distinctam speciem & visionem. Hactenus ex Hiquæo in suo Commentario n. 24. usque ad 31. paucis hinc indè immutatis.

Hiquæus

De cæterò tota ratio Doctoris nostri, ob quam negat simpliciter, oculum corporeum posse cernere Christum prout est in Sacramento, videtur in hoc consistere, quòd tam operatio, quàm tendentia potentiæ sit extensa, & non secundùm aliquod punctum indivisibile; adeoque minimè possit in aliquod indivisibile tendere, 83.

Assignatur ratio Scoti, cur neget oculum corporeum posse cernere Christum, prout est in Sacramento.

tendere, præsertim si careat debitâ approximatione & distantiâ secundùm locum.

Objectio solvitur ex Scoto.

Quòd si objicias; ergo Beatus potest decipi credendo in Eucharistia esse substantiam panis: Respondet 4. dist. 10. q. 9. n. 6. *Quòd sensus*

Sensus nostri non decipitur circa Eucharistiam.

etiam noster non decipitur circa Eucharistiam: quod enim percipit per se, hoc est ibi, scilicet quantitas, figura, color, & huiusmodi; nec est possibile modò, quòd circa Eucharistiam decipiatur visus noster; sed tantùm intellectus, arguens ex his quæ sensus apprehendit, quòd ibi est substantia panis. Hoc autem argumentum est sophisticum, licèt enim hoc eveniat ut in pluribus, non tamen necessariò. Sanè in Beato evenire non potest, utpote qui, ut dictum est Conclusione præcedenti, clarè videt per intellectum independentem pro illo statu à phantasmate, absentiam panis, & præsentiam Corporis.

84. Alia objectio.

Si rursum dixeris: lux si esset punctalis, videretur, vel esset visibilis; tum quoniam sphæricè se diffunderet; tum quia reflexio fit à solo puncto corporis reflectentis, & tamen illud videtur à quo fit reflexio.

Solvitur ex Scoto.

Respondet Scotus suprà nu. 7. *Quòd lumen punctale non multiplicaret se ad organum corporale, ita quòd esset visibile secundùm communem opinionem, quæ dicit, quòd non est possibile indivisibile moveri, ex 6. Physic. sed hoc discussum est in 2. lib: dist. 2. de motu Angeli.* Ubi à n. 36. usque ad 40. probat indivisibile posse moveri.

Lumen punctale an visibile.

Et cùm probas (prosequitur Doctor) *quòd sphæricè se multiplicaret; Negandum esset secundùm istam viam; imò prius oporteret, quòd ipsum haberet in se divisibilitatem quantitativam, quàm ageret in quantum passum.*

Ad secundam probationem de reflexione luminis: *Non cogit*, inquit, *quia in illa reflexione primum agens non est illa lux punctalis, quæ tangit corpus, à quo fit inflexio (si tamen lux punctalis esset ibi) sed est ipsum primum obiectum, à quo multiplicatur illa lux: idem enim agit in visione rectà, reflexa & fractà. Unde punctus tangens superficiem speculi non multiplicat radium reflexum; sed primum luminosum, quod usque ad speculum multiplicat lumen suum, illud etiam immediatè in ratione causæ multiplicat radium reflexum.*

Agens naturale quando non potest agere in ultimum, agit in obliquum.

Rationem attexit: *Quia agens naturale, ex quo agit secundum ultimum suæ potentiæ, quando impeditur agere secundum illam lineam, quæ est maximè conveniens actioni naturali, puta rectam, quæ est brevissima, agit secundùm eam, secundùm quam potest, scilicet secundùm lineam reflexam. Et hæc est ratio, quare non videtur in speculo imago ipsa corporis multiplicata usque ad speculum, sed ipsum corpus, cuius est imago.*

Ex hactenùs dictis de visione passiva Corporis Christi in Eucharistia, manifestum satis arbitror, quid sit dicendum de aliis sensationibus. Unum dumtaxat pro omnibus admonendum restat, nimirùm, quæ oculi, aut alterius sensûs non glorioſi, eamdem esse rationem oculi, alteriusve sensûs glorioſi: etsi enim oculus glorioſus sit longè præstantior oculo non glorioſo, ideoque possit res videre ex majori distantia; attamen unde probatur, quòd ex suo statu, sepoſito altiori adjutorio, possit videre corpora, independenter à conditione naturaliter requisita ad visionem, scilicet extensione objecti? Impræsentiarùm nihil occurrit, quod mereatur responſionem.

85. Quæ oculi non glorioſi, eadem est ratio glorioſi.

Quapropter ne diutiùs immorando rei incertæ, actionibus, inquam, & passionibus Corporis Christi in Eucharistia, operam lusisse contingat, statuitur

SECTIO SEXTA.

De Speciebus Eucharisticis.

1. Species Eucharisticæ sunt accidentia realia.

Species Eucharisticas voco species panis & vini remanentes in Sacramento Eucharistiæ, v. g. albedinem, calorem & similes qualitates. Porrò has species esse accidentia quædam realia, quæ sublatâ substantiâ, cui inhærebant, miraculosè sola subsistant, videtur docuisse Ecclesia in Concilio Constantiensi sess. 8. ubi damnat

Probatur ex Concil. Constant.

hanc propositionem Wicleff: *Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem Sacramento.* Ergo secundùm fidem Catholicam: *Accidentia panis manent sine subiecto in eodem Sacramento.*

Et quod illud subjectum, nisi substantia panis, cui illa accidentia ante Consecrationem inhærebant? Siquidem subjectum propriè significat subjectum inhærentiæ; jam autem verba Conciliorum propriè sunt intelligenda, nisi aliquid obstet: ergo in illo Concilio docuit Ecclesia species panis & vini, remanentes in Sacramento Eucharistiæ esse accidentia quædam realia, quæ sublatâ substantiâ panis & vini, cui inhærebant, miraculosè sola subsistant.

2. Ratio propter quam Wicleff negavit manere accidentia sine subjecto in Eucharistia.

Sed quare putas Wicleff negasse accidentia panis manere sine subjecto in eodem Sacramento? Utique quia negabat accidentia illa, quæ sensus movent, esse quid reale à substantia diversum: sic quippe loquitur in Tract. suo de Incarn. Verbi cap. 4. Albedo, cùm sit substantiam esse albam, non potest esse sine subjecto. Et de Serm. Domini in monte c. 41. Non est accidens nisi modus accidentalis substantiæ. Item de Euchar. cap. 7. Nulla qualitas est nisi sub-

substantiam esse qualem, nec aliqua forma est, nisi illa, quæ est substantiam esse formatam vel formosam; ideo idem est ponere, quòd qualitas sit per se sine substantia, & ponere quòd sit ita, quòd substantia sit qualis sine hoc quòd sit substantia, & sic includit formalem contradictionem, quòd sit accidens sine substantia subjecta.

Et in Sum. cap. de quidditate esse & essentiæ in Prædic. substant. Tota, inquit, entitas accidentis est suum subjectum specialiter, si nullum accidens ponit rem, quæ posset per se existere ultra suum subjectum, sed solum modum subjecti, quod ego credo verum. Ego autem credo, quòd quamvis novem sint genera entium distincta à se invicem, & à substantia: omnis tamen res est substantia, cùm accidentia non sint nisi modi substantiarum, sive sint qualitates, sive quantitates. Denique in eod. lib. cap. 2. de numero Prædic. in fine sic ait: Notandum, quòd omne Prædicamentum dicit substantiam, & ut credo, non est aliqua res nisi substantia, sed alia entia sunt habitudines, respectus, dispositiones vel modi accidentales inexistentes substantiis. Hucusque Wicleff, ut refert Waldensis tom. 2. de Sacram. cap. 78. ubi ostendit Wicleff in hoc renovare errorem Parmenidis & Anaxagoræ.

Quis ergo ausit sperare venturum tempus aliquando, quo illa opinio, quæ ponit accidentia realia (id est, quæ docet accidentia illa, quæ sensus movent, esse quid reale à substantia diversum) ut à ratione aliena, & incomprehensibilis, & parùm tuta in fide, à Theologis explodetur, & opinio Wicleff in ejus locum ut certa & indubitata recipietur?

Absit absit, ut aliquando à Theologis explodatur, ut alienum à ratione, & incomprehensibile, & parùm tutum in fide, quod hactenus communi consensu fuit propugnatum, tamquam à SS. Patribus acceptum, ipsique immutabili Ecclesiæ menti consonum. Absit absit, ut à Theologis aliquando recipiatur ut certa & indubitata illa opinio, quæ contradicit SS. Patribus, ipsique immutabili menti Ecclesiæ, & sola fuit ratio, ob quam Wicleff, hac in parte ab Ecclesia Romana dissenserit, ut videre poteris apud Waldensem suprà, & sequentibus capitibus.

3. Authoritas D. Anselmi.

Unam tantùm subscribo auctoritatem D. Anselmi ex lib. de Incarn. Verbi cap. 2. circa finem: *Cumq; omnes, ut cautissimè ad sacræ Paginæ quæstiones accedant, sint commonendi, illi utique nostri temporis Dialectici (immo Dialecticæ Hæretici, qui quidem non nisi flatum vocis putant esse universales substantias, & qui colorem non aliud queunt intelligere, nisi corpus, nec sapientiam hominis aliud, quàm animam) prorsus à spiritualium quæstionum disputatione sunt exufflandi. In eorum quippe animabus ratio, quæ princeps & iudex omnium debet esse, quæ sunt in homine, sic est imaginationibus corporalibus obvoluta, ut ex eis se non possit evolvere: nec ab ipsis ea, quæ sola & pura ipsa contemplari debet, valeat discernere. Qui enim nondum intelligit, quomodo plures homines in specie sint unus homo, qualiter in illa secretissima & altissima natura comprehendet, quomodo plures Personæ, quarum singula quæque est perfectus Deus, sint unus Deus? Et cuius mens obscurata est ad discernendum inter equum & colorem eius, qualiter discernet inter unum Deum & plures relationes eius?* Hactenus D. Anselmus.

Suppono itaque ut certum & indubitatum, dari accidentia quædam realia, quæ, sublatâ substantiâ, cui inhærebant, sola possint subsistere, & dico de facto ita subsistere accidentia panis & vini in Eucharistia. Pro cujus clariori intellectu pono sequentes Conclusiones.

CONCLUSIO I.

Consecratione peractâ remanent accidentia panis & vini sine subjecto.

4. Accidentia Eucharistica non existunt subjectivè in aliqua substantia;

CUm duplex sit subjectum accidentium, unum substantiale, aliud accidentale, ut multi docent; posset aliquis à me quærere, an de utroque Conclusio veniat intelligenda? Respondeo in primis, satis certum esse, accidentia illa subjectivè non existere in aliqua substantia; non enim in substantia panis aut vini, quam ex dictis sect. 4. constat post Consecrationem haudquaquam permanere: nec etiam in Corpore & Sanguine Christi, utpote jam gloriosis & indivisibiliter existentibus; cùm tamen experientia doceat accidentia illa, ut priùs, materialia esse & extensa.

Adde, qualitates contrarias minimè esse admittendas simul in eodem subjecto, nisi constet de miraculo; patet autem ad oculum, quòd aliquando aliquæ qualitates diversarum hostiarum sibi contrariantur. Nec satisfacit replicatio subjecti; quippe accidentia à loco absoluta, saltem naturaliter, simul replicantur. Vide dicta sect. 4.

Si dixeris; illa accidentia afficiunt aërem circumstantem: Resp. nullum accidens nec secundùm se totum, nec secundùm aliquam sui partem distat loco & situ à subjecto suo primo: sed ad sensum apparet, quòd aliqua pars accidentis hostiæ loco & situ distat ab aëre circumstante, & à qualibet parte ejus: non ergo est illud accidens in aëre subjectivè, nec eâdem ratione aliquod eorum. Item numquam occupat accidens alium locum à loco sui subjecti; sed manifestum est, quòd hostia & aër occupant distincta loca: non igitur accidentia sunt subjectivè in aëre. Relinquitur igitur quòd accidentia maneant sine omni subjecto substantiali.

nequidem in aëre circumstante.

Ast numquid etiam sine omni subjecto accidentali? Responsio affirmativa non est improbabilis, dummodò quæstio intelligatur de ac- 5.

cidentibus absolutis, albedine, calore & similibus qualitatibus.

Remanere aliqua accidentia & fides docet, & experientia.

Profectò remanere aliqua accidentia docet fides & experientia. Et quæ illa, nisi species panis & vini? *Manentibus dumtaxat speciebus panis & vini*, inquit Tridentinum sess. 13. can. 2. Porrò Concilium per ly *species*, intelligere accidentia sensibilia, non dubito: an etiam veniant intelligenda insensibilia (si talia dentur) incertum arbitror.

An maneant accidentia insensibilia.

Hoc certum est: quamquam non intelligerentur, equidem possent manere salvo Tridentino, & particulâ *dumtaxat*, quæ solùm excludit substantiam, ut patet ex contextu & scopo Concilii. Alioquin quomodo remanerent relationes, præsentiæ, & puri modi specierum? Quare non allubescit discursus quorumdam, qui censent vi Tridentini vel certum esse, quòd maneant, si videlicet intelligantur nomine specierum; vel si non intelligantur, certum esse contrarium.

Interim tamen quia ipsorum accidentium insensibilium munus non repugnat mysterio Eucharistiæ, non apparet sufficiens ratio negandi eorum remanentiam; si tamen fuerint absoluta: siquidem extra controversiam est, accidentia relativa in substantia panis & vini immediatè fundata, utì & modi, si qui dentur à relationibus distincti, necessariò perire, pereunte panis & vini substantiâ, utpote essentialiter ab ea dependentia.

Accidentia respectiva in substantia panis & vini immediatè fundata non remanent:

6. remanentia post Consecrationem, si sint respectiva, existunt in subjecto. *Scotus.*

Porrò accidentia respectiva permanentia post Consecrationem, neutiquam existere sine subjecto, in terminis docet Scotus 4. dist. 12. q. 1. n. 5. ibi: *Secunda Conclusio, quòd loquendo de eo, quod denominatur à per se accidentis significato, & est per se respectus, contradictio est, quòd sit sine subjecto, & hoc actu, ita scilicet, quòd non actu inhæreat subjecto, extendendo subiectum ad fundamentum, quod potest dici proximum subiectum respectus.*

Probatio ex Scoto.

Probat n. 8. *Quia respectus est essentialiter habitudo inter duo extrema: & ideo sicut tollere terminum, ad quem est respectus, est tollere vel destruere respectum: ita tollere illud, cuius est respectus, est tollere respectum & destruere rationem respectus. Non ergo quia accidens respectivum est accidens, ideo requirit subiectum, vel fundamentum: sed quia respectus est respectus, ideo requirit cuius sit, & ad quod sit, etiam in divinis.*

Exempla.

Exempla manifestissima sunt, paternitas, filiatio, æqualitas, & cæteri respectus prædicamentales sive intrinsecùs advenientes, qui secundùm unam sententiam à parte rei non sunt aliud, quàm ipsum fundamentum & terminus; in alia autem, & magis communi via, ens aliquod necessariò resultans posito fundamento & termino. Quod attinet relationes extrinsecùs advenientes, tametsi non necessariò resultent posito fundamento & termino; clarum tamen est, non posse per se produci, nisi fundamento & termino existentibus.

Et si arguas; quia sic una relatio erit fundamentum alterius relationis, v. g. paternitas inhærentiæ: Respondet Doctor suprà: *Quòd unus respectus bene potest fundari in alio, ut posterius in priori, sicut suprà tactum est in quadam quæstione de charactere* (dist. 6. q. 10.) *& probatum de proportione, & proportionabilitate: & ita dico quòd sicut albedo potest denominari ab inhærentia, sive ab eo, quod potest accidere; ita potest paternitas denominari: & similis est denominatio quoad hoc utrobique, scilicet quòd prædicatum dicit respectum extrinsecus advenientem ipsi subiecto.* 7. Objectio solvitur ex Scoto. Unus respectus potest fundari in alio.

Instas: ergo dabitur processus in infinitum. Resp. Negando Consequentiam: ipsa namque inhærentia, cùm seipsa talis sit, non fundat alium respectum inhærentiæ, sed à se ipsa dicitur inhærens sine ulteriori respectu: sicut similitudo præsentiæ seipsa est præsens, & præsentia similitudinis seipsa est similis. Ita ille suprà n. 17. ibi: *Ad rationem illam dico, quòd inhærentia inhæret albedini; alioquin albedo non esset formaliter inhærens illâ inhærentiâ: & cùm quæris de illa inhærentia, quâ inhærentia albedinis inhæret albedini; dico, quòd illa est eadem inhærentia albedinis, & tantùm ibi est status.* 8. Instantia solvitur ex Scoto. Inhærentia inhærentiæ non differt ab ipsa.

Ratio patet: *Quia illa relatio est idem fundamento, sine qua fundamentum esse, includit contradictionem: huiusmodi est ista inhærentia inhærentiæ; quia contradictio est inhærentiam albedinis ad superficiem esse actu, & non inhærere actu, vel non habere inhærentiam: similiter impossibile est, & contradictio est, esse in aptitudine, quin & habeat in aptitudine. Sed propter rationem oppositam nulla inhærentia formæ absolutæ est sibi eadem, quia non est simpliciter repugnantia illam formam simpliciter esse, & non inesse.* Similiter non est repugnantia formam respectivam, in quantum præcisè est accidens, esse, & non inesse. Inhærentia absoluta distinguitur ab ipsa.

Relictis itaque formis respectivis, præcipuè hìc controvertitur de accidentibus absolutis, albedine, calore, cæterisque qualitatibus, an existant sine omni subjecto accidentali? Qualitatibus, inquam, nam quod attinet ad quantitatem, si est accidens realiter distinctum, constat apud omnes, eam in Sacramento Eucharistiæ existere sine omni prorsus subjecto.

Ex quo cum Doctore nostro suprà n. 5. deducitur manifestè: *Quòd illud, quod denominatur à per se significato accidentis, & est quid absolutum, potest esse, & non inesse subiecto actualiter: sed necessariò inest aptitudinaliter*; adeoque inhærentia actualis non est de essentia accidentis. Probat ex 8.

Probat n. 9. quia *nulla est dependentia simpliciter necessaria alicuius absoluti ad aliquid, quod non est de essentia eius, sed tantùm causa extrinseca: nisi ad causam extrinsecam simpliciter primam, scilicet ad Deum: subiectum autem non est de essentia accidentis, quia tunc homo albus non esset ens per accidens ..... quia addendo alicui illud, quod est de essentia eius, non haberet ens per accidens, præcipuè si illud in se sit ens per se.*

Major

Prima causa supplere potest omnem causalitatem extrinsecam.

Major probatur: *Quia causalitatem cuiuscumque causæ extrinsecæ respectu cuiuscumque causati, perfectè supplere potest prima causa: quia habet in se omnem talem causalitatem eminentiùs, quàm secunda causa.*

10. Objectio.

Dices: subjectum est causa materialis respectu accidentis, & Deus non potest supplere vicem causæ materialis, sicut nec formalis.

Solvitur.

Resp. cum distinctione: non potest supplere vicem causæ materialis ex qua, Concedo; causæ materialis in qua, Nego: jam autem *Accidentia*, ait Scotus suprà nu. 10. *non habent materiam ex qua sed in qua: vel si habent ex qua, illud non est subjectum; quia subjectum cum accidente facit ens per accidens, ut dictum est: per se autem intrinsecum essentiæ accidentis, sive materia, sive forma non constituit ens per accidens: quia accidens ut totum quoddam est, est ex omnibus pertinentibus ad essentiam eius.*

Accidentia non habent materiam ex qua.

Deus non potest supplere causalitatem materialem vel formalem in eodem genere causæ; sed in genere solum causæ efficientis;

Consentio igitur, Deum non posse supplere causalitatem materialem, vel etiam formalem in eodem genere causæ, per se componendo instar materiæ, vel formæ aliquod totum, aut per susceptionem accidentis, illud sustentando, vel subjectum aliquod informando: quidni tamen possit illam supplere in genere causæ efficientis? Præsertim quando agitur de causalitate, non secundùm quam, ut dictum est, ex materia, aut forma aliquid componitur, id est, causalitate intrinsecâ, sed tantùm de causalitate extrinseca, secundùm quam forma à materia sustentatur & è converso. Quidni, inquam, per majorem concursum effectivum præstare possit totum id, quod forma accipiebat à materia, sive subjecto sustentante, & quod materia accipiebat à forma informante? Non video quid obstet.

Nec mirum, cùm etiam subjecti approximatio, aliæque conditiones (quæ ad genus causæ materialis, vel formalis extrinsecæ solent revocari) eò actionem agentis reddant faciliorem, immo naturaliter possibilem, equidem suppleri possint in alio genere causæ per intensionem virtutis & majorem conatum, sive concursum agentis. Ita communiter Doctores.

ad quod nec Clarus non est potentior Dei infinita.

Quamquam existimem potentiorem concursum minimè necessarium, sive ut materia existat sine omni subjecto, de quo concluf. 3.

11. Probabile est omnes qualitates esse in hoc Sacramento sine omni subjecto, etiam accidentali.

Nunc in rem nostram; probabile arbitror, non quantitatem solam, verùm etiam albedinem, calorem, cæteraſque qualitates existere in hoc Sacramento absque omni subjecto proximo, vel remoto. Profectò parùm prodesset qualitatibus, quòd haberent subjectum accidentale proximum, nisi hoc ulteriùs sustentaretur à substantiali. Quid enim prodest domui, quòd tectum fulciatur parietibus, nisi hi fundamento firmo innitantur? Unde si hoc desit, & domus equidem persistat, dicetur ipsa stare sine fulcimento aut sustentaculo: ergo pariter qualitates dicerentur stare sine subjecto sustentante, tametsi immediatè in quantitate subjectarentur.

quod aliqui colligunt ex Concilio Constantiense

Et fortè nihil aliud intendit Concilium Constantiense, quando sess. 6. damnat hanc propositionem Joannis Wicleff: *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.* Ubi ly *Eodem*, subindicat aliam propositionem præcessisse. Et quæ ista? *Substantia panis materialis, & vini materialis manent in Sacramento altaris.* Ex qua aliqui sic arguunt pro nostra opinione: in prima propositione damnat Ecclesia subjectum substantiale, ut ex verbis patet; ergo in secunda subjectum accidentale.

12. verùm non evidenter.

Verùm Consequentia non est evidens: dici enim potest, utrumque poni ad majorem expressionem, licèt ille Hæreticus tantùm vellet substantiam manere; neque ibi erat controversia de permanentia subjecti accidentalis. Unde utitur Concilium verbis Doctoris Angelici 3. parte qu. 77. art. 1. qui tamen a. 2. docet: *Accidentia alia, quæ remanent in hoc Sacramento, esse sicut in subjecto in quantitate dimensiva panis, vel vini remanente.*

D. Thom.

Et quidem non omnia omnino esse extra omne subjectum accidentale, haud potest dubitari ab illis, qui admittunt relationes & puros modos: nam ipsæ species habent suas relationes, præsentias & modos; quæ utique inhærent, ut statim dictum fuit, ipsis speciebus tamquam subjectis.

13. Quare alter probatur Conclusio.

Hâc ergo probatione omissâ, quoniam hæc res non dependet à principiis fidei; sed deducenda est ex principiis Philosophiæ, breviter dico; non sunt multiplicanda entia sine necessitate: nulla autè est necessitas asserendi subjectum accidentale albedinis, caloris, cæterarumque hujumodi qualitatum in hoc Sacramento.

Objectio.

Contrà: quantitas manet; atqui illa ante Consecrationem erat subjectum illarum qualitatum: ergo etiam post Consecrationem.

Solvitur.

Resp. Negando Majorem, si per quantitatem intelligas accidens realiter distinctum ab essentia substantiæ corporeæ & qualitatis. Vide Ochamum toto Opusculo de Sacramento Altaris, ubi hoc subtilissimè ostendit. Sin autem per quantitatem intelligatur extensio qualitatum ab ipsis realiter indistincta, nemo non videt Minorem esse falsam.

Ochamus.

14. An distinguatur quantitas à substantia?

Dices; communis opinio est quantitatem distingui à substantia corporea & qualitate, prout testatur Scotus suprà q. 2. n. 15. dicens: *Accidens respectivum est hic in subjecto, secundo modo loquendo de subjecto* (id est, de subjecto proximo, etsi non ultimato) *quia illius est habitudo ad terminum. Sed de absolutis diversimodè opinantes de quantitate, respondent diversimodè. Qui enim dicunt quantitatem esse aliam essentiam absolutam ab essentia substantiæ corporeæ & qualitatis, sicut dicit communis opinio, dicerent quantitatem hic esse sine subjecto, sed non qualitatem, imò quòd qualitas est in quantitate.*

Communis opinio affirmat.

Rationem continuò adjungit: *Quia qualitas*

Probatio ex Scoto.

hæc est extensa, patet ad sensum: non est autem extensa essentialiter sine extensione, quæ sit intrinseca qualitati secundùm istam opinionem, sed tantùm per accidens: sed omne extensum per accidens, vel recipit extensionem in se, quâ extenditur per accidens: vel recipitur in extensione, vel extenso: qualitas autem non recipit in se extensionem secundùm istam opinionem: ergo est tantùm extensa per accidens, quia recipitur in extenso.

Proponitur sententia negativa,

Prosequitur: *Qui autem dicerent quantitatem substantiæ corporeæ non esse aliud ab essentia talis substantiæ, & quantitatem coloris non esse aliud à colore, dicerent qualitatem hìc non esse in quantitate, immo magis quantitatem, quæ apparet, esse quantitatem qualitatis.* Hæc ille, referens quidem utramque sententiam, sed pro neutra hìc determinatè resolvens.

Unde illicò attexit: *Sed de ista altercatione habetur lib. 2. dist. 12. q. 1.* Ubi (ut notat Scholium præfixum n. 14.) §. *Dico igitur*: tenet quantitatem distingui à re quanta.

15. Quis hìc audeat suspicari aliquem errorẽ? Et tamẽ aliquis error est, cùm in tota illa quæstione nihil simile reperiatur; non enim hæc quæstio tractat de distinctione quantitatis à re quanta, sed de distinctione materiæ à forma; ad quam planè impertinens est distinctio quantitatis à materia, aut re quanta.

quam Scotus reputat non improbabilem.

Hoc verè dixit Scholium, oppositum communis sententiæ à Scoto non reputari improbabile, ut patet ex verbis mox citatis, & ex his, quæ habet infrà q. 5. n. 4. *Dico ergo ad quæstionem, quòd accidentia Eucharistiæ possunt corrumpi: & hoc quidem de qualitatibus, quarum transmutatio non requirit aliam quantitatem, satis est manifestum secundùm communem opinionem; quia illæ possunt poni habere subiectum commune manens, scilicet quantitatem: sed secundùm aliam opinionem, quæ ponit quantitatem substantiæ non differre à substantia, nec quantitatem albedinis ab albedine &c.*

Ubi rursum assignat duplicem illam opinionem, & ne minimo verbo indicat, minùs communem esse improbabilem; ideoque dicit notanter: *Possunt poni habere subiectum*, non autem, *debent poni.*

16. Contrà; 4. dist. 13. q. 1. n. 9. ita scribit: *Cogimur observare illam divisionem prædicamentorum famosam, quâ dicuntur esse decem generalissima, cogimur, inquam, propter Philosophorum antiquam auctoritatem, cui non debet facile contradici.*

Scotus.

Hæc sententia non derogat ordinatiæ Prædicamentorum divisioni.

Resp. nos haudquaquam contradicere: verùm unde constat decem ista generalissima inter se realiter distingui? Nonne illi, qui negant relationem esse accidens distinctum à fundamento, & ultima sex Prædicamenta dicunt tantùm esse denominationes extrinsecas; equidem adhuc retinent denarium numerum Prædicamentorum? Cùm enim Prædicamentum non sit aliud quàm coordinatio prædicatorum & subjectorum, sufficit ut nomen *quantitas* v. g. aliquid connotet, vel det intelligere, scilicet partem rei situaliter distare à parte, quod nec per hoc nomen *Substantia*, nec per hoc nomen *Qualitas* connotatur, vel datur intelligi: propter quod poterit illa esse vera: *Tam substantia, quàm qualitas est*; non obstante quòd hæc sit falsa: *Quantitas est.* Ita Ocham suprà cap. 35. in fine. Ocham.

Addit circa principium capitis sequentis: Quidam Doctor invenit illam opinionem (scilicet quantitatem non distingui realiter à substantia & qualitate) probabilem esse, scilicet Scotus lib. 4. dist. 12. q. 2. & dat modum solvendi multa argumenta, quæ possent fieri contrà. Vide ipsum ibi; quia non lubet diutiùs quæstionibus illis philosophicis immorari.

17. Quamquam admittatur quantitas realiter distincta, nondum constat, an in illa hypothesi sustententur alia accidentia.

Hoc unicum adverte, tametsi cum sententia communi admitteremus quantitatem realiter distingui à materia, adhuc planè incertum esse, an accidentia seu qualitates sensibiles subjectentur in ipsa, an verò immediatè in materia, vel in forma, aut certè in ipso composito. Et quidem quodlibet horum satìs credibile est.

Lugo non improbabile, quòd accidentia subjectentur immediatè in ipsa substantia.

Lugo disp. 10. sect. 1 n. 5. ait: Stando in ratione non esse improbabile, quòd omnia accidentia subjectentur immediatè in ipsa substantia: nec enim oppositum sufficienti ratione ostenditur, & consequenter, inquit, credendum esset, omnia accidentia panis manere æquè per se, & sine subjecto mediato, vel immediato. Item in Eucharistia non dari album, sapidum &c. sed albedinem, saporem, odorem &c. Item qualitates illas non posse pro illo statu naturaliter corrumpi, vel produci ab agentibus naturalibus; quia omnes conservantur concursu creativo: Deum tamen ad præsentiam agentis creati illas destruere, vel producere, occultandi mysterii causâ: & denique motâ quantitate localiter, non moveri alia accidentia ex vi unionis, quam habeant cum quantitate; sed vel à Deo immediatè, vel ab ipsa quantitate, aut Corpore Christi habente divinitùs vim trahendi secum illa accidentia, quando localiter movetur. In quam sententiam ultra alios Auctores accessit P. Lessius de Perfect. Divinis lib. 12. num. 112. Eandem sententiam amplexi sunt P. Hurtado disp. 6. Phys. sect. 6. & P. Arriaga disp. 5. sect. 2. subsect. 5. Hactenus Card.

Lessius.

Hurtado. Arriaga.

18. Objectio solvitur.

Et si objicias; hoc est multiplicare miracula sine necessitate. Respondetur distinguendo; multiplicare sine necessitate evidenti, transeat; sine probabili, negatur: probabile siquidem est, illas qualitates naturâ suâ exigere immediatè subjectari in substantia, & non in quantitate. Quo supposito, qui fecit miraculum miraculorum, & mysterium mysteriorum, ex consequenti alia miracula, & mysteria facere debet, & indubiè facit.

Lugo non existimat recedendum à communi sententia.

Interea re magìs consideratâ existimat Eminentissimus sup. n. 7. non esse recedendum à sententia communi; sed concedendum accidentia illa manere in quantitate, ut in subjecto immediato,

diato, in quo priùs etiam immediatè recipiebantur. Difficilè enim semper remanet, quomodo, motâ quantitate panis à Sacerdote, moveantur consequenter alia panis accidentia. Accedat extensio, & impenetrabilitas istarum qualitatum: unde enim illæ qualitates extensæ & impenetrabiles, id est, quantæ, nisi à quantitate, in qua immediatè subjectantur?

19. In qua plura facilius explicantur circa miraculum.

Fateor (inquit quidam Auctor) modum istum communem accomodum esse, quo facilè plura explicentur fieri circa species citra miraculum: sed planè mirùm videtur, quòd in quantitate accidentia ista subjectarentur, & per eam in materia; cùm nec quantitas, nec materia exigant ea, sed potiùs ipsa forma aut compositum. Quare sicut ab aqua connaturaliter frigus emanat, sic videtur ipsum in forma aquæ, aut certè composito subjectari, cùm ipsum sit forma suo subjecto connaturalis, sicut calor igni; & tamen non est connaturalis quantitati, aut materiæ, quæ non magis appetit frigus, quàm calorem, aut contrà.

Proponitur sententia, quæ docet qualitates subjectari in forma aut in composito.

Qua ratione qualitates sint formæ connaturales materiæ.

Verumtamen quid mirùm si accidentia immediatè recipiantur in illo subjecto, quod disponunt ad formam substantialem? Et quod illud nisi materiâ? Dicitur autem frigus, vel calor forma connaturalis materiæ, quia disponit ad formam substantialem, quam materia connaturaliter appetit, & quia est forma, quam materia connaturaliter requirit, ut recipiat aut retineat talem, vel talem formam substantialem.

20. Quid sit disponere materiam? Lugo.

Respondet Cardinalis suprà n. 15. disponere materiam est determinare indifferentiam materiæ: possunt autem determinare, licèt sint in quantitate, prout de facto determinant etiam causam efficientem ad producendam potiùs talem formam, quàm aliam, licèt non sint in causa efficiente: utrumque enim principium, efficiens & materiale, determinat per exigentiam determinatam, quâ exigant talem formam pro tali subjecto. Quasi dispositiones ipsi sint milites præcedentes ad occupandam arcem Regio nomine, quos sanè non est necesse ingredi ad ipsam cameram intimam, in qua Rex cubaturus est; sed eo ipso quòd occupent mœnia, portam, & atria, intelligitur jam castrum illud pertinere ad Regem: sic dispositiones & accidentia sunt veluti milites, quos natura præmittit ad præoccupandam arcem materiæ nomine talis formæ. Hactenus Eminentissimus.

Causa materialis debet intrinsecè recipere formam, secùs causa efficiens.

Pulchra profectò comparatio, nisi dispositiones essent necessariæ ad præparandam intimam cameram, id est materiam, in qua Rex, id est, forma, cubaturus est, quod minimè facere possunt, nisi intimam cameram ingrediantur. Ex quo patet diversitas inter causam materialem & efficientem; quòd materialis debeat intrinsecè & immediatè formam recipere, adeoque per qualitates sibi immediatè inexistentes determinari ad hanc potiùs, quàm illam: porrò causa efficiens, cùm non recipiat in se formam, ad quam producendam determinatur, non est necesse illas dispositiones in se recipiat; sed sufficit materiam disponi intrinsecè & immediatè, quæ formam ab efficiente recipere debet.

21. Motâ quantitate panis, moventur accidentia realiqua moraliter.

Quomodo autem motâ quantitate panis à Sacerdote, moveantur consequenter alia panis accidentia. Respondeti potest eo modo, quo præcedenti Sectione, Conclusione 4. diximus Sacerdotem movere Corpus Christi motis speciebus, puta moraliter, id est, propter moralem connectionem, quam habent ex decreto Dei extrinseco, quo sicut voluit ad motum specierum movere Corpus Christi; ita pariter ad motum quantitatis movere cætera accidentia, quæ propterea non minùs propriè dicuntur deglutiri, comedi, bibi, quàm Corpus Christi à Sacerdote elevari, aut comedi, Sanguinem bibi &c. Vide dicta concluf. 4. citatâ.

Nec ideo minùs propriè dicuntur comedi, quàm Corpus Christi.

Objectio solvitur.

Contrà; deglutire, comedere, bibere non significant motum moralem, sed physicum. Quis dubitat? Species nonne physicè trajiciuntur in stomachum? Quòd autem ille motus trajectionis fieri debeat à gravitate singulis speciebus intrinsecâ, vel saltem quantitati, quæ sit commune subjectum singularum, unde constat? Et quare non sufficit, quòd Sacerdos physicè moveat quantitatem (si est accidens realiter distinctum) vel ipsam ponderositatem, cui cætera accidentia moraliter sunt connexa?

Sufficit, quòd Sacerdos physicè moveat quamtitatem aut ponderositatem.

22. Objectio.

Quia, inquis, sic accidentia illa non erunt sensibilia, & per consequens species non erunt pars Sacramenti, quod est signum sensibile; imò non poterit probari eas manere: ex hoc enim solùm dicimus, eas remanere, quia sentiuntur non in seipsis, sed in suis operationibus; jam autem omnes operationes earum debebunt adscribi Deo, miraculosè operanti ad earum præsentiam: quippe operatio propria accidentis supponit subjectum. Denique nec ipsa verba Consecrationis vera essent; nam significant sub his speciebus, quas sentimus, esse Corpus & Sanguinem Christi. Ita ex Lugone

Lugo.

suprà n. 13. & 14.

Solvitur. Operatio accidentis non aliter pendet à subjecto, quàm ipsum accidens.

Respondeo unico verbo; operationem accidentis non aliter pendere à subjecto, quàm ipsum accidens: sublato ergo decreto, quo Deus noluit conservare accidens extra subjectum, consequenter tollitur illud, quo voluit accidens non agere, nisi sit in subjecto; adeoque per eundem concursum, & æquè naturaliter, operabitur, atque si esset in subjecto, ut ex dicendis clariùs apparebit.

Omitto sensibilitatem alicujus qualitatis non consistere in operatione illius, sed in eo, quòd possit per cognitionem materialem percipi. Cur autem non posset albedo v. g. per cognitionem materialem percipi, tametsi solus Deus produceret in oculo species intentionales? Et

verò cur non possit albedo sic visa demonstrari hisce verbis: *Hæc est albedo?*

23. Accidentia Eucharistica habent suam extensionem & impenetrabilitatem vel à quantitate realiter distincta, vel à seipsis.

Ad aliam quæstionem superiùs propositam, à quo nimirùm illa accidentia habeant extensionem & impenetrabilitatem, Resp. citiùs, vel à quantitate realiter distincta (si illa est necessaria) in ipsis miraculosè per solum Deum productâ: vel (quod verius existimamus) sine ullo accidente realiter superaddito à seipsis; sicuti enim ante Consecrationem habebant partem extra partem, ideoque connaturaliter extra locum partis sine ullo accidente realiter superaddito, in sententia Ochami sanè probabilissimâ ita etiam post Consecrationem, eandem retinent partium situationem, & ex consequenti extensionem, quæ in illa opinione non est aliud, quàm ista situatio, sive localis distantia partium. Alioquin assigna rationem, cur Deus debeat mutare localiter partes substantiæ, quando tollit quantitatem. Si autem non necessariò mutat, certè retinent eundem ordinem inter se, & ad locum.

Objectio solvitur.

Dices; duæ qualitates se mutuò penetrant. Resp. etiam duæ lineæ sibi immediatæ. Quid ergo? Dico, quòd aliquæ qualitates excludant se mutuò ab eodem spatio, aliquæ non, provenit ab agente ponente eas extensivè, vel non extensivè.

Ochamus. Ut qualitas sit extensa, sufficit partium distinctio cum exigentia distandi situaliter.

Audiamus Ocham suprà cap. 40. Ad hoc, inquit, quòd tam substantia, quàm qualitas sit extensa, sufficit quòd habeat partes distinctas realiter, natas distare situaliter cum causa agente, quæ potest producere effectivè illas partes in distinctis locis, & sic facere eas distare localiter, & in eodem statu conservare easdem.

24.

Et investigans rationem propter quam corpus per se subsistens cedat accidentibus in Sacramento Altaris, ait: Potest dici, quòd est, vel quia qualitas per se existens nec est nata informare subjectum, in quo numquam fuit; videlicet quia corpus illud habet consimiles qualitates. Vel quòd hoc est voluntate Dei, nolente quòd aliquid contra communem cursum naturæ evidenter appareat sensui, et hoc ut mereamur; quia fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum: unde multi Catholici ponunt ibi multa fieri à solo Deo, ne evacuetur meritum fidei, sicut reditionem substantiæ, creationem novæ quantitatis, & hujusmodi. Et ideo de istis omnibus potest æquè faciliter dici, quòd Deus ordinavit, quòd omnia apparentia sensui, quæ fiunt circa hostiam non consecratam, fiunt etiam circa hostiam consecratam. Et ideo illa, quæ non possunt fieri virtute creatâ, disposuit facere immediatè per seipsum. Hucusque Ocham.

Disposuit Deus multa facere immediatè circa accidentia, quæ fieri nequeunt virtute creatâ.

Quid ergo deest probabilitati Conclusionis? Nec ratio, nec auctoritas. Pro majori nihilominùs satisfactione, quæritur primò, an accidentia sic existant propriâ existentiâ? Secundò, utrùm indigeant potentiori influxu? Ad primam quæstionem responsio erit

CONCLUSIO II.

Accidentia in Eucharistia existunt propriâ existentiâ; idque sine aliquo novo modo positivo superaddito.

25. Accidentia in Eucharistia existunt propriâ existentiâ.

QUidni enim existat propriâ existentiâ, quod habet propriam essentiam positam extra suas causas? Profectò in omni Schola Doctoris Subtilis existentia realiter identificatur enti actuali: unde à parte rei nihil aliud est, quàm ipsa actualis essentia rei, sive essentia posita extra omnes suas causas. Quis autem ambigat accidentia remanentia post Consecrationem habere propriam essentiam actualem?

Nemo, inquit aliquis Thomista, sed unde constat essentiam actualem non distingui realiter ab existentia? Resp. ex hoc communi axiomate (ut omittam cæteras rationes positivas, quas videre poteris apud Smising. Tract. 1. de Deo uno disp. 2. n. 44) Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: nulla autem est necessitas hujus distinctionis, ut doctè ostendit Auctor citatus n. 46.

cùm essentia non distinguatur ab essentia realiter.

Hinc Scotus 4. dist. 13. q. 1. n. 38. *Simpliciter falsum est, quòd esse sit aliud ab existentia.* Et dist. 11. q. 3. n. 46. *Nescio* (inquit) *istam fictionem, quòd esse est quid superveniens essentiæ, non compositum, si essentia est composita: hoc modo esse totius compositi includit esse omnium partium, & includit multa esse partialia multarum partium vel formarum, sicut totum ens ex multis formis includit illas actualitates partiales,* id est, essentias, & existentias.

Scotus.

Ergo secundùm mentem Doctoris Subtilis neque materia existit existentiâ formæ, vel è converso, neque accidentia existunt existentiâ subjecti, cui de facto inhærent; sed secundùm multitudinem essentiarum multiplicantur & ipsæ existentiæ.

Quæ secundùm Scotum neque materia existit existentiâ formæ, vel è converso, neque accidentia existunt existentiâ subjecti.

Quòd si accidens in subjecto non existit existentiâ subjecti, sed propriâ; quantò amplius accidens extra omne subjectum? *Unumquodque* (inquit Doctor 4. dist. 12. q. 1. n. 3.) *quod est extra causam suam, & intellectum, sicut habet entitatem propriam, ita & proprium esse: ergo si accidens habet propriam entitatem essentialem extra subiectum, & intellectum, habet & proprium esse; & ita non est formaliter per esse subiecti.*

26. neque accidens existentiâ subjecti quando est in hoc.

Certè gratis admisso, quòd accidentia in subjecto existant existentiâ subjecti; equidem minimè sequitur, quòd extra subjectum retineant eandem existentiam; cùm existentia subjecti necessariò cũ ipso subjecto destruatur, potissimùm in præsenti mysterio; nam juxta Tridentinum

multò minùs extra illud:

sess. 13.

Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 2. substantia panis convertitur in Corpus Christi, manentibus dumtaxat speciebus.

27. Putas autem, quia Concilium nomine *Substantiæ* intelligit essentiam abstractam & præcisam ab existentia? Aberras toto cælo; sed intelligit substantiam completam, prout erat in rerum natura, quæ indubiè includit existentiam tamquam proprium & intrinsecum actum constituentem hanc entitatem in esse actualis entitatis. Quis enim cum aliquo fundamento dixerit, existentiam substantiæ esse aliquod ejus accidens? Numquid sine existentia invenitur in rerum natura essentia? Si ergo existentia panis manet post Consecrationem, quomodo dumtaxat species? Vel si non manet, quomodo accidentia non existunt propriâ existentiâ?

Solutio Bannez. Respondet Bannez 1. parte qu. 4. art. 2. dub. 2. Quòd qui ad pauca respiciunt, facilè hallucinantur. Si enim Sophisticus argumentator attenderet, quòd eo ipso, quòd Concilium definit accidentia manere, definit etiam, quòd maneat cum existentia, videret Consequentiam sui argumenti nullam esse. Certum est enim apud doctos Theologos, quòd existentia in hoc mysterio non creatur de novo; sed eadem prorsus, per quam anteà existebant accidentia, manet cum illis, ut existant per modum substantiæ. Ergo dictio exclusiva *Dumtaxat*, cùm dicitur: *Dumtaxat manentibus speciebus panis & vini*, non excludit existentiam, quam anteà acquisierunt accidentia in ipsa substantia. Hæc ille; facilè hallucinatus, quia ad pauca respexit.

28. Si enim Sophisticus argumentator attendisset, quòd eo ipso, quòd Concilium definit, totam substantiam panis converti in Corpus Christi, definit etiam, quòd præcipua pars substantiæ convertitur, vidisset Consequentiam sui argumenti esse nullam. Certum est enim apud doctos Theologos, quòd existentia est præcipua entitas substantiæ; nam per eam est ens in actu, & sine ea non potest habere esse aliquod physicum: quin imò secundùm ipsum Bannez suprà, potest existentia conservari sine essentia, non autem essentia sine existentia. Illa autem entitas in quavis re est præcipua, quæ sola sine altera potest existere (ut patet in re, & modo ipsius) ergo apertè repugnat Concilio, inquit Regius hic ad q. 75. art. 2. n. 63. affirmare, eam manere.

Enimverò (præterquam quòd secundùm plurimos Doctores impossibile sit rem existere alienâ existentiâ) si tutò dicitur, Concilium non excludere illa, quæ sunt necessaria, ut accidentia existant, sicuti secundùm Bannez est existentia panis: quidni alii dixerint, etiam formam panis manere, alii materiam? Etenim secundùm illos forma est ipsa existentia rei; secundùm hos materia existentia quantitatis. Adde, quòd in Incarnatione posset dici manere subsistentia humanitatis, non ut subsistat humanitas, sed ut existant accidentia. Ecce quàm multa sequantur absurda uno dato. Quapropter hæc sententia Bannez, & interpretatio Concilii Tridentini semper mihi visa est plusquam falsa, & minùs tuta pro dignitate mysterii Eucharistici.

Sententia Bannez apparet plusquam falsa.

Sanè rem aliquam perire, non est amittere esse essentiæ; quippe essentiæ rerum sunt immutabiles, sed amittere esse existentiæ: cùm ergo secundùm fidem substantia panis destruatur, quomodo remanere poterit esse existentiæ panis?

29. Propter hæc & similia, verissimam arbitror sententiam, quæ docet accidentia, sicuti in subjecto propriâ gaudebant existentiâ; ita quoque separata ab omni subjecto, per eandem existere, idque sine aliquo novo modo positivo superaddito. Nullâ siquidem est necessitas fingendi aliam existentiam, vel alium modum positivum.

Existunt accidentia sine novo modo positivo superaddito.

Contrà; perdunt inhærentiam ad subjectum: ergo acquirunt modum positivum perfectaris seu subsistentiæ; veluti substantia est per se positivè per modum positivum subsistentiæ.

Resp. Negando Consequentiam; nam, secundùm Scotum, neque ipsa substantia existit extra subjectum per modum positivum superadditum: ergo sine fundamento talis modus superaddi fingitur accidenti extra subjectum.

cùm nequidem substantia habeat talem modum.

Antecedens probatur; quia 3. dist. 1. q. 1. nu. 9. ut probabiliùs tenet, rationem personæ creatæ supra naturam addere tantùm duplicem negationem actualis & aptitudinalis dependentiæ. Hæc sunt ejus verba: *Licèt igitur sola negatio dependentiæ actualis non sufficiat ad rationem personæ; neque independentia tertia posset poni in natura creata ad Verbum: nulla enim est natura, vel entitas creata, cui repugnet contradictoriè dependere ad Verbum: tamen negatio dependentiæ aptitudinalis potest concedi in natura creata personata in se ad Verbum; alioquin violenter quiesceret in persona creata, sicut lapis violenter quiescit sursùm; & ita ista negatio, scilicet non dependentia, non quidem actualis tantùm, sed etiam actualis, & aptitudinalis talis complet rationem personæ in natura intellectuali, & suppositi in alia natura creata.*

Probatur ex Scoto.

Ratio personæ creatæ supra naturam duplicem tantùm superaddit negationem.

30. Idem docet pluribus aliis locis, & sequuntur ipsum communiter omnes Scotistæ. Porrò de veritate hujus doctrinæ non est hìc locus disputandi. Equidem neque illa duplex negatio convenit accidenti extra subjectum, cùm etiam sic existens exigat naturaliter uniri, unione accidentali, subjecto.

quæ duplex negatio nequidem convenit accidenti extra subjectum;

Ut ergo intelligantur accidentia Eucharistica existere sine subjecto, sufficit, quòd concipiantur cum negatione actualis inhærentiæ, ad quam planè impertinens est modus aliquis positivus, quo separata existant, imò difficillimus explicatu; siquidem modus ille positivus, vel esset substantialis, vel accidentalis: si primum,

sed sufficit negatio actualis inhærentiæ

contra

contra naturam additur accidenti: si secundum, ipsemet postulabit inesse subjecto, nec sine illo existere poterit potiùs, imò minùs, quàm accidens cui ponitur superaddi. Hinc Scotus 4. dist. 12. q. 6. n. 14. *Quantitas separata non habet aliquem modum positivum substantiæ, sed tantùm negativum, istum scilicet, non inesse actu, subjecto.*

secundùm Doctorem Subtilem.

Dices; saltem necessarius erit potentior sive sublimior Dei concursus, quo extra subjectum conserventur. Respondeo:

CONCLUSIO III.

Non est improbabile, accidentia in Eucharistia existere sine potentiori Dei influxu.

31. Nequidem intervenit potentior Dei influxus,

Ducor in hanc sententiam, quæ est minùs communis; quia est eadem existentia & essentia rei extra subjectum, & in subjecto: ergo non requiritur potentior influxus, ut producatur accidens extra subjectum, quàm in subjecto: immo potiùs maior videtur necessaria potentia, ut producatur in subjecto. Quid miraris? Tunc etenim produci etiam debet unio formæ ad subjectum, quæ non causatur extra subjectum: igitur potentia magìs extensa in uno casu, quàm in alio.

cùm non sit alia actio.

Impediat itaque Deus productionem unionis, & concurrat ad productionem solius formæ, quæ est ratio asserendi aliam esse actionem in subjecto, & extra? Si non est alia actio, ad quid potentior influxus? Quòd autem sit eadem actio, probatur; quia habet eundem terminum.

Et dato quòd esset alia, equidem non requiritur potentior influxus.

Et dato quòd præsentiarum esset actio distincta, quoniam priùs accidentia illa conservabantur à causa secunda, jam autem à sola causa prima; equidem adhuc non sequitur, influxum solius causæ primæ esse perfectiorem, quàm anteà erat influxus causæ primæ & causæ secundæ simul, quod solùm negat Conclusio.

32. Objectio.

Contrà; jam est creatio, ubi anteà solùm erat eductio: ergo influxus perfectior, cùm creatio in perfectione superet eductionem, utpote soli causæ primæ propria.

Solvitur.

Resp. in hoc tantùm creationem distingui ab eductione, quòd eductio semper sit duplex actio, una productiva formæ, altera ejusdem formæ unitiva; creatio autem ut plurimùm unica & simplex. Impediat ergo Deus actionem unitivam; & dico productionem formæ non distingui ab ejusdem creatione. Et verò quomodo impediet? An per potentiorem influxum? Nequaquam, sed per suspensionem decreti, quo voluit non produci accidens, nisi simul uniretur subjecto.

Distinctio creationis ab eductione.

Hoc est illud decretum, propter quod actio creativa dicitur propria Deo, & productio accidentis extra subjectum vocatur supernaturalis, non in substantia, sed in modo: quia videlicet omne accidens ex voluntate extrinseca Dei exigit produci cum unione ad subjectum; ita ut illa inhærentia actualis sit quasi passio naturalis consequens naturam accidentis; non quasi subjectum exerceat aliquam causalitatem propriè dictam respectu formæ inhærentis, quam Deus debeat supplere; sed quoniam Deus non decrevit concurrere cum causa secunda ad productionem ejus extra subjectum.

Creatio dicitur propria Deo propter finem æternum, quo voluit non produci accidens, nisi in subjecto.

Dices: ergo posset per vires naturæ, seclusò extrinseco Dei decreto, poni extra subjectum, & tam facilè, quàm in illo; adeoque non aliud interveniret miraculum, quàm quædam suspensio decreti extrinseci, quo ordinavit Deus non concurrere ad positionem talium formarum extra subjectum; quod omnino falsum apparet. Quis enim dicet, accidens non magìs pendére naturâ suâ à substantia, quàm animam rationalem à corpore, aut partem integralem à toto?

33. Objectio.

Respondeo; nemo sanæ mentis id dixerit: videmus enim quotidie ante oculos nostros solis viribus naturæ animam rationalem separari à corpore, & partem integralem substantiæ separari à tota substantia. Quare? Quia Deus sic voluit.

Respondeo.

Numquid etiam experientia quotidiana docet, solis viribus naturæ accidens produci extra subjectum? Absit. Ergo naturâ suâ magìs dependet à substantia, quàm anima rationalis à corpore: quia enim accidens talis naturæ est, id est, ens aptum natum inhærere subjecto, ideò voluit Deus, ut communiter extra subjectum non produceretur; & per consequens ut unio accidentis esset proprietas ejus, naturaliter inseparabilis: quod omnino falsum apparet in unione animæ rationalis cum corpore, & partis integralis cum toto.

Accidens naturâ suâ magìs dependet à substantia, quàm anima rationalis à corpore: quia enim accidens talis naturæ est, id est, ens aptum natum inhærere subjecto, ideò voluit Deus, ut communiter extra subjectum non produceretur; & per consequens ut unio accidentis esset proprietas ejus, naturaliter inseparabilis: quod omnino falsum apparet in unione animæ rationalis cum corpore, & partis integralis cum toto.

Sed contrà, instant Adversarii; inclinatio lapidis est ferri deorsum, inclinatio aquæ esse frigidam, & tamen indies viribus naturæ lapis fertur sursum, & aqua calefit: cur ergo Deus ita vires naturæ restrinxisset, ut numquam permitterentur producere accidens extra subjectum, quod tamen ex se cum concursu ordinario possent?

34. Instantia.

Resp. Ecquis indicavit vobis, vires naturæ numquam producere accidens extra subjectum? Expectate modicùm, & videbitis. Sed estò numquam producant; stat pro ratione voluntas divina, quæ inhærentiæ actuali, tamquam conditioni, voluit alligare potentiam naturalem in productione accidentium; noluit autem alligare inclinationi naturali subjecti.

Solutio.

Cæterùm, *Quis cognovit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?* Rom. 11. v. 34. *Iuxta voluntatem enim suam facit tam in virtutibus cæli,* Rom. 11.

quàm

quàm in habitatoribus terræ: & non est, qui resistat manui eius, & dicat ei: Quare fecisti? Daniel. 4. v. 32. Sanè nisi ignis viribus naturæ aquam calefaceret, & sic de aliis, ubi naturalis generatio & corruptio? Ut autem producatur accidens extra subjectum, quæ necessitas? Nulla planè, nisi in præsenti mysterio, de quo latiùs Conclusione sequenti.

Daniel. 4.

Quæ cùm ita sint, nequiquam agnoscimus causalitatem propriè dictam materiæ respectu formæ, & è converso formæ respectu materiæ; sed asseveranter dicimus, eâdem realiter actione Deum posse conservare formam sine materia, quâ anteà illam conservabat in materia; & similiter eâdem realiter actione conservare materiam sine omni forma, quâ anteà illam conservabat unitam formæ.

Quæ potest aqua calefacere sine natura ignis?

35. Deus eadem realiter actione potest conservare formam sine materia, quam antea illam conservabat in materia.

Ratio in promptu est: quia non sunt multiplicandæ actiones sine necessitate; quæ autem hìc necessitas? Siquidem per separationem illam, sive separatam existentiam, non accidit materiæ aut formæ novus aliquis modus positivus, neque suppleri debet aliqua causalitas; sed abundè sufficit continuari actionem agentis alicujus, quod non dependet in operando à physicis rerum conditionibus, quale agens indubiè est Deus.

Probatur.

Dixi, *eâdem realiter actione*: quia fortè est formaliter diversa; priùs namque dicebat ordinem ad unionem, ut conditionem physicam & naturalem; nunc autem non dicit talem ordinem.

Itaque quòd censeatur miraculum conservatio accidentium in Eucharistia extra subjectum, non est ex parte actionis, quasi illa sit supernaturalis ex se; sed ex parte modi connaturalis existendi ipsius accidentis: est enim præter naturam accidentis, esse, & non in esse, non quia subjectum exerceat aliquam veram in ipsum causalitatem; sed quia est conditio physica & naturalis, sine qua de lege ordinaria non potest habere esse ab agente naturali. Enimverò causalitatem materiæ propriè dictam, quomodo Deus posset supplere?

36. Conservatio accidentium extra subjectum est miraculum, non ex parte actionis, sed modi connaturalis existendi accidentis.

Respondent Adversarii; non subjectivè, sed effectivè, ut Conclusione præcedenti explicavimus: etenim conditiones subjecti reddunt actionem agentis faciliorem; ut diaphaneitas reddit faciliorem productionem luminis, quàm opacitas; pulvis tormentarius faciliorem productionem ignis; & sic de aliis.

Conditiones subjecti reddunt actionem agentis faciliorem.

Contrà; ideo in opaco difficiliùs producitur lumen, & in ligno introducitur forma ignis, quia agens naturale invenit positivum impedimentum in illis subjectis: hìc autem cùm, ut supponitur, nullum sit subjectum, cur accidens difficiliùs conservabitur? Atque adeò cur indigebit potentiori concursu conservativo? Sed ad alia properemus, ad actiones videlicet, & passiones hujusmodi accidentium, de quibus sic statuo.

CONCLUSIO IV.

Accidentia panis & vini possunt in Sacramento exercere easdem operationes tam reales, quàm intentionales, quas poterant exercere, dum erant in subjecto.

EAm docet Scotus 4. dist. 12. quæst. 3. nu. 17. sub his verbis: *Tertia Conclusio sit de illis duabus actionibus in sensum & intellectum quoad intentionalem, & in contrarium, quoad realem, & sit hæc: Accidens separatum, saltem eo modo, quo qualitas tertiæ speciei est hìc separata, scilicet sine substantia, potest esse principium utriusque actionis, eo modo quo prius, & hoc quantum est ex se.*

37. Accidentia separata exercent eadem operationes tam reales quàm intentionales Scotus.

Actionem intentionalem vocat, quæ ordinatur ad actum intendendi, sive ad cognitionem: ut actio, quâ qualitates sensibiles producunt sui species in medio & organo; item quâ objectum producit speciem intelligibilem in intellectu. Actio realis est, quâ producitur res, quæ ut sic non ordinatur ad cognitionem; v. g. quâ calor producit calorem.

Quid sit actio intentionalis, & realis?

Probatur autem Conclusio ex Doctore suprà hoc argumento: *Cuiuscumque actionis aliqua forma est totale principium activum, illa si esset per se sub modo convenienti ad agendum, posset esse principium eiusdem actionis: sed qualitas est principium & totale, & formale utriusque actionis prædictæ: quando autem est separata à substantia, est tamen in quantitate, sive habens extensionem, sicut ante separationem à substantia, ideo manet sub modo convenienti ad agendum, qui est modus extensivus; ergo &c. Maior patet, quia totali principio posito, & sub ratione, sub qua natum est esse principium, potest principiari illud, cuius ponitur principium.*

38. Probatur Conclusio ex Scoto.

Qualitas est principium totale & formale utriusque actionis.

Minorem probat duplici viâ; Primò: *Quia nihil auferetur isti formæ per hoc, quòd per se est sine subiecto; illud enim non facit cum ipsa, nisi unum per accidens; sed per se principium agendi in uno ordine est per se unum: ergo ablatio illius subiecti nihil auferet de per se principio agendi.*

& nihil auferetur illi qualitati per hoc, quòd sit sine subjecto,

Secunda probatio est hæc: *Illa forma est principium actionis, quæ est tale principium assimilandi sibi passum, non tantùm realiter, ut in actione reali, quæ est in contrarium, sed in actione intentionali, quæ est in sensum. De prima patet, quia terminus formalis simpliciter est similis formæ*

accidentali: ergo illa potest esse principium agendi quo. De secunda autem probatur; quia similitudo in sensu deficit quantùm ad aliquid à similitudine realì in passo: ergo quantùm est ex parte huius formæ, ut agentis, potest ita bene esse totale principium huius actionis, sicut illius: si autem in illa sensatione sit aliqua perfectio ulterior, hoc non est in quantùm est à qualitate sensibili; sed in quantùm est à potentia sensitiva. Hactenus Scotus.

Probatur Conclusio ab experientia.

Consonat quotidiana experientia. Nam accidentia in Sacramento videntur, tanguntur &c. eodem planè modo, quo anteà; humectant, calefaciunt &c. nulla autem est ratio omnes illos effectus adscribendi soli causæ primæ, cùm causa secunda sufficiens adsit.

39. Cur accidentia nunc intentionaliter, nunc realiter agant?

Si verò à me quæritur, cur accidentia nunc agant intentionaliter, nunc realiter? Resp. cum Doctore Subtili suprà nu. 19. *Quia passum receptivum formæ secundùm esse reale, non est receptivum eiusdem secundùm esse intentionale. 2. de Anima: Oportet enim receptivum soni esse absonum: saltem regulariter receptivum formæ isto modo, non est receptivum formæ alio modo, maximè in receptivis materialibus: ergo organum & subiectum contrarii, non sunt receptiva formæ, secundùm idem esse: quia unum recipit intentionaliter, aliud realiter*, visus v. g. species visibiles intentionaliter, lignum autem calorem realiter: *& per consequens, cum agens agat in passum secundùm potentiam receptivam eius, secundùm illud 2. de Anima:* Actus activorum sunt in patiente bene disposito, *sequitur, quod agens non agat in hoc passum, & illud, actione eiusdem rationis.*

Scotus.

Objectio solvitur.

Neque hinc inferas, accidentia illa agere ex electione: nam *agens ex electione* (verba sunt Scoti suprà) *potest diversimodè agere, non tantùm diversitate quadam disparationis, sed contradictionis; sicut potest non tantùm hoc agere, & illud; sed hoc agere, & illud non agere: agens autem naturale, quod est illimitatum simpliciter, vel aliqualiter secundùm perfectionem activam, potest ad disparata agere, sed non ad contradictoria: quia quodlibet illorum agit in materia disposita, & hoc necessariò. Non ergo sequitur; non agit secundùm electionem: ergo non diversas formas in diversis passis; sed sequitur: ergo non indifferenter agit, vel non agit ex se formam illam, quam potest agere in tali passo. Exemplum de sole, qui licet habeat indeterminationem quandam ad disparata causanda in diversis passis: non est tamen indeterminatus contradictoriè ad agendum, imò necessariò agit in quodlibet passivum, quid juid potest in illud agere.* Itaque diversitas istarum actionum non oritur ex electione; sed ex diversitate subjectorum sive receptivorum.

Agens naturale agit disparata, non contradictoria, agens liberum etiam contradictoria.

Exemplum de sole.

40. Objectio.

Contrà; ubi est idem principium activum, est eadem actio, & hoc probatur per Commentatorem 3. cæli & mundi com. 72. *Si una natura, & actio erit una*; sed idem est hìc principium formale agendi, & proximum tam in sensum, quàm in contrarium: ergo eadem actio. Ita sibi objicit Scotus n. 18.

Respondet autem num. 19. *Quòd eiusdem principii activi possunt esse multæ actiones formaliter distinctæ, dum tamen illud non sit limitatum in sua virtute activa ad unam actionem, sicut est unica forma. Et sic omnes auctoritates Commentatoris, & cuiuscumque alterius deberent exponi de forma unica in virtute, sicut est unica in esse naturæ.*

Solvitur ex Scoto.

Sed hoc est, inquis, quod quæritur. Resp. frustra quæritur, quod sole meridiano est illustrius. Quid evidentius, quàm ejusdem solis diversas esse actiones? Quid manifestius, quàm primas qualitates esse objectum tactûs? Nùm ideo calor non calefacit? Imò nisi calefaceret, non esset objectum tactûs.

Dices; si accidentia separata possint in omnem gradum actionis, in quem poterant conjuncta: ergo possunt in corruptionem formæ substantialis illius passi, in quod agunt; ac per consequens possunt esse principium efficiens generandi novam substantiam. Enimverò conjuncta sic alterabant qualitates contrarias, ut forma necessariò expelleretur, & nova introduceretur.

Obiectio.

Resp. accidentia neque conjuncta, neque separata à subjecto, corrumpere aut generare substantiam, ut more suo doctè & subtiliter ostendit Scotus quæstione citatâ à n. 7. usque ad num. 17. & à num. 20. usque ad 32. sed quia quæstio est philosophica, eam sub brevitate transcurro, & dico: ideo accidens non posse attingere generationem substantiæ, quia causa virtute debet continere effectum; jam autem accidens, quantumcumque elevatum, numquam virtute continet substantiam.

Resp. Accidens neque conjuncta neque separata à subjecto non potest corrumpere aut generare substantiam.

Siquidem elevari non potest, nisi vel per denominationem extrinsecam, quam constat nullatenus augere virtutem intrinsecam accidentis, vel per aliquod aliud accidens intrinsecum; sicut autem prius accidens non continet virtute substantiam, ita nec posterius; consimiliter nec illa duo simul; manent quippe semper in gradu accidentis, qui gradus est inferior gradu substantiæ: porrò gradus inferior numquam continet virtute gradum superiorem, sed è converso.

Et hoc est quod dicit Doctor suprà n. 13. *Omne agens totale, vel est univocum, & ita aquè perfectum producto: vel æquivocum, & ita perfectius; accidens est omnino imperfectius substantia: ergo &c.*

Si dixeris: phantasma ut causa partialis concurrit cum intellectu agente ad productionem speciei intelligibilis, quæ est perfectior; ergo similiter accidens, saltem ut causa partialis cum substantia, cujus est accidens, poterit attingere generationem novæ substantiæ.

Respon-

Respondeo primò: quamvis species intelligibilis sit perfectior phantasmate; tamen est cum ipso in eodem genere, scilicet in genere accidentis. Deinde intellectus agens insufficiens est, ut le solo producat speciem; forma autem substantialis est sufficientissima; ut generet novam substantiam: vel enim est causa univoca, & sic est æquè perfecta ac effectus; vel æquivoca, adeoque perfectior. Frustranea ergo causalitas partialis vel instrumentalis accidentis.

Audi Doctorem Subtilem suprà nu. 10. *Nihil* (inquit) *est instrumentum alicuius causæ, nisi superioris causæ in genere causæ efficientis: ergo si accidens conjunctum per eos est instrumentum substantiæ, substantia erit superius agens: sed superius agens prius naturaliter agit & si est naturale agens, agit quidquid, vel quantum potest: ergo substantia in illo priori, in eodem tamen instanti temporis, in quo agit, ut superius agens, & accidens agit, ut instrumentum eius, substantia producet terminum, quem potuit producere; sed poterit producere totam substantiam: quia perfectio substantiæ productæ non excedit perfectionem substantiæ agentis: ergo in secundo instanti naturæ accidens agens non producit substantiam, vel eadem vis producetur.*

Accedat, nihil reperiri in substantia, quod possit accidens tamquam causa partialis, vel instrumentalis causare; quia omne quod est, est substantia, ideoque supra genus accidentis, ac minimè contentum in ejus virtute: virtute, inquam, sive habitâ in esse quieto, quæ est propria causæ totali vel partiali, & quâ solâ accidens operatur; sive acceptâ in actuali motione, quæ est propria instrumento, & planè gratis ab aliquibus tribuitur accidenti; quippe cùm illa virtus accepta non sit nisi accidentalis, nequit accidens sufficienter elevare ad productionem cujuscumque vel minimæ substantiæ: ubi autem non est actus primus, id est, virtus causandi, nec potest esse actus secundus, id est, actualis causatio.

Cæterùm, si accidentia conjuncta, etiam in virtute substantiæ, nequeunt generare novam substantiam, alterent subjectum quantùm possunt; quid dicemus de accidentibus separatis? *Instrumentum* aliquando *dicitur* (utor verbis Scoti suprà n. 7.) *causa prævia dispositiva ad terminum, licèt habeat actionem illam dispositivam in propria virtute, & isto modo, bene est possibile accidens esse instrumentum substantiæ: quia potest causare actionem dispositivam ad terminum substantiæ agentis: sed nec isto modo potest accidens esse instrumentum substantiæ in proposito* (id est, accidens separatum) *quia substantia quæ non est, nullam terminum inducit, nec inducere potest in fine alterationis factæ per illa accidentia.*

Porrò quæ causa generationis substantialis, eadem & corruptionis: generatio namque naturâ præcedit corruptionem; adeoque quod non habet virtutem generandi, caret quoque virtute corrumpendi substantiam. Hinc Scotus suprà n. 21. *Dico ergo, quòd nulla substantia corrumpi potest nisi à substantia: sicut nec oppositum substantiæ corrumpenda potest induci, nisi à substantia, ut superius est probatum: à quali autem contrario non corrumpitur substantia, nisi dispositivè: quia ad illam alterationem sequetur generatio, nisi aliquid impediat.*

Et verò quòd generatio non possit separari à corruptione, comparando ad agens naturale, sic intelligit ibidem n. 20. *quin quidquid causatum corrumpit simpliciter, in fine corruptionis aliquid relinquat, quia non annihilat. Nec potest creatura corrumpere in accidens per se existens, quia non potest causare accidens sic existens: ergo si corrumpat, corrumpet in substantiam: & per consequens si non habet virtutem corrumpendi in substantiam* (id est, generandi substantiam) *omnino non corrumpet.* Subsumamus: Sed accidens sive separatum, sive conjunctum, non habet virtutem corrumpendi in substantiam, quia nec producendi, ut probatum est suprà; ergo omninò non corrumpet.

Contrà primò; quia hinc sequitur, quòd accidentia ignis, si essent maxima, utpote tantæ quantitatis sicut sphæra ignis, & tamen separata à substantia, non possent corrumpere guttam aquæ ibi existentem.

Respondet Doctor suprà n. 22. Concedendo totum: *Quia* (inquit) *non possent aliquam aliam substantiam generare, nec corruptio istius potest esse nisi in substantiam: quia non est in nihil; nec in materiam nudam, nec in accidentia, maximè virtute agentis naturalis, quia non potest natura aliquid annihilare, nec in materiam primam resolvere, nec accidentia facere sine subiecto.* Limitat:

Ne tamen nimis absurdum dicatur hoc, & contra sensum; dico, quòd si accidentia aliqua activa essent sine subiecto, substantia quanta & qualis approximata eis corrumperetur: sed non ab eis, immo ab agente universali causato, scilicet cælo, ad quod est fuga naturalium, præcipuè cùm forma hic inducenda, sit imperfecta, quæ totaliter est in virtute activa cæli, & per consequens nullo particulari agente impediente, imò magis disponente, potest forma illa à cælo induci. sicut induxit quasdam formas imperfectas in materias corruptibilium. Prosequitur:

Et si esset aliqua forma, ad quam inducendam cælum non sufficeret, oporteret fugere ad primam causam simpliciter; quia hæc induceret illam formam, ad quam agens naturale disponit. Et prævenions objectionem quorumdam addit:

Nec hoc est fugere ad miraculum: quia regulariter omnem impotentiam totius naturæ creatæ Deus supplet, ut patet in animatione corporis organici, ubi non ponitur miraculum: ita hic tota natura creata non sufficeret ad generationem istam, nec ad corruptionem: & ideo naturâ disponente ad eam ultimatâ dispositione, Deus regulariter suppleret impotentiam naturæ.

46. Objectio. Sed contrà secundò: accidentia alterantia possunt in quemlibet gradum alterationis, ergo in ultimum; & per consequens, cùm ille ultimus corruptus immediatè disponat ad corruptionem substantiæ, vel isto corrupto, immediatè concomitetur corruptio substantiæ, sequitur quòd substantia corrumperetur.

Solvitur ex Scoto. In alteratione nullus est gradus, ad quem necessariò sequitur corruptio formæ alterabilis: Resp. cum Doctore nostro suprà n. 23. *Nullus est gradus in alteratione, ad quem necessario sequatur corruptio formæ substantialis alterabilis: sed ille, qui est proximus in uno alterabili, potest esse non proximus in alio alterabili, loquendo respectu corrumpentis, vel generantis intrinseci immediatè se habentis ipsi alterani. Esto enim, quòd gradus aliquis quasi proximus illi, qui est incompossibilis formæ aquæ, inducereur in aquam ab aliquo agente, statim sequeretur corruptio ipsius aquæ, si in illo agente esset forma, per quam posset corrumpere aquam; si autem non sit in illo forma corruptiva aquæ, non corrumperetur forma aquæ ab illo agente; sed fortè ab aliquo agente universali, inducente istam formam, ad quam materia est disposita.*

Sed ille gradus inducitur à substantia genita, *Scotus.* Et si quæras, à quo ergo inducitur ultimus gradus qualitatis incompossibilis formæ corrumpendæ? Resp. cum eodem n. 27. ab ipsa substantia genita; non autem ab alterante, ut alterans est, vel à generante, ut generans est.

& non ab alterante, ut alterans est. *Unde* (inquit n. 28.) *manifesta patet falsitas istius propositionis:* Omnis substantia ideo corrumpitur, quia inducitur aliquis gradus incompossibilis suæ propriæ qualitati: *immo numquam gradus incompossibilis est, nisi in aliqua substantia iam genita, alioquin incompossibilia essent simul: nec aliquis gradus inductus ab alterante, ut alterans est, potest corrumpere substantiam: quia nullum posterius secundùm genus, potest esse principium corrumpendi prius secundùm genus.*

47. Et licèt substantia generans posset in idem passum eandem formam inducere, utpote habens eandem & æqualem virtutem cum substantia genita; *Tamen* (inquit nu. 27.) *agens, quantò habet patiens sibi immediatiùs coniunctum, tantò cæteris paribus, efficaciùs & immediatiùs agit. Si autem ipsummet est susceptivum termini actionis suæ, ut in proposito, ipsum est passum sibi immediatiùs coniunctum, & per consequens ibi non præveniet generans substantiam genitam: quia non est prius secundùm perfectionem ipso; sed tantùm duratione: genitum autem est æquale perfectione & immediatius ipsi passo.*

Accidentia Eucharistica calefacta recuperant pristinum frigus à solo Deo. Quando itaque accidentia Eucharistica alterata, v. g. species vini calefactæ, recuperant pristinum frigus, quæ causa istius restaurationis? Certè non alia, nisi Deus; si enim forma substantialis vini præsens foret, in eam, & non in accidentia, esset referenda; adeoque illâ absente, est referenda in causam primam, quæ circa Eucharistiam supplet omnes defectus substantiæ ad occultandum mysterium.

48. Hæc pauca ex multis, quæ sedulus Lector videre poterit apud Doctorem Subtilem locis suprà citatis. Solùm addo explicationem illius communissimi axiomatis: *Actio est tantùm suppositi*, quod, ut notat Scotus hìc n. 34. *non habetur à Philosopho* 1. *Metaphys.* ut ordinariè citatur, *sed ibi habetur, quòd*: Actio est circa singularia; *& pro tanto præfert experimentum arti in agendo vel expertum artifici.* Explicatur axioma: *Actio est tantùm suppositi*, ex Scoto.

Si autem quæritur; Unde ergo locus? Respondet: *Est circa singulare ut obiectum: ergo est solius suppositi ut agentis: Si ergo accipitur ista propositio*, Actio est suppositi, *sumitur aliunde, quam à Philosopho saltem hìc:*

Ex quocumque verò loco sumatur: *Actio tamen est suppositi, ut ultimatè denominati ab actione; sed non ut solius denominati ab ipsa.* Atque adeò potest convenire formæ, ut denominati propinqui, & etiam ultimi, quando non adest suppositum, quod ultimò possit denominare. *Et sic illa propositio*, Solius suppositi est agere, *breviter exponitur* (inquit ille n. 35.) *vel alicuius habentis modum suppositi. In hoc autem quod dico, habere modum suppositi, nihil positivum intelligo ultra essentiam formæ; sed tantum negationem informandi aliquid, quod per istam formam agat.* videlicet, ut ultimatè denominati ab actione.

49. Species vini aquam transmutant in vinum, etiam facta Consecratione, quod tamen non est consecratum. Agunt itaque qualitates Eucharisticæ eo planè modo, quo ante Consecrationem agebant; sic ut etiam, v. g. species vini, aquam post Consecrationem appositam transmutent in vinum; transmutent, inquam, dispositivè, sicut antea faciebant.

Sed numquid illa pars vini noviter producti erit similiter consecrata? Non credo; quoniam Consecratio præcessit.

50. Aliud est oleo benedicto non benedictum admixtione cum eo consecrato &c. Dices; non consecratum mixtum consecrato fit consecratum, ut de oleo habetur cap. 3. *Quod in dubijs* de Consecratione Ecclesiæ ibi: *Nec negamus quin oleum non consecratum, consecrato possit oleo commiscери.* Idem est de aqua non benedicta, mixtâ benedictæ: ergo &c.

Respondeo Negando Consequentiam; quia Consecratio Eucharistiæ fit per realem transmutationem, ad quam vis tributa est solis verbis Christi: alia autem Consecratio tantùm est moralis per quamdam denominationem extrinsecam, institutam ab Ecclesia, quæ voluit eam fieri, etiam per solum attactum, seu admixtionem cum re benedicta. eò quòd ista Consecratio sit tantùm moralis, altera verò realis. *Ord. Rom.*

Atque hujusmodi consecrationem seu benedictionem haudquaquam negamus illi vino sic noviter producto; sed verissimum existimamus, quod dicitur in libro, qui intitulatur Ordo Romanus: *Vinum non consecratum, sed sanguini Domini commixtum, sanctificatur per omnem modum*; non Consecratione sacramentali, sed morali quadam sanctificatione. nm.

Ideoque olim erat usus in Ecclesia Romana (ut ibidem habetur) miscendi vinum consecratū non consecrato, ut ex illo populus participaret.

Hactenus de actionibus; sed quid dicam de passionibus? Experimur quotidie, quod

CON-

CONCLUSIO V.

Accidentia in Eucharistia eadem, patiuntur, quæ anteà.

51. Accidentia in Eucharistia moventur localiter, calefiunt & frigefiunt,

ENimverò moventur localiter, calefiunt, frigefiunt, dividuntur, condensantur, augentur, remittuntur &c. Quid miraris? An non credis, quia Deus hæc omnia operari potest ad occultandum mysterium? Scio quia credis; ast dubitas, an de facto non fiant ab agente naturali.

etiam naturaliter, si qualitates in quantitate subjectentur.

Profectò admisso semel, cum communiori sententia, subjecto communi & immediato accidentium, puta quantitate, motus localis, & omnis alteratio secundùm intensionem & remissionem; immo secundùm inceptionem & desitionem, nullam patiuntur difficultatem: quoniam sicuti Ubi, quod est terminus lationis, & qualitas sensibilis, quæ est terminus alterationis, naturaliter existunt in Eucharistia in suo proximo subjecto, scilicet in quantitate; ita & motus ad prædictos terminos, mirum ad Ubi, & ad qualitatem sensibilem, poterunt naturaliter fieri circa hoc Sacramentum.

An etiam naturaliter dividantur, condensentur &c.?

At verò divisio, & unio specierum, augmentatio, rarefactio, & condensatio, cùm sint mutationes secundùm quantitatem, quæ hìc caret omni subjecto, quomodo fient ab agente naturali, sive à causa secunda, quæ supponit subjectum?

Duplex fit modo in Eucharistia manente secundùm quantitatem.

Pro responsione, Noto, quòd in Eucharistia manente potest intelligi duplex mutatio secundùm quantitatem; una secundùm quantitatem primò, ut divisio & augmentatio, seu appositio; altera secundùm quantitatem concomitanter, id est, secundùm qualitatem, quam concomitatur variatio secundùm quantitatem, qualis est rarefactio & condensatio. Et de utraque *videtur dubium*, inquit Scotus 4. dist. 12. qu. 4. nu. 20. à quo scilicet agente fiat, an à sola causa prima, an verò etiam à causa secunda.

Scotus.

52. Rarefactio secundùm aliquos fit à solo Deo.

Tenendo autem communem opinionem, videlicet per rarefactionem acquiri novam quantitatem, valde propendet in sententiam, quæ docet illam non fieri à causa secunda, sed immediatè à solo Deo, quod ibidem nu. 21. probat dupliciter; Primò:

Probat Scotus primò.

Quia quod immediatè conservatur à Deo, non potest corrumpi ab agente creato . . . . . quia nulla causa creata potest habere virtutem activam præeminentem virtuti causæ conservantis ista in isto esse; sed quantitas hæc habet esse supernaturale, vel immediatè à causa supernaturali conservante: ergo &c.

Secunda probatio. Quantitas hìc corrumpitur subjectum subsistens.

Probat secundò; *Quantitas in subjecto non corrumpitur per contrarium: ergo non nisi per defectum subjecti, vel alicujus necessariò consequentis ad ipsum, sed non potest hìc corrumpi per defectum subjecti, quia est hìc sine subjecto; nec secundo modo, quia nullum aliud accidens, quod sibi inest necessariò, consequitur ipsam.*

Prosequitur: *Si ergo quæras à qua causa inducitur quantitas nova? Resp. à solo Deo immediatè; nec tamen novo miraculo: quia eâ voluntate, quâ disposuit Eucharistiam esse in Ecclesia, disposuit, quòd circa illas species, præsente activo naturali, causaret talem transmutationem, qualem in substantiis conversis causaret agens naturale, & hoc ne meritum fidei evacuaretur, si videremus species intransmutabiles.*

Circa species Deus decrevit facere, quidquid fieret, si adesset panis.

Porrò contra improbantes illam opinionem continuò attexit: *Hæc via non potest improbari per sensum, quia salvat omnia, quæ apparent sensui. Nec per rationem, quia si arguas, quòd aufert agenti naturali suam propriam actionem; Respondeo, non aufert eam, quæ potest sibi competere, scilicet ut transmutet subjectum præsens à forma in formam: sed negat sibi illam, quæ non potest sibi competere, scilicet transmutare, & non aliquod subjectum,* id est, creare.

Scotus.

53. Ratio fundamentalis, quia nova quantitas deberet creari; creatio autem est actio propria soli Deo.

Si præexistens quantitas in rarefactione tantùm extendatur, & in condensatione contrahatur,

Ratio itaque fundamentalis, quia quantitas illa nova totalis vel partialis in rarefactione deberet produci per creationem, & quantitas antiqua in condensatione destrui per annihilationem; cùm quantitas producta vel destructa supponatur fore extra omne subjectum: jam autem tam creatio, quàm annihilatio est actio propria causæ primæ.

Hinc si præexistens quantitas in rarefactione tantùm extendatur, ut aliqui volunt, & in condensatione contrahatur, aut novus tantùm aliquis modus in rarefactione accedat, & in condensatione pereat, haud dubium quin causa secunda illum motum operetur in Eucharistia: satìs enim patet non intervenire creationem aut annihilationem, cùm modus iste subjectetur in quantitate præexistente.

potest rarefactio fieri à causâ secundâ,

Idem adhùc clariùs cernitur, si (quod est valde verosimile) rarefactio fiat per intromissionem corpusculorum intrà poros rei rarefactæ, & condensatio per eorumdem expulsionem.

54. Scotus non omnino assertivè docet, fieri rarefactionem à solo Deo.

Dixi signanter, Scotum in priorem sententiam valde propendere; quia existimo, quòd non omnino assertivè eam doceat: nam utitur ly *Videtur*, dicens nu. 21. in principio: *Sed quid tenendo opinionem communem, quòd ibi sit quantitas sine subjecto, vel tota nova, vel non nova, non curo, poteritne hoc esse ab agente creato? Videtur quòd non.*

Et n. 23. sic loquitur: *Breviter ergo quantùm ad istum articulum, vel oportet tenere opinionem primam, quòd quantitas nullo modo est aliâ actione agentis creati, vel oportet dicere, quòd agens creatum possit agere sine passo, in quod agat. Sed primum apparet aliquibus improbabile; secundum potest declarari aliqualiter, scilicet quòd agens creatum non requirat passum, nec aliquid supplens vicem passi,* utique in ratione recipientis formam.

Deus supplet vicem subjecti in comparatione ad agens creatum.

Alioquin in ratione causæ extrinsecæ, *diceretur*, secundùm Doctorem nostrum ibidem n. 24 *quòd primum* agens, scilicet Deus, *supplet vicem subjecti in comparatione ad agens creatum. Quod probatur, quia sicut potest supplere vicem subjecti, quantùm ad esse quietum respectu accidentis; ita potest vicem subjecti supplere respectu agentis, quantùm ad fieri effectûs. Probatio, magis videtur requiri causa ad effectum, quam ad aliam causam ad causandum: subjectum autem respectu accidentis habet rationem causæ* extrinsecæ; *sed respectu agentis & causantis habet rationem concausæ tantùm: ergo* &c.

Scotus.

Quòd per causam intelligat extrinsecam, apertè indicat his verbis ibidem: *Et in proposito licèt non sit subjectum in se, Deus tamen supplet vicem subjecti, id est, causalitatem extrinsecam, quæ competeret substantiæ si adesset, & hoc in quantum illa causa extrinseca requiritur cum agente creato, ut concausa. Et hoc est possibile, sicut possibile est, quòd Deus suppleat vicem eius causæ respectu effectûs creati: non enim magis dependet causa à concausa, quàm effectus causatus ab utraque causa.*

Non magis dependet causa à concausa, quàm effectus causatus ab utraque causa.

55. Possibilitas est ostensa, nec de ea ambigo; an autem de facto ita fiat, incertum: primò; quia incertum, an rarefactio fiat per productionem novæ quantitatis totalis, vel partialis: secundò; quia sicut Deus se solo conservat quantitatem Eucharisticam extra omne subjectum, sic etiam indubiè potest se solo eam efficere. Interim tamen cùm natura dignificanda sit, quantùm fieri potest, eligo causam secundam naturali suâ virtute activâ novam quantitatem separatam producere, & quantitati sacramentali annectere. Cur enim causa prima se sola velit agere, quando est præsens causa secunda, in quam effectus potest referri?

Videtur dicendum, causam secundam naturali suâ virtute activâ novam quantitatem separatam producere.

Respondes; quia non potest referri in causam secundam sine novo miraculo: Scotus suprà n. 24. *Agens causatum, si requirit passum, ut concausam, & hoc in ratione recipientis formam; ergo non potest agere sine tali passo, sine novo miraculo, & ita erit novum miraculum, quòd agat, posito aliquo tali quod suppleat vicem subjecti; sed in actione miraculosa agens creatum non agit totum ex se: ergo oportet redire in hoc, quòd illa actio non sit ab agente creato.*

Objectio ex Scoto.

56. Hæc est ultima objectio Scoti contra secundam opinionem, quam reliquit insolutam, ut proinde nihil videatur hic definire.

In Reportatis verò (Coloniæ impressis) 4. dist. 12. q. 5. magis assertivè procedit, dicens n. 10. *Sicut igitur in esse quieto potest Deus supplere illam partem compositi, quæ præsupponitur actioni agentis naturalis, ita potest supplere in toto motu. Ideo dico, quòd in omni tali actione Deus supplet rationem subjecti: & potest agens naturale tunc, mediante illâ suppletione tantùm, producere formam.* Ubi nota ly *Tantùm*, quod videtur excludere novum miraculum.

Agens naturale potest agere extra subjectum mediante suppletione causæ primæ absque novo miraculo.

Nonne cæcus miraculosè illuminatus, deinceps naturaliter videt? Nemo dubitat. Ut quid ergo novum miraculum, ut causa secunda agat mediante illâ suppletione?

57. Quid sit illa suppletio?

Quæris quid sit illa suppletio? Vide Conclusionem tertiam, & festinè cognosces, quòd non sit aliud, quàm sublatio sive suspensio limitationis causæ secundæ, quâ limitata est ad agendum ex subjecto. Itaque non est necesse, ut Deus novo concursu seu actione suppleat vicem subjecti, neque ut accidenti extra subjectum producendo à causa secunda det aliquem novum modum positivum subeuntem munus subjecti; sed dumtaxat requiritur, ut suâ voluntate hìc & nunc mutet illam ordinariam naturæ legem, quâ decrevit non concurrere cum causa secunda, nisi ad actionem ex subjecto.

Ratio quare agens creatum non possit creare.

Et hæc certè est tota ratio, ut suprà indicavi Conclusione tertiâ, quare agens creatum non possit creare, nimirum extrinseca ejus limitatio seu restrictio ad extrinsecam conditionem physicam subjecti; minimè verò defectus intrinsecæ activitatis: siquidem effectus aliqui per creationem producibiles, de facto producuntur à causis secundis quoad totam perfectionem, modumque positivum, quem sibi vendicarent, si essent terminus creationis; sunt quippe ejusdem intrinsecæ rationis, non modo specificæ, sed etiam individualis: item quia materia, ut dixi Conclusione tertiâ, non habet veram causalitatem respectu formarum, quas causæ secundæ modò producunt dependenter ab illa.

58. Impotentia creandi provenit ab extrinseco.

Hinc licèt sensuum experientia sufficiat ad judicandum, non posse agentia, saltem corporea, aliquid agere independenter à materia seu subjecto; non tamen indè constat, hanc impotentiam esse ab intrinseco, sed magis putandum provenire ab extrinseco, id est, à voluntate seu lege primæ causæ provenire.

Unde illud principium; *Quòd causa secunda censeatur non posse, quod eam facere numquam experti sumus*, per se non sufficit ad æstimandam intrinsecam ejus virtutem; sed tum demum, si entitas effectûs sit perfectior, vel saltem alterius specificæ rationis, quàm sit illa res, de cujus virtute judicium fertur: quod non habet locum in effectibus creationis. Ita Smising in manuscriptis, quæ penes me habeo Tract. 1. de Deo Creatore disp. 1. q. 4. n. 212. Smising.

Qui Auctor ibidem n. 209. docet ex simili lege extrinseca Dei (suppositâ quâdam congruentiâ ex natura rei) & non ex defectu intrinsecæ virtutis provenire, quòd agentia quædam creata requirant immediatam passi propinquitatem, quædam verò etsi primò agere possint in remotum, tamen non in quantumvis remotum, sed intrà certam activitatis sphæram; quòd nullæ causæ secundæ possint vacuum inducere, quòd non possit quidpiam se movere ab extremo in extremum distans

Non provenit ex defectu intrinseco virtutis, quòd quædam res creatæ requirant immediatam passi propinquitatem.

distans, nisi transeundo per medium, & similia; quòd enim ista non superent intrinsecam virtutem agentis creati, patet: nam effectus, qui fieret in passo quantumvis remoto, non esset majoris perfectionis, vel alterius rationis specificæ, vel individualis, quàm sit modò; at modò non excedit virtutem causæ secundæ: ergo neque illo casu excederet.

59. aut quòd nequeant propellere aërem, ne succedat in hunc locum,

Item non minùs suppetit intrinseca virtus Angelo, vel etiam vento, aut alteri corpori ad repellendum aërem, ne succedat in hunc locum, quàm ad expellendum aërem qui præoccupat; non enim aër repellendus plùs habet ponderis, quo impellatur ad succedendum, quàm aër expellendus habet ponderis ad resistendum ne expellatur: eò vel maximè, quòd corporibus nulla insit virtus, quâ moveantur ad vacuum impediendum; sed ab Auctore naturæ contra intrinsecam virtutem motivam (quæ tamquam naturaliter motiva, nata est semper movere eodem modo) jam sursum, jam deorsum impellantur ad vacuum præpediendum: seclusâ ergo voluntate Auctoris, quâ res sic gubernare decrevit, non solùm posset causa secunda vacuum inducere, sed etiam ex natura rei necessariò induceret, movendo aliquod corpus ex aliquo loco.

Rursus præsentia localis, quam quidpiam habere potest in extremis distantibus, non erit alterius perfectionis, vel rationis, si immediatè acquiratur, quàm si transeundo per medium; nec enim pendet à mediis præsentiis, ut patet: cur ergo deest moventi intrinseca virtus ad movendum ab extremo in extremum distans non movendo per medium, si potest movere ad illud transeundo per medium? Quare non posse agere primò in quantumvis remotum, non posse vacuum inducere, non posse moveri ab extremo in extremum, nisi transeundo per medium, ac similes agendi modi non habent fundamentum in defectu intrinsecæ virtutis causarum secundarum; sed in lege ordinata ab Auctore naturæ.

vel quòd non possint movere ab extremo in extremum nisi movendo per medium.

60. Hæc fusiùs præter solitum morem, ne fortè aliquibus adeò mirabile appareat, si dixero, consequenter ad Conclusionem primam, de facto creaturam disponere qualitates Eucharisticas ad corruptionem, intendendo, remittendo &c. extra omne prorsus subjectum, vocetur creatio propriè & strictè dicta, parùm refert.

Ex sensu fidelium colligitur ignem verè agere in species Eucharisticas.

Nonne species sacramentales conjiciuntur in ignem, ut ab igne decenter corrumpantur? Ergo sensus fidelium est, ignem verè agere in illas species. Similiter si sumeretur magna quantitas vini consecrati, haud dubium quin virtus activa stomachi ex consumptione specierum fatigaretur: igitur agit in illas species, non solùm suppositâ quantitate distinctâ, quæ sit immediatum subjectum cæterorum accidentium; sed etiam illâ sepositâ.

Nonne eadem virtus physica in igne, & eadem applicatio? Cur ergo negabimus eundem effectum secuturum, eundem, inquam, in perfectione, in ratione specifica & individuali? Quia, inquis, licèt ignis habeat virtutem producendi calorem; equidem non in Angelo, vel in glacie.

An ignis possit producere calorem in Angelo aut glacie?

Resp. primò, Angelum, & glaciem esse objecta omnino incapacia istius qualitatis; hic autem, tametsi non sit aliquod subjectum recipiens, attamen non est etiam subjectum incapax, in quo debeat talis qualitas produci.

Respondeo secundò; fortè etiam Angelum posse calefieri ab igne, si Deus velit suspendere suum decretum, quo voluit non concurrere cum igne ad productionem caloris, nisi in subjecto corporeo.

61. Objectio.

Contrà; nullum subjectum æquivalet subjecto incapaci, quomodo enim qualitas potest intendi vel remitti, nisi in subjecto? Quomodo frigus v. g. hostiæ formaliter expelletur à calore ibi producto, si non habeant subjectum commune à quo expellatur?

Responsio. De facto intensio & remissio, contrarietas in qualitatibus &c. connotant aliquod subjectum commune.

Resp. de facto quidem secundùm legem Dei ordinariam, quam solam antiqui Philosophi considerarunt, intensio & remissio, prout etiam pugna vel contrarietas in qualitatibus, connotant aliquod subjectum commune; & quid mirum, cùm sint accidentia, quæ intenduntur & remittuntur, ac se mutuò expellunt? Verumtamen sicuti eo non obstante, suspensâ illâ lege ordinariâ, accidentia in Eucharistia probabiliter existunt extra omne subjectum; ita etiam intendi possunt extra omne subjectum per connaturalem plurium partium ejusdem qualitatis inter se unionem, vi cujus eidem inesse postulent cum mutua penetratione, tametsi de facto nulli insint, Deo in lege sua ordinaria dispensante.

Quòd si nova pars qualitatis produci possit extra omne subjectum, & uniri præexistenti, quidni & præexistens perdere suam unionem, & corrumpi? Quidni totus calor possit interire ad productionem frigoris in eodem loco, Deo substrahente concursum suum conservativum calori, propter incompossibilitatem naturalem istarum qualitatum? Certè non video quid possit obstare, semel admisso, creaturam posse creare, & de facto creare ad occultandum mysterium mysteriorum.

Dixi superiùs, *Vocetur creatio strictè dicta, parùm refert*; quia parùm curandum de nomine, quando constat de re: negant quidem plurimi Patres creaturam posse creare; sed intelligendi veniunt de potentia creaturæ ex hypothesi legis ordinariæ agendi dependenter à subjecto.

62. Quando Patres negant posse creaturam creare, commodè sunt intelligendi.

Smising in manuscripto de hoc Sacramento disp. 5. q. 3. concl. 2. tamquâ probabilius admittit, creaturam dispensante Deo posse producere, & de facto producere (si rarefactio aliter fieri nequeat) virtute naturali novam quantitatem separatam, *Smising.*

An creatura virtute naturali possit producere novam quantitatem separatam, eamque quantitati sacramentali annectere?

paratam, eamque quantitati sacramentali annectere; negat tamen cum Scoto suprà in Reportatis, illam additionem esse propriè & strictè dictam creationem; quia videlicet supponit aliquid totalis termini ad quem, nimirum illam quantitatem præexistentem, cui nova annectitur, & ita illa actio non merè procedit à nihilo; sed solùm ex nihilo tamquam subjecto.

Sententia affirmans probatur exemplo.

Quòd autem talis actio non repugnet creaturæ, probat exemplo continuationis naturalis, & discontinuationis quantitatis sacramentalis separatim existentis: nam hæc divisio quantitatis propriè procedit ab ipsa quantitate, ut toto præsuppositio, & non fit ex subjecto quantitatis; continuatio autem duarum quantitatum non fit ex aliquo subjecto quantitatis, sed ex duabus partibus integralibus præsuppositis. Ita ergo intelligi potest naturale agens aliquid agere ex aliquo ut parte termini totalis præsuppositâ, & non ut ex subjecto præsuppositio.

63. Objectio.

Dices: illud exemplum non est ad rem; quia quando agens naturale discontinuat, vel continuat partes quantitatis sacramentalis, subjectum hujus actionis propriè sunt ipsæ partes quantitatis; quia in ipsis destruuntur indivisibilia continuantia, & alia producuntur nova terminantia. Hæc ergo mutatio per se versatur circa indivisibilia quantitatis tamquam terminos productos, vel destructos; circa ipsam verò quantitatem, ut circa subjectum, ex cujus potentia prædicta indivisibilia educuntur.

Solvitur.

Sed ex hac instantia magis confirmatur, quod diximus; quia revera falsum est illa indivisibilia convenire quantitati ut subjecto, sed sunt hìc extra subjectum, sicut ipsa quantitas. Probatur; tum quia indivisibili entitati

Indivisibili entitati non respondet subjectum divisibile,

non respondet subjectum divisibile; quantitas est divisibilis, illi verò termini sunt entitates indivisibiles: ergo illis pro subjecto non respondet quantitas.

Tum etiam; quia quando quantitas erat in substantia, non erat ipsa subjectum horum indivisibilium: sed sicut partes quantitatis recipiuntur in partibus substantiæ, ita indivisibilia quantitatis in indivisibilibus substantiæ;

Indivisibilia quantitatis recipiuntur in indivisibilibus substantiæ.

hoc enim postulat mutua proportio inter receptivum & receptibile. Itaque indivisibilia quantitatis sacramentalis hìc sunt tam extra subjectum, quàm ipsa quantitas.

Cùm ergo agens naturale producit indivisibilia quantitatis sacramentalis continuantia, vel terminantia, illa non producit ex quantitate, ut ex subjecto, sed præcisè ut ex parte seu entitate præsuppositа. Similiter ergo poterit producere novam quantitatem, eamque quantitati sacramentali continuare, quamvis illam non producat ex subjecto, sed ex parte præsuppositа. Hactenus Smising. An conformiter Scoto in primo scripto 4. dist. 12. q. 4. poterit quisque facilè judicare ex his, quæ subjicio ex n. 25. & 26.

64 Divisio quantitatis non est propriè mutatio.

De divisione quantitatis dico, quòd non est propriè mutatio aliqua ejusdem subjecti, sed tantùm est reductio partium in actu, quæ prius erant in potentia in toto, hoc est, indistinctè; reductio, inquam, ad actum distinctum, quia prius erant in toto continuatæ, & ita quodammodò unum, & postea extra totum continuatæ.

Scotus.

Inquirens autem subjectum in hac mutatione tali quali, Respondet: *Ipsæ partes manentes secundùm eandem entitatem positivam (licèt non cum illa præcisione, quam intelligimus, dicentes partem esse in actu) possunt poni subiectum: quia secundùm eandem entitatem positivam erant in toto, & postea extra totum; sed in toto habuerunt continuationem, quæ prohibuit illam actualitatem includentem præcisionem: extra totum autem habent eam &c.*

habet ipsa partes ut subjectum & quando.

Scotus.

Similiter loquitur de appositione: *Dico quòd possibile est aliquod quantum isti apponi, & ei continuari, & hoc nullo subjecto manente eodem, nisi forte istis partibus continuatis, ut prædictum est in divisione, & sic quantitas erit eadem, non solùm identitate continuitatis; sed etiam eadem identitate positivâ, quæ præcedit continuitatem, quæ scilicet est in hac, & similiter in illa, sive continuentur, sive discontinuentur. Et hæc difficultas communis est unicuique unioni, sive divisioni. Si enim vel divisio, vel unio est transmutatio, & quæris eius subiectum; nihil commune manet nisi entitates partium divisarum, vel unitarum: & illa entitas, quando est unio facta, habet aliquid, quo caret, quando est divisio, scilicet habitudinem unitorum, vel continuationem eorum, loquendo de quantis: & ita illa transmutatio universaliter in divisione est privativa, in continuatione verò positiva.*

Quæ divisionis, eadem est ratio appositionis.

Scotus.

Et si arguis; si aliquod quantum apponitur isti, & fiat isti speciei continuum: ergo est idem terminus amborum; aut ergo ille terminus est in subiecto, aut sine subiecto. Responsionem quære.

Obiectio Scoti.

Quæsivi responsionem, & judicet Benignus Lector an invenerim. Respondeo ergo terminum illum communem (si aliquis detur distinctus à partibus) non esse extra subjectum proximum, quia immediatè subjectatur in ipsis partibus, quas copulat, & à quibus intimè dependet; sicut communiter omnis unio est in partibus unitis, quibus tribuit primò suum effectum formalem, vel in altera parte juxta naturam & conditionem unionis.

Responsio Auctoris.

Et hoc est quod dicit Doctor in littera n. 25. *Ita quòd partes transmutantur à formâ*, id est, unione, *ad privationem*, quando separantur. Cùm ergo motus contrarius respiciat idem subjectum, sequitur in continuatione partes transmutari à privatione ad formam, quæ est unio, sive ipsa resultet ex natura partium in materia liquida coëuntium

(quod

(quod verius est) sive sit per actionem agentis extrinseci applicantis.

Unio habet utramque partem pro subjecto.

Illa ergo unio habebit utramque partem pro subjecto, quia secundùm se totam communicatur utrique parti, cùm sit terminus indivisibilis & communis; neque major ratio inveniatur cur sit in una parte, quàm in altera, cùm sint ejusdem speciei & non per modum potentiæ & actûs, aut eorum, quæ sibi invicem intrinsecè communicantur, sicuti materia & forma.

66. Objectio fabricatur.

Dices; ergo terminus communis v. g. punctum habebit duo subjecta prima. Resp. inadæquata, Concedo; adæquata, Nego. Subjectum ergo adæquatum termini communis sunt partes simul sumptæ; quia terminus ille in ratione formæ, in quantum dat actum seu effectum suum formalem, est illimitatus respectivè ad unam partem & alteram, cui secundùm se totum communicatur ex natura sua, non secùs ac anima rationalis pluribus partibus corporis: quia, ut dixi, effectus ejus est unire per modum termini communis, qui secundùm se totum, utpote indivisibilis, communicatur singulis partibus; subjectum verò partium remotè tantùm respicit: & ideo quando communicatur quantitati separatæ, non est in suo subjecto remoto, quod est substantia; quando autem communicatur quantitati conjunctæ, non aliter est in subjecto remoto, hoc est, in substantia, quàm mediante subjecto proximo.

Subjectum adæquatum termini communis sunt partes simul sumptæ.

Indivisibilis continuantia & terminativa proximè subsistunt in ipsis partibus.

Eodem modo philosophandum est de pluribus indivisibilibus continuantibus, quæ aliqui ponunt; similiter de indivisibilibus terminantibus, videlicet proximè subjectari in ipsis partibus, quas copulant vel terminant, remotè autem in substantia, in qua proximè subjectantur istæ partes.

67. Divisio quantitatis separatæ, ejusdemque continuationem cum quantitate conjuncta, non excedere vires agentis naturalis.

Ex quibus omnibus deducitur, divisionem quantitatis separatæ, ejusdemque continuationem cum quantitate conjuncta, non excedere vires agentis naturalis, etiam non sublatâ limitatione, quâ limitatum est ad agendum ex subjecto: satis enim intimè dependent indivisibilia à partibus quantitatis, ut propterea non censeantur præexistentia annihilari, vel noviter ex ipsis partibus quantitatis resultantia creari, nequidem creatione latè dictâ.

Objectio ex Smising.

Contrarium docet Smising suprà, dicens per naturam fieri non posse, ut duæ quantitates quantumcumque substantiarum specie vel numero distinctarum continuentur, nisi sint in eodem subjecto totali & continuo entitativè, ut experientiâ, inquit, manifestum est: non enim quantitas alimenti continuatur quantitati viventis, nisi priùs naturâ, ipsa materia alimenti fuerit entitativè continuata materiæ viventis, neque quantitates ligni & lapidis &c.

Responsio.

Esto: ergo similiter quantitas vini, quod miscetur speciebus consecratis, illis non continuabitur. Resp. Negando Consequentiam. Disparitatem do; quia vinum est materia fluida & miscibilis, in qua ex natura partium coëuntium, maximè si sint ejusdem speciei, statim resultat terminus communis, tam inter quantitates, quàm ipsas entitates, ut experientiâ manifestum est; non enim aliud requiritur, ut plures partes aquæ continuæ fiant, quàm earum mixtio. Nùm etiam continui fient plures lapides, quia juxta se mutuò collocantur? Absit, sed contigui tantùm. Cur istud, nisi quia hoc est hoc, & illud est illud? Misceantur ergo diversæ numero species vini consecratæ, quidni naturaliter continuentur?

Non aliud requiritur ut plures partes aquæ continuæ fiant, quàm earum mixtio.

68. Objectio.

Dices; quia quantitas consequitur substantiam materialem, tamquam proprietas ei connaturalis: ergo priùs naturâ est substantiam esse unam, quàm quantitatem esse unam.

Solvitur.

Resp. stante lege Dei ordinariâ, quâ decrevit quantitatem non conservare extra substantiam, Concedo; ex hypothesi, quòd de facto quantitatem conservet extra subjectum, Nego Consequentiam: siquidem continuatio tam immediatè sequitur mixtionem quantitatum, quàm substantiarum; quia tamen de facto juxta legem ordinatam, non priùs miscentur quantitates, quàm substantiæ, immo è converso priùs substantiæ, quàm quantitates, cùm substantia tamquam subjectum sit naturâ prior quantitate; ideo de facto verum est priùs naturâ substantiam esse unam, quàm quantitatem. Itaque misceatur vinum non consecratum speciebus consecratis, dico consequenter, quòd quantitas illius vini naturaliter continuabitur speciebus consecratis.

Continuatio tam immediatè sequitur mixtionem quantitatum, quàm substantiarum.

Objectio.

Contrà: Quantitas recipitur in substantia materiali; omne autem receptibile ad modum recipientis recipitur. Unde sicut ob hanc rationem fieri nequit, ut quantitas naturaliter recipiatur nisi in subjecto extenso entitativè, ut ita partes quantitatis recipiantur in partibus substantiæ, & indivisibilia quantitatis in indivisibilibus substantialibus; ita ob eandem rationem fieri non potest, ut una quantitas continua recipiatur, nisi in uno subjecto totali & continuo.

Solvitur.

Transeat totum quando una quantitas continua recipitur in aliquo subjecto: at in casu nostro una quantitas continua in nullo recipitur subjecto; quid ergo mirum si non recipiatur in uno subjecto totali & continuo?

69

Ad id quod suprà n. 63. dictum fuit ex Smising: Indivisibili entitati non respondet subjectum divisibile. Resp. ex Scoto 2. dist. 2. q. 9. n. 36. *Sphæra super planum mota describit in plano lineam; & tamen non tangit nisi in puncto: ergo illud punctum pertransit totam lineam; & tamen non propter hoc tota linea illa, quæ sic pertransitur à puncto, componitur ex punctis.* Si indivisibile pertransit divisibile, quidni & in illo possit subjectari?

Indivisibili entitati potest respondere subjectum divisibile.

Ad aliud ibidem respondeo; quando quantitas erat in substantia, partes substantiæ, à quibus intimè dependebant indivisibilia substantiæ, erant subjecta proxima partium quantitatis, à quibus similiter intimè dependebant indivisibi-

lia quantitatis, & per consequens subjecta remota ipsorum indivisibilium; neque aliud postulat mutua proportio inter receptivũ & receptibile.

Indivisibilia quantitatis per divisionem specierum consecratarum producuntur extra subjectum remotum, secùs extra subjectum proximum.

Itaque indivisibilia quantitatis per divisionem specierum consecratarum producuntur extra subjectum remotum, secùs extra subjectum proximum; pars autem quantitatis per rarefactionem specierum extra omne subjectum tam proximum, quàm remotum; & ideo divisio est naturalis etiam in modo: rarefactio verò, si fieri debeat per productionem novæ quantitatis, supernaturalis, saltem in modo.

Atque ex his sit finis hujus Conclusionis; sic tamen, ut quod dixi, creaturam posse creare, & de facto creare, cùm res sit planè occulta & incerta, examinandum, corrigendumque Doctoribus offeram. De cætero experientiâ pervium est qualitates sacramentales tandem desinere esse, sive per corruptionem, sive per annihilationem, secundùm diversas sententias, prout subjectantur in quantitate, vel non subjectantur. Quæritur autem quando sub eis desinat esse Corpus Christi? Resp. breviter:

CONCLUSIO VI.

Tamdiu sub speciebus Eucharisticis manet Christus, quamdiu mansisset substantia panis & vini.

70. Prima sententia de permanentia Corporis Christi & Sanguinis sub speciebus sacramentalibus,

D. Bonaventura.

DE permanentia Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus sacramentalibus variæ olim fuerunt opiniones. Duas principales refero ex Sancto Bonaventura Doctore Seraphico 4. dist. 13. art. 2. q. 1. *Quidam*, inquit, *dicunt, quod Corpus Christi continetur in illis speciebus inseparabiliter, quamdiu sunt Sacramentum. Sacramentum autem sunt per naturam panis, & per naturam Consecrationis verbi: & ideo cùm Consecratio non dimittat hostiam, quamdiu salva est forma panis, tamdiu Sacramentum est, quamdiu forma panis salva est: & ideo cùm Sacramentum sit contentivum veri Corporis secundùm quod Sacramentum: tamdiu continet, quamdiu salva est species panis in modica parte. Et isti dicunt quod ubicumque ponantur species sive in loco mundo, sive immundo, sive in ventre muris, sive in alio loco, dicunt quod ibi est Corpus Christi.* Hæc erat prima opinio sub S. Bonaventuræ sæculo; hodie autem est doctrina certa, & proinde in omnibus scholis recepta.

eaque certa,

quam tradidit Scotus:

Eam tradidit Scotus 4. dist. 12. q. 6. n. 13. dicens: *Quæ autem transmutatio posit fieri manente Eucharistiâ, patet; quia qualibet alteratio, per quam non inducitur aliquid incompossibile pani, si maneret &c. Per oppositum autem transmutatio corruptiva secundùm qualitatem secundum gradum illum, secundùm quem non posset stare cum pane, si maneret: & hoc licèt quantitas omnino maneat eadem: talis autem non potest fieri manente Eucharistiâ, vel saltem non sit de facto.*

71. Prosequitur Divus Bonaventura suprà: *Et quia hoc videtur Corpori Domini derogare, & Sacramento: dicunt quod hoc potius est in laudem utriusque. Nam Corpus Christi non patitur injuriam aliquam, cùm sit glorificatum, & inquinari nullo modo possit Sacramentum etiam laudatur, quod adeo est sacrum, & rei nobili connunctum, quòd non potest separari, vel auferri sibi continentia ab aliquo, dum salva est forma. Et quia ubicumque est Sacramentum, & species illæ sunt sanctissimorum Symbolorum, in quibus Christus est; ubicumque est, nobiliter est.*

& probatur ex Divo Seraphico.

Adjungit aliam objectionem: *Et si tu obicias tunc, quod mus manducat; Respondent quòd falsum est, quia nec sumere debet dici Corpus Christi, nec manducare: cùm nullo modo ipsum attingat, nec per convenientiam in natura, nec per cognitionem quantulamcumque, nec per dilectionem.* Hactenus Doctor Seraphicus pro illa sententia & nostra Conclusione, quæ non indiget aliâ probatione.

Solvitur objectio eodem Doctore.

Enimverò quamdiu manent species, manet signum practicum gratuiti Dei effectûs: ergo & ipse effectus, qui est Corpus & Sanguis Christi, permanet; alioquin omnia forent incerta in hoc mysterio, cùm nulla sit sufficiens ratio, quare manentibus incorruptis speciebus, potiùs hâc horâ contineant Corpus Christi, quàm sequenti.

72. Quamdiu manent species, manet signum practicum gratiæ.

Contrà: ratio est; quia hâc horâ species sunt ordinabiles ad usum humanum, aliâ non. *Christus*, inquit Divus Bonaventura suprà, *non est sub illo Sacramento, nisi eatenus, quod ordinabile est ad usum humanum, scilicet ad manducationem: sed sicut mus rodit ita & inhabile facit, & ita Sacramentum esse desinit, & substantia panis redit.* Idem diceret de speciebus projectis in cloacam.

Propositio secundi sententiæ ex D. Bonaventura.

Unde hæc est secunda opinio principalis, cui tamquam communiori (suo tempore) honestiori (prout eam vocat) & rationabiliori Doctor Seraphicus adhæsit, secutus Magistrum, & Innocentium, quorum verba hùc transcribo, non ut doctrinam hanc probabilem velim aut defendendam aliis objiciam; quam hoc tempore prorsus improbabilem & periculosam existimo; sed ut ostendam sub Sancti Bonaventuræ sæculo probabilem fuisse, & gravissimos habuisse Patronos, & propterea Ecclesiam à graviori abstinuisse sub Gregorio XI. censurâ, quàm ut non prædicaretur publicè propter scandali periculum; quidquid Vasquez disp. 195. cap. 5. n. 50. perperàm asserat fuisse damnatam, ut inferiùs ostendo.

quamquam re ejus probabilitatem modo non tenemus ob periculum.

Vasquez.

73. Magister itaque 4. d. 13. in fine sic ait: *Illud etiam sanè dici potest, quòd à brutis animalibus Corpus Christi non sumitur, esti videatur. Quid ergo sumimus, vel quid manducat, Deus novit.* Hæc verba in eo sensu, quem statim retulimus, citant & intelligunt Alensis, D. Thomas, & D. Bonaventura, non in illo, quem vult Vasquez suprà n. 48. nempe, ministerio Angelorum subrogari aliquid aliud loco specierum consecratarum, quo illudantur videntes, & putent Sacramentum à bestiis devorari.

Eam tenet Magister Sententiarum,

Alensis D. Thom. D. Bonav.

Sed

Sed audiamus Innocentium libro 4 de Myst. Missæ cap. 11. *Si verò*, inquit, *quæratur, quando à mure comeditur, cùm Sacramentum corroditur? Vel quid inveneratur, cùm Sacramentum crematur? Respondetur, quod sicut miraculosè substantia panis convertitur in Corpus Dominicum, cùm incipit esse sub Sacramento; sic quodammodò miraculosè revertitur, cùm ipsum ibi desinit esse, non quod illa panis substantia revertatur quæ transivit in carnem, sed quòd eius loco alius miraculosè creatus, quamvis huius accidentia sine subiecto possint sic corrodi, sicut edi.*

74. Tertia opinio Hugonis Victorini,

Et eodem libro cap. 15. verbatim exscripsit ex Hugone Victorino lib. 2. de Sacramentis parte 8. cap. 13. aliam sententiam, similiter hodie reprobatam. Sed quæ illa? *Cùm Sacramentum*, inquit, *tenetur, comeditur, & gustatur, Christus corporaliter adest in visu, in tactu, & in sapore. Quamdiu corporalis sensus afficitur, corporalis præsentia non aufertur. Postquam autem in percipiendo sensus deficit corporalis, deinceps non est quærenda corporalis præsentia, sed spiritualis est retinenda. Dispensatione completâ Christus de ore transit ad cor. Melius est enim ut præcedat in mentem, quàm ut descendat in ventrem. Cibus est, non carnis, sed animæ. Venit ut comedatur, non ut consumatur: ut gustetur, non ut incorporetur.*

Additque Pontifex de suo: *Ore comeditur, sed stomacho non digeritur. Rejicit animum sed non effluit in secessum. Illud ergo sanè debet intelligi quod Dominus ait:* Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur, *cùm constet illud fuisse dictum non de spirituali cibi, sed carnali.*

75. quam etiam tamquam probabilem amplexus est S. Bonaventura,

Neque hanc opinionem improbabilem censuit Bonaventura, sed tam quam probabilem amplexus est suprà q. 2. dicens: *Probabile est, quod sumptione completâ & manducatione, cùm tam Sacramentum habuit finem suum, propter quem erat, desinit esse Sacramentum: & hoc dicit Hugo de Sancto Victore, & videtur hoc sensisse. Dicit enim sic:* Postquam manducasti, si corporalem præsentiam Christi quæris, in cælo quære, ubi est ad dexteram Patris. *Unde nec verbum Hugonis* (superiùs ab Innocentio exscriptum) *intelligendum est*, (inquit ibidem Seraphicus Doctor) *quantùm ad actum sentiendi, sed quantùm ad idoneitatem. Et præterea sensus non tantùm est in gustu linguæ; sed etiam sentit homo descensum cibi, quousque quiescat in stomacho.*

Quomodo ergo verè dixit Vasquez suprà num. 50. Et similiter (damnatum est) quòd, dum dentibus justi aut peccatoris species conteruntur, Christus ad cælum rapiatur, ne videlicet in ventrem vadat, ut docuit Bonaventura?

Id Bonaventura minimè docuit, quamvis inter cæteras opiniones illam recenseat, improbans equidem sub his verbis. *Videtur esse nimis arcta; numquam enim secundùm hoc posset dici Corpus Christi sumi verè, cùm non dicatur sumptus esse cibus, qui non percipitur, nec pervenit usque ad stomachum.*

Ecce candide Lector quàm falsò Vasquez referat sententiam hujus Sancti, eximii ac Seraphici Ecclesiæ Doctoris. Zeno dicere solebat: *Satius esse labi pedibus, quàm linguâ seu calamo.*

76. Uti & falsò scribit sententiam Ds Bonav. fuisse damnatam à Gregor XI.

Nec in hoc tantummodò lapsus est calamo Vasquezius; sed etiam in eo, quod ibidem scribit, sententiam Divi Bonaventuræ esse damnatam à Gregorio XI. Accipe diploma ex directorio Inquisitorum 2. parte q. 10. *Miserratione divina Petrus Sancti Eustachii, & Guilielmus Sancti Angeli Diaconi Cardinales, Reverendis Patribus Tarracon. & Cæsaraugust. Provinciarum Archiepiscopis, eorumq; Suffraganeis, nec non Inquisitoribus hæreticæ pravitatis à Sede Apostolica in ipsis provinciis deputatis, salutem & sinceram in Domino charitatem. Relatione Religiosi Fratris Nicolai Eymerici Magistri in Theologia, ac in dictis Provinciis hæreticæ pravitatis Inquisitoris ad audientiam Domini nostri Papæ nuper pervenit, quòd tam in Vestris, quàm in Suffraganeorum vestrorum Ecclesiis palam & publicè per certos Religiosos prædicati fuerint tres articuli subsequentes in effectu.*

cujus adducitur diploma;

Primus, quòd si hostia consecrata cadat, seu projectatur in cloacam, lutum seu aliquem turpem locum, quod speciebus remanentibus sub eis esse desinit Corpus Christi, & redit substantia panis.

Secundus, quòd si hostia consecrata à mure corrodatur, seu à bruto sumatur, quòd remanentibus dictis speciebus, sub eis desinit esse Corpus Christi, & redit substantia panis.

Tertius, quòd si hostia consecrata à justo vel à peccatore sumatur, quòd dum species dentibus teritur, Christus ad cælum rapitur, & in ventrem hominis non tranситur.

Supplicato igitur per ipsum Inquisitorem eidem Domino nostro Papæ super hujusmodi articulis, ex quorum prædicatione possent scandala suscitari, salubriter provideri. Idem Dominus noster Papa, nobis ibidem præsentibus vivæ vocis oraculo expressè commisit, quatenus Auctoritate suâ apostolicâ vobis mandaremus, ut omnis moræ sublato dispendio, in dictis vestris Provinciis sub pœna excommunicationis inhibeatis: ne quis deinceps dictos articulos publicè præsumat prædicare.

Nos igitur Petrus & Guilielmus Cardinales prædicti, hujusmodi mandatum Apostolicum cupientes exequi, ut tenemur, vobis & vestrûm cuilibet in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipimus & mandamus, ne ab inde in anteà dictos articulos seu alterum eorum sub iisdem, vel aliis verbis idem sonantibus in substantia seu in effectu, in vestris Ecclesiis, vel alibi palam seu publicè prædicari à quoquam permittatis: & hoc sub pœna excommunicationis: quâ contrarium facientes innodetis ipso facto.

Notificantes vobis nihilominus simili mandato per ipsum Dominum nostrum Papam nobis facto, quòd idem Dominus noster Papa Fratri Ioanni de Latone Ordinis Fratrum Minorum, qui aliquos de dictis articulis in vestris Ecclesiis frequenter recitando præ-

dicaverat, inhiberi fecit sub pœna excommunicationis, ne dictos articulos de cætero publicè prædicare præsumat. In quorum omnium testimonium sigilla nostra præsentibus duximus imponenda. Datum apud Villam novam Avinion. Diœcesis die 8. Mensis Augusti anno 1371. Indictione 9. Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris Domini Domini nostri Gregorii divinâ providentiâ Papæ XI. anno 1.

77. in quo nullâ afficiuntur censurâ prædictæ opiniones, sed solùm prohibetur, ne publicè prædicentur;

Hæc est summa totius sententiæ, in qua nullâ afficiuntur censurâ prædicti articuli, neque condemnantur, sed dumtaxat prohibetur, ne publicè prædicentur; quia (ut inquiunt illi Cardinales ex relatione Eymerici) ad eorum prædicationem possent scandala suscitari. Quis ergo non miretur, Vasquezium non semel dixisse articulos hos à Gregorio Pontifice fuisse condemnatos?

Franciscus Penna.

Severiùs loquitur Franciscus Penna Schol. 14. in 1. parte directorii, erroneos hos articulos, & valde impios asseverans; ac his gravius Eymericus offendit, dum eos sub titulo *hæresum ab Inquisitoribus Aragoniæ Domini Papæ mandato damnatarum* recenset. Quid enim ampliùs factum, quàm præceptum, ut doctrina, aliàs tantorum virorum auctoritate suffulta, non proponeretur promiscuo vulgo ex suggestis? Propterea statim amplianda est pœna, & dilatanda censura, ut doctrina illa impia, erronea, hæretica proclametur?

Eymericus.

utì prohibitum est prædicare Beatam Virginem fuisse in originali peccato conceptam. *Paulus V. Greg. XV.*

Exemplum sanè satìs oportunum præ manibus est, quo liceat prospicere injustas esse hujusmodi censuras. Jussit Paulus V. ad evitandos populorum tumultus & scandala, ne opinio asserens Beatam Virginem in originali peccato fuisse conceptam, publicè ex suggesto aut cathedra doceretur, idque ipsum confirmavit Gregorius XV. ejus successor, atque ampliùs addidit, ne etiam in privatis colloquiis de illa ageretur: an propterea aliquis indè deducet, vel deduci permittet sententiam hanc condemnatam fuisse ab Ecclesia, aut erroneam esse, vel hæreticam? Minimè, nec immeritò, peccabitque qui ullâ affecerit censurâ.

Si ergo Sancti Thomæ, aliorumque Doctorum auctoritas sufficit, ut illa opinio graviorem notam effugiat, ut quid & Bonaventuræ non inferior dignitas, & reliquorum, quos citavimus, Doctorum reverentia non obtineat, ut in hac etiam doctrina à gravibus his abstineatur censuris?

78. *Albertus Magnus, S. Thomas.*

Probè hoc intellexerant Theologorum coriphæi, Alensis, Albertus Magnus, & Sanctus Thomas, qui dum agunt de his quæstionibus, in controversia positas referunt, & oppositas recensent sententias; atque horum articulorum doctrinam ita suos habuisse indicant Patronos, ut quamvis eam ipsi secuti non sint, nullâ tamen notâ affecerint, neque utì omnino improbabilem rejecerint: quin imò Alensis 4. parte q. 11. mem. 2. art. 2. problematicè defendit articulum secundum.

Alensis.

Quid dicam quòd sententia Gregorii suprà relata aliquibus incerta, imò dubia videatur? Et si nescis rationem dubitandi, consule Annales Fratrum Minorum Auctore R. A. P. F. Luca Wadingo ejusdem Ordinis (ex quo hæc pauca exscripsimus) ad annum Christi 1371. n. 23. 24 & 25. sanè non unam, sed plures, idque fundatissimas invenies, quas prætereo brevitatis ergò.

Quibusdam sententia Gregorii suprà relata apparet dubia.

Wadingus.

79. Concludo autem hunc discursum cum eodem Auctore n. 25. Hæc dicta sint non in defensionem eorum, qui imprudenter & periculosè ejusmodi Theologicas, abstrusasque difficultates promiscuo vulgo proponunt; sed in Sancti Bonaventuræ Doctoris Seraphici, optimè de Ecclesia merentis, aliorumque gravissimorum Doctorum tutelam, quibus æquior debetur reverentia, quàm ut ita traducantur, & indignis censuris eorum afficiatur doctrina. Illo sæculo erat probabilis, temporis decursu Doctorum destituta patrocinio, cœpit infirmari & à veritate deficere; ita tamen reverita est Ecclesia Bonaventuræ & Coassertorum auctoritatem, ut ab omni prorsus expressa abstinuerit censura.

adeoque nulli est officienda censura D. Bonaventuræ, aliorumque DD doctrina;

Ita in multis evenit doctrinis, ut aliquando probabiles, aliquando minùs fuerint probabiles, & demum prorsus redderentur improbabiles. *Ex ratione quippe temporis agitur* (inquit Petrus Damianus lib. 5. Epistola 11.) *ut una eademque res sive salubris, sive noxia judicetur. Immo ipsa Ecclesiastica Sacramenta suorum temporum vicissitudines quærunt, vigoremque suum ex deputati temporis congruitate concipiunt.*

quamquam modo non sit probabilis,

Petrus Damianus.

ut in aliis multis evenit doctrinis,

Quòd sunt hodie circa administrationem Sacramentorum aliter & rectiùs constituta, quàm olim fieri consuevit? Idque licitè ordinari & declarari definivit Synodus Tridentina sess. 21. cap. 2. in principio: Ea est cura magni Patrisfamilias circa domum istam Ecclesiæ, ea est dispensatio Spiritûs Sancti, ut novâ luce ampliùs illuminet, & succedentibus sibi sæculis manifestiores reddat veritates. *Quæ est* (ait Tertull. de velan. Virg. cap. 1.) *Paracleti administratio nisi hæc, quòd disciplina dirigitur, quòd Scriptura revelantur, quòd intellectus reformatur, quòd ad meliora persicitur?* Nihil ergo mirum tunc probabiliter hæc scripsisse Magistrum, Hugonem, Innocentium, Bonaventuram, & nunc haud expedire ista doceri.

Tertullianus.

80. Objectio et D. Bonaventuræ.

Sed dicet quispiam; cur non expedit ista nunc doceri, immo cur non debeant doceri (seclusâ prohibitione Ecclesiæ) cum teste Divo Bonaventura suprà q. 1. *Quantumcumque hæc opinio muniatur, numquam tamen adeò munitur, quando aures piæ hoc abhorreant audire, quòd in ventre muris vel cloaca sit Corpus Christi, quamdiu species ibi subsistunt.*

Et q. 2. ait: *Videtur tamen prima opinio, quæ dicit, quòd defertur, quousque species deferantur, nimis ampla: quia tunc & mus in ventrem trajiceret,*

ceret, & in cloacam descenderet, quod aures piæ abhorrent: & si diceremus, Hæretici & Infideles deriderent nos, & irriderent. Atque hæc est altera ratio, quæ movit Divum Bonaventuram ad docendum, Corpus Christi nullo modo descendere in ventrem muris.

Solvitur. Veritas Eucharistiæ non est metienda ex horrore piarum aurium, sed verbis Christi.

Resp. veritatem hujus mysterii haudquaquam metiendam esse, ampliandam, vel restringendam ex horrore piarum aurium, aut irrisione Infidelium, sed ex verbis: *Hoc est Corpus meum: Hic est Sanguis meus*, quæ indiscriminatim significant sub speciebus panis & vini contineri Corpus & Sanguinem Christi, nullâ factâ exceptione loci, temporis, aut personæ. Horrent quidem piæ aures audire, quòd Sacramentum rodatur à mure, projiciatur in cloacam, pedibus conculcetur, pugione transfodiatur &c. Nùm ideirco dicemus, quando sacra hostia ab impiis transfoditur, hoc ipso desinere ibi esse Corpus Christi? Absit hoc à piis cordibus & vocibus, cùm toti mundo manifestum sit, non semel miraculo præsentiam sacramentalem fuisse confirmatam.

81. Ratio quare aures horrent audire, quòd in ventre muris sit Corpus Christi.

Ut quid ergo horrent piæ aures hoc audire? Resp. quia hujusmodi facta gravissimè repugnant pietati & reverentiæ debitæ Corpori & Sanguini Christi in Eucharistia. Quid enim Divus Gregorius homilia 16. in Euang.? *Sed* 1. Greg. *ecce*, inquit, *cùm dicitur Deus homo, vel in excelsum montem, vel in sanctam civitatem assumptus à diabolo, mens refugit credere, humanæ hoc audire aures expavescunt: cùm tamen non esse incredibilia ista cognoscimus, si in illo & alia facta pensamus.* Quæ? *Certè*, prosequitur, *iniquorum omnium caput Diabolus est, & huius capitis membra sunt omnes iniqui. An non Diaboli membrum fuit Pilatus? An non Diaboli membra Iudæi persequentes, & milites crucifigentes Christum fuerunt? Quid ergo mirum si se ab illo in montem duci & tentari permisit, qui pertulit etiam à membris illius crucifigi?*

Quid ergo mirum, si Corpus suum jam glorificatum, & omnis inquinamenti incapax permittat rodi à mure, projici in cloacam &c. qui idem Corpus mortale adhuc, & omnis inquinamenti capax, pertulit ab iniquis crucifigi? Deridеant nos, & irrideant Hæretici, Infideles, quid tum? Et ipsum Sacramentum in altari existens derident & irrident. Sed quid 1. Cor. 1. ait Apostolus 1. Cor. 1. v. 23. *Quoniam & Iudæi signa petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus Christum crucifixum: Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.*

82. Quando Christus ita alteratur, ut non maneat sub Hostia panis & vini, si adesset, hoc ipso eâdem certitudine desinit sub speciebus esse Corpus & Sanguis Christi; quoniam jam minimè sunt species panis & vini; & per consequens non amplius signum practicum gratuiti Dei effectûs.

nis, hoc ipso Corpus Christi amittit præsentiam, quam habebat sub illis speciebus.

Non quòd Christus tunc simpliciter desinat esse: certum quippe est permanere in cælo, & sub aliis speciebus sacramentalibus necdum corruptis; sed quoniam amittit præsentiam talem, qualem habebat sub his determinatis speciebus, antequam essent corruptæ; equidem non idcirco acquirit aliquam novam; ut proinde non sit mutatio positiva, sed negativa dumtaxat, à præsentia sacramentali ad ejus negationem.

Ad primam rationem Divi Bonaventuræ, videlicet ordinabilitatem Sacramenti ad usum humanum, vide responsionem sect. 1. concl. 11. Sicut ergo dixi à principio, hoc tempore certissimum est, tamdiu permanere Christum sub speciebus, quamdiu mansisset substantia panis & vini: quando autem ulteriùs alterantur, eousque, quòd ampliùs non maneret substantia panis & vini, si adesset, hoc ipso eâdem certitudine desinit sub speciebus esse Corpus & Sanguis Christi; quoniam jam minimè sunt species panis & vini; & per consequens non amplius signum practicum gratuiti Dei effectûs.

Non quòd Christus tunc simpliciter desinat esse: certum quippe est permanere in cælo, & sub aliis speciebus sacramentalibus necdum corruptis; sed quoniam amittit præsentiam talem, qualem habebat sub his determinatis speciebus, antequam essent corruptæ; equidem non idcirco acquirit aliquam novam; ut proinde non sit mutatio positiva, sed negativa dumtaxat, à præsentia sacramentali ad ejus negationem.

83. Species vini consecrati non amittunt Consecrationem per admixtionem vini non consecrati ejusdem speciei.

Sed cùm hæc satis constent; difficultas tamen est, an species vini consecrati amittant Consecrationem per admixtionem vini non consecrati ejusdem, sive diversæ speciei? Communis sententia & verior docet non amittere Consecrationem per admixtionem vini ejusdem speciei. Ratio est manifesta; quia species consecratæ manent eædem numero, tametsi in plures particulas separatæ: sicuti ergo per divisionem specierum consecratarum in plures particulas, non deperditur earum Consecratio, ita nec per admixtionem rei non consecratæ, cujuscumque tandem, per quam non destrueretur substantia vini consecrati, si adesset.

Confirmatur 1 ex cap. *Cùm Marthæ* de Celebrat. Miss.

Confirmatur primò ex Innocentio III. cap. *Cùm Marthæ* de Celebr. Miss. ubi §. *Quæsivisti*, sic ait: *Præterea potest dici, quòd aqua non transit in Sanguinem; sed remanet prioris vini accidentibus circumfusa, ita quòd vini saporem assumit; quod inde convincitur, quia si post calicis Consecrationem, aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in Sanguinem, nec Sanguini commiscetur, sed accidentibus prioris vini commixtum, Corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfusum: ipsa tamen accidentia vinum appositum videntur assicere, quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit.*

84. Objectio.

Dices; hæc est tertia opinio, quam Pontifex non approbat, ait enim: *Verùm inter opiniones prædictas, illa probabilior iudicatur quæ asserit aquam, cum vino in Sanguinem transmutari.*

Solvitur.

Concedo totum: Verumtamen aliud est non approbare opinionem, quòd videlicet aqua non transit in Sanguinem; aliud autem non approbare argumentum à simili, sive potiùs ipsum simile, quo opinio illa fulciebatur.

Imago.

Certè Innocentium illud nullatenus voluisse rejicere, evidens fit ex libro 4. de Myst. Missæ, ubi cap. 31. expresè agens de vino post Consecrationem admixto, sic incipit dicere: *Si verò post calicis Consecrationem aliud vinum mittatur in calicem* &c. ut suprà in cap. Cùm Marthæ. Ergo ex mente illius Pontificis vinum non consecratum mixtum vino consecrato, nec ipsum consecratur, id est, transit in Sanguinem, neque aufert Consecrationem à vino consecrato.

85. Confirmatur 2. ex Ordine Romano.

Confirmatur secundò ex Ordine Romano antiquo cap 4 ibi: *Sed ipse Pontifex confirmatur ab Archidiacono in calice sancto, de quo parùm resundit Archidiaconus in maiorem calicem, sive in scyphum, quem tenet Acolythus, ut ex eodem sacro vase confirmetur populus: quia vinum etiam non consecratum, sed sanguine Domini commixtum, sanctificatur per omnem modum.*

Innoc.

Quâ sanctificatione, dixi Conclusione præcedenti, morali utique, non physicâ; ait siquidem Innocentius suprà c. 31. *Quidam autem voluerunt adjungere, quod sicut aqua pura per aquæ benedictæ contactum efficitur benedicta; sic vinum per Sacramenti contactum efficitur consecratum, & transit in Sanguinem, quorum assertionis ratio minimè suffragatur.* Ergo non perditur Consecratio per illam mixtionem; alioquin quomodo liceret? Quomodo vinum non consecratum commisceretur Sanguine Domini, aut quomodo commixtum sanctificaretur per omnem modum, si per illam mixtionem Sanguis Domini desineret ibi esse?

86. Oleum non benedictum in majori quantitate mixtum benedicto oleo destruit benedictionem.

Sanè oleum non benedictum in majori quantitate mixtum benedicto oleo, quia destruit benedictionem, nullam prorsus ab oleo benedicto accipit benedictionem: bene è converso, in minori quantitate mixtum, quia benedictionem relinquit, & ipsum efficitur benedictum. Ita non dubium quin gutta unica ex calice consecrato immissa in integrum vas vini ejusdem speciei, ex hypothesi quòd maneat consecrata, sicut reverà manet; cùm species illius guttæ non habeant ibi contrarium, à quo corrumpantur; quin, inquam, suo contactu & admixtione totum illud vas aliquo modo, imò (ut loquitur Ordo Romanus) per omnem modum sanctificet; proinde usibus sacris applicandum v. g. Missis celebrandis, ablutioni communicantium &c. docet Suarius disp. 57. sect. 4. ad finem, cum aliis, quos refert & sequitur Dicastillo disp. 7. dub. 10. n. 138.

Unica gutta consecrata immissa in vas vini totum sanctificat.

An istud vinum usibus sacris debeat applicari? *Suarez. Dicastillo.*

Henriquez. Sotus. Sa. Vivaldus.

Henriquez, Sotus, Sa, Vivaldus, & alii censent oppositum; tum quia gutta illa potest haberi pro non immissa, cùm ignoretur quænam sit: tum quia si particula hostiæ consecratæ decidat super tapetem pretiosum, nec possit discerni ubi sit, non tenetur dominus tapetem comburere.

87.

Resp. ad secundam rationem: vinum sine dispendio domini vendi potest pro usu sacro; tapes non potest sine dispendio comburi. Deinde excutiatur tapes in loco sacro & jam moraliter certò ampliùs non adhæret ei sacra particula.

An una hostia consecrata mista millenis non consecratis possit haberi pro non admixta. *Lugo.*

Ad primam; quid si una hostia consecrata misceatur millenis non consecratis, nùm ideo habebitur pro non admixta, quia discerni non potest, quænam ea sit? Nùm ideo hostiæ illæ poterunt applicari usui prophano?

Lugo disp. 10. n. 52. dicit sententiam Suarii duram videri. Quid enim, inquit, si caderet supra stagnum integrum vini? Præsertim quòd tunc singuli bibentes non exponunt se periculo probabili bibendi Sanguinem Christi.

Resp. neque singuli comedentes ex istis millenis hostiis exponerent se periculo probabili comedendi Corpus Christi: anne propterea esset licitum promiscuè ex illis hostiis comedere? Deinde notet Card. quod unum vas commodiùs possit applicari usibus sacris, quàm integrum stagnum.

88. Aliqui volunt permixtionem vini alterius speciei posse corrumpi speciem consecratam.

Hactenus de admixtione vini ejusdem speciei, sed quid de vino alterius speciei (si detur) idque potentiori? Multi pro certo affirmant per admixtionem talem ac tantam, per quam substantia vini consecrati, si adesset, corrumperetur, species deperdere suam Consecrationem: etenim tamdiu solùm manere debet Sanguis Christi sub speciebus, quamdiu maneret sub illis substantia vini, quæ in Sanguinem Christi conversa fuit.

Ex qua sententia multa inferuntur, quæ non videntur subsistere.

Ex quo aliqui inferunt; non licere Sacerdoti purificare calicem cum vino potentiori alterius speciei; quia sine necessitate exponeret se manifesto periculo corrumpendi illas species consecratas, quæ adhuc adhærent calici.

Addunt nonnulli, eandem esse rationem vini ejusdem speciei, si tanta sit diversitas & dissimilitudo individualis (quæ non videtur impossibilis) ut unum individuum agat in aliud usque ad ablationem debiti temperamenti & corruptionem substantialem. Cur enim non poterit (interrogat Eminentissimus suprà n. 43.) per suam individuationem exigere tale vel tale temperamentum diversum ab alio individuo?

Lugo.

Resp. quia hæc individua forma vini est planè similis & homogenea alteri individuæ formæ vini ejusdem speciei: ergo qualitas & complexio sufficiens ad conservandam hanc formam, etiam sufficiet ad conservandam quamlibet aliam ejusdem speciei.

Sequitur tertio; si consecretur vinum mixtum ex pluribus vinis specie distinctis, & species vini fortioris transmutent in se species vini imbecillioris, aut ex utrisque exurgat tertia species vini, quod desinet sub iis Christus: nam desisset substantia ipsius vini, si non fuisset consecratum.

89.

Verùm hæc omnia clarè repugnant communi sensui fidelium, etiam ipsorum Sacerdotum, qui sine ullo scrupulo vinum sic mixtum consecrarent, & vino alterius speciei calicem purificarent. Mirum sanè, si id foret illicitum, Ecclesiam, quæ tam exactas præscripsit Rubricas, servandas in celebratione Missarum, ne verbulo hujusmodi obligationem indicasse.

Quapropter satis probabile existimo cum Cardinale suprà n. 44. per mixtionem specierum cum alio vino, sive specie, sive numero distincto, sive potentiori sive debiliori, Consecrationem minimè perdi. Ratio à priori videtur esse; quia Sanguis Christi continetur sub

Unde verisimile est, talem admixtionem non posse Consecrationem

sub speciebus; quamdiu ejus continentia est significata per verba; significant autem verba Sanguinem Christi tamdiu contineri sub illis accidentibus, quamdiu istà accidentia manent moraliter eadem, id est, quamdiu possunt continere subsantiam vini, sive hujus, sive alterius speciei; tamdiu enim non variantur moraliter in ordine ad usus humanos magis, quàm unum vinum variatur ab alio: non est autem diversitas moralis inter hoc & illud vinum in ordine ad usus humanos, etiam admisso, quòd sit diversitas specifica physica: ergo neque ipsa accidentia alterata sunt moraliter distincta à se ipsis, eò quòd jam disponant ad aliam formam vini physicè diversam.

Ratio alterius,

90. Confirmatur primò; quia Christus præcipiens Apostolis substantiam hujus Sacramenti dixit: *Hoc facite in meam commemorationem.* Per illud autem *Hoc*, non alligavit Sacerdotes ad consecrandum in illa specie vini, in qua ipse consecravit, sed ad consecrandum aliquem liquorẽ, qui moraliter in ordine ad usus humanos non differret ab illo, quem ipse consecravit.

Confirmatur primò.

Ergo similiter dicens: *Hic est calix Sanguinis mei*, &c. non alligavit continentiam Sanguinis sui ad illa accidentia, ita ut factâ quâlibet alteratione, non contineret illum, sed ad illa accidentia, quamdiu moraliter durarent in eodem statu in ordine ad usus humanos, hoc est, quamdiu forent apta ad continendum vinum; sicut reputatur idem poculum in ordine ad usus humanos, quod fit ex vino, quodcumque & qualecumque illud sit.

91. Confirmatur secundò. Confirmatur II. quia in communi sermone illa verba: *Hoc est vinum*, tamdiu sunt vera, quamdiu non mutatur substantia demonstrata in aliam substantiam specie à vino distinctam; ergo similiter verba Christi: *Hic est Sanguis meus*, tamdiu manent vera, quamdiu manent species demonstratæ sufficientes ad continendam substantiam vini, cùm Sanguis Christi successerit in locum vini. Ita ferè Lugo suprà n. 48. 49. & 50.

Lugo.

Profectò cùm quodlibet specie vinum ab initio possit consecrari, parùm videtur referre, an hæc substantia vini maneret sub his speciebus, an alia, dummodò verè maneret aliqua substantia vini.

Non videtur multùm referre, eandem vini substantiam manere, cùm nonnulla quoque possit ab initio consecrari.

Itaque per admixtionem vini numquam adeò alterantur species vini consecrati, ut proptereà desinant continere Sanguinem Christi. Quid autem fieret per admixtionem substantiæ à vino specie distinctæ, declarabit

Undenarius effectalem admixtionem non posse Consecrationem.

CONCLUSIO VII.

Quando taliter alterantur species consecratæ, ut ampliùs non maneret substantia panis & vini, redit substantia composita ex priori materia, & nova forma substantiali; idque in instanti corruptionis, & immediatè à Deo.

92. Possunt sic alterari species, ut ampliùs non maneret substantia panis & vini, si subesset;

TAliter alterari posse species consecratas, ut ampliùs non maneret substantia panis & vini, nemo dubitat: an etiam actione agentis naturalis, facilis est responsio affirmativa, secundùm communem opinionem. *Respondeo*, inquit Scotus 4. dist. 12. q. 5. n. 4. *quamdiu manet quantitas, satis facilè est secundum communem opinionem salvare passum respectu agentis naturalis, & hoc bene possibile est respectu qualitatum contrariarum: quia non omnis alteratio inter contraria requirit quantitatem mutari, & tamen in tali alteratione ad qualitatem, cum qua non posset stare species panis, desinit esse Eucharistia: quia Deus instituit non conservare Eucharistiam, hoc est, accidentia sine subjecto, in quibus sit Corpus Christi, nisi quamdiu manent ibi qualitates natæ perficere subjantias tam conversas: ergo simpliciter salvatur, Eucharistiam posse desinere esse actione agentis naturalis: nec ibi est aliquod miraculum novum, quia eâdem voluntate antiquâ, quâ Deus voluit Eucharistiam esse in Ecclesia, voluit etiam illam non manere, nisi quamdiu qualitates aptæ natæ perficere subjantias tam conversas manent.*

Scotus,

etiam actione agentis naturalis.

93. An debeat redire aliqua substantia, quando Corpus Christi desinit esse sub speciebus?

Et si quæras, desinente Corpore & Sanguine Domini hic, redire ne oportet aliquam substantiam? Respondet Doctor eâdem dist. q. 6 n. 11. *Transmutatio corruptiva Eucharistiæ, dum tamen ibi maneat eadem quantitas, quæ sit subjectum transmutationis, non necessariò requirit substantiam redire* propter actionem agentis naturalis; haberet enim agens naturale quantitatem pro subjecto, in quam posset inducere, v. g. calorem ignis secundùm gradum repugnantem pani, si adesset: *Et tunc esset ibi quantum calidum*, inquit nu. 13. in fine, *calore igneo, & tamen non esset ignis.*

Scotus.

Quid autem dicendum sit secundùm aliam opinionem, quæ ponit quantitatem substantiæ non differre à substantia, nec quantitatem albedinis ab albedine, patet ex Conclus. 5. ad quam remitto Lectorem. Quod dixeris de corruptione quantitatis in communi opinione, idem dicito in alia opinione de corruptione qualitatum.

94. Quando corrumpitur Eucharistia, de facto redit nova substantia.

De cætero ad rem nostram dico cum Doctore Subtili suprà nu. 12. *Sive per alterationem, sive per motum in quantitate corrumpatur Eucharistia, redit de facto substantia, & hæc est substantia composita, cui talia accidentia conveniunt, quam etiam afficiunt, & hoc in instanti corruptionis, & immediatè à Deo.* Hæc sententia diversas partes includit, quæ sunt distinguendæ, & singulatim probandæ.

Scotus.

Sit

Probatur ab experientia quotidiana.

Sit ergo prima propositio: Corruptis speciebus sacramentalibus, redit de facto substantia. Ita Theologi communiter, paucis exceptis, quos convincere deberet experientia. Quis enim unquam vidit species corrumpi, & non illicò vidit novam substantiam? Projice species in ignem, & ecce novus exurgit ignis, & cinis remanens, unde? Pone species in loco humidiori, & illis putrefactis vermes reperies.

Ratio à' prioti voluntas Dei. *Psal. 113. Scotus.*

Quæris rationem? *Deus noster in cælo omnia quæcumque voluit fecit*, ait Propheta Regius Psal. 113. v. 3. *Deus* (inquit Scotus suprà) *statuit illas species manentes esse sine subiecto in Eucharistia præcisè, & non alibi; ergo statuit, quòd cessante Eucharistiâ, non sunt species sine subiecto, & per consequens in ipso instanti corruptionis sit ibi aliqua substantia.*

Congruentia.

Congruentia verò hujus rei est, ut fides meritum habeat, dum sensus nihil aliud videt, quàm accidentia panis & vini, quæ eadem videret, si essent in substantia panis & vini. Intellectus equidem fide instructus credit sub illis non esse substantiam panis & vini.

95. Substantia, quæ fit ex speciebus, est composita.

Secunda propositio: Substantia, quæ fit ex speciebus sacramentalibus, est composita, utique ex materia & forma. Quidni cùm sit corpus naturale ejusdem rationis cum alio per generationem producto, ut ex iisdem proprietatibus patet?

Oppositum videtur docuisse D. Thom.

Nihilominus oppositum videtur docuisse Divus Thomas 3. parte q. 77. art. 5. in corpore ibi: *Verùm quia non rationabiliter videtur dici, quòd miraculosè aliquid accidat in hoc Sacramento, nisi ex ipsa Consecratione, ex qua non est, quòd materia creetur, vel redeat, melius videtur dicendum, quòd in ipsa Consecratione miraculosè datur quantitati dimensivæ panis & vini, quod sit primum subiectum subsequentium formarum. Hoc autem est proprium materiæ, & ideo communiter ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensivæ omne illud, quod ad materiam pertinet. Et ideo quidquid posset generari ex materia panis & vini si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiva panis vel vini: non quidem novo miraculo, sed ex vi miraculi priùs facti.*

96. quem impugnat Scotus primò.

Hanc opinionem Doctoris Angelici multis rationibus impugnat Scotus suprà n. 8. Prima sit: *Forma determinata ad aliquod receptivum, nullo modo potest aliud perficere, sicut nec albedo Angelum, nec sapientia lapidem, sed forma substantialis determinatur ad materiam substantialem, ut ad principium susceptivum; ergo nullo modo potest perficere dimensionem de genere quantitatis, quæ non est materia substantialis.*

Secundò. Forma substantialis non potest perficere materiam accidentalem.

Secunda: *Forma de genere priori non potest perficere susceptivum de genere posteriori: ergo nec forma substantialis dimensionem. Antecedens probatur, quia actus præsupponit potentiam, & hoc loquendo de ordine originis: actus autem generis prioris, nec origine, nec perfectione aliquid præsupponit de genere posteriori.* Consequentia est clara; quia genus accidentis est posterius genere substantiæ.

Tertiò.

Tertia: *Forma substantialis est talis actus, qui est natus constituere per se unum cum suo perfectibili per se, sed non potest constituere unum per se cum aliquo de genere quantitatis: ergo &c.*

Quartò.

Quarta: *Illud quod est essentialis ratio terminandi* (in genere causæ efficientis) *dependentiam alicuius; non potest ad illud dependere* (in genere causæ subjectivæ) *forma substantialis est huiusmodi respectu quantitatis; ergo &c.*

Quintò. Proximè emanat forma substantialis.

Minor patet; quia quantitas est connaturalis proprietas cujusque compositi, sicut calor ignis, & frigus aquæ: ergo proximè emanat à forma substantiali, quæ dat esse composito. Major probatur; quia causa efficiens est simpliciter prior suo effectu: ergo in suo esse non potest pendere ab illo.

Quinto.

Denique interrogat Scotus: *Quomodo de potentia dimensionis potest deduci forma substantialis, cùm ex natura rei non sit in illa, tamquam in proprio potentiali?*

97. Non potest forma substantialis recipi in quantitate sacramentali;

Hæ ergo rationes clarè convincunt, non posse formam substantialem recipi in quantitate sacramentali; atque adeò illam quantitatem non esse subjectum, ex quo generatur substantia ad corruptionem specierum sacramentalium; quia subjectum generationis est illud, in quo recipitur forma geniti.

Scotus.

Profectò si quantitas esset subjectum generationis, *Ignis genitus* (inquit Doctor noster suprà n. 9.) *ex illa dimensione & forma substantiali ignis, non esset uniformiter nec univocè ignis cum alio igne generato ex forma substantiali & materia ignis: & tunc ignis non univocè ageret comburendo hostiam, sive comburendo lignum.*

aliquis ignis generatus ex speciebus non esset univocè ignis.

Nec solum in uno sequitur absurditas (prosequitur idem) *quòd erit ignis mathematicus ex quantitate, & forma substantiali: sed erit talis processus in generabilibus & corruptibilibus usque ad finem mundi. Nam ex illo igne habente dimensionem pro materia dicto mathematico, generabitur aqua, habens idem pro materia, quod habuit corruptum pro materia, & ex illa aqua aër, & sic usque ad finem mundi, vel in infinitum secundum Philosophos.*

Item esto quòd Sacerdos esset nutritus de istis speciebus: & pone, sicut possibile est, quod per magnum tempus, quousque multæ partes materiæ fuxissent, & novæ genitæ fuissent; sequitur quòd illæ partes non ita erunt verè partes carnis, & ex partibus essentialibus carnis constitutæ, sicut aliæ partes, quæ non essent genitæ ex speciebus: & sic possibile esset ponere casum, quòd puer, nutritus ex speciebus usque in finem vitæ suæ, non resurgeret, nisi homo compositus ex dimensione, & forma substantiali una vel pluribus.

similiter. eadem propositio ac in ciebus ne esset ne ca.

Item pri fic genera nus ne esset vera panis.

Sequitur quartò, si post varias transmutationes contingeret illam quantitatem accipere formam panis, & consecrari, invalida foret Consecratio; quia illud non erat verè panis, sed forma

forma panis cùm quantitate. Hæc & alia similia, quæ poteris imaginari, nimis manifestè ostendunt, opinionem illam, cujuscumque tandem sit (quia multi Thomistæ in saniorem partem interpretantur suum Magistrum) nequaquam esse recipiendam.

98. Quantitas ergo tollam ex terminus à quo productionis novæ substantiæ:

Restat ergo, ut quantitas sacramentalis non possit esse aliud, quàm terminus à quo productionis novæ substantiæ. Enimverò desinit in ordine ad productionem novæ substantiæ, & nova substantia producitur in ordine ad desitionem illius: qui ordo, licèt non sit ex natura rei, sed ex ordinatione agentis, sufficit tamen ad hoc, ut aliqua se habeant tamquam terminus à quo, & ad quem; id quod omnino sequitur ex doctrina Scoti suprà tradita, cùm de conversione ageremus.

qua nova productio non est per meram annihilationem, aut creationem;

Et ad dicta ibi, consequenter hìc dicimus, productionem novæ substantiæ ex quantitate sacramentali, non esse per meram annihilationem quantitatis, vel per creationem novæ substantiæ, sed magis per conversionem quantitatis in illam novam substantiam, si verum est quòd quantitas præexistens necessariò destruatur. Quomodo autem hoc non repugnet doctrinæ Scoti, impræsentiarùm (ut mox videbimus) asserentis, productionem novæ substantiæ esse creationem, patebit ex dicendis.

sed magis per conversionem,

quæ non est transub. stantiatio.

Cæterùm hæc conversio non potest dici transubstantiatio, quia non est substantiæ in substantiam, sed accidentis in substantiam; substantiam, inquam, compositam ex materia & forma substantiali. Et si quæras ex qua materia & forma? Responsio erit

99. Substantia quæ fit ex speciebus, producitur ex eadem materia panis.

Propositio tertia. Substantia quæ fit ex speciebus sacramentalibus producitur ex eadem materia divinitùs reproducta, quæ fuerat in pane & vino ante Consecrationem; ex forma autem cui correspondent dispositiones corruptivæ in quantitatem sacramentalem inductæ. Ultima pars patet; *Quia*, ut ait Scotus suprà n. 12. *si aliqua substantia redit, non alia quàm illa, quæ potest illis accidentibus novis affici, quia alia substantia non esset capax.*

Rom.

An in hac productione diversa numero accidentia afficiant genitum & corruptum?

An verò in hac extraordinaria productione novæ substantiæ, diversa numero accidentia afficiant genitum & corruptum, sicuti (Auctore Scoto pluribus locis) in generationibus & corruptionibus ordinariis nullum accidens idem manet in corrupto & in genito; parùm refert quid dixeris.

Si affirmaveris; Resp. Scotum hìc locutum fuisse vulgari modo, & secundùm sensum, qui non deprehendit desitionem accidentium, seu præviæ dispositionis ad formam substantialem, utpote ejusdem speciei cum dispositione consequente, & solo numero aut gradu differens; v. g. calor antecedens, & sequens formam ignis: sensus etenim non discernit inter singulare, & singulare ejusdem speciei, seclusis differentiis accidentalibus & sensibilibus communibus, v. g. loco, situ, magnitudine, figurâ, & hujusmodi; sic visus non discernit inter duos radios solares, inter duo ova ejusdem magnitudinis, coloris &c.

Affirmativa pars non est bonæ consequentiæ;

1

Venio ad primam partem, quæ apparet esse contra Scotum suprà n. 5. & 12. sed revera non est, ut ex dicendis fiet manifestum. Probatur ergo, quia nulla est hìc materia nisi de novo producta à Deo: vel enim producitur à causa secunda generante, & hoc non; quia causa secunda non potest quidquam producere, secundùm communem opinionem, quam Scotus ubique supponit, & in qua hìc loquimur, nisi ex præjacente subjecto; materia verò, cùm sit primum subjectum, non potest produci ex alio subjecto. Vel accipitur materia aliunde jam existens, quod non; quia neque præscinditur à Corpore Christi, quod est in Sacramento, cùm hoc jam sit immortale & incorruptibile: neque ex alio corpore circumfuso; quod enim hoc esset?

100. Ut nec prima pars propositionis, quæ probatur;

quia hìc nulla est materia, nisi de novo à Deo producta.

Si dixeris, aër circumstans species sacramentales, figmentum somniasti. Id enim, teste Doctore Angelico suprà, *multipliciter apparet esse impossibile. Primò; quia ex eo generatur aliquid, quod prius alteratum & corruptum apparet. Nulla autem alteratio vel corruptio prius apparuit in aëre circumstante. Unde ex eo vermes, vel cineres non generantur. Secundò; quia natura aëris non est talis, quòd ex eo per tales alterationes, talia generentur. Tertiò; quia potest contingere in magna quantitate hostias consecratas comburi vel putrefieri: nec esset possibile tantum de corpore terreno ex aëre generari, nisi magnâ & valde sensibili inspissatione aëris factâ. Quartò; quia idem potest accidere corporibus solidis circumstantibus (puta ferro aut lapidibus) quæ integra remanent post prædictorum generationem.* Concludit Divus Thomas: *Unde hæc positio stare non potest; quia contrariatur ei, quod ad sensum apparet.*

Doctor Angelicus ostendit esse impossibile, quòd fiat ex aëre circumstante.

Quæ cùm ita sint, quid superest, nisi ut fiat ex materia de novo producta? Haud equidem nova seu alia, quàm materia panis & vini reproducta à Deo. Enimverò licèt id certâ ratione vel experientiâ non constet; cùm Deus æquè facilè queat producere materiam novam, quàm veterem de novo producere seu reproducere; est tamen magis consentaneum ordini Universi, ut priorem resuscitet: quippe hâc ratione nulla fiet novitas circa materiam rerum generabilium & corruptibilium.

101. Magis consentaneum est, quod Deus reproducat veterem materiam, quam quòd producat novam.

Porrò natura, quæ non intendit nisi generationem & corruptionem compositorum (generationem quidem per se, corruptionem verò per accidens) & ad hoc indiget materiâ, tamquam subjecto ultimo in corruptione, & primo in generatione, atque adeò ingenerabili & incorruptibili; natura, inquam, maximè affectat materiæ perpetuitatem & stabilitatem; ita ut vel perpetuò duret, vel si divino miraculo fuerit in nihilum redacta (ut in hoc mysterio) postea Deus eandem reproducat, ac velut restituat naturæ, quæ eam sibi perpetuam vendicabat.

102. D. Thom. negat illam reproductionem esse possibilem.

Herculè quæ necessitas productionis novæ materiæ, quando reproductio veteris est possibilis & sufficiens? Sed hanc possibilitatem negat D. Thomas suprà, sic discurrens: *Si substantia panis & vini conversa est in Corpus & Sanguinem Christi . . . . . non potest substantia panis aut vini redire, nisi Corpore aut Sanguine Christi iterum converso in substantiam panis & vini, quod est impossibile: sicut si aër sit conversus in ignem, non potest aër redire, nisi iterum ignis convertatur in aërem. Si verò substantia panis aut vini sit annihilata, non potest iterum redire: quia quod in nihilum decidit, non redit idem numero, nisi fortè dicatur redire prædicta substantia, quia Deus de novo creat aliam novam substantiam loco primæ.* Hæc ille.

Respondetur ex Scoto.

Respondetur, sive per conversionem, sive per annihilationem desierit substantia panis & vini (de quo fortè magis est quæstio de nomine, quàm de re, ut satis intelligitur ex dictis suprà de conversione) neutrum obstat, quò minùs possit eadem numero substantia redire de absoluta Dei potentia; ut bene ostendit Scotus suprà n. 6. ibi: *Primum probatur* (scilicet quòd materia annihilata possit redire) *quia nihil sequens annihilationem materiæ est eiusdem rationis cum nihilo præcedente creationem materiæ, sicut terminus annihilationis* ad quem, *& creationis* à quo *sunt idem vel eiusdem rationis, sicut in generatione & corruptione: ergo est eadem distantia materiæ ad nihil sequens annihilationem eius, & ad nihil præcedens creationem eius: ergo eadem potentia potest super hanc distantiam, & illam, quæ ergo potest creare, potest & annihilatam reparare.*

Virtus creativa est annihilati instaurativa.

Probat iterum: *Materia annihilata non est magis nihil, quàm ante creationem; ergo non magis includit contradictionem, quàm prius; ergo sicut prius potuit omnipotentia illud producere, quod sic erat nihil, ita & nunc potest.* Si enim id quod numquam fuit, & cujus nihil præextitit, potest de novo creari à Deo; cur non recreare id, quod in nihil recidit? Tam enim prima creatio, quàm recreatio est ex nihilo.

103. *Scotus.*

Secundum, prosequitur Scotus, *scilicet de materia conversa probatur; quia Corpus Christi non aliter se habet per hoc quod panis convertitur in ipsum; ergo è converso posset panis conversus redire eo modo, quo conversus est in ipsum absque hoc, quod Corpus Christi aliter se haberet in se: quia sicut habendo in se istam entitatem post conversionem, non aliter se habet positivè: ita in non habendo, puta si rediret panis, non aliter se haberet privativè.* Intellige, secundùm partes essentiales & accidentia absoluta; nam certum est, quòd sicuti Corpus Christi, per hoc quòd panis convertitur in ipsum, acquirit præsentiam sacramentalem, ita per hoc quòd panis rediret, eam deperderet.

Illa instauratio posset fieri absque eo, quòd Corpus Christi aliter se haberet in se.

An debeat vocari conversio Corporis Christi in panem?

Et si quidem placeat hunc reditum panis vocare conversionem Corporis Christi in panem, nolo contendere de voce: meliùs diceres; Ubi sacramentale Corporis Christi converti in Ubi circumscriptivum panis; nam secundùm communem apprehensionem terminus à quo conversionis debet in se desinere esse; quamvis non ita terminus ad quem debeat simpliciter incipere esse. Vide quæ diximus suprà agendo de actione conversiva.

Non simpliciter: substantia panis desinit per conversionem; ergo debet redire per conversionem.

Cæterùm qualis Consequentia: Substantia panis & vini desiit per conversionem in Corpus & Sanguinem; ergo debet redire per conversionem Corporis & Sanguinis in illam? Certè non rectè probatur exemplo aëris & ignis, suprà à D. Thoma adducto; quia potest Deus ignem annihilare, & post aliquot annos aërem illum reproducere per creationem; quæ enim est in hoc repugnantia? Similiter ergo potest Deus materiam panis, vel ipsum panem reproducere absque conversione Corporis Christi in illum.

104.

Itaque ostensa est possibilitas reproductionis ejusdem materiæ; de sufficientia nullum est dubium: ergo de facto sic reproducitur.

Objectio contra reproductionem ex Scoto.

Contrà: Scotus suprà postquam n. 3. & 4. breviter rejecisset opinionem, quæ docet corruptis speciebus redire panem, n. 5. latè refutat opinionem, quæ ponit materiam redire. Unde n. 12. concludit: *Non ergo redit substantia composita, dum accidentia Eucharistiæ manent, ut dicit prima opinio, nec ut dicit secunda opinio, redit materia sive per reparationem seu resolutionem seu creationem; quia hoc esset omnino superfluum.*

Explicatur Scotus.

Respondeo, solùm velle materiam non redire per se, id est, non redire solam, ut patet ex verbis immediatè sequentibus: *Cùm*, inquit, *per materiam solam non posset magis salvari alio aliqua agentis naturalis.* Nùm ideo negat materiam comproduci ad productionem totius? Nequaquam. Sit itaque

105. An sola substantia, quæ sit ex speciebus, creetur vel sit connumeranda?

Quæsita propositio. Substantia, quæ fit ex speciebus sacramentalibus, producitur tota per creationem, & materia concreatur; si creatio accipiatur, ut opponitur generationi. Si verò creatio accipiatur, ut opponitur conversioni, non creatur substantia prædicta, sed fit per conversionem quantitatis sacramentalis in ipsam, si verum est, quòd quantitas præexistens necessariò destruatur. Hæc propositio intellectis terminis in re nullam habet difficultatem.

Creatio dicit productionem ex nihilo, bifariàm dumtaxat.

Nota ergo creationem, ut dicit productionem ex nihilo, bifariàm accipi posse. Primò propriè, ut ly *Ex*, dicat habitudinem ad subjectum, & *Ex nihilo*, sit idem atque *ex non subjecto*, & hoc modo creatio opponitur generationi, quæ est ex subjecto. Secundò largè, ut ly *Ex*, dicat etiam habitudinem ad terminum à quo, & *Ex nihilo*, sit idem atque *ex nullo, etiam velut termino à quo destructo*; & hoc modo creatio opponitur non solùm generationi, sed etiam conversioni, quæ est transitus ab aliquo termino positivo destructo ad positionem alicujus termini. Totidem modis per oppositum accipi potest annihilatio, ut sit desitio totius in nihilum, vel tamquam in subjectum nullum, vel etiam tamquam in nullum terminum.

Hoc

105. Non primum accessurum sit subjecto cœptum.

Hoc notato; dum Scotus in præsenti quæstione nu. 14. docet substantiam, quæ fit ex speciebus sacramentalibus, produci per creationem, & materiam ejus ac formam per concreationem, utitur creationis vocabulo in priori, & maximè usitatâ acceptione, & vult prædictam actionem non esse generationem; quia non est ex subjecto præsuppositio, sed simul producto ad productionem totius. Et in eodem sensu, quo productio novæ substantiæ est creatio, dicendum erit, destructionem quantitatis esse annihilationem; quia non definit in aliquod subjectum.

Juxta secundam sic per conversionem;

At verò si ea attendamus, quæ Scotus in 4. dist. 11. q. 3. & 4. & in Quodl. q. 10. præsertim nu. 19. aliisque in locis de creatione & annihilatione tradit, juxta secundam acceptionem assignatam, dicendum erit, nec quantitatem Eucharisticam desinere per annihilationem, si desinat, nec substantiam novam hìc produci per creationem; sed per conversionem quantitatis in substantiam illam.

Etenim locis citatis non aliud requirit Doctor ad excludendam creationem & annihilationem, & ad asserendam conversionem, quàm ut terminus positivus desinat in terminum positivum, id est, ille destruatur in ordine ad positionem hujus, & hic ponatur propter desitionem illius; sive ille ordo sit ex natura rerum, sive ex ordinatione extrinseca agentis, & sive aliquid maneat commune termino à quo, & ad quem realiter, sive ratione formali tantùm, ut explicat in Quodlibeticis.

107. Si verum est quod quantitas præexistens necessariò destruatur;

Dixi porrò in fine propositionis: *Si verum est quòd quantitas præexistens necessariò destruatur*, propter illos, qui docent in corruptione, etiam non viventium, minimè fieri resolutionem usque ad materiam primam: nam secundùm hanc opinionem, de cujus veritate disputatur in Physica, constat productionem substantiæ ex speciebus sacramentalibus, vel creationem esse, vel generationem; neutiquam conversionem quantitatis in substantiam productam, cùm eadem accidentia maneant in genito & corrupto: quod an verum sit Physicis, ut dixi, relinquimus disputandum. Theologis non potest esse dubium, quin Deus, qui omnia operatur juxta consilium voluntatis suæ, possit in præsenti Mysterio quantitatem priorem eum dispositionibus inductis, productæ à se substantiæ unire. Quid fiat, ipse novit, qui facit.

108. Ad generationem & productionem formæ requiritur, tamen ita non præcedat forma introductionem.

Atque hæc explicatio quartæ propositionis simul continet ejus probationem. Suppono autem sententiam Scoti, nempe ad generationem aut eductionem formæ requiri, ut materia tempore præcedat formæ introductionem.

Ratio breviter est; quia generatio est progressio à privatione formæ ad formam in materia; at quando totum compositum simul producitur & quoad materiam, & quoad formam, non est propriè talis progressio: quia licèt materia secundùm speciem & naturam suam abstrahat ab hac, & illa forma; & ideo sit semper quodammodò naturâ prior sub privatione, quàm sub forma; tamen ut sit hìc & nunc in ordine ad hoc compositum & hanc formam (siquidem producens hoc compositum simul totum quoad omnes partes, per se primò intendit producere compositum, & non materiam vel formam) non est priùs sub privatione, quàm sub forma, vel in composito; quia hìc & nunc non accipit esse, nisi ob actualem unionem cum hac forma, sive non accipit esse ut privatum, sed ut actuatum formâ: & ideo formam cæli & terræ in exordio mundi creatam, non eductam Sacræ insinuant Litteræ: *In principio creavit Deus cælum & terram*, Gen. 1. v. 1.

Forma cæli & terræ in exordio mundi fuit creata. Gen. 1.

Scotus;

Sed hìc non est amplius hærendum, cùm sit quæstio de nomine. Scotus suprà n. 14. productionem substantiæ ex speciebus sacramentalibus vocat creationem dicens: *Nec tamen dico, quòd quando redit de facto secundùm quartam Conclusionem, quòd agens naturale ibi generet: sed solus Deus creat ibi substantiam compositam primò.* Solus, inquam, Deus; unde erit

109. Productio novæ substantiæ fit proximè à Deo; ab agente verò naturali remotè & dispositivè.

Propositio quinta: Neque corruptio quantitatis sacramentalis (si quæ intervenit) neque productio substantiæ, quæ ad illius corruptionem consequitur, fit ab agente naturali proximè, sed à Deo; ab agente autem naturali remotè & dispositivè.

Ratio est; quia agens naturale, juxta communiorem opinionem, non potest aliquid corrumpere nisi in subjectum, nec aliquid producere nisi ex subjecto: ergo cùm quantitas hìc non desinat in subjecto, non potest corrumpere quantitatem; cùm etiam substantia hìc non fiat ex subjecto, sed simul fiat subjectum cum illa, non potest hìc substantiam producere.

Scotus;

Intellige, primò: nam sicut docet Scotus suprà: *Si ulterior debeat sequi generatio alicuius de illa substantia, potest agens naturale ibi agere ad formam substantialem; quia habet passum sibi convenens.*

110. Objectio.

Contrà; etiam in puncto generationis primæ substantiæ agens naturale habet passum sibi conveniens, materiam scilicet paratam à Deo: ergo nihil vetat quò minùs in illam possit transfundere quantitatem sacramentalem præviis ad generationem dispositionibus imbutam, & ita in eodem temporis instanti consequenter inducere formam substantialem in materiam sic dispositam.

Nec satisfaciet, qui dixerit, agens naturale non posse in momento materiam ad generationem præparare, ut experientia docet. Non, inquam, satisfaciet; siquidem hoc solùm habet locum, quia communiter invenit in materia contrarias dispositiones, seu genito repugnantes, quas non nisi paulatim potest expugnare. Ergo quando invenit materiam nudam (ut in præsenti) potest illam in momento præparare

propter quam aliqui putant produci ab agente naturali.

Respondeo (inquit Smising suprà in manuscriptis qu. 4. in fine) ob hoc fundamentum Suarez, & alii quidam tenent, substantiam hìc produci ab agente naturali, quod dispositi quantitatem sacramentalem. Et est consequenter dictum ad aliam eorum opinionem, quòd quantitas corrupti, cum omnibus qualitatibus genito non repugnantibus, transeat ex corrupto ad genitum.

Smising. Suarez.

Sed cùm secundùm nos quantitas sacramentalis non transeat ad materiam producti, non potest agens naturale per illam hìc disponere materiam; quia materia hic est post quantitatem illam, & primò creatur in eo instanti, quod est primum non esse quantitatis sacramentalis & dispositionum illi inhærentium.

In generatione naturali agens supponit materiam cum aliqua quantitate.

Aliud est in generatione naturali; quia ibi agens supponit ordine temporis materiam cum aliqua quantitate, quam proinde debet disponere ad generationem alterius compositi cum sua nova quantitate, & suis connaturalibus qualitatibus. Hæc ille.

111.

Putas autem, quia ista satisfaciunt objectioni? Non puto, si rem penitiùs velimus introspicere. Interrogo enim, dispositiones antecedentes, quæ secundùm te non manent in puncto generationis, ad quid?

Dispositiones antecedentes magis sunt propter veterem formam expellendam, quàm novam inducendam.

Respondet Smising eâdem quæstione concluſ. 2. non sunt tam propter novam formam inducendam (quam effectivè & immediatè non attingunt) quàm propter veterem expellendam, & ad constituendam materiam in pura potentia, in quam generans inducat formam substantialem, ex qua & materia resultat compositum substantiale, cujus generationem primò intendit.

Optima responsio! Creet ergo Deus materiam in pura potentia, quidni generans inducat formam substantialem, quæ simul tempore ac incipit esse in materia, sibi ipsi materiam coaptet atque disponat in illam diffundendo suas connaturales proprietates? Et ecce compositum substantiale resultans ex illa materia & forma.

Scotus. Agens naturale simul duratione ageret in substantiam à Deo positam loco Eucharistiæ.

Appositè Doctor Subtilis suprà nu. 15. *Si quæras*, inquit, *an agat agens naturale ad hoc, quòd substantia illa rediens actione divinâ sit quanta, vel qualis illa qualitate, quam inducit in quantitatem; posset dici quòd sic; quia cùm posteriùs naturâ agat, quàm Deus in reducendo substantiam, & in illo posteriori habet passum receptivum illius termini formalis, in quem potest, & per consequens potest illud passum afficere illo termino formali*, quantitate scilicet, & qualitatibus connaturalibus. Cur non etiam formâ substantiali?

112.

Respondes; quia agens naturale non inducit, vel educit formam substantialem è potentia materiæ, nisi præsuppositâ formâ substantiali in eadem materia, & inductione dispositionum corrumpentium dispositiones formæ præexistentes.

Scotus.

Quin etiam teste Scoto suprà: *Non potest agens creatum informare subiectum aliquo accidente; nisi prius habuerit aliquod repugnans, quod tollitur per actionem agentis huiusmodi.*

Admitto illa esse verba Scoti, & rationem ob quam existimat dici posse oppositum, scilicet quòd agens naturale non agat ad hoc, quòd substantia rediens sit quanta, vel qualis. Sed audi quod illicò attexit: *Sed hoc non est necessarium; quia si hìc non præcedit ordine durationis contrarium, vel privatio, non propter hoc tollitur actio agentis naturalis: quia bene potest agens naturale habere effectum sibi coævum, & in seipso, ut de propria passione consequente subiectum, vel in alio, utpote si simul crearentur sol & aër, simul fieret aër lucidus à sole: & tamen non præcessisset in aëre oppositum luminis.* Hæc ille.

Etiam oppositum posset dici.

Scotus.

Agens naturale simul informans subjectum non habens contrarium.

113.

Ex quibus sic arguo: si sol posset illuminare aërem, in quo non præcessit tempore oppositum luminis, & si forma substantialis, quæ à Deo creatur, ut vult Scotus, ad corruptionem specierum sacramentalium, potest afficere materiam simul creatam quantitate & qualitate, quarum oppositum in illa materia durationis non præcessit, non video efficacem rationem, quare ignis v. g. applicatus speciebus sacramentalibus, non possit afficere materiam à Deo creatam ad illarum corruptionem formâ substantiali ignis, tametsi oppositum ejus in illa materia durationis non præcesserit.

Gratis videtur asseri, agens creatum non habere virtutem producendi formam substantialem in materia, quam priùs non disposuerit; præsertim in illa sententia, quòd dispositiones antecedentes non sint tam propter novam formam inducendam, quàm veterem expellendam.

Gratis videtur asseri, agens creatum non habere virtutem producendi formam substantialem in materia, quam priùs non disposuerit.

Fateor de lege ordinaria sic semper fieri, quia communiter materia non existit sine forma opposita; quid autem fieret in casu extraordinario, quo agens naturale applicaretur materiæ in pura potentia, hoc est, materiæ per Deum existenti sine omni forma substantiali vel accidentali, haud facilè dixeris cum solido fundamento ex ratione.

Potuit Deus limitasse actionem substantialem agentis naturalis ad formam præexistentem in materia, potuit non limitasse. Affirmat Scotus limitationem, negant alii. Quid autem sit verum, libentiùs disco, quàm dico, ne audeam docere, quod nescio. Dixi equidem cum Scoto (quem sequitur Vasquez disp. 195. c. 3.) Deum sic limitasse agens naturale; dixi, inquam, non docendi gratiâ, sed disputandi.

Vasq.

Ad complementum hujus quæstionis restare videtur dubium physicum; quanto tempore durent species sacramentales in stomacho antequam corrumpantur ita, ut non possint jam ampliùs continere Corpus aut Sanguinem Christi. Quod quidem dubium magìs ad Medicos spectat, utpote qui magìs perspectam habeant virtutem concoctricem, & vires caloris nostri.

Debitum est, quo tempore durent species sacramentales formatis à nostro stomacho contineant.

nostri. Interim tamen ejus resolutio & aliqualis notitia utilis, & subinde necessaria est Theologo pro praxi; v. g. pro obligatione præcavendi, aut impediendi vomitum, & aliis similibus.

Lugo. Ego certè, inquit Cardinalis Lugo disp. 10. n. 54. peritissimos in hac Romæ urbe Medicos consului, & post rem diù, & accuratè cogitatam, perdoctus vir, & Clarissimus Medicus Joannes Manelphus in Romana Sapientiæ Academia publicus Philosophiæ Professor censuit particulam communem, quæ laicis ad communionem dari solet, regulariter, & de mediocri stomacho loquendo, alterari & corrumpi in horæ minuto, hoc est, in sexagesima parte horæ; quod multis argumentis probare conatus est. Præsertim, quia juxta Medicorum placitum calor naturalis singulis horis duas uncias cibi solidi potest consumere, ut resolvit Marsilius Cagnatus lib. 1 de Sanitate tuenda c. 18. & probat ex usu veterum, qui die unâ 48. uncias cibi solidi sumere solebant, ut singulis horis duæ unciæ corresponderent, quas unâ horâ stomachus potest concoquere, sicut certo spatio temporis certi etiam frumenti mensura pristino molitur. Factâ ergo proportione & comparatione illius particulæ ad duas uncias, quarum non est sexagesima pars, videtur quòd in uno minuto consumptâ sit.

Judicium Clarissimi Medici Joannis Manelphi.

Marsilius.

Adde exemplum externæ coctionis; nam si hostia illa in olla aquæ ebullientis ponatur, statim alteratur & consumitur: ergo calor animalis, qui potior videtur esse ad substantialem mutationem, poterit eâdem facilitate & brevitate species transmutare. Hæc ille, cujus sententiæ alii ferè accesserunt.

Unde loquendo de Sacerdote, qui majorem hostiam accipit, & vini species, dicebant, in semiquadrante horæ species non continere amplius Corpus & Sanguinem Christi. Quam doctrinam si quis ad quadrantem velit extendere, videtur jam extra omne prorsus dubium aut periculum se constituere. Hactenus Eminentissimus.

115. Adfertur judicium Eximii Domini Fromondi.

Aliter philosophatur Eximius Dominus Libertus Fromondus Philosophiæ Christianæ de Anima lib. 2. cap. 3. art. 4. Species, inquit, panis pertinaciùs quidem, quàm species vini in ventriculo durant; sed tamen tantilla particula à ventriculo præsertim jejuno & appetente, dimidiatâ forsasse horâ, potest destrui. Quò enim minùs cibo oneratus fuerit ventriculus, eò citiùs temperiem & formam mutat rerum, quæ ingeruntur. Multitudo enim & varietas tardat concoctionem. Unde in ebrietate aut crapula, post horam etiam unam aut alteram, cruda sæpè omnia revomuntur; præsertim ubi potu nimio stomachus redundat, & cibi natant. Quò enim plùs aquæ est in olla, eò tardiùs carnes eodem igne coquuntur. Unde in ventriculis pituitosis, senilibus, aut à morbo languentibus, suadeam horam integram ut minimùm à Sacra Communione vomitum sustinere.

Et post pauca: Nimis breve tempus huic rei, meo judicio, assignat Toletus lib. 2. c. 29. Sum. qui credidit, *fortè dimidiâ quartâ horâ species à calore naturali consumi.* Calor enim iste naturalis non est tam acer & vehemens; ut bullire faciat ventriculum, sicut olla bullit super ignem; sed tepefacit tantùm, ut experiri licet, si chylus, etiam perfectè coctus, revomatur. Hucusque Fromondus.

Reprobatur Judicium Toleti.

Sanè non semel experientiâ constat, integras species sacramentales post horam unam à Communione fuisse revomitas, fortè propter aliquam particularem indispositionem ventriculi. 116.

Aliàs existimo, inquit Fromondus suprà, tantillum chyli, quod conficitur ex pane Eucharistico, post horam aut dimidiam in ventriculo valenti, licèt adhuc semicoctum, tantùm differre à pane, qui ingestus est, quantùm fortè omphacium (quod vulgò agrestam vocant) à succo terræ. Nam sicut terræ succus à vite attractus, mutatur primò in omphacium, & crudum quoddam vini rudimentum, ac deinde maturatur in vinum; ita panis aut cibus à ventriculo primùm corrumpitur in imperfectam quamdam chyli cruditatem, odore tetro & sapore (ut ex vomitibus patet) à priore cibo multùm differentem, & deinde in chylum maturum & perfectum, qui ad sui perfectionem pluribus horis indiget. Hæc ille.

Judicium Arriagæ.

Adjungo judicium Arriagæ, qui Tract. de hoc Sacramento disp. 39. n. 25. sic ait: Ego universaliter non dubitarem, intra quinquies Pater noster & Ave Maria ita fieri illam concoctionem universaliter in quocumque, ut nullus scrupulus ampliùs possit restare; in Sacerdote verò vix est dubitandum, postquam absolvit Sacrum, & vestes sacras exuit, quia fortasse ipsæmet diversæ species vini & panis etiam in se agunt, & indè ab stomacho alterantur faciliùs. Ita hic Auctor.

Plempius.

Dicitur communiter: *Nimia cautela non nocet*, ideo in hac re quæ judicio Clarissimi viri Vopisci Fortunati Plempii in Academia Lovaniensi Medicinæ Professoris primarii non potest definiri certâ regulâ ob diversitatem stomachorum, sanitatis, & temperamentorum, placeat consilium meum ut sumptâ Communione non provoces vomitum ante horam sine urgenti necessitate.

Atque hæc sufficiant de mutatione seu corruptione physica specierum sacramentalium. Transeo ad mutationes miraculosas, de quibus quæritur primò, veræ sint, an apparentes? Quæritur secundò, quid faciendum Sacerdoti sacrificanti, in cujus Sacrificio, factâ Consecratione, talis mutatio Sacramenti contingeret? Ad primam quæstionem responsio erit

CONCLUSIO VIII.

Mutationes miraculosæ, quæ fiunt circa Eucharistiam, aliquando veræ sunt, aliquando tantùm apparentes: equidem ordinariè non est vera Christi Caro, vel verus Christi Sanguis, qui apparet; neque semper sub illis permanet Christus sacramentaliter.

117. Circa Eucharistiam factæ fuerunt miraculosæ mutationes,

COnstat ex historiis fide dignis sæpissimè factas fuisse mutationes, aliquando ad confusionem Infidelium, qui veritatem realis præsentiæ Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento negabant; aliquando ad terrorem indignè communicantium; subinde ad confirmationem infirmorum: interdum etiam ad consolationem Sanctorum & piorum hujus Sacramenti cultorum. Vide Paschasium Corbeiensem lib. de Eucharistia cap. 14. Guitmundum lib. 3. de hoc Sacramento, & alios.

Paschasius Corbeiensis. Guitmundus.

Scotus.

Prima pars Conclusionis est communis. Docet eam Scotus in Report. (Coloniæ impressis) 4. dist. 10. q. 9. n. 10. verba ejus exscribo pro clariori intellectu. *Circa visionem*, inquit, *Christi, si posset sensibiliter videri in altari, ponuntur casus, quia aliquando apparuit ibi puer visibiliter oculo corporali: aliquando apparuit caro non habens distinctè formam humanam. Dico, quòd possibile est tales apparitiones esse Christi in propria specie, & in alia specie.*

quæ possunt esse Christi in propria specie, & in alia specie:

In propria, inquam, specie, id est, in proprio corpore realiter & dimensivè; & in alia specie per aliquam mutationem medii, vel organi visorii, aut immediatè ipsius visûs, vel solius phantasiæ, quibus Deus imprimit speciem visibilem, vel phantasma Christum sic repræsentans.

Rationem è vestigio subjungit: *Quia talis apparitio vel apparuit tantùm uni, vel omnibus assistentibus: & hoc vel transeunter, vel permanenter. Si apparuit uni tantùm, non est ibi Christus realiter dimensivè in hostia: quia nihil erat ibi extra sensibile, nisi quod prius: sed apparuit sic videnti interius, vel in aëre iuxta oculum; & tunc apparet sibi quasi esset obiecti hic existentis: cum tamen non sit ibi aliter, quàm prius. Si tamen appareat omnibus assistentibus realiter, credo quòd est ibi: quia vult apparere sensibiliter propter fidem confirmandam: & vult ibi verè adorari, sicut in hostia: igitur verisimile est, quòd ibi est verus Christus sensibiliter, quia nec vult fidem confirmare per phantasticas apparitiones, nec quòd communitas faciat idololatriam, adorando aliud, quam verum Deum. Si autem appareat permanenter, credo quòd est ibi realiter sensibiliter, sed non est in Eucharistia apparenter, sed regulariter est in Eucharistia, licet posset præsentiam suam causare sine Eucharistia, si velit.*

ratio istius allegatur à Scoto.

118. Assignatur regula ad discernendum quando mutationes sint veræ an apparentes.

Itaque ad discernendum quando mutationes miraculosæ sive in Corpus & Sanguinem, sive in lapidem, vel aliam quamcumque rem sint veræ in Eucharistia, quando apparentes solùm, hæc sit regula. Quando illa mutatio miraculosa omnibus eodem modo apparet, & hoc ad longum tempus, est verè in Sacramento facta: si verò non omnibus eodem modo, vel ad breve tempus appareat, est tantùm apparens per delusionem sensûs.

Ratio est; quia secluſis novis miraculis, quæ hìc sine fundamento fingi non debent, objectum sensibile quod verè ita est, ut uni apparet, eodem modo & perseveranter natum est movere quemcumque visum: actio siquidem objecti in visum est per modum naturæ; & ideo quantùm de se, habet se semper eodem modo.

Dixi, *Secluſis novis miraculis*; quia indubiè potest Christus seipsum præbere videndum realiter uni, & non alteri; Deo utique cum illo, & non cum hoc concurrente.

119. Sensus per prius non decipitur, tametsi res non sit, ut repræsentatur.

Neque ex apparenti tantùm mutatione rectè intuleris: ergo Deus potest esse auctor mendacii sive deceptionis. Primùm enim, sensus, uti non judicat sic esse, vel non esse, sed simpliciter apprehendit hoc vel illud, tamquam in specie sensibili relucens, ita non decipitur propriè, tametsi non ita sit, ut repræsentatur. Intellectus verò exinde arguens, quamvis decipiatur, non tamen à Deo, sed à seipso; quia imprudenter concludit ita statim esse, quia sic apparuit sensui, qui in multis aberrat à vero.

Deus aliter repræsentando sensui, non tamen intellectui.

Sed nunquid Deus talia repræsentando sensui, intendit intellectum decipere? Numquid vult intellectum statim judicare, quòd ita sit, ut apparet sensui? Minimè; sed vult aliud quidpiam, quod verissimum est, intellectui per hanc figuratam apparitionem manifestare, nimirùm Corpus & Sanguinem suum verè esse in Sacramento.

Christus non decipit. Apostolus quando se finxit hoc gius in

S. Aug.

Eleganter Divus Augustinus Quæstionum Euang. lib. 2. capite ultimo: *Quod scriptum est* (inquit) *de Domino*: Finxit se longiùs ire: *non ad mendacium pertinet. Non enim omne, quod fingimus, mendacium est; sed quando id fingimus, quod nihil significat, tunc est mendacium. Cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis. Alioquin omnia, quæ à sapientibus & sanctis viris, vel etiam ab ipso Domino figurate dicta sunt, mendacia deputabuntur; quia secundum usitatum intellectum non subsistit veritas in talibus dictis.* Et post pauca: *Sicut autem dicta, ita etiam facta singuntur sine mendacio ad aliquam rem significandam.* Quid illustrius ad rem nostram dici poterat?

Sanè

Apparens mutatio non est mutatio per se loquendo.

Sanè si de proprio mendacio agitur, nihil manifestius, quàm hujusmodi apparentem solùm mutationem non esse locutionem contra mentem; neque enim ordinat eam Deus ad significandum hominibus suum conceptum, quod necessarium est ad propriam locutionem; & per consequens ad proprium mendacium: sed, ut dictum est, ad significandam realem præsentiam Corporis & Sanguinis Christi in Sacramento.

120. Apparitiones veræ non sunt ipsius Christi in Sacramento.

De cætero pro certo tenendum; apparitiones miraculosas, tametsi veras, id est, alicujus objecti, quod verè hìc est; minimè tamen esse ipsius Christi in Sacramento, sed vel Christi sese in propria specie hìc sistentis; vel alicujus alterius substantiæ circa Sacramentum productæ à Deo, vel esse ipsarum specierum sacramentalium, hâc vel illâ qualitate seu affectione miraculosâ imbutarum; v. g. si appareat Christus in specie pueri, vel viri super altare, & hoc diù & omnibus adstantibus, quamvìs piè credatur, secundùm Scotum suprà in Reportatis, & alios, tunc Christum hìc ita realiter præsentem esse, haud equidem tunc videtur Christus in Sacramento, non solùm quia non videtur totus in toto, & totus in singulis partibus spatii, quod propriè est videre Christum in Sacramento, sive prout existit in Sacramento; sed etiam quia implicat corpus viri sub connaturalibus dimensionibus esse in parva hostiæ circumferentia, ut expresè notavit Scotus suprà in Report. dicens: *Vnde secundùm propriam dimensionem, quam habet in cælo, non potest esse in parva hostia dimensivè; quia non posset esse in ita parvo loco.* Non ergo illud, quod tunc videtur, est in Sacramento; sed circa Sacramentum.

119. Sensus possunt non decipiunt; tametsi res non sit, ut præsentatur.

Deus.

Quod si petas; quomodo corpus viri hìc præsens in propria specie, possit repræsentari in parvitate pueruli? Respondeo posse id Deum efficere minuendo activitatem & perfectionem speciei visibilis, eo modo quo speciei activitas minuitur in longo radio, ut ea, quæ de longè per illam speciem videntur, appareant minora, quàm sint in se.

121. Quid sit dicendum, si hostia versa appareat in duritiam lapidis.

Rursum, si hostia versa appareat in duritiam lapidis, non est illa mutatio in Corpore Christi, ut patet; quia talis densitas dedecet corpus impassibile & glorioſum: neque est in ipsis speciebus sacramentalibus; quia quantitas panis non est capax tantæ densitatis in pane: ergo neque nunc. Est ergo illa densitas in alio corpore, divinitùs hìc producto.

vel subitò appareat calix sanguine plenus.

Similiter, si calix, in quem primò parùm vini erat infusum, subitò appareat Sanguine plenus, non est ille verus Sanguis, sed alia substantia similis in colore & humiditate; quia quantitas specierum modici vini non potest se tam latè diffundere; nec decet Sanguinem Christi glorioſum in propria specie separatum à Corpore in calice poni: ergo quod sic appareat, si verè est aliquod objectum, nec sunt species sacramentales, neque verus Sanguis Christi, sed aliqua substantia similis.

122. vel appareat pars carnis non habens figuram hòc mihis;

Quid dicam de portiuncula carnis non habente figuram hominis, in quam subinde conversa apparuit hostia? Non est verisimile, quòd sit caro Christi, neque ut est in Sacramento, sic enim non habet dimensiones; neque ut in cælo, quia sic habet alias dimensiones. Sanè haud convenit, ut statim dixi de Sanguine, carnem Christi separatìm poni à reliquo corpore, & sæpè ad annos plurimos in propria specie conservari. Accedit, quòd talis caruncula asservata paulatim induratur & marcescit, nigrescit & corrumpitur, quòd longè abest à carne glorioſa.

aut appareat hostia splendere;

Denique si solùm appareat hostia splendere, vel species vini in eadem quantitate appareant rubicundæ instar sanguinis, vel in hostia appareant maculæ rubicundæ; illa si verè sint, sunt qualitates aliquæ inductæ in quantitatem panis & vini. Si tamen ex hostia fluat liquor sanguineus, ille non est aliqua qualitas in hostia, neque ejus Sanguis; sed substantia alia similis Sanguini divinitùs infusa hostiæ.

123. Nulla est necessitas, ut Christus reipsa appareat ad effectum aut finem miraculi;

Ex his patet secunda pars Conclusionis. Profectò nulla est necessitas, ut Christus reipsâ appareat ad effectum aut finem miraculi; quia veritas fidei, in cujus confirmationem fit, sufficienter probatur per fictam apparitionem, cùm equidem quantumvìs vera esset, veritas certò constare non possit. Siquidem appareat Angelus in forma Christi, producat Deus speciem repræsentantem Christum, sicut in speculo contingit repræsentari objectum, quis discernere & verè dicere poterit: *Hic non est verus Christus realiter & dimensivè?* Constat sanè Christum in propria persona numquam, aut certè valde raro apparuisse, postquam ascendit in cælum.

Neque tunc committitur deceptio, ut suprà dixi, quia fides docet Christum indivisibiliter esse in Sacramento; illæ autem apparitiones solùm fiunt, ut significetur realis præsentia, quæ ibi verè est, & quæ alio modo secundùm sensum ostendi non potest: sicut si supra tentorium Imperatoris exponatur imago illius, licèt ipsa non sit Imperator, non tamen committitur deceptio, quia ordinatur tantùm ad significandum Imperatorem ibi commorari.

parùm enim refert ad confirmationem fidei, sive phantastica sit apparitio, sive vera.

Et quid refert ad confirmationem fidei sive phantastica sit apparitio, sive vera, dum tamen sensus externus, imò & intellectus, cujus est credere, idem planè objectum apprehendant? Ex quo patet responsio ad primam rationem Scoti suprà in Report.

124.

Ad secundam dico, Christum vel non velle ibi adorari; vel si velit, ibi existere sub speciebus sacramentaliter. Et estò species desiissent, dico adhuc posse adorari, ut statim explico in

tertia

tertia parte Conclusionis, quæ nullam aliam patitur difficultatem.

Manet quandoque Christus sacramentaliter sub speciebus miraculosè immutatis.

Hoc extra omne dubium esse debet, aliquando sacramentaliter permanere Christum sub speciebus miraculosè immutatis, quando videlicet non est talis & tanta immutatio, ut desineret substantia panis, si ibi esset: alioquin si tanta & talis est, æquè certò Sacramentum corrumpitur. Ad quod moraliter judicandum & discernendum (physica enim certitudo non potest haberi sine speciali revelatione) hæc regula notari potest.

Signum ad hoc dijudicandum.

Quando apparitiones sunt tales, ut habeant similitudinem cum præsentia Christi hic; ut si appareat sanguis, caro, vel puer, aut splendor aliquis, tunc existimandum est, non desisse Corpus & Sanguinem Christi esse in Sacramento; quia ad hoc videtur illa apparitio ordinari, ut ostendat realem præsentiam Christi hic. Quando verò apparitio habet dissimilitudinem cum præsentia Christi, ut si Sacramentum in ore sumentis videatur converti in lapidem, vel in cineres resolvi &c. tunc credibile est non manere Christum in Sacramento; quia ad hoc significandum videtur ordinari talis apparitio.

125. De adoratione miraculosarum specierum,

Et hinc judicandum est de adoratione miraculosarum specierum. Prioris enim generis species, sub quibus manet Christus, sunt adorandæ latriâ absolutè, quia sunt verè Sacramentum, vel sub illis verè latet Sacramentum. Et ita habet praxis Ecclesiæ. Posterioris verò generis species sunt solùm adorandæ latriâ respectivâ, sicut Crux & alia Christi signa merè significativa, & non continentia Christum. Cæterùm ad tollendam omnem ambiguitatem & incertitudinem, periculumque præcavendum materialis saltem idololatriæ, solet Ecclesia speciebus miraculosis adorationi expositis apponere aliquam aliam hostiam consecratam.

quibus adjungitur ad cautelam alia hostia consecrata.

Hactenus ad primam quæstionem, de qua Scotus in primo scripto non meminit: in Reportatis verò satis breviter eam attigit, & ideo minùs accuratè discussit; quia incidenter, & non ex professo. Unde ex hac parte nolim videri ejus auctoritati in aliquo præjudicasse.

Venio ad secundam quæstionem, quæ facilem habet responsionem; est autem hujusmodi:

CONCLUSIO IX.

Factâ miraculosâ mutatione circa species, non obligatur Sacerdos ad sumptionem, vel novam Consecrationem: equidem consulitur nova Consecratio.

126. Species mutatæ & restituantur speciebus pristinus status, & tunc sumendæ sunt sicut priùs, ac si nulla fuisset unquam facta mutatio. Quidni, cùm ex præcepto divino debeat integraliter perfici Sacrificium, & commodè possit?

ad pristinum statum redeuntes sunt sumendæ.

Si autem permutatio specierum fuerit perpetua, sive vera, sive apparens solùm, videtur hoc ipso Deus dispensare in suo præcepto sumendi Sacramentum; quandoquidem illud constituat in eo statu, in quo commodè sumi non potest, utique propter horrorem vel nauseam, quam incutit sumenti. Et dato quòd nullum horrorem vel nauseam incuteret, adhuc videtur excusari Sacerdos à sumptione; quia Christus non instituit sumendum hoc Sacramentum, nisi sub specie panis & vini exteriùs apparente.

si vera mutatio sit perpetua, videtur hoc ipso dispensare Deus in præcepto de sumendo Sacramento;

Sed numquid potest sumere? Resp Ecclesia nusquam significat se hoc prohibere, neque Christus, & aliunde verè sumitur Christus sub specie panis & vini: supponimus quippe ex dictis Conclusione præcedenti, quamdiu manet ibi Christus, manere pariter species panis & vini, quamvis fortè occultatas sub alia specie miraculosa: horror quoque ac nausea possunt abesse. Nihilominus tamen, inquit Suarez disp. 55. sect. 4. servanda est Ecclesiæ consuetudo, à qua non licet facilè discedere, præsertim quia hoc conferre potest ad majorem Sacramenti reverentiam. 127.

imò secundum Suarez ex consuetudine Ecclesiæ sumi non potest.

Consentio; ast rursum interrogo: quid ergo faciendum Sacerdoti? Nùm sine sumptione Sacramenti potest recedere ab altari? Vel debet aliud Sacramentum consecrare, & illud sumere, atque ita Missam absolvere? Ratio dubitandi est: quia ex una parte non potest sumere species miraculosè immutatas; aliunde verò, nimirum ex lege divina propter integritatem Sacrificii, tenetur consumere Sacrificium. Accedit quòd eodem die non possit bis celebrare.

Ob hanc difficultatem sunt diversæ de hac re sententiæ. Divus Antoninus 3. parte Theol. tit. 16. cap. 6. §. 14. existimat debere Sacerdotem totum aliud Sacramentum consecrare & sumere. Sed hæc sententia multis non placet; quia, inquiunt, totum Sacramentum de novo consecratum non pertinet ad prius Sacrificium; sed est novum Sacrificium totale: ergo illius sumptio nihil juvat ad prius Sacrificium integrandum: ergo talis Sacerdos eodem die bis celebrat, quod de per se est illicitum, præterquam in die Natalis Domini. 128.

adeoque aliqui putant, totalem esse novo aliud Sacramentum consecrandum & sumendum. Divus Antonius.

Ideo alii apud Suarium suprà, quos ipse sequitur, censent, nullam esse obligationem novæ Consecrationis propter sumptionem; quia, quamvis sumptio sit de integritate Sacrificii ex præcepto divino, de quo suo loco, tamen illud præceptum jam non potest impleri; quia Sacramentum non est jam consumptibile pro hoc statu miraculoso.

quod ab negatur.

Addunt

Addunt verò hi Doctores esse consilium, ut Sacerdos consecret aliud Sacramentum, & illud sumat; non ut impleat præceptum de sumptione prioris Sacramenti, seu de integritate prioris Sacrificii, quod jam non potest impleri, sed ex pietatis affectu, inchoando & absolvendo Sacrificium novum essentialiter & integraliter.

Faciat ergo oblationem utriusque speciei, & mox subjungat Consecrationem, & pergat deinde in ea parte Missæ, in qua substiterat propter eveniens miraculum; quia cùm cæteræ orationes & ceremoniæ Missæ non sint essentiales, nec propriè integrales, non erit necesse illas resumere.

129. Et hæc doctrina nobis placet; quoniam conformis Rubricis Generalibus Missarum Titulo de defectibus cap. 3. n. 7. *Si hostia* (inquiunt) *consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, & nequeat reperiri, tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo*, Qui pridie quàm pateretur, *facta eius priùs oblatione.* Ergo similiter si utraque species dispareat, ad minùs consultum erit, denuò consecrare panem & vinum.

Eritque hoc novum Sacrificium moraliter consummatio prioris Sacrificii, eo modo quo Consecratio alterius hostiæ, aut iterata Consecratio vini. Vini, inquam; nam etiam de Sanguine, qui totaliter post Consecrationem effunditur, ita ut nihil omninò remaneat, præscribunt Rubricæ eodem Titulo cap. 10. n. 13. *At si contingat totum Sanguinem post Consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parùm remanſit, illud sumatur &c. Si verò nihil omnino remanſit, ponat iterum vinum & aquam, & consecret ab eo loco*: Simili modo postquam cœnatum est, *factâ priùs tamen calicis oblatione.* Ad quid autem necessaria iterata Consecratio vini, nisi ut prius Sacrificium moraliter compleatur?

130. Cæterùm cùm plura alia à Rubricis præscribantur, quæ non sunt strictæ obligationis, sed tantùm consilii & majoris condecentiæ, meritò illis annumerari potest hæc nova Consecratio, sive unius tantùm speciei, sive utriusque; quandoquidem physica integralis perfectio prioris Sacrificii, quæ sola est juris divini, sit impossibilis.

Profectò constat, etiam secundùm quotidianum usum Ecclesiæ, ad integritatem Sacrificii minimè requiri, ut totum quod oblatum & consecratum fuit, à consecrante consumetur: nam Sacerdos plures formulas consecrans, unam solùm consumit, & recèns ordinati Sacerdotes simul cum Episcopo consecrantes panem & vinum, solas species panis consumunt.

Itaque si altera tantùm species sit immutata, vel pars duntaxat hostiæ aut vini, planè sufficiet ad integritatem Sacrificii à Deo præceptam, partem illam sumere, quæ non est immutata. Et ad hoc obligari sacrificantem, quis potest dubitare? Etenim jus divinum obligat Sacerdotem consummare Sacrificium à se oblatum quantùm potest; atqui potest tunc partem Sacrificii sumere, & ita Sacrificium à se oblatum consummare: ergo ad hoc obligatur.

Si una tantùm species sit immutata, sumenda est altera.

131. Si objicias prohibitionem duplicis Sacrificii eodem die. Respondeo, intelligendam esse de per se: unde in aliis multis casibus, de quibus suo loco, licitum est secundò celebrare, immo & tertiò quamvis rariùs. Quid miramur? Præceptum Ecclesiæ est, in quo indubiè Ecclesia potest dispensare. Censetur autem dispensare, quando præscribit in Rubricis, etiam per modum consilii tantùm, iteratam Consecrationem.

Objectio solvitur.

In multis casibus licet bis celebrare eodem die.

Probatur, *Qui tacet, consentire videtur* Reg. 43. de Reg. Juris in 6. & per consequens dispensare videtur in lege sua, qui tacet, sciens subditum acturum contra legem, & potest sine notabili incommodo contradicere; quantò magis qui consulit actum contra legem?

Ecclesia in hoc casu censetur dispensare.

132. An autem sit stricta obligatio de novo consecrandi, ut ipse celebrans, & reliquus populus audiat Missam in die Festo, probabilius est, inquit Suarez suprà, etiam ex illo præcepto, aut similibus non oriri talem obligationem, maximè si verum est consumptionem specierum non esse de substantia Sacrificii, de quo infrà proprio loco.

An sit stricta obligatio reconsecrandi, ut audiatur Missa in die Festo? Suarez negat.

Dicastillo disp. 6. num. 99. consulit ut fideles alteri Missæ assistant, si possint; cùm enim, inquit, præceptum audiendi Missam non se extendat ad solam Consecrationem, in qua essentia Missæ consistit, sed ad omnia etiam antecedentia & consequentia, probabiliùs mihi videtur, teneri, si possint, integrum præceptum implere.

Dicastillo consulit ut fideles alteri Missæ assistant;

Resp. casum extraordinarium non esse regulandum præcepto ordinario: unde sicuti Deus dispensat in suo præcepto de integritate Sacrificii offerendi; ita prudenter præsumitur Ecclesiam dispensare in suo præcepto de integritate Sacrificii audiendi.

sed verius est casum extraordinarium non esse regulandum præcepto ordinario.

Ex hactenus tractatis de Eucharistiæ Sacramento, tandem colligitur, qua veneratione colendum sit. Si vis esse Catholicus, dic & intus dic; quia sic est ut dicis:

CONCLUSIO X.

Sacramentum Eucharistiæ est adorandum cultu latriæ, qui soli Deo debetur.

133. Sacramentum Eucharistiæ est adorandum cultu latriæ;

ITa definit Concilium Tridentinum sess. 13. can. 6. *Si quis dixerit, in Sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ, etiam externo adorandum &c. Anathema sit.*

Neque moveat quempiam quòd dicat Christum in Sacramento adorandum; quia Christus in Sacramento idem est, quod ipsum Sacramentum. Unde cap. 5. utitur Concilium nomine Sacramenti dicens: *Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholicâ Ecclesiâ semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant.* Trident.

Rationem adjungit: *Neque enim ideo minùs est adorandum, quòd fuerit à Christo Domino, ut sumatur, institutum: nam illum eundem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit:* Et adorent eum omnes Angeli Dei, *quem Magi procidentes adoraverunt &c.*

sic ut non solus Christus, sed ipsæ etiam species adorentur;

Non ergo solus Christus adoratur, sed etiam totum Sacramentum, ut puta Christus & species simul; sicuti dum adoratur Christus, non sola Divinitas, sed etiam humanitas coadoratur, ut latiùs probatur in materia de Incarnatione. Estque hæc doctrina totius antiquitatis; sic tamen ut formalis ratio adorandi sit Divinitas; terminus verò adorationis tam ipsa, quàm humanitas, & species in ratione unius Sacramenti.

estò nulla sit physica & realis unio inter Christum & species;

Nec refert, nullam hìc realem & physicam unionem (secundùm nostra principia) intervenire, sicut ibi; nam sufficit moralis, exemplo Regis & purpuræ, quæ unà cum Rege colitur, quamvis ipsa non sit ratio colendi Regis. Colitur, inquam, id est, secundariò terminat cultum, quem primariò terminat ipse Rex. Et ita in præsenti, primarius adorationis terminus est ipsa Divinitas; secundarius autem humanitas, & species, quæ coadorantur: humanitas quidem propter physicam unionem; species verò propter moralem.

nam sufficit moralis.

134. Piè & religiosè fuit institutum in Ecclesia Festum Vener. Sacramenti.

Porrò ex hac veritate rectè infert Tridentinum suprà cap. 5. *Piè & religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam & Festo die præclarum hoc & Venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utq; in processionibus reverenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur.*

Et si dubites de æquitate, illicò eâm attexit dicens: *Æquissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cùm Christiani omnes singulari ac rarâ quadam significatione gratos & memores testentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili, & planè divino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræsentatur: atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere, ut eius adversarii in conspectu tanti splendoris, & in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & confusi aliquando resipiscant.* Probatur ex Trident.

Hinc can. 6. damnat eum, qui dixerit, hoc Sacramentum *nec Festivâ peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus, secundùm laudabilem & universalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel non publicè ut adoretur populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras.*

Ut verò hæc doctrina pleniùs intelligatur; duo quæri possunt: Primum, an ita necessariò debeamus totum Sacramentum adorare, ut non possimus species separatim adorare. Secundum, an possit totum Sacramentum adorari absolutè, non solùm ex parte objecti; sed etiam ex parte adorantis, seu modi, quo ea res adoranda proponitur. 135.

Pro quo adverte, illam esse absolutam adorationem ex parte objecti, quâ objectum adoratur propter intrinsecam & propriam dignitatem: unde adoratio absoluta hoc modo distinguitur contra respectivam, quâ aliquid adoratur propter dignitatem alterius, ad quod refertur. Illa verò est absoluta adoratio ex parte adorantis, quæ imperatur ab absoluta, non conditionata voluntate adorandi: quocirca sic accepta adoratio absoluta distinguitur contra conditionatam, quæ procedit v. g. ex hac voluntate: *Intendo adorare hostiam, si est legitimè consecrata &c.* Quid sit adorare absolutè parte objecti? Quid sit adorare respectivè? Quid sit adorare absolutè parte adorantis? Quid sit adoratio conditionata?

Tertium dubium est: an Eucharistiæ adoratio, non tantùm licita sit; verùm etiam præcepta, & quomodo. Ut autem incipiam à primo: 136.

Resp. posse species sacramentales mente separatas à Christo seorsim ac per se adorari latriâ; non tamen absolutâ ac perfectâ ex parte objecti, sed respectivâ, quatenus referuntur ad Christum, ut signum ad signatum, continens ad contentum. Ratio est manifesta; quia res creata ut sic, & planè absolutè considerata, nihil habet excellentiæ divinæ, sed solùm non participat quodammodò per ordinem ad Deum, vel propter unionem realem & physicam, ut humanitas Christi, vel propter unionem moralem, ut species sacramentales, vel propter respectum aliquem similitudinis, ut imagines. Species sacramentales mente separatæ à Christo non sunt adorandæ latriâ absolutâ ex parte objecti.

Pro-

Adoratio Crucis Christi & imaginum Christi.

Profectò si Crux Christi adorari potest latriâ respectivâ propter contactum carnis Christi, quis dubitare jure poterit de speciebus sacramentalibus? Et si imagines Christi adoramus, quæ sunt signa merè significantia, & non continentia Christum; quantò ampliùs species sacramentales, quæ realiter continent Christum, quem significant?

137. Idem cultus potest exhiberi speciebus, quæ amplius non continent Christum:

Ex doctrina hujus responsionis, sequitur primò, eundem cultum posse exhiberi speciebus sacramentalibus, etsi ampliùs non contineant Christum, si vera est aliquorum sententia, de qua suprà egimus, Christum posse desinere manentibus speciebus integris.

D. Bonaventura.

Unde Seraphicus Doctor 4. dist. 13. art. 2. q. 2. ad illud desumptum ex pœnitentiali Bedæ presbyteri, (& refertur de Consec. dist. 2. c. 28.) *Si per ebrietatem, vel voracitatem Eucharistiam evomuerit, quadraginta diebus pœniteat.* Respondet: *Pœna imposita non est, nisi quia species illæ fuerunt contentivæ Dominici Corporis; & ideo in magna reverentia sunt habendæ; maximè quia fuerunt sanctissimis symbolis consecratæ; & ideo comburantur, & cinis in debita reverentia reservetur.*

Latria etiam aliis Sacramentis.

Sequitur secundò, eandem respectivam latriam posse exhiberi aliis Sacramentis. Nùm etiam absoluta? Absit: quia licèt ad Christum terminentur, eumque respiciant ut signa quædam, quibus Christus, ejusque merita hominibus in memoriam revocantur & applicantur; non tamen habent aliquam cum illo moralem unionem, sicut habent species cum Christo in hoc Sacramento, ratione cujus unionis, ut dictum est, possunt coadorari cum Christo eodem absoluto latriæ cultu. Hæc pro resolutione prioris dubii.

138. Adoratio hujus Sacramenti per se, & regulariter debet esse absoluta ex parte adorantis.

Ad secundum respondeo: Adoratio hujus Sacramenti per se & regulariter debet esse absoluta ex parte adorantis, seu non conditionata. Ratio est; quia regulariter ita adorandum proponitur, ut non sit prudens ratio dubitandi, quin hostia sit verè consecrata; adeoque quin in ipsa sit verè Christus homo & Deus: non ergo prudenter fecerit, qui regulariter hoc Sacramentum adoraverit sub conditione.

Probatur.

Confirmatur ex praxi Ecclesiæ.

Confirmatur. Quia fideles solent absolutè adorare, nullam apponendo conditionem; v. g. si Sacerdos habuit intentionem consecrandi, si fuit legitima materia Consecrationis, vel similem. Item, quia in aliis actibus Religionis non solet per se & communiter apponi conditio. Sacerdos siquidem non intendit ordinariè absolvere nisi absolutè, nec consecrare nisi absolutè &c.

139. Objectio solvitur.

Nec refert quòd prædicta adoratio reipsâ possit ferri in materiam non adorabilem, ut si fortè Sacerdos noluit consecrare hostiam, quam exhibet adorandam: quia etiam fieri potest, ut illa absolutio feratur in personam non absolvibilem, & Consecratio in materiam non consecrabilem.

Praxis Ecclesiæ fundatur in certitudine morali de præsentia Christi.

Profectò casus ille extraordinarius, de quo in particulari numquam potest quis cum fundamento suspicari, non debet immutare communem Christianorum morem absolutè adorandi, fundatum in certitudine morali de præsentia Christi sub speciebus propositis; quâ Deus nos voluit pro hoc statu in rebus agendis esse contentos.

Adeoque periculum idololatriæ materialis non est morale.

Periculum itaque idololatriæ materialis non est morale; adeoque in morali actione minimè curandum. Dico, *Idololatria materialis*, quia formali idololatriæ satis obviatur per hoc, quòd Christianus semper sit ita affectus, ut non adoraret panem, nisi esset consecratus; ac proinde formale motivum adorationis est dignitas divina: cumque actus virtutum sumant rationem ex objecto formali, talis adoratio hostiæ falsæ, esset, secundùm communiorem sententiam, verè actus virtuosus à virtute Religionis imperatus.

140. Objectio.

Quòd si dicas actum latriæ, quamvis proximè imperetur à Religione, tamen ut undequaque sit rectus, supponere judicium veræ fidei de præsentia Divinitatis in objecto adorato.

Satisfit.

Respondeo cum distinctione: supponit judicium veræ fidei de Divinitate in hoc objecto adorato, id est, hîc & nunc proposito, Nego: supponit judicium veræ fidei de Divinitate in objecto adorato per se spectato, id est, prout debet proponi adorandum, Concedo. Sic enim nemo potest rectè hostiam adorare, nisi credat certitudine fidei hostiam debitè propositam ad adorandum, nimirum post legitimam Consecrationem, continere verum Deum, & hominem Christum. Non autem debet credere fide divinâ hanc hostiam sic esse propositam; sed certitudine morali, quæ regulatur à virtute prudentiæ, & tunc habetur, quando ex circumstantiis non potest aliud colligi, quàm hanc hostiam esse debitè propositam ad adorandam.

Nemo potest rectè adorare hostiam, nisi fide credat eam post legitimam Consecrationem continere Christum;

Et hæc fides sufficit per se loquendo.

Nonne virtuosè honoramus parentes sine conditione appositâ (de quibus quidem tantùm moraliter certò constat nobis, quòd sint nostri parentes) etsi ita simus affecti, ut illos non honoraremus, si verè parentes non essent?

141. Si esset ratio dubitandi, an hæc hostia foret legitimè consecrata, posset & deberet adorari tantùm sub conditione,

Ex hac resolutione infertur primò à contrario; si tales essent circumstantiæ, ut subesset ratio prudenter dubitandi, an esset hostia consecrata; ut si Sacerdos videatur ridiculè rem agere, vel si præ vetustate videatur quodammodò corrupta hostia, quæ olim fuit legitimè consecrata &c. tunc, inquam, posse, & si adeò graves sint rationes dubitandi, debere adorari sub conditione, sive manet adhuc consecrata.

Infertur secundò, ab hac doctrina non dis-

sentire Divum Bonaventuram 3. dist. 24. art. 1. q. 1. ad ultimum ibi: *Unde omnis fidelis rectè adorans hostiam consecratam, adorat sub ea conditione, si perfecta sint circa ipsam ea, quæ ad Consecrationem sunt necessaria secundum institutionem divinam, & sic numquam decipitur, nec errat.* Solùm enim vult, omnes fideles ex virtute fidei & Religionis sic esse affectos habitualiter, ut eam solam hostiam sciant adorandam, & parati sint adorare, quæ est legitimè consecrata; neutiquam autem requirit hanc conditionem debere formaliter seu expresè adjungi, ut bene Doctorem Seraphicum, & Magistrum ejus, Alex. Alensem intellexit Gabriel lect. 50. in Canonem.

Explicatur doctrina S. Bonaventuræ.

Gabriel.

Infertur tertiò; si quis inordinatè adoret hostiam sub conditione, v. g. si est consecrata, cùm non habeat rationem dubitandi, præterquam quòd appositio hujusmodi conditionis, & aliarum similium non parùm imminuat devotionem & affectum erga hoc Sacramentum, insuper peccat peccato imprudentiæ & vani timoris, veniali equidem, secluso gravi scandalo aut contemptu communis modi adorandi.

Adorans hostiam sub conditione sine causa peccat.

142. Superest dubium tertium, ad quod breviter dico: Adoratio Eucharistiæ non modò licita est, sed etiam præcepta: quod præceptum quâ parte negativum est, obligat ad semper; quâ parte affirmativum, solùm ad certum tempus. Probatur & explicatur assertio quoad primam partem; quia naturali jure Religionis tenemur Deum adorare. Ergo suppositâ fide hujus Sacramenti, quòd illud sit compositum ex speciebus & Christo Deo homine, jus naturale Religionis dictat hoc Sacramentum esse adorandum.

Adoratio Eucharistiæ non solùm est licita, sed etiam præcepta,

Quoad secundam & tertiam partem patet ex generali principio, quod traditur in materia de Legibus; quia præceptum negativum obligat ad semper; affirmativum ad certum tempus. Itaque semper obligamur non irrogare huic Sacramento aliquam irreverentiam, vel immediatè, ut effundendo vel projiciendo in terram, vel incautè custodiendo, ita ut vel corrumpi possit, vel à muribus comedi, aut ab hostibus fidei conculcari; vel mediatè, ut irreverenter vel immundè tractando vasa, aut vestes, & res alias ad cultum hujus Sacramenti deputatas.

ita quòd numquam possimus ei irrogare aliquam irreverentiam.

De hac re legi possunt multa, quæ habentur Extra de Celeb. Missarum, & de Cust. Eucharistiæ. & de Consec. dist. 2. cap. *Si per negligentiam* 27. & cap. 28. *Si quis per ebrietatem*, in quibus nonnullæ pœnæ imponuntur his, qui aliquid negligenter vel irreverenter egerint contra hoc Sacramentum, quæ nec ferè sunt in usu, nec incurruntur ex obligatione, donec à Superiori imponantur, cujus prudenti judicio commissa est jam ferè hujusmodi pœna.

De Consecrat. dist. 2. c. 27. & 28.

143. Quandonam debeat quis positi-

Porrò si à me quæritur, quo tempore obliget præceptum affirmativum exhibendi reverentiam huic Sacramento; citiùs Respondeo, tunc solùm & semper, quando Sacramentum ita nobis sit præsens, ut moraliter indecens sit non adorare; ut quando celebramus vel communicamus, quando Sacramentum nobis occurrit in processione, vel ad infirmos defertur, vel in Missa elevatur &c. cap. *Sanè*. 10. de Celeb. Miss. ibi: *Sacerdos verò quilibet frequenter doceat plebem suam, ut cùm in celebratione Missarum elevatur hostia salutaris, se reverenter inclinet, idem faciens dum eam defert Presbyter ad infirmum.*

vam esse, bene reverentiam.

Cap. Sanè. 10. de Cel. Miss.

In similibus enim circumstantiis non adorare, moraliter censetur quædam irreverentia, & non pura negatio, sed privatio, seu omissio aut ablatio honoris debiti, & virtualis quidam contemptus. Sicut, licèt non teneamur semper Regem honorare, equidem in ejus alloquio, aut occursu omnem reverentiam omittere, meritò censebitur quædam inhonoratio & virtualis quidam contemptus.

Omitto rationem scandali, quæ ordinariè adjungitur, si publicè in hujusmodi occasione adoratio omittatur; imò si frequenter id fiat, suspicionem posset alicujus infidelitatis vel erroris generare. Unde aliquibus placet nullum dari præceptum affirmativum; quia hæc omnia satìs prohibentur per præceptum negativum; sed quæstio est de nomine, in qua non morandum, quando constat de re.

Hoc solùm addendum: secluso formali contemptu, & scandalo, hujusmodi omissionem per negligentiam aliquam non esse mortale peccatum regulariter loquendo, propter materiæ levitatem. Imò si naturalis inadvertentia, occupatio, vel necessitas occurrat, propter quam involuntaria censeatur, nullum erit peccatum: quod notandum est pro Ministris Ecclesiæ, qui quodammodò in templis habitant, & ideo minùs videntur soliciti pro debita reverentia exhibenda huic Augustissimo Sacramento, quàm illi, qui rariùs in præsentia illius versantur.

144. Secluso scandalo formali contemptu omissio reverentiæ sæpe sibi est venialis peccatum.

Finio cum illis verbis Clementis V. in Concilio Viennensi, & referuntur Clementinâ unicâ de Reliquiis & veneratione Sanctorum. §. *Ex ministris* circa finem: *O Excellentissimum Sacramentum. O adorandum, venerandum, colendum, glorificandum, præcipuis magnificandum laudibus, dignis præconiis exaltandum, cunctis honorandum studiis, devotis prosequendum obsequiis & sinceris mentibus retinendum.* Retineamus sinceris mentibus, & corde credamus ad justitiam, ore autem, cùm opus fuerit, confiteamur ad salutem, ut semper fide vivâ, quæ per dilectionem operatur, cælestem illum panem edentes, fructum ejus & utilitatem sentiamus. Sed quis ille fructus? Sequens declarabit Sectio.

Continetur quæ nostra hujus Sacramenti est Clementina V. in Concil. Viennens.

SECTIO

SECTIO SEPTIMA.

De Effectu Sacramenti Eucharistiæ.

1. Tridentinum varios enumerat Eucharistiæ effectus.

COncilium Tridentinum agens de ratione institutionis Sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sess. 13. cap. 2. varios enumerat ejus effectus dicens: *Sumi autem voluit* (Salvator noster) *Sacramentum hoc, tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viventes vitâ illius, qui dixit:* Qui manducat me & ipse vivet propter me, *& tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeoq; symbolum unius illius corporis, cujus ipse caput existit, cuiq; nos, tamquam membra arctissimâ, fidei, spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit, ut idipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.* Et can. 5. ejusdem sess. *Si quis dixerit, vel præcipuum fructum Sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire, anathema sit.*

Quæris autem, quis sit ergo præcipuus fructus? Resp.

CONCLUSIO I.

Præcipuus fructus, sive effectus Eucharistiæ est augmentum gratiæ sanctificantis, per modum spiritualis nutritionis.

2. Tridentini Conciliis ex Triden. tino & Flo rent.

ESt de fide, ut patet ex Tridentino sess. 13. cap. 2. mox allegato. Consonat Florentinum in decreto Eugenii, loquens de effectu Eucharistiæ, ibi: *Hujus Sacramenti effectus, quem in anima operatur dignè sumentis, est adunatio hominis ad Christum.*

Ac ne libera tribueretur errandi facultas, explicans dictam adunationem, addit: *Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius unitur: consequens est quòd per hoc Sacramentum in sumentibus dignè gratia augeatur; omnemq; effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem, sustentando, augendo, reparando, & delectando, Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem, in quo (ut inquit Vrbanus Papa) gratam Salvatoris nostri recensemus memoriam, à malo retrahimur, confortamur in bono, & ad virtutum & gratiarum proficimus incrementum.* Quid illustriùs dici poterat?

ex perpetua traditione Ecclesiæ.

Accedat nihilominus perpetua traditio Ecclesiæ, quæ ita intellexit illa verba Apostoli 1. Cor. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat,* ut non liceat in statu peccati mortalis ad hoc Sacramentum accedere. 1. Cor. 11.

Hujus traditionis testes se exhibent omnes Sancti Patres, qui de effectu Eucharistiæ mentionem fecerunt: nominatim Divus Chrysostomus Homiliâ 83. in Matth. *Dæmoniaco*, inquit, *peior est, qui peccati* (scilicet mortalis) *sibi conscius accedit.* Et Homiliâ 45. in Joan. *Si purè accessisti, ad salutem accessisti, si in prava conscientia, ad pœnam & supplicium.* Divus Ambrosius lib. 6. in Lucam cap. 9. sic ait: *Nemo cibum accipit Christi, nisi qui fuerit antea sanatus.* Et infrà: *Vbique ergo mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, post almonia mensæ cælestis exhibeatur.* cujus testes sunt SS. Patres. D. Chrysostomus. D. Ambrosius.

Sed quid Divus Augustinus? *Nonne*, interrogat Tract. 26. in Joannem, *buccella Dominica venenum fuit Iudæ? Et tamen accepit, & cùm accepit, in eum inimicus intravit, non quia malum accepit; sed quia bonum malè malus accepit. Videte ergo Fratres: panem cælestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate.* Plura testimonia vide apud Bellarminum lib. 4. de hoc Sacramento cap. 18. S. Augustinus. Bellarm.

3ª

Ex hac ergo Ecclesiæ & Patrum doctrina rectè concluditur, Eucharistiam non esse per se primò institutâ ad peccati mortalis remissionem seu primam gratiam: alioquin non necessariò in suscipientibus illam supponeret, quod tamen Ecclesia docet, ut vidimus, & inferiùs; ubi de dispositione spirituali suscipientis, iterum videbimus. Si autem non est per se primò ordinata ad primam gratiam, ergo ad augmentum gratiæ: quia omnia Sacramenta aliquo modo per se primò ordinantur ad gratiam sanctificantem. Si verò ad gratiæ augmentum, certè non nisi per modum spiritualis nutritionis, ut Patres citati docent, & pervium est ex differentia inter hoc Sacramentum, & cætera, de qua egimus Sect. 1. concluſ. 1.

Et ita patet Conclusio per singulas partes, & ex ultima parte sumitur congruentia primæ; quia cùm hoc Sacramentum significet, & operetur per modum cibi spiritualis, supponit, & auget vitam, non confert; quia cibus non nutrit mortuum, sed vivum. Unde Divus Basilius lib. 1. de Baptismo cap. 13. *Qui per baptismum*, inquit, *regeneratus est, participatione divinorum mysteriorum deinceps nutriri debet.* Congruentia: Cibus non nutrit mortuum, sed vivum. D. Basilius.

4. Oppositum docent quidam Hæretici,

Verumenimverò quoniam noctuis claritas solis non minores tenebras, quàm aquilis nox ipsa parit, Calvinus, Kemnitius, & alii Hæretici ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, volunt Eucharistiam primariò institutam ad remissionem peccatorum. Fundamentum accipiunt ex illo, quod dicitur de Calice Matth. 26. v. 28. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Et de specie panis Joannis 6. v. 33. *Panis enim Dei est, qui descendit de cælo, & dat vitam mundo.*

fundantes se in Scriptura,

Matt. 26.

Ioan. 6.

Item ex Patribus, Divo Chrysostomo Homiliâ 83. in Matth. ubi comparans hoc Sacramentum cum agno Paschali ait: *Si hoc remissionem peccatorum facit, sicut certè facit, illud supervacaneum omnino est.* Præterea ex Divo Damasceno lib. 4. de Fide cap. 4. ubi dicit: *Iis, qui hoc Sacramentum per fidem dignè suscipiunt, in peccatorum remissionem & vitam æternam, animæ & corporis præsidium cedit.*

& quibusdam Patrum sententiis,

S. Chrysost.

S. Damasc.

Idem videri potest indicare Ecclesia in multis orationibus Missæ; in quibus tribuit Eucharistiæ, non solùm quòd sit *fortitudo fragilium*; sed etiam *Absolutio scelerum.*

ac sensu Ecclesiæ.

Explicantur SS. Patres vel de remissione venialium, vel de remissione pœnæ.

Porrò hæc omnia per unam aut alteram observationem, velut favilla æstivæ aræ turbine dissipata, evanescunt. Prima est, Patres aliquando generatim loqui de remissione peccatorum, abstrahendo à mortalibus & venialibus. Secunda, quando loquuntur de sceleribus seu gravioribus peccatis, non loquuntur de illis quoad reatum culpæ, sed pœnæ, quem reatum tollit hoc Sacramentum; non quidem ut Sacramentum, sed ut Sacrificium est, uti infrà patebit.

Eodem modo explicatur Scriptura Matth. 26.

Et eodem modo explicari potest illud Matth. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Quæ effusio repræsentativè fit in Missæ Sacrificio, ubi Sanguis à Corpore separatim ponitur ex vi verborum. Ut omittam illum locum non immeritò intelligi de Sacrificio cruento, quod erat Dominus oblaturus in monte Calvariæ; à quo omnia Sacramenta acceperunt suam vim sanctificandi, & remittendi peccata.

Alia explicatio.

5. Exponitur Scriptura Joan. 6.

Tertia observatio, quando hoc Sacramentum dicitur dare vitam animæ, sensus est, quòd illam conservet, præservando (ut dicit Trident. suprà) à peccatis mortalibus; sicut panis usualis dicitur vita hominis, quia vitam sustentat. Unde optimè Cyprianus, vel quisquis est

S. Cyprianus.

auctor apud Cyprianum, Serm. de Cœna Domini: *Sicut panis communis vita est corporis, ita supersubstantialis vita est animæ.* Hanc autem præservationem præstat augendo habitum dilectionis Dei, extinguendo affectum vitiorum, & conciliando auxilia gratiæ actualia, quibus animus excitatur & adjuvatur in via mandatorum Dei.

Item verba Ecclesiæ,

Atque hâc ratione, ut indicat Doctor Angelicus 3. parte q. 79. art. 3. ad primum, Tribuitur Eucharistiæ, quòd sit *Ablutio scelerum.*

S. Thomas.

Hæc sunt verba D. Thomæ: *Ad primum dicendum, quòd petimus ut hoc Sacramentum sit ablutio scelerum; vel eorum quorum conscientiam non habemus (secundùm illud Psalmi: Ab occultis meis munda me Domine) vel ut contritio in nobis perficiatur ad scelerum remissionem; vel etiam ut nobis robur detur ad scelera vitanda.*

Ecce hæretica pravitas cardinibus suis luxata. Verbo autem ut absolvam:

CONCLUSIO II.

Eucharistia liberat à culpis quotidianis, & præservat à peccatis mortalibus.

6. Eucharistia quandoque liberat à mortalibus & regulariter à quotidianis,

QUòd Eucharistia aliquando liberet à peccatis mortalibus, satis diximus disp. 1. sect. 5. concluf. 4. & quia nihil novi occurrit dicendum, transeo ad remissionem peccatorum venialium, quæ disertis verbis traditur à Concilio Trident. suprà; eamque antea docuerant omnes Theologi ex infinitis propemodùm testimoniis SS. Patrum, quæ vide apud alios, quia obvia & evidentissima, ita ut non videatur relictus ambigendi locus.

Equidem dubitatur hodie à multis de modo, quo hæc fiunt per Sacramentum, an videlicet remittantur peccata venialia immediatè, & ex opere operato, sicut remittuntur per Baptismum, Pœnitentiam, & Extremam Unctionem; an verò tantùm mediatè, quatenus Eucharistia confert actualia gratiæ auxilia, quibus mediantibus excitantur charitatis & contritionis actus, immediatè remissivi peccatorum venialium ex opere operantis.

7. Falsum videtur, quòd Sacramenta conferant gratiam cum effectu

Suppono ex disp. 1. sect. 4. concluf. 4. Singula Sacramenta præter gratiam habitualem conferre auxilia quædam specialia, quibus homo juvetur ad cujusque Sacramenti finem obtinendum. Ergo Eucharistia confert specialia auxilia seu gratias actuales ad fervorem charitatis excitandum, & affectum communicantis per amorem convertendum in Christum, ut probat ratio cibi & potûs, atque illud Christi

Ioan. 6.

Joan. 6. v. 57. *Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in illo*; utique per charitatem, de qua testatur Joan.

1. Ioan.

Epistolæ 1. cap. 4. v. 16. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.*

Quid ergo miramur, quòd illi, qui sæpiùs quamvis leve cum debita animi præparatione communicant, rarissimè, imò numquam peccent mortaliter? *Si quis diligit me*, ait Christus Joan. 14. v. 23. *sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus.* Felix mansio, quâ sic Deus hominem interiùs corroborat, atque exteriùs prævenit,

Ioan. 14.

&

& protegit, ut vel represso dæmone, & amotis occasionibus à tentationibus liberet, vel ad eas superandas specialia auxilia & gratias tribuat.

Teste S. Ignatio Martyre,

Festinate ergò, inquit S. Ignatius Martyr in Epistola ad Ephes. *frequenter accedere; quando enim assiduè hoc ipsum agitur, expelluntur potestates Sathanæ.* Et D. Chrys. Homilia 45. in Joan. & Homilia 61. ad Populum; *Hic sanguis dæmones procul pellit, Angelos, & Angelorum Dominum ad nos allicit; dæmones enim cùm Dominicum sanguinem in nobis vident, in fugam vertuntur, Angeli autem concurrunt.*

& D. Chrysost.

8. Ioan. 6.

Adhuc miramini? *Hic est panis de cælo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Joan. 6. v. 50. Potiùs admiratione dignum videtur, hominem tot gratiis corroboratum, præventum & protectum, sponte suâ ruere in peccatum. Sed cùm dico, *Sponte suâ*, cessat omnis causa admirationis. Neque enim Deus sic gratiâ suâ hominem in hac vita corroborat, prævenit & protegit, quin in potestate liberi arbitrii sit peccare.

Equidem tribuit homo, quia habet liberum arbitrium,

Habet quippe *unusquisque* (utor verbis D. Aug. lib. 2. de actis cum Felice cap. 4.) *in voluntate aut eligere quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala*; dicente Domino Matth. 12. v. 33. *Aut facite arborem bonam & fructum eius bonum, aut facite arborem malam & fructum eius malum. Cùm ergo dicit* (prosequitur idem S. Doctor, ac divinæ gratiæ fidelissimus Assertor) *aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam.*

S. Aug.

Matth. 12.

Nam *Si natura*, inquit ille lib. de duabus animabus cap. 12. *non voluntate faciunt; id est, si libeto ad faciendum, & ad non faciendum motu animi carent*: neque *Si bonum eligerent* (verba sunt Divi Aug. lib. de actis cum Felice cap. 4.) *præmium eius acciperent*: neque *si malum eligerent, pœnam eius sentirent. Quod non est contra gratiam Dei*, (inquit lib. 1. Retract. cap. 22.) *quam prædicamus. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed illa potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri.*

9. Quo potest velle bonum & malum;

Equidem teste Ecclesiastico cap. 15. v. 18. *Ante hominem vita & mors, bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi*; vel ut legit D. Aug. lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 2. *In conspectu vita & mors, & quodcumque placuerit, dabitur ei.* Et illicò subjungit, *Ecce apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium.*

Sed non bonum sine Dei adjutorio.

Ne autem quispiam putaret liberum arbitrium posse à semetipso fructum aliquem ferre, cap. 4 sic incipit dicere: *Sed metuendum est, ne ista omnia divina testimonia, & quæcumque alia sunt, quæ sine dubitatione sunt plurima, in defensione liberi arbitrii sic intelligantur, ut ad vitam piam & bonam conversationem, cui merces æterna debetur, adiutorio & gratia Dei locus non relinquatur.*

Scitè dixit S. Prosp. lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 12. *Multis, qui iam iudicio rationis utuntur, ideo liberum est discedere à Deo, ut non discessisse sit præmium: & ut quod non potest, nisi cooperante Spiritu Dei fieri, eorum meritis deputetur, quorum id potuit voluntate non fieri.*

S. Prosper.

Quapropter *de perseverantiæ munere* (verba sunt Trident. sess. 6. cap. 13.) *de quo scriptum est*: Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: *Quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo qui potens est eum, qui stat, statuere ut perseveranter stet, & eum, qui cadit, restituere: nemo* (quantumcumque etiam devotè suscipiens hoc Sacramentum) *sibi certi aliquid absolutâ certitudine polliceatur; tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare & reponere omnes debent: Deus enim, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Qui ergo stat, videat ne cadat.

10. Quod de perseverantiæ munere probatur ex Trident.

Scriptum non ignoro à Divo Aug. lib. de Corrept. & Gratia cap. 12. *Subventum est igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur, & ideo quamvis infirma, non deficeret, neque adversitate aliquâ vinceretur.... Fortissimo quippe dimisit, atque permisit facere quod vellet: Infirmis servavit ut ipso donante invictissimè quod bonum est vellent, & hoc deserere invictissimè nollent.* Hoc, inquam, scriptum scio, & non dubito de veritate: verùm ubi, vel à quo scriptum sit, hujusmodi gratiam divinam per hoc Sacramentum infallibiliter conferri, planè nescio.

Expenditur auctoritas aliqua D. Aug.

Lego quidem apud D. Bern. Ser. de Cœna Domini: *Quis poterit tam efferos motus frangere? Quis pruritum ulceris huius ferre queat? Considite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, Sacramenti Dominici Corporis & Sanguinis pretiosi investituram habetis. Duo enim illud Sacramentum operatur in nobis, ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omninò consensum.* Sed numquid infallibiliter? Certè experientia docet aliquando nec in minimis minuere sensum, nec in gravioribus peccatis tollere omnino consensum. Quot enim in Paschate dignè communicant, qui tamen non post multum temporis rursum gravissimè peccant?

11. D. Bernardi,

Ipsum Bernardum consule, & dicet tibi Ser. in die Sancto Paschæ: *Proh dolor peccandi tempus, terminus recidendi facta est Resurrectio Salvatoris. Ex hoc nempe commessationes & ebrietates redeunt; cubilia & impudicitiæ repetuntur &c.* Cur istud, nisi vel quia indignè communicant, ut ibi videtur indicare Bernardus; vel certè quia interiori gratiæ divinæ resistunt? *Deus namque*, inquit Trident. sess. 6. cap. 11. *suâ gratiâ* (actuali) *semel iustificatos non deserit, nisi ab eis priùs deseratur.*

Præclarè ad propositum D. Prosper lib. 2. de Vocat. Gen. cap. 26. *Gratia quidem Dei in omnibus iustificationibus principaliter præeminet suadendo*

12. & D. Prosperi.

dendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inspirando consilium, corq; ipsum illuminando, & fidei affectionibus imbuendo: sed etiam voluntas hominis subiungitur ei atque coniungitur, quæ ad hoc prædictis est excitata præsidiis, ut divino in se cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod superno semine concepit ad studium, de sua habens mutabilitate si deficit, de gratiæ opitulatione si proficit. Quæ opitulatio per innumeros modos sive occultos, sive manifestos, omnibus adhibetur, & quod à multis refutatur, ipsorum est nequitiæ: quod autem à multis suscipitur, & gratiæ est divinæ, & voluntatis humanæ.

Gratiæ divinæ est & voluntatis humanæ quòd virtute Eucharistiæ multi præservantur à peccatis mortalibus,

Profectò gratiæ divinæ est, & voluntatis humanæ, quod tam multi à tam multis peccatis mortalibus præserventur virtute hujus sanctissimi Sacramenti. Gratiæ, inquam, divinæ, sive exteriùs protegentis, amotis occasionibus, sive interiùs corroborantis per bonas inspirationes, & salubres affectiones, quibus voluntas humana cooperatur credendo, sperando, diligendo.

13. & accipiant remissionem peccatorum venialium.

Nec dubitandum, quin eodem modo per hoc Sacramentum remittantur peccata venialia, dum voluntas excitata divinâ gratiâ & adjuta, divino in se cooperatur operi, & incipit exercere ad meritum, eliciendo actus pœnitentiæ formalis vel virtualis, quod superno semine concepit ad studium.

Quomodo hoc Sacramentum magis uniat, explicatur ex D. Bonaventura,

Hinc Seraphicè Doctor Seraphicus 4. dist. 12. parte 2. art. 1. q. 3. *Dicitur ergo hoc Sacramentum magis unire, quia dignè accedentem reddit ferventiorem, ut carbo ignitus, & iterum reddit fortiorem, ut bonus cibus. Et ex hoc quod reddit charitatem magis ignitam, adiuvat ad consumendam peccati venialis rubiginem. Ex hoc quod magis firmat, adiuvat ad vitandam omnia scelera; & ratione utriusque valet ad augmentum virtutum, & maximè charitatis, quæ est vinculum, non quantùm ad essentiam, sed quantùm ad fervorem vel radicationem. Fervor enim minuitur quotidie per venialia & radicatio: ideo oportet per hunc cibum restaurari deperditum.*

14. Catechismo Pii V.

De hac restauratione sic inquit Pius V. in suo Catechismo parte 2. cap. 4. q. 40. *Quidquid enim cupiditatis ardore animæ amisit, cùm levi aliqua in re parùm offendit, totum Eucharistia, eas ipsas minores culpas abstergens, restituit: quemadmodum etiam (neque enim à proposita similitudine discedendum videtur) quod innati caloris vi quotidie detrahitur ac deperit, paulatim addi & refici naturali alimento sentimus.*

& Concil. Florent.

Hâc similitudine antea explicaverat effectum Eucharistiæ Eug. IV. in Conc. Florent. dicens: *Omnem effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem..... Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem.* Sicuti ergo cibus & potus materialis restaurant amissa, causant humores bonos, & noxios expellunt; ita spiritualis cibus & potus passiones noxias minuunt ac expellunt, bonas verò & salubres cogitationes, affectionesque excitant, quibus liberè assentiendo & cooperando homo liberetur à culpis quotidianis & à peccatis mortalibus præservetur.

15. An Eucharistia remittat immediatè peccata venialia?

Ex qua comparatione (ut ad illud, quod controvertitur inter Doctores Catholicos accedamus) inferunt plures, cibum spiritualem restaurare ruinas quotidianarum infectionum, id est, remittere peccata venialia, etiam immediatè ex opere operato, uti Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis, absque alio pio motu. Alii requirunt pium motum, etsi de se insufficientem ad ea, saltem omnia, remittenda: quia, inquiunt, non videtur Deus etiam leves offensas remittere, nisi homo se ab eis aliqualiter avertat, & eas retractet; quod tamen (addunt) non est planè certum, quando homo actu non amplius iis afficitur.

Dicunt autem, *Saltem omnia*, propter quosdam, qui putant, actus aliquos, etiam generaliter retractativos omnium venialium, sufficere posse ad remittenda aliqua, etsi non ad omnia. Quod tamen videtur illis parùm verisimile, si intelligatur (ut ipsi intelligunt) de remissione quoad culpam, cùm omnia æquè retractentur, nec sit potior ratio de his, quàm de illis, nec aliquod fundamentum sit istius conjecturæ.

16. Sententia affirmans probatur ex Innoc. III.

Cæterùm quòd Eucharistia deleat illa immediatè, probant ex Innoc. III. lib. 4. de Myst. Missæ cap. 44. ibi: *Nam Eucharistia si dignè sumatur, à malo liberat, & in bono confirmat, venialia delet, & cavet mortalia.* Similiter ferè loquitur Trident. sess. 13. cap. 2. Quæ utique locutio intellecta ut sonat, significat deletionem per se, & immediatam. Nec est ratio intelligendi impropriè.

17. Ratio à priori in favorem Thomæ.

Atque hæc sententia apparet satis probabilis, maximè ex auctoritate Doctorum D. Thomæ, Bonaventuræ, & aliorum, tum Veterum, tum Recentiorum. Nam si quæritur ratio à priori, nulla alia esse potest, quàm voluntas instituentis, quæ neque ex Scriptura, neque ex ullo Concilio videtur efficaciter probari.

Quod enim attinet ad Tridentinum, illud eodem modo loquitur de præservatione à peccatis mortalibus, quam tamen constat Eucharistiam non efficere immediatè, infallibiliter nos præservando, sed solùm, ut dictum est, mediis bonis inspirationibus & affectionibus, quibus excitamur ad non peccandum. Cur ergo infallibiliter remittat peccata venialia, & non potiùs, sicut dat vires contra tentationes, quantùm est de se, licèt non semper cum effectu, ita etiam restauret amissa, quantùm est de se, præstando vires & auxilia, quæ per peccata venialia demeremur, ut possimus illa excutere?

17. Cibus naturalis non semper nutrit cum effectu

Sanè neque cibus naturalis semper nutrit aut restaurat amissa cum effectu, sive ex opere operato, ut sic loquar; sed dependenter ab actione

actione naturali potentiæ vegetativæ, per quam convertitur in substantiam viventis, quâ proinde deficiente, deficit nutritio & restauratio, licèt cibus, quantùm est ex se, sit materia sufficiens nutritionis & restaurationis. Ut omittam in multis aliis hanc similitudinem claudicare.

Addunt aliqui, etiam Sacrificium Missæ remittere paccata venialia, juxta illud Trident. sess. 22. c. 1. *Atque illius* (Sacrificii cruenti) *salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur:* equidem solùm mediatè secundùm communem sententiam.

Trident.

18. An sit eadem vitio Sacrificii & Sacramenti.

Sed facilis est responsio. Prima: Concilium ibi loqui non tantùm de peccatis venialibus, sed etiam mortalibus, quæ manifestum est non remitti immediatè per Sacrificium; sed mediâ dumtaxat pœnitentiâ, prout ibidem cap. 2. docet his verbis: *Hujus quippe oblatione placatus Dominus, gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata etiam ingentia dimittit.* Quid Simile dicit de remissione venialium per Eucharistiam?

Confert Sacramentum conferre gratiam, quæ de congruo exigit remissionem aliquorum saltem venialium.

Resp. 2. aliunde certò constare Eucharistiam conferre gratiam sanctificantem, quæ secundùm quorumdam opinionem exigit de congruo remissionem venialium, si non omnium, saltem aliquorum pro majori vel minori ejus intensione: consentaneum enim videtur legibus amicitiæ, ut quoties aliquis admittitur ad arctius vinculum amicitiæ, toties leves aliquæ offensæ condonentur. Quid ergo fiet ei, qui admittitur ad convivium? Facilè solent amici in conviviis leves offensas remittere.

Hæc congruentia non militat in Sacrificio.

Atque hæc erit ratio congruentiæ, quæ non militat in Sacrificio, quod non est convivium, neque probabiliùs confert ex opere operato augmentum gratiæ sanctificantis, ut infrà latiùs dicetur.

19. Responsio ad Concil. Trident.

Porrò ad primum desumptum ex Concilio Trident. Respondeo disparitatem esse petendam ex subjecta materia: nam si Eucharistia infallibiliter & immediatè præservaret à peccatis, jam tolleretur libertas hominis, nec posset peccare, etsi vellet: remissio autem peccatorum potest concedi etiam contra voluntatem hominis sine ullo detrimento libertatis. Respectu igitur præservationis est ratio sufficiens Concilium impropriè intelligendi; secus respectu remissionis venialium.

Et verò licèt cibus materialis non reparet, quod deperditum est virtute caloris naturalis, nisi mediâ actione viventis; equidem magis mediatè juvat ad operandum, dando vires: ergo similiter cibus spiritualis immediatiùs debet remittere venialia, quàm præservare à mortalibus.

20. Cibus materialis semper non tam efficit.

Ex his communis sententia multùm redditur plausibilis. Restat tamen aliquibus non nullus scrupulus; cur ergo urgeantur homines se emundare à venialibus antequam communicent? *Peccata*, inquit D. Aug. Tract. 26. in Joan. *etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis; Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum.*

S. Aug.

Optimum consilium est ante Communionem se emundare à venialibus;

Respondeo; consilium optimum, quia de re certiori & meliori: certiori quidem, quia non est planè certum Eucharistiam immediatè remittere; meliori verò, quia emundatio prævia est melior & dignior dispositio, adeoque uberior effectus, secundùm illa, quæ diximus disp. 1. sect. 5. concl. 1.

uti etiam ante suscepionem Extremæ Unctionis;

Hinc etiam præparantibus se ad sumptionem Extremæ Unctionis meritò suadetur retractatio peccatorum venialium, licèt certò per illud Sacramentum remittantur; cur hoc, nisi quia melior dispositio, imò fortè necessaria? Solet etiam præmitti confessio tamquam medium magis per se ad illam remissionem institutum. Cæteroquin ut quid suadetur fidelibus, ut confessuri eliciant perfectam contritionem, si per ipsam confessionem deleantur culpæ, etiam graves, cum sola attritione? Plura de remissione venialium in materia de Pœnitentia.

idque per præviam confessionem.

21. Immediata remissio hic intelligitur de culpa, non de pœna.

Hoc unicum admoneo Lectorem, ut quæ dicta sunt de immediata remissione venialium, intelligat quoad culpam; nam remissionis pœnæ neque Scriptura, neque Concilia, aut SS. Patres meminerunt, quod satis est, ut non asseratur; præsertim cùm neque ex augmento gratiæ colligi possit, ut per se constat, neque ex fine hujus Sacramenti: quia reatus pœnæ non includit malitiam moralem impedientem fervorem charitatis.

Eucharistia ut sacrificium est, per se ordinatur ad pœnæ temporalis remissionem;

Adde, Eucharistiam quatenus Sacrificium, per se ordinatam esse ad remissionem pœnæ temporalis, & ideo nullatenus necessarium fuisse, ut sub ratione etiam Sacramenti ad eundem effectum ordinaretur.

Hucusque de effectibus, quos Eucharistia operatur in anima; operatur, inquam, cum quadam spiritûs suavitate & delectabili devotione; quam tamen illi soli sentire solent, qui animo ab inordinatis affectibus, etiam venialibus, vacuo, solicitè ad illius sumptionem se præparant, ac suavissimi Sacramenti quasi masticatione per sanctas meditationes ad hanc mensam accedunt.

Sed quid de effectibus, quos operatur in corpore?

CONCLUSIO III.

Eucharistia nullum effectum immediatum habet in corpore.

22. Eucharistia nullum habet effectum immediatum in corpore: *Joan. 6.*

QUis enim ille esset? Realis, inquis, unio inter Corpus Christi & corpus sumentis, juxta illud Joan. 6. v. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in illo.*

non unionem physicam inter Corpus Christi & corpus sumentis,

Sed quæ ista unio? Equidem non formalis, quia nec hypostatica; nec qualis est inter materiam & formam: neque qualis inter subjectum & accidentia; nec qualis inter partes integrantes, ut patet.

Si dixeris esse effectivam: Contrà; quia Corpus Christi neque conservat corpus sumentis, neque aliquod aliud esse corporale illi directè influit, ut ex sequentibus patebit.

23.

Vasquez.

Dices, esse quamdam unionem moralem, quæ duret etiam corruptis speciebus, idque tantùm in dignè communicantibus, & quamdiu permanent in gratia accepta; quasi interim caro communicantis tractetur à Christo tamquam caro propria: sicut maritus, inquit Vasquez disp. 204. n. 35. post commixtionem cum uxore carnem illius ut propriam æstimare & tractare debet, quia intima illa conjunctio hoc postulat.

nec propriè moralem, nisi ratione gratiæ sanctificantis;

Optima verba; sed præter verba nihil aliud hæc unio importare videtur, quàm contactum realem & localem propinquitatem Christi cum communicante (quæ evanescit cum speciebus) & unionem moralem per gratiam & affectum charitatis ac dona gratiæ actualis. Atque de illa unione satis verificantur verba Christi allegata ex Joan. 6.

Licèt autem & cætera Sacramenta gratiam & charitatem conferant, non tamen sub ratione alimenti, prout hoc Sacramentum. Unde cùm alimentum transeat in substantiam alitì, eique uniatur, hoc Sacramentum præ cæteris confert gratiam, tamquam unientem cum Christo, ut spirituali animarum nostrarum cibo.

24. de qua unione intelligi possunt SS. Patres:

De eadem unione morali intelligi possunt SS. Patres, quos in magno numero pro se citat Vasquez suprà cap. 2. quamquam ipsi magis videantur exaggerasse corporalem cum Christo unionem ad indicandam realem Christi præsentiam in hoc Sacramento. Quocirca non tam fecerunt vim in proprietate unionis, quàm in proprietate rei corporalis, quam hìc suo modo nobis unit, id est, conjungit; ut sensus sit, verè & realiter Corpus Christi ad nos intrare, & intrà corpus sumentis contineri.

vel potiùs de reali continentia Corporis Christi intrà corpus sumentis,

Nec refert, quòd subinde hanc unionem comparent cum unione hypostatica inter Verbum & humanitatem; quoniam non comparant in modo unionis, sed in re unita, ut sicut realiter Verbum humanitati, ita realiter Corpus Christi nostro corpori misceatur, quamvis diverso actionis modo. Itaque per sumptionem Eucharistiæ nulla fit realis & physica unio inter Corpus Christi & corpus sumentis. quam comparant quandoque cum unione hypostatica.

Sed numquid tribuitur corpori sumentis immortalitas? *Qui* enim *manducat hunc panem* (ait Christus Joan. 6. v. 59.) *vivet in æternum.* Joan. 6.

Respondeo, neque in hac vita, ut patet: *Nam quantùm attinet* (verba sunt D. August. Tract. 26. in Joan. circa medium) *ad mortem istam visibilem & corporalem, numquid nos non morimur, qui manducamus panem de cælo descendentem?* Enimverò *Statutum est hominibus semel mori*, inquit Apost. Hebr. 9. v. 27. Et *quis homo, qui vivet & non videbit mortem?* Psal. 88. v. 49. mortem utique hujus corporis visibilem atque corporalem. Eucharistia in hac vita non dat immortalitatem. S. August. Hebr. 9. Psal. 88.

Neque in futura vita; quoniam illa Beatorum corporalis immortalitas non convenit corpori, nisi ut merces bonorum operum, cùm æqualiter participetur ab omnibus Beatis, sive fuerint participes hujus Sacramenti, sive non. Ergo illa immortalitas non tam est ex opere operato alicujus Sacramenti, quàm ex opere operantis. neque in futura;

Unde quòd Christus suprà tribuit huic Sacramento pro effectu vitam æternam, intelligitur vel directè de vita animæ, quæ est fruitio Dei; vel indirectè de vita corporis, quæ consequitur animæ beatitudinem. Et consimiliter explicandi sunt SS. Patres. nisi indirectè.

Quòd si objicias; quia sic etiam alia Sacramenta tribuunt vitam æternam. Resp. specialiùs Eucharistia, propter specialia auxilia ad perseverantiam. Profectò dicere, quòd iis, qui aliquando communicarunt, debeatur resurrectio titulo particulari, quo non debetur Catechumenis, non videtur satis fundatum, adeoque minimè asserendum.

25. An detur aliquis motus in animo.

Neque majus fundamentum habet, quod aliqui asserunt Eucharistiam directè minuere fomitem concupiscentiæ, proximè scilicet tollendo rebellionem appetitûs sensitivi adversus rationem. Enimverò faceret hoc, vel per infusionem alicujus habitûs, inclinantis appetitum ad objecta sensibilia rectæ rationi consentanea; vel per substractionem concursûs, quo Deus tamquam causa universalis concurrit cum illo appetitu ad actualem rebellionem, seu motum rationi contrarium; vel denique ipsum appetitum sensitivum in se planè coaptando inclinationi rationis, ut seipso non in aliud feratur sensibile, quàm quod dictat recta ratio.

Hic postremus modus est impossibilis, quia natura appetitûs talis est, ut feratur in bonum quodcumque possibile. Secundus autem modus novum fingit miraculum sine necessitate aut

Modi sic diminuendi fomitem, vel sunt impossibiles, vel minus difficiles.

aut fundamento. Primus denique, quamvis possibilis & consentaneus ordini rerum, quo Deus inclinat potentias per habitus; tamen quòd talis habitus modò detur in appetitu sensitivo, repugnat manifestæ experientiæ: sanctissimi enim viri post frequentem hujus Sacramenti sumptionem, aliquando sentiunt gravissimam appetitûs rebellionem, & majorem quàm antè: quod non fieret, si haberent appetitum habituatum; quia appetitus non est liber, ut possit contra inclinationem habitûs, sicut potest voluntas.

Non tango, hujusmodi habitum infusum nullâ niti sufficienti auctoritate Doctorum, quæ tamen in supernaturalibus donis asserendis plûs valet, quàm ratio. Quin imò nec ullâ ratione potest satìs colligi talis habitus; etenim omnis illa tranquillitas appetitûs inferioris, quam pii fideles sentiunt ex usu hujus Sacramenti, facilè in alias causas, quàm in specialem habitum infusum potest referri.

Neque hæ causæ longiùs quærendæ: inspice Conclusionem præcedentem, & statim occurrent auxilia gratiæ actualis, tam internæ, quàm externæ, quibus homo præservatur à peccatis mortalibus.

27. Quare indirectè fomitem minuit:

Itaque sumptio hujus Sacramenti minuit fomitem concupiscentiæ; sed indirectè, seu ex consequenti, quatenus Deus propter illam vel tollit, vel minuit materiam incentivam illius fomitis, puta per applicationem naturalium causarum minuendo temperamentum corporis, excitans appetitum ad motus iræ, luxuriæ, ac similium vitiorum; vel tollit objecta extrinseca inflammantia appetitum, & suâ singulari protectione hominem servat ab occasionibus peccatorum; vel quatenus bonis instinctibus ita prævenit & adjuvat voluntatem, ut facilè possit avertere appetitum à delectabilibus contra rationem; vel denique quatenus adaucta per hoc Sacramentum charitate, quâ voluntas vehementiùs delectatur bonis divinis, appetitus minùs potest occupari circa delectationem boni terreni; fit namque propter naturalem potentiarum unionem & radicationem in eadem anima, ut quò una vehementiùs applicatur suo objecto, eò minùs altera possit applicari ad suum objectum, eò quòd virtus animæ finita, quâ per singulas potentias operatur, ad unum actum ampliùs intenta, minor est ad alium. Ita ergo, & non aliter hoc Sacramentum minuit fomitem concupiscentiæ. Et quid ampliùs requirant dicta SS. Patrum, non video.

quid sit primo modo,

28. Utpote in Eucharistia specialiter, quam in aliis Sacramentis.

Porrò si aliquis objiciat, hâc ratione etiam alia Sacramenta diminuere fomitem concupiscentiæ, scilicet augendo gratiam & charitatem, & præbendo auxilia actualia ad rectè vivendum.

Respondeo; huic Sacramento præ cæteris appropriari hunc effectum: quia cum ex vi suæ institutionis sit alimentum animæ; ad vitam scilicet animæ tuendam & conservandam ordinatum, hinc abundantiora confert auxilia ad fastidiendum delectabilia, quæ tamquam dulce venenum propinat concupiscentiæ fomes, quibus admissis atque haustis, animam spiritualiter mori necesse est, quia juxta sententiam D. Jac. Epistolæ suæ cap. 1. v. 14. & 15. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatum: peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Jacobi 1.

29. Objectio.

Arguis rursum: effectus Sacramentorum semper datur dignè sumentibus; at fomes non semper minuitur in dignè communicantibus, ut patet: nam etiam in sanctissimis viris concupiscentiæ ignis quasi diuturnæ gratiæ favilla sopitus, ubi tentationis procella afflaverit, subitò quandoque in maximam flammam erumpit.

Solvitur.

Resp. effectum Sacramentorum semper conferri dignè accedentibus, in quantum conducere potest ad animæ salutem. Unde cùm gratiæ sanctificantis collatio semper conducat ad salutem suscipientis, hunc effectum infallibiliter sortiuntur Sacramenta, & idem est de sacramentali gratia actuali præservante hominem à consensu peccati; hæc enim, quantùm est ex parte Dei, semper est parata. At verò si quis effectus Sacramentorum, sive directus, sive indirectus, est corporalis, ut est diminutio fomitis in hoc Sacramento, & sanitas corporalis in Extrema Unctione, talis non datur, nisi quatenus saluti animæ expedire potest.

30. Quare Eucharistia non semper minuat fomitem concupiscentiæ. 2. Tim. 2.

Hinc ergo fit, ut cùm ad majorem virtutis perfectionem; *Nam virtus in infirmitate perficitur*, 2. Cor. 12. v. 9. & ad ampliorem Victoriæ palmam comparandam; *Nam & qui certat in agone, non coronatur, nisi legitimè certaverit*, 2. Tim. 2. v. 5. quibusdam suis amicis Deus noverit expedire, ut variis tentationibus exerceantur, hinc, inquam, naturæ corruptæ infirmitatem, & concupiscentiæ rebellionem in illis relinquit, quam aliis electis minuit, quibus in ruinam fore præscivit. Sicut sapiens dux militiæ, nolens exercitum suum perire, ubi graviorem prælii impetum fore novit, ibi collocat fortiores, debilioribus in extremam aciei partem relegatis

Hoc tibi dicit Deus tuus (ait Magnus Pater Aug. lib. 50. Homil. Homilia 23. in medio) *regebam te mihi, servabam te mihi, ut adulterium non committeres: suasor defuit, & ut suasor deesset, ego feci: locus & tempus defuit, & ut deessent, ego feci. Adfuit suasor, non defuit locus, non defuit tempus, ut non consentires ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius, cui debes, & quod non admisisti. Mihi debet iste quod factum est, & dimissum vidisti, mihi debes & tu, quod non admisisti. Nullum est enim peccatum, quod fecit homo, quod non posit facere alter homo, si desit rector, à quo factus est homo.* S. Aug.

Quæ cùm ita sint, liquet profectò hoc Sacramentum non causare directè aliquem effectum in corpore sumentis, bene in anima. Et si à me quæritur, quando effectum suum sortiatur in anima? Respondeo & dico:

CONCLUSIO IV.

Eucharistia confert gratiam cùm perfectè manducatur, & non anteà.

31. Quid sit perfecta manducatio?

PRima pars est communis. Voco autem perfectam manducationem, trajectionem specierum in stomachum; quamvis enim qui sumpsit cibum in ore, jam inceperit manducare, & communiter ab hominibus dicatur manducare; equidem si cibum extraheret antequam fuisset in stomacho, ab omnibus diceretur non manducasse; alioquin non communicaret jejunus, qui ante communionem os abluisset. Manducatio ergo est actio complectens sumptionem intrà os & trajectionem, hanc essentialiter, illam solùm integraliter: nam qui ante mediam noctem habebat cibum in ore, si post mediam noctem trajiciat, dicitur manducasse illo die, & nequit communicare ob solutum jejunium.

Sed petet aliquis, quando trajicitur cibus vel potus in stomachum? Resp. quando attingit initium stomachi.

32. Probatur prima pars Concl. ex Scriptura.

His suppositis, nemo dubitare debet aut potest, quin Eucharistia, dum sic perfectè manducatur, conferat augmentum gratiæ sanctificantis. Promittitur namque gratia manducanti, & bibenti Joan. 6. v. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.* v. 57. *Qui manducat meam carnem &c. in me manet & ego in illo.* v. 58. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* v. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Joan. 6.

Qui autem promittit, *fidelis permanet, seipsum negare non potest*, 2. Timot. 2. v. 13. & *Quæcumque promisit, potens est & facere*, Rom. 4. v. 21. Quidni ergo Sacramentum fructificet sufficienter applicatum passo disposito? Agit enim instar causæ naturalis non impeditæ.

2. Tim. 2. Rom. 4.

Igitur in illo instanti vel tempore, in quo verum est dicere, *hic homo dignè manducat species*, lætus discedat, speciebus licèt adhuc incorruptis, quia vivet in æternum. Intelligo autem per species non integram hostiam tantùm, sed quamlibet ejus partem, sub qua verè continetur Corpus Christi.

33. Lugo ad perfectam manducationem requirit, ut cibus tetigit initium stomachi, licet reliqua pars, quæ nondum attigit initium stomachi, sive, ut ipse loquitur, nondum transiit, scilicet terminum dividentem stomachum à gutture, seu partem unam ab alia ejusdem gutturis, retrahatur ad os, & ejiciatur foràs. Manducatio enim in hac materia debet accipi eo modo, quo apud homines accipitur in aliis cibis, qui certè humano modo dicuntur manducati, non quandocumque attingunt talem partem interiorem gutturis, sed quando tangunt aliquo modo irrevocabiliter.

gerit stomachum aliquo modo irrevocabiliter.

Confirmat hâc similitudine. Si enim filum ferreum longum in os mittas, ita ut extrema ejus pars tangat ultimam & imam gutturis partem, ac postea illud extrahas, nemo dicet te comedisse ferrum, licèt per horam illud ita in ore habueris. Secùs esset, si aliqua illius fili pars ab aliis separata in stomachum descendisset, aut terminum illum manducationis transisset. Hactenus ille.

Quod probat à simili.

Sed ad hæc quid Dicastillo? disp. 8. n. 20. ex hac doctrina, quam vocat mirabilem & singularem, infert: Ergo qui faciliores sunt in extrahendo ex stomacho, quantitatemque majorem regerere possunt, vix, aut tardè censebuntur manducasse. Quid quæso faciat ille (de quo Aug. in lib. de Civit. Dei) qui ita erat constitutus, ut voratis diversis cibis, quod determinatè peteretur, id redderet? An ideo non comedit, quia adhuc potest (juxta verba Lugonis) retrahere ad os? Quid dicemus etiam de iis, quorum aliquos ego novi, qui instar quorundam animantium ruminant, revocatis cibis ad os, quando volunt? Hæc ille.

34. Eum impugnat Dicastillo,

Sed non videtur hic Auctor ruminasse verba Lugonis; alioquin facilè inveniisset quid diceret, scilicet quod Lugo dicit de parte illa fili ferrei, quæ separata ab aliis in stomachum descendisset. Nam licèt, inquit Card. postea illam partem evomeres, aut arte aliquâ ejiceres, dicereris verè deglutisse & comedisse ferrum. Non ergo requiritur, quòd tota hostia, aut omnes particulæ manducatæ sint, ut detur gratia; sed quòd buccella, vel aliqua ejus pars ita transierit terminum illum, ut à reliquis partibus revocari non possit ad os, sed debeat remanere, aliis etiam partibus non transeuntibus: sic enim homines accipiunt manducationis vocabulum, ut ex usu constat. Hæc Eminentissimus.

sed male. Lug.

35. Species succedit accepto medicamini gratiam in omnibus majorem disponendo.

Sed mittamus has speculationes parùm utiles; & cùm accesserimus ad mensam Dominicam, crescat continuò in nobis devotionis affectus, ut possit crescere effectus gratiæ: cùm enim species non omnes simul trajiciantur, sed successivè, & ultimæ partes tantam habeant efficaciam, quantam priores, atque omnes agant instar causarum naturalium juxta dispositionem subjecti, si non inveniant omnem gratiam productam, quam possent producere, quidni illam producant? Jam autem si subjectum paulatim meliùs disponatur, constat ultimas

ultimas partes non invenire totum suum effectum productum: ergo illum producent. Sin verò dispositio non crescat, cùm totus effectus productus sit, quid ultra expectandum?

An melius sit accipere hostiam magnam, quàm parvam?

Et si inferas: Ergo melius esset accipere hostiam magnam, quàm parvam. Resp. per accidens melius esset, Concedo totum; de per se, Nego Consequentiam: quamvis enim per se loquendo parvæ hostiæ citiùs trajiciantur quàm magnæ, per accidens tamen est, quòd tempore trajectionis dispositio crescat, & tanta potest esse in uno homine dispositio, imò major, ante trajectionem parvæ hostiæ, quanta erit in altero toto tempore trajectionis maximæ hostiæ.

Ratio principalis doctrinæ.

Interim ratio principalis doctrinæ est; quia gratia promittitur, ut diximus, manducationi: tamdiu autem durat manducatio, quamdiu species trajiciuntur.

Objectio solvitur.

Nec obstat, quòd sit tantùm una manducatio, quia etiam tantùm erit unus effectus, sicut & una dispositio; sed quia dispositio intensior, ideo etiam effectus intensior, eodem modo ac si tota illa dispositio, quæ ponitur in fine trajectionis, fuisset posita à principio.

36. Qui primò male capit communicare, si durante sumptione disponatur, accipere gratiam.

Ex quo ulteriùs bene infertur: Si quis incipiat communicare in malo statu, & durante successivâ specierum sumptione disponatur, accipere gratiam. Nam etsi prima pars specierum invenerit obicem, non tamen posterior, quæ cùm sit Sacramentum causativum gratiæ, promissæ manducanti dignè, causabit eam. Etenim quòd ordinariè gratiam actu non causet, est, quia invenit eam causatam à priori parte.

Objectio solvitur.

Quod autem aliqui respondent, sumptionem illam primæ & secundæ partis esse unam moraliter, parùm habet momenti. Nunquam legistis Regulam juris 37. de Reg. Juris in 6. *Vtile non debet per inutile vitiari?* Si ergo propter hanc regulam votum, cujus materia ex parte est bona & ex parte mala, obligat sæpè ad partem bonam, quidni etiam eadem moraliter sumptio ex parte bona & ex parte mala, in quantum bona causet effectum gratiæ, quem non causat quatenus mala est?

Reg. Juris 37. in 6.

37. Hinc Sacramentum non operatur statim atque positum est in ore.

Atque hactenus de prima parte Conclusionis. Secunda pars est contra aliquos, qui docent Sacramentum operari statim atque positum est in ore: quia, inquiunt, jam dicitur verè manducari, gratia autem, ut statim dictum est, promissa est omnibus manducantibus. Majorem probant ex etymologia verbi; nam ly *Manducare* derivatur à verbo *Mando*, quod dentibus & ore sit. Unde qui dentibus terit cibum in communi modo loquendi dicitur, *manducare*; licèt non, *manducasse*.

Objectio solvitur ex Lugone.

Resp. cum Lugone suprà n. 29. Licèt etymologia verbi sumatur à masticatione, certum est illam non requiri ad manducandum verè & propriè, alioquin non manducant fideles carnem Christi; quia eam dentibus non mandunt, imò nec species panis, quia eas ordinariè solùm deglutiunt. Neque tantùm in hoc verbo, sed in pluribus aliis verbis & nominibus fallit etymologia nominis v. g. *Invidentia*, &, *Invidere*, derivantur ab *In*, &, *Videre*, & tamen secundùm omnes spectant ad voluntatem. Cujus ratio à priori est, quòd sæpè nomina aut verba significantia unam rem, deriventur à nominibus aut verbis significantibus alias res diversissimas.

Sæpè fallit etymologia nominis.

Et sanè si verè dicitur manducare, qui hoc instanti vel tempore dentibus terit cibum, non video quare sequenti instanti vel tempore non verè dicatur manducasse; nam qui hâc horâ verè ambulat, studet, loquitur &c. sequenti verè dicitur ambulasse, studuisse, locutum fuisse &c. Cur ergo non similiter qui hâc horâ manducat, sequenti dicatur manducasse? Quod tamen constat esse falsum, nec ab illis Auctoribus admitteretur. *Cùm gustasset, voluit bibere*, inquit Sacra Pagina Matt. 27. v. 34. Ergo aliud est gustare, aliud bibere, ergo ille, qui gustat, non verè dicitur bibere.

Aliud est gustare, aliud bibere.

Atque hæc sit ratio secundæ partis Conclusionis; quia videlicet ante perfectam manducationem, juxta explicationem datam, Eucharistia non verè dicitur manducari; gratia autem promissa est verè manducantibus, & non tantùm incipientibus manducare. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, Joan. 6. v. 54.

38. Probatur 2. pars Concl. *Joan. 6.*

Ex quo sequitur; Si homo moreretur cum speciebus adhuc in ore existentibus, nullum fructum ex his percepturum.

Si homo moreretur cum speciebus adhuc in ore, nullum fructum perciperet.

Nec obstat, quòd cibus materialis in ore oblectet gustum: nam suprà dixi, comparationem cibi materialis cum spirituali in pluribus claudicare: & ratio diversitatis impræsentiarùm est, quòd alimentum corporale diversimodè ac diversis partibus corporis applicetur; & idcirco in singulis partibus, juxta dispositionem cujusque, singularem usum habet. At Eucharistia non nisi uno modo applicatur, scilicet per manducationem seu trajectionem in stomachum, ut ex Scriptura colligitur; hinc non nisi semel operatur, per se loquendo, nimirum in termino manducationis, quando cibus trajicitur in stomachum, sive attingit initium stomachi.

Eucharistia non nisi semel operatur, per se loquendo.

Dico, *per se loquendo*; quia

CONCLUSIO V.

Verisimile est Eucharistiam posse operari toto illo tempore, quo manet in stomacho incorrupta, si immutetur & crescat dispositio sumentis.

39. Eucharistia tamdiu in

HAnc sententiam docet Cajetanus 3. parte qu. 79. cum aliis, quos sequitur Suarez

stomacho operatur, quamdiu crescit dispositio. *Caietanus, Suarez, Lugo.*

disp. 63. sect. 7. & licèt olim malè audierit, inquit Cardinalis disp. 12. nu. 46. jam tamen communiter recipitur, & est magis probabilis & pia. Quòd sit magis pia, credo; an autem sit magis probabilis, poterit Lector judicare ex his, quæ subjicio in ipsius probationem.

Ejus probatio,

Probatur ergo principaliter: quia Eucharistia causat gratiam per modum cibi manducati; quamdiu autem manet incorrupta in stomacho, verè est applicata subjecto per modum cibi manducati: ergo tamdiu potest operari secundùm dispositionem subjecti, cujus proinde si crescat dispositio, etiam crescet effectus Sacramenti; vel certè, si accedat dispositio legitima, quæ anteà non erat, primò producet suum effectum.

sed congrua tantùm:

Equidem hoc argumentum ex natura rei petitum, solùm probat id esse congruum, non autem omnino ita fieri demonstrat, cùm res pendeat ex voluntate instituentis, quæ hâc in re per revelationem non satis constat; & ideo solùm dixi in Conclusione, hoc esse verisimile.

40. qualis est etiam confirmatio ex Florent. desumpta.

Neque majorem vim habet confirmatio, quæ petitur ex Florent. suprà in decreto de Armenis: *Omnem* (inquit) *effectum, quem materialis cibus & potus quoad vitam agunt corporalem ..... Sacramentum hoc quoad vitam operatur spiritualem.* Cibus autem & potus materialis nutriunt & augent corpus, quamdiu sunt in stomacho: ergo similiter cibus & potus spiritualis animam.

Respondent enim Adversarii, & satis bene, cibum spiritualem operari quidem idem, quod cibus materialis; sed non per omnem modum aut similitudinem cibi materialis, sed pro quanto Christus voluit: quod autem voluerit etiam quoad præsens, non manifestè constat. Quin potiùs, inquiunt, oppositum videri potest voluisse, dum gratiam tantùm promisit manducantibus, non autem digerentibus; adeoque tantùm illam annexuit Corpori & Sanguini suo, quatenus manducatur & bibitur.

Et si dixeris, manducatio tantùm est conditio sine qua non, ut Sacramentum operetur primò in anima; non autem ut operari pergat. Reponunt, hoc gratis dici, nec satis probari; potuit enim Christus velle, ut tantùm operetur dum, & donec applicatur.

41. Similitudo cibi materialis non quadrat in omnibus cum hoc Sacramento.

Porrò similitudo cibi materialis non quadrat in omnibus, ut jam sæpè dixi: nam cibus corporalis nutrit, non eo ipso quo applicatur, sed postea dum in stomacho corrumpitur; quid indè pro cibo spirituali sequitur, nisi absurdum? Cibus corporalis potiùs patitur, quàm agit: ergo etiam spiritualis. Cibus materialis pro majori parte est inutilis alito: ergo etiam spiritualis, quæ consequentiæ?

Itaque Florentinum, licèt adscribat similes effectus utrique cibo quoad nutrire, confortare, augere, delectare &c. non tamen vult quòd simili modo, simili & æquali tempore &c. Immo oppositum videtur inventum post illud Concilium, cùm antiquiores Theologi de eo non meminerint. Hæc illi. Quæ haud obscurè ostendunt, etiam contrarium Conclusionis esse probabile.

Manducatio non est pars essentialis. Interim tamen, quia incerta est voluntas Christi, elegimus magis piam. Profectò quòd manducatio tantùm sit conditio sine qua non, & non pars essentialis Sacramenti, videtur colligi ex illis verbis Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis* &c. & similibus, quæ significant non tam præsentem mandùcationem, quàm præteritam. Adde, fortè nec ipsam manducationem esse conditionem sine qua non, sed sufficere existentiam specierum in stomacho, quocumque medio aut viâ ibi fuerint positæ. Vide dicta disp. 1. sect. 1. conclusione secunda. Probatur Joan. 6.

42. Cibus spiritualis potiùs agit quàm patitur.

Cæterùm, quia spiritualis cibus potiùs agit, quàm patitur; è converso verò cibus materialis, ut bene Adversarii animadverterunt: hinc fit, quòd cibus materialis non operetur, donec corrumpatur; nutrit siquidem per conversionem sui in alitum: è contrario autem cibus spiritualis, cùm nutriat per conversionem aliti in se, tunc prodest quando est; quod enim non est, non potest agere aut convertere alitum in se. In hoc ergo non est proportio. Sed cur non in eo, quòd sicuti cibus materialis patitur ab alito quamdiu ibi est, ita Eucharistia agat, quamdiu ibi est?

Objectio Joan. 9.

Dices primò; quia sic etiam ageret sine nova dispositione, juxta illud Joan. 9. v. 5. *Quamdiu sum in mundo, lux sum mundi.*

Solvitur. Joan. 1.

Resp. planè lux, *Quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. v. 9. Verumtamen, quemadmodum sol materialis in instanti producit totum suum lumen, quod potest, quia causa naturaliter agens; ita pariter sol spiritualis, Christus in Sacramento, sive ipsum Sacramentum in instanti causat totum effectum sibi possibilem juxta dispositionem subjecti, quam invenit; quia non habet contrarium, quòd per partes debeat expelli.

Sacramentum statim in instanti effectum sibi possibilem.

Interim sicut sol materialis, si magis applicetur, magis operatur; sic quoque Eucharistia, si magis applicetur, quod fit per majorem dispositionem subjecti, magis operatur. Omitto Scripturam illam litteraliter intelligi de illuminatione mundi per fidem ex prædicatione & miraculis Domini, quamdiu erat in mundo.

43

Sed contrà secundò; gratia habitualis accepta per Sacramentum est major dispositio: ergo effectus infinitus.

Gratia habitualis accepta per Sacramentum non est major dispositio.

Resp. primò Negando Antecedens; quia dispositio debet attendi secundùm id, quod habet subjectum independenter à Sacramento. Cæteroquin idem dicam in Adversariorum sententia, quâ docent crescere effectum Sacramenti, si crescat dispositio tempore sumptionis; nam etiam ibi gratia collata erit major dispo-

dispositio. Sola differentia est, quòd sumptio non tamdiu duret, atque species in stomacho. Unde

Ut etiò est. aequidem effectus non esse infinitus.

Resp. secundò Negando Consequentiam; quia species non durant in infinitum. Tantam ergo gratiam accipiet homo ex Sacramento, auctâ continuè dispositione usque ad corruptionem specierum, quantam accepisset in primo instanti, si totam illam dispositionem tunc simul posuisset.

Objectio solvitur.

Et si hinc inferas: ergo melius est sumere hostiam magnam, quàm parvam. Resp. ut suprà, per accidens, Concedo; per se, Nego; quia totam illam dispositionem, quam aliquis habet in tempore perseverantiæ magnæ hostiæ in stomacho, potest habere ante sumptionem parvæ hostiæ, & per consequens habere æqualem effectum gratiæ.

Deinde potest dispositio tempore perseverantiæ non meliorari, & erit idem effectus magnæ & parvæ hostiæ; imò qui accipit parvam hostiam, poterit recipere majorem gratiam, si dispositio ejus, licèt parvi temporis, præstet dispositioni alterius, tametsi longioris temporis. Per accidens ergo est, quòd ille qui accipit parvam hostiam, recipiat minorem gratiam.

41. Cibus spiritualis potius aquam potus.

44. Per accidens est, quòd parva hostia det minorem gratiam.

Sic plura alia sunt, quæ per accidens possunt conducere ad majorem effectum; v. g. tardior adventus Presbyteri, vel quòd retineat aliquam particulam in ore, quam postea deglutiat, ex quo sequitur longior præparatio communicaturi. Ita docet Lugo suprà num. 65. postquam n. 54 docuisset majorem durationem actûs esse meliorem dispositionem, ita post communionem, sicut ante communionem; adeò ut idem actus continuatus post communionem sit moraliter loquendo melior dispositio, quàm in principio; & per consequens, inquit Eminentissimus, Eucharistia habebit novum effectum.

Sententia Lugonis.

Imò consequenter addo, etiamsi prior dispositio actualis fieret magis remissa, vel si adveniret alius actus minùs bonus, quàm præcedens, adhuc dari novum effectum; quia ille actus licèt remissus, licèt minùs bonus, adhuc tamen addit meritum & bonitatem novam, & per consequens melior resultat dispositio ex actu hoc & præcedenti, quàm ex solo præcedenti. Hactenus Card.

Quam oppugnat Dicastillo.

Ipsum oppugnat Dicastillo, & tantâ quidem cum contentione, ut Herculi clavam è manibus extorquere velle videatur. Vide disp. 8. n. 45. & 46. ubi in fine sic ait: Hæc, quæ diximus, non facilè percipiuntur, si tamen percipiantur, videntur vim habere.

Sanè ego non percipio, & dubito an ipse Dicastillo perceperit, & ideo illis refellendis supersedeo. Hoc unicum dico, & Dicastillonem, & cæteros omnes, qui admittunt crescere effectum Sacramenti crescente dispositione tempore sumptionis, eandem pati difficultatem. Videant quid ibi respondeant, & clarè percipient, quid hìc debeant respondere. Ad alia pergo, &

45. An qui peccaret mortaliter tempore quo durant species in stomacho, committeret Sacrilegium mortale?

Objicio rursum contra Conclusionem: ex illa videtur consectarium, eum, qui peccaret mortaliter tempore quo durant species in stomacho, committere sacrilegium mortale, quoniam impedit effectum Sacramenti. Et per consequens, qui suscepisset Sacramentum in statu peccati mortalis, teneretur statim post conteri, cùm adhuc possit recipere effectum.

Suarez.

Utramque sequelam videtur concedere Suarez disp. 63. sect. 7. Equidem aliter responderi posset, Negando primam Consequentiam: alioquin etiam peccaret mortaliter, qui non poneret majorem dispositionem, quod est contra sensum omnium fidelium, etiam maximè timoratorum: peccaret, inquam, mortaliter; quia & ipse impedit majorem effectum in nostra sententia, & ex consequenti peccaret mortaliter, qui ante communionem non se optimo modo disponeret; quod constat apud omnes esse falsum. Nulla itaque est obligatio præcisè ex ratione Sacramenti procurandi totum ejus effectum, quem potest habere; sed sufficit dispositio ad effectum gratiæ sanctificantis, quantumcumque minimæ. Vide quæ diximus disp. 1. sect. 8. concl. 3.

Videtur quòd non.

Cùm ergo in primo casu, ut supponitur, Eucharistia habuerit suum effectum, & solùm per peccatum subsequens impediatur à majori effectu, ex hoc capite non contrahitur specialis malitia sacrilegii. Neque Suarez illud allegat; sed simpliciter dicit: Si statim post communionem, quando homo est certus adhuc in se Christum habere, mortaliter peccet, sine dubio gravem injuriam Christo facit, & specialem malitiam indè contrahit. Hæc ille. Fortè, quia peccat in speciali præsentia Legislatoris, & retinet Christum in vase immundo.

Suarez.

46. Qui suscepisset Sacramentum in malo statu, tenetur statim post conteri, si possit habere effectum,

Porrò in secundo casu, cùm nullum Eucharistia adhuc habuerit effectum, si possit habere (de quo aliqui disputant) indubitanter tenetur se ad illum disponere, saltem per contritionem; nam ad confessionem nemo obligatur, nisi ante sumptionem. Neque hoc magis durum alicui videri debet, quàm quòd ante sumptionem per contritionem, imò per confessionem peccator se debeat præparare.

Putat autem Suarius suprà, & meritò, hoc peccatum non esse distinctum ab indigna sumptione; sed esse idemmet factum gravius ex hac circumstantia. Addit ob inadvertentiam facilè posse hominem excusari ab hac malitia; præsertim cùm sit valde incertum tempus, pro quo durat sacramentalis Christi præsentia.

Accedit, nostram Conclusionem non esse certam, & ideo propter ignorantiam vel contrariam opinionem probabilem, intervenire posse prædictam excusationem.

Quin

quod negat Lugo;

Quinimò Lugo suprà, quamvis doceat nobiscum Eucharistiam causare augmentum gratiæ, quamdiu perseverat integra in stomacho, si crescat dispositio, negat tamen causare aliquando primam gratiam, id est, primum effectum gratiæ; & ideo n. 64. excusat hujusmodi peccatorem ab obligatione statim procurandi contritionem; quia quamvis contereretur, equidem non reciperet effectum gratiæ.

47. sed non satis consequenter.

Quod non videtur satis consequenter dictum: siquidem & talis effectus maximè dignus est Christi benignitate & efficaciâ in redimendo & salvando homine; nam, ut ait Suarez suprà, si ad hunc finem venit in hominem per hoc Sacramentum, ut illum sibi uniat, & in itinere veniens non invenit illum dispositum: antequam verò discedat, homo se convertit ac disponit, cur non operabitur effectum in illo, propter quem ad eum sacramentaliter venit?

Responsio Lugonis

Respondet Card. quia licèt cibus adhuc sit in stomacho, non tamen prodest, nisi prout cibus voluntarius, seu voluntariè acceptus: tunc autem non potest eo modo prodesse, quia acceptio voluntaria facta fuit in statu peccati; perseverantia autem sola non sufficit, nisi prout conjuncta cum voluntaria acceptione illius cibi.

petitur.

Insignis petitio principii! Id namque probatum oportuit, non suppositum. Enimverò si non ipsi manducationi, sed cibo manducato promittitur gratia, ex quo capite requiritur manducatio voluntaria in statu gratiæ? Nonne & peccator voluntariè manducat, & accedente postmodùm legitimâ dispositione, habet dignè in se Christum manducatum? Habet profectò. Cur ergo non habebit fructum, qui potiùs promissus est cibo manducato, quàm ipsi manducationi? *Qui manducat* (inquit Christus) *meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet, & ego in illo.* Gratis ergo requiritur à Lugone, ut acceptio fiat in statu gratiæ.

Et quidem si inhærere volumus similitudini panis materialis, quid refert ad nutritionem corporalem, sive stomachus sit dispositus, dum cibus corporalis primò sumitur, sive postmodùm disponatur cibo in stomacho adhuc perseverante? Herculè cibus aliquando sumitur etiam ad stomachum indispositum disponendum.

48. Non est licitum communicare in malo statu, cum proposito confitendi ante corruptionem specierum.

Dices: ergo etiam licitum erit communicare in malo statu, dummodò adsit propositum statim confitendi post communionem ante corruptionem specierum. Probatur sequela; quia sic non fraudaretur Sacramentum suo effectu.

Resp. Negando Consequentiam; quia in primis peccatur contra præceptum positivum divinum confitendi ante communionem, de quo sectione sequenti. Deinde hoc ipso quo sumitur Sacramentum, significatur gratia præsens: ergo significatio falsa, in qua consistit malitia indignæ sumptionis. Redditur enim significatio falsa,

Contrà; etiam significat gratiam dum perseverat in stomacho: ergo etiam significatio falsa, & per consequens peccatum mortale, si impediatur ejus causalitas. quod non fit, si peccetur perseverantibus hostiæ;

Resp. non significat absolutè; sed solùm sub conditione, si non fuerit priùs collata, vel si melior dispositio advenerit. 49.

Contrà: ergo si Sacerdos sumptâ unâ parte hostiæ incidat in peccatum, non debebit procurare statum gratiæ ad dignè sumendam alteram hostiæ partem. Probo Consequentiam; quia secunda pars non significat, nec causat gratiam, nisi sub illis conditionibus, si anteà non fuerit collata, vel nisi melior dispositio accesserit.

Resp. Negando Consequentiam. Disparitatem do: quia secunda pars hostiæ est diversum signum gratiæ, saltem partiale, à prima parte; adeoque independenter ab illa debet esse signum verum; non erit autem signum verum, si cum peccato suscipiatur: quamvis enim de facto non causet gratiam, quando invenit illam causatam à prima parte; causaret equidem, si prima pars propter obicem non causasset, vel si gratia accepta per peccatum superveniens foret deperdita: cùm ergo in casu nostro gratia accepta per primam partem sit deperdita; nisi rursum talis homo se disponat ad effectum gratiæ, reddit, quantùm in se est, signum sacramentale falsum: ergo peccat novo peccato mortali. fecit & secunda pars hostiæ signum mortis & peccati.

Porrò Eucharistia primò sumpta, & in stomacho perseverans, est unum prorsus & idem signum sacramentale, quod proinde semel verum, semper verum; adeò ut de Eucharistia perseverante in homine peccatore, verum sit dicere: hoc Sacramentum contulit effectum gratiæ sanctificantis, quod falsum est dicere de secunda parte hostiæ, etsi prima gratiam contulisset. Cui displicet hæc responsio, quærat meliorem.

50. An secunda pars hostiæ semper causet distinctam gratiam?

Solùm obstare videtur hoc argumentum: Si secunda pars hostiæ est distinctum Sacramentum, saltem partiale: ergo semper causabit distinctam gratiam, saltem partialem; consequens est falsum secundùm communem sententiam: ergo & antecedens. Huic argumento respondere debent, quicumque docent utramque speciem non conferre majorem gratiam, nisi interea crescat dispositio sumentis, de quo Conclusione sequenti.

Finio præsentem Conclusionem, quam vocavi verisimilem, non ausim dicere, magis probabilem, quamvis sit magis pia. Profectò sola pietas, ut bene Adversarii advertunt, haud sufficit ut firmiter asseratur, Deum aliquid voluisse, cujus contrarium propter altissimas alias causas, fines & rationes velle potuit. Et enim potuisset omnibus peccatoribus decernere gratiam,

gratiam, quâ converterentur & salvarentur; fuissetque maximè conforme divinæ benignitati & misericordiæ, quis ausit negare? Non tamen ideo factum est. Potuit Christus sic instituere hoc Sacramentum, ut utraque species majorem conferret gratiam, quàm altera seorsim; fuissetque conforme divinæ pietati & misericordiæ, an ideo factum est? Resp.

CONCLUSIO VI.

Probabile est utramque speciem Eucharistiæ conferre majorem gratiam, quàm singulæ seorsim.

51. Utraque species majorem confert gratiam, quàm singulæ seorsim,

NOn ideo præcisè, quia sic potuit Christus velle, fuissetque conforme divinæ pietati & misericordiæ; sed quia sunt signa sacramentalia specie partiali distincta, ut probavimus sect. 1. hujus disputationis conclusione 5. quorum unum instar cibi per se significat Corpus Christi, alterum instar potûs Sanguinem Christi; utrumque autem simul est symbolum integri & perfecti convivii spiritualis, & perfectæ satietatis animæ, quam singulæ species seorsim non significant. Cur ergo singulis non respondeat diversus gratiæ effectus? Sacramenta quippe causant, quod significant. Sicuti ergo significatio diversa, ita & causalitas.

propter diversam significandi modum, & diversam significatarum diversitatem.

Significatio, inquam, diversa etiam ex parte rei per se significatæ, & non solùm ex parte signi, vel modi significandi; prout cernitur in Baptismo collato per trinam immersionem ad significandum expressiùs Sanctissimam Trinitatem, qui propterea non habet majorem effectum; quia res per se significata est eadem, quamvis modus significandi diversus.

Et ulterior ratio diversitatis est: quia ille modus baptizandi per trinam immersionem est institutionis humanæ, quæ nequit dare augmentum gratiæ; in præsenti autem diversa significatio specierum est ex institutione Christi, ut patet.

52. Pro qua sententia citantur Dicastillo, Arboreum, Vasquezius, Hurtadus, Lugo, Salmeron, Ruardus, Bellarminus, Tridentinum.

Pro hac sententia citat Dicastillo disp. 10. n. 206. Alensem, Casalium, Arboreum, Vasquezium, Hurtadum, & alios, quos & ipse cum Lugone sequitur, addens: Inter cætera auctoritatis fundamenta, non parùm momenti habet, quòd Doctor Franciscus Blanco, vir doctrinæ & morum integritate æquè conspicuus, & Archiepiscopi Compostellani dignitate fulgens, quique interfuit Concilio Tridentino, ut testantur Henriquez (licèt tacito nomine) Lugo, Vasquez & alii, affirmabat eam fuisse mentem & unanimem sententiam Patrum Concilii; sed noluisse extra tempus id definire.

Credis hoc? Ego non credo; tum quia insufficiens fundamentum definitionis, cùm neque ex Patribus, neque ex Scriptura, aut Traditione aliquid certi pro ista opinione possit colligi: tum quia ipse Dicastillo ibidem n. 205. pro opposita sententia refert Præsidem Conc. Tridentini Hosium. Præterea citat pro eadem doctrina Petrum Soto, Alphonsum à Castro, Didacum Payva, Hesselanum, Claudium, qui Tridentino interfuerunt, & in eo claruerunt. Adde Salmeronem & Ruardum. Idem docent Bellarminus, & multi alii post Tridentinum, & ante Tridentinum D. Thom. aliique Doctores quàm plurimi.

utî & pro oppositâ, *Petrum Soto, Alphonsum à Castro, Didacum Payva, Ioan. Hesselanum. Claudium.*

53. quam quidam putant ex Tridentino esse certam,

Imò aliqui illorum sententiam suam putant esse certam ex ipso Tridentino sess 21. c. 3. ibi: *Ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.*

sed errant;

Sed in hoc graviter errant. Non enim disputatur inter Doctores Catholicos de gratia necessaria ad salutem (ad quam Hæretici requirunt sumptionem utriusque speciei, quos Concilium ibi damnat) sed de gratia utili ad salutem. Unde cùm Tridentinum loquatur de gratia necessaria, apertè indicat se velle à præsenti controversia abstrahere.

cùm aliud sit gratia necessaria, & gratia utilis.

Nec valet argumentum, desumptum ex illa definitione de gratia necessaria, ad gratiam utilem: fieri quippe potest, ut aliquid non requiratur ad necessitatem, quod tamen requiritur ad utilitatem. Quamvis ergo gratia per utramque speciem conferenda non sit necessaria, posset equidem esse utilior ad salutem, quàm gratia per unam solam speciem collata.

54. Melius ergo alii probant ex præsentia totius Christi sub unica specie,

Igitur meliùs probant alii istam sententiâ ex præsentia totius Christi sub una specie sola. Quia, inquiunt, tota ratio efficaciæ hujus Sacramenti fundatur in reali præsentia Christi Domini tamquam fontis omnis gratiæ sub his speciebus sensibilibus; atqui hæc præsentia tam est perfecta sub una specie, quàm sub utraque: ergo &c.

Ioan. 6.

Minor est de Fide, ut patuit suprà, agendo de præsentia Christi in Sacramento. Major verò probatur; tum ex verbis Christi Joan. 6. ubi simpliciter manducanti Corpus suum, & bibenti Sanguinê promittitur effectus hujus Sacramenti: tum ex Tridentino suprà, ubi hinc probat communicantes sub una specie nullâ gratiâ necessariâ fraudari; quia Christus ibi contentus est.

Trident.

qui non tantùm est fons gratiæ necessariæ, sed etiam utilis.

Hæc sunt verba Concilii: *Insuper declarat quamvis Redemptor noster, ut anteà dictum est, in suprema illa Cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit; tamen fatendum esse etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi; ac propterea quod ad fructum attinet* &c. Porrò Christus, qui ibi sumitur, non est tantùm fons gratiæ necessariæ, sed etiam utilis ad salutem. Quis hoc audeat negare? Ergo quòd hoc Sacramentum conferat gratiam simpliciter, sive utilem, sive necessariam, id totum fundatur in eo, quòd Christus ibi contineatur ut fons omnium gratiarum. Argumentum haud contemnendum; sed quod tamen non convincit.

55. Hoc equidem argumentum non convincit:

Resp. ergo ad Majorem; efficaciam hujus Sacramenti sic fundari in præsentia Christi, ut tamen non excludantur ipsæ species, quæ sunt signum sensibile, cui tamquam causæ instrumentali promittitur vita æterna. Qui enim dixit Joan. 6. v. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam.* v. 56. subjunxit: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus.* Quomodo cibus, nisi ratione specierum panis, & quomodo potus, nisi propter species vini? Imò quomodo manducatur caro Christi nisi sub speciebus panis, & quomodo bibitur ejus Sanguis nisi sub speciebus vini? Ergo non soli præsentiæ promittitur gratia; sed magis speciebus, sub quibus præsens est. Et quamvis res præsens sit eadem, præsentia tamen est distincta, non solùm numero, sed etiam specie; quia ipsæ species sacramentales, quæ sunt terminus istius præsentiæ, ita sunt distinctæ. Quidni ergo illæ præsentiæ & illæ species causent distinctam numero gratiam?

Joan. 6.

cùm non soli præsentiæ, sed etiam speciebus sit attribuenda gratiæ causalitas;

adeoque sub una specie non continetur totum & integrum Sacramentum, etsi totus Christus;

Ex quo Respondeo ad Minorem: nefas sit dubitare, quin totus & integer Christus contineatur sub una sola specie. Sed numquid ideo sub una sola specie continetur totũ & integrum Sacramentum, sive totum & integrum convivium? Certè Conc. Trident. suprà allegatum, cùm dixisset sub altera tantùm specie sumi totũ atque integrum Christum, non addidit, *Totumq; Sacramentum*, sed, *Verumq; Sacramentum*; ac propterea quod ad fructum attinet Sacramenti, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem is defraudatur, qui unam speciem solam accipit, quia videlicet accipit verum Sacramentum, quo fit, ut sumptione unius speciei impleatur præceptum Communionis necessarium ad salutem; non enim præcipitur sumptio integri convivii, sed veri Sacramenti.

56. Cur autem Concilium præmiserit, totum & integrum Christum contineri, ratio est, ut excluderet errorem, in quem incidere possent Bohemi, & alii, ac de quo valde suspecti erant omnes petentes utramque speciem, videlicet iis, quibus negaretur species vini, negari quoque Sanguinem Christi.

quod ultimum sine hæresi negari non potest.

Et si quidem Minor argumenti nihil aliud velit, quàm quòd sub una specie totus & integer Christus existat; sine hæresi non potest negari. Sin autem intelligat ipsam præsentiam Christi tam perfectam esse sub una specie, quàm sub utraque, constat illam esse falsam, loquendo de perfectione extensiva; quia sub utraque specie habet duplicem præsentiam, per quam constituitur formaliter in ratione cibi & potûs, ac proinde integri convivii seu refectionis: sub una autem specie tantùm habet unam præsentiam, per quam formaliter constituitur vel sub ratione cibi tantùm, vel solùm sub ratione potûs.

57. Quælibet species non significat plenitudinem convivii, tametsi confusè & implicitè. Resp. Negando Assumptum; quia panis (idem est de vino) non consecratur sub ratione aliqua communi, sed sub speciali ratione cibi; cibus autem, ut talis, non significat, nequidem confusè & implicitè, completam refectionem seu satietatem.

nem communi.

Unde non dixit Christus Joan. 6. Caro mea verè est satians, vel alimentum utcumque, sed, *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*; ut significaret Corpori suo sub speciebus panis competere illos effectus spiritualiter, quos cibus materialis operatur corporaliter; & Sanguini sub speciebus vini illos effectus spiritualiter, quos vinum materiale operatur corporaliter. *Joan. 6.*

Sed instas: continetur etiam Sanguis sub speciebus panis. Resp. non ideo sacramentaliter bibitur; sicut v. g. liquor admixtus cibo, & simul cum eo transiens, non dicitur bibi, sed manducari; & ideo multi docent vinum offæ imbibitum non esse validam materiam consecrationis. Vide sect. 2. hujus disp. concl. 4.

Sanguis etiam sub speciebus panis non sacramentaliter bibitur;

Hæc est doctrina Innocentii III. lib. 4. de Myst. Missæ cap. 21. ibi: *Et quamvis sub specie panis Sanguis sumatur cum Corpore, & sub specie vini Corpus sumatur cum Sanguine: tamen nec Sanguis sub specie panis, nec Corpus sub specie vini bibitur aut comeditur; quia sicut nec Sanguis comeditur, nec Corpus bibitur, ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie vini comeditur.* Jam autem non soli manducationi, sive Corpori manducato, sed etiam bibitioni, sive Sanguini potato suus promittitur effectus.

Innocentius

Audio replicantem: in corpore non est idem fames, & sitis, & idcirco cibus & potus materialis habent diversos effectus: porrò in anima sunt idem, & refectio est eadem, scilicet gratia sanctificans ejusdem rationis.

Obiectio

Resp. etiam aliorum Sacramentorum gratia est eadem, & tamen diversa Sacramenta causant diversum effectum, augendo scilicet gratiam præexistentem, & tribuendo diversa auxilia gratiæ.

Robertus

Atque ita videtur fieri in proposito, juxta illud quod Ecclesia cantat in Hymno Corporis Christi: *Dedit fragilibus Corporis ferculum, dedit & tristibus Sanguinis poculum*; quasi dicat: effectus cibi spiritualis est nutrire, roborando fragiles; effectus verò potûs spiritualis, nutrire, lætificando animam tristem. Quod in spiritu prævidens Regius Propheta, cecinit olim dicens: *Ut educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis: ut exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet.* Psalmo 103. v. 15.

Alensis tit. de Euch. quæst. 3. membr. 3. Ejusdem tit. quæst. 4. membr. 1.

Unde etiam effectus calicis solet vocari in Scriptura inebriatio, Psal. 22. v. 5. *Et calix meus inebrians, quàm præclarus est?* Quia videlicet illâ hilaritate mentis animus quasi fit insensibilis ad labores & tribulationes perferendas.

Haud equidem ignoro explicationem alicujus recentis Auctoris; videlicet Ecclesiam adscribere singulis speciebus singulos effectus, sed per quamdam tantùm accommodationem; nam

Hymnus

Alensis ibi. Thomas

Obiectio

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Hymnus ille compositus est à D. Thoma, qui tamen tenet sententiam negativam q. 80. a. 12. ad 3. dicens: *Potest autem à populo Corpus sine Sanguine sumi: nec exinde sequitur aliquod detrimentum, nam Sacerdos in persona omnium Sanguinem offert & sumit, & sub utraque specie totus Christus continetur.*

Præterea ipsæ species panis lætificant, & species vini confortant, cùm cibus spiritualis sit simul potus, & contrà, ut notat D. August. Tract. 25. in Joan. & in illud Psal. 103. *Panis cor hominis confirmet.*

& D. Augustinus.

Explicatur mens Doct. Angelici.

Verùm quod ad Doctorem Angelicum attinet, nihil obstat quò minùs intelligatur in sensu Conc. Trident. de gratia necessaria ad salutem, quasi diceret: *Nec exinde sequitur aliquod detrimentum in gratia necessaria ad salutem.* Certè non plùs exigit ejus probatio, ut ex dictis liquet.

60. Explicatur mens D. Augustini. Joan. 6.

De mente D. Aug. quid dicam? Adferam ejus verba, ut omnes possint judicare de veritate. Primo loco citato sic interpretatur illa verba Joan. 6. v. 35. *Dixit autem eis Iesus: Ego sum panis vitæ, qui venit ad me, non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam.* Sic, inquam, interpretatur: *Qui venit ad me, hoc est quod ait; & qui credit in me, & quod dixit non esuriet, hoc intelligendum est, & non sitiet unquam. Utroque illa significatur aterna satietas, ubi nulla est egestas.* Quid hæc ad propositum?

Et estò voluerit, quod Adversarii intendunt, tantùm sequitur, quòd per alteram speciem accipiatur gratia necessaria ad æternam satietatem id est, salutem.

D. Aug. solidissimo adstruit lætificationem cordis, & solam confirmationem.

Sed videamus Explanationem Psalmi: *Quid est hoc fratres? Quasi coegit intelligi de quò pane diceret. Panis enim iste visibilis stomachum confirmat, ventrem confirmat. Est alius panis, qui cor confirmat, quia panis est cordis. Iam enim dixerat de pane superius:* Ut educat panem de terra, *sed non dixerat, qualis panis sit ille.* Et vinum lætificet cor hominis. *Videtur iam dicere de spiritali vino, nam id lætificat cor hominis.*

Et post pauca: *Est ergo vinum, quod verè lætificat cor, & non novit aliud nisi lætificare cor. Sed ne putes, hoc quidem de spiritali vino debere accipi: de illo autem pane non, quod & ipse spiritalis sit; sed exposuit & ipsum, & panis, inquit, cor hominis confirmat.*

Ecce distinctissimè soli vino spirituali adscribit lætificationem cordis, & pani spirituali confirmationem cordis.

Sequitur: *ergo sic accipe de pane, quomodò accipis de vino. Intus esuri, intus siti.* Beati enim qui esuriunt & sitiunt justitiam, quia ipsi saturabuntur. *Panis ille iustitia est, vinum illud iustitia est, veritas est, veritas Christus est:* Ego sum, inquit, panis vivus, qui de cælo descendi: *Et,* Ego sum vitis, vos sarmenta; *&,* Panis cor hominis confirmat. Hactenus Aug. sed magis pro nostra sententia, quàm Adversariorum.

Panis quidem Christus est, vinum Christus est: sed quid indè? Nonne repugnat eundem Christum sub diversis speciebus diversam conferre gratiam? Idem Deus est, qui causat gratiam Baptismi, Confirmationis &c. num ideo eandem numero? Idem Christus est qui manducatur diversis temporibus, an idcirco conferet eandem numero gratiam? Ergo ex eo, quòd sub speciebus vini continetur totus & integer Christus, idem, qui sub speciebus panis, haud rectè infertur, species vini non conferre augmentum gratiæ præexistentis. 61.

Species vini causant gratiam, & solæ sumantur, aut si prior gratia fuerit amissa.

Profectò species vini habere virtutem causandi gratiam, nemo Catholicus potest dubitare; imò de facto causare, si solæ sumantur, aut si gratia priùs accepta per species panis fuerit per peccatum amissa, omnes concedunt. Cur ergo negabimus ipsis effectum gratiæ, si simul sumantur? Neque enim promissio facta est sub conditione separatæ sumptionis. Et incredibile videtur Apostolos in ultima Cœna nihil fructûs accepisse ex sumptione calicis.

Pro Conclusione facit D. Cypr.

Ipse Christus pincerna (inquit Cypr. lib. de Card. Christi operibus homilia de Cœna Domini) *porrexit hoc poculum, & docuit ut non tantùm exterius hoc Sanguine lumemur, sed & interiùs aspersione omnipotente anima muniretur.* Parùm certè munitur anima interiùs Sanguine Christi, si nullum ex ejus sumptione percipit fructum.

Sacerdos post sumptionem primæ speciei orat, ut Sanguis custodiat animam ejus.

Orat Sacerdos post sumptionem primæ speciei, ut Sanguis, quem vult accipere, custodiat animam ejus in vitam æternam. Orat post sumptionem utriusque speciei sæpissimè dicens: *Refecti cibo, potuq; cælesti.* Qualis custodia, qualis refectio, si nulla ex sumptione Sanguinis gratia?

62. Objectio solvitur.

Dices; causat eandem gratiam. Resp. gratiam jam datam nullo modo pendere à sumptione calicis, ut patet in eo, qui moritur post sumptionem Corporis: ergo non causatur à Sanguine, sed causaretur, nisi esset causata. Gratis autem dicitur effectum tunc dividi à Deo; si enim dispositio est sufficiens, & similiter causa, cur Deus suspenderet illum effectum? Enimverò jam talis esset peioris conditionis, quàm alius qui solùm unam speciem sumeret; quippe ante sumptionem calicis illo tempore intermedio careret illo augmento gratiæ, quod alter statim acciperet, & si moreretur, in æternum illo augmento privaretur, quod videtur parùm consonum divinæ bonitati & institutioni hujus Sacramenti.

Gratia data per primam speciem nullo modo dependet à sumptione alterius speciei.

Confirmatur ex Bulla Clementis VI. anno 1341. in quâ Regi Galliæ (Vasquez refert Angliæ) concedit facultatem communicandi sub utraque specie: *Concedimus*, inquit, *ut quotiescumque volueritis, liceat communicare sub utraque specie ad augmentum gratiæ.*

Confirmatur Concl. ex Bulla Clem. VI.

63. Quæ à Dicastillone explicatur

Respondet Dicastillo disp. 10. n. 206. cùm aliis, explicari posse de augmento gratiæ ex opere operantis; sicuti si alicubi prohibitum

de augmento gratiæ ex opere operantis;

esset audire, nisi tantùm unam Missam, & Superior concederet alicui facultatem audiendi duas, posset dicere: *Concedo tibi facultatem, ut ad augmentum gratiæ pias duas Missas audire.* Nec tamen ideo sequitur, eum Superiorem sentire ex opere operato conferri gratiæ & devotionis augmentum per illam secundam auditionem.

Sed contrà; disparitas est, quòd prima Missa non conferat gratiam ex opere operato; ergo concessio auditionis secundæ non potest de tali augmento intelligi: hìc autem sumptio unius speciei causat gratiam ex opere operato, & secunda potest causare; ergo verba Pontificis accipienda sunt de augmento ex opere operato.

sed melius de augmento gratiæ ex opere operato.

Hinc melius dici posset, verba Pontificis intelligenda esse de augmento ex opere operato; sed suppositâ melioratione dispositionis, quæ in tali casu facilis est, in ò quasi ordinaria, si diuturnior dispositio sit melior, secundùm Lugonem supra n. 54.

Lugo.

64. Dices rursum: si diversæ species conferunt diversas gratias, ergo etiam diversæ partes ejusdem speciei.

Diversæ partes ejusdem speciei non conferunt distinctas gratias, nisi sumantur diversis moraliter manducationibus.

Resp. distinguendo Consequens: ergo etiam diversæ partes ejusdem speciei, si diversis moraliter manducat omnibus sumantur. Concedo totum: si unâ & eâdem, Nego Consequentiam. Ratio discriminis est: quia speciebus manducatis promittitur gratia; ergo ubi manducatio unica, unicus erit effectus, & ubi multiplex, etiam multiplex effectus.

Optimè, inquis; sed manet difficultas, quare sicut cibus materialis in majori quantitate acceptus majorem causat effectum nutritionis corporalis, quàm cibus minoris quantitatis; quare, inquam, similiter magna hostia unicâ manducatione non conferat majorem effectum gratiæ, quàm hostia parva.

Ratio à priori voluntas instituentis.

Resp. rationem à priori esse voluntatem instituentis, quam colligimus ex communi sensu Ecclesiæ. Sanè vel ex hoc etiam satis liquet, non esse omnimodam similitudinem inter effectum cibi materialis & spiritualis. Et quid mirum, cùm cibus materialis nutriat per conversionem sui in alitum; è converso verò cibus spiritualis per conversionem alitum in se? Et Christus nonne idem est sub parva & magna hostia? Nisi ergo accedat nova manducatio, semper erit idem effectus.

65. Objectio solvitur.

Sed contrà primò: ergo erit melius sumere magnam hostiam, & per partes successivè manducare. Resp. Negando Consequentiam; quia non licèt communicare bis in die, tametsi certum sit secundam Communionem conferre novam gratiam. Observandus ergo est ritus Ecclesiæ: nec semper expedit aliquid, eo ipso, quo aptum est conferre augmentum gratiæ.

Dicastillo.

Unde meritò admoniti fuerunt Confessarii à Cardinale Antonio Zapata (ut refert Dicastillo disp. 8. n. 42.) supremo Inquisitore, & in Archiepiscopatu Toletano Coadministratore, ne cui darent plures particulas, quamvis probabilissimum sit, quòd crescente dispositione tempore sumptionis, etiam crescat effectus gratiæ.

Contrà secundò; sumptio utriusque speciei à Sacerdote in Sacrificio Missæ est etiam unica manducatio. Resp. est manducatio & bibitio, quæ sunt actiones moraliter distinctæ, licèt physicè possint conjungi. 66. Manducatio & bibitio sunt actiones moraliter distinctæ.

Et si urgeas: saltem est idem convivium. Resp. non promittitur gratia convivio indivisibiliter; sed Corpori manducato, & Sanguini potato, ut dependenter, ut suprà dixi, à conjunctione aut separatione physica.

Quinimò, quia convivium (ut constat ex Antiphona, quam canit Ecclesia ad Magnificat in secundis Vesperis Corporis Christi: *O Sacrum convivium* &c.) ideo utraque species plùs continet vi verborum, plùs significat vi verborum, & per consequens plùs gratiæ confert, quàm altera species seorsim, quæ non rectè dicitur convivium; quia quantùm est ex vi verborum, vel est solus cibus, vel solus potus, cùm tamen convivium ex vi verbi importet cibum & potum.

Allegari potuit contrarium, quia in triduo mortis utraque species plus gratiæ contulisset.

Dixi, *ex vi verborum*; quia saltem per concomitantiam hodie sub unaquaque specie continetur cibus, & potus. In triduo mortis si fuisset facta consecratio, aliter se res habuisset. Unde aliqui pro indubitato habent, quòd saltem tunc non tantùm gratiæ contulisset una species, quàm utraque. Et inferunt: ergo neque nunc, quia est eadem promissio; & non augetur, aut minuitur effectus propter res per concomitantiam contentas, aliòquin hodie plùs gratiæ daretur per unam speciem, quàm in triduo data fuisset.

Verùm ad hoc respondent Adversarii, esse dubium impertinens ad decisionem præsentis controversiæ; quia cùm ille casus numquam fuerit futurus, ut in triduo mortis conficeretur Sacramentum, fortè nihil Christus ordinavit de modo efficaciæ, quam tunc habuisset Sacramentum sub una specie sola, vel saltem id nobis non revelavit; quamquam si conjecturis uti liceat, probabile videatur, tunc etiam unam speciem solam tantùm fuisse operaturam, quantùm utraque simul: quia licèt tunc sub specie panis non fuisset totus Christus, sed solum Corpus cum divinitate; equidem ratione hujus divinitatis erat ibi Christus, ut fons omnis gratiæ, quia humanitas non est fons gratiæ, nisi ratione divinitatis: ergo etiam in illo casu procedit ratio suprà adducta, quæ non tam fundatur in hoc, quòd totus Christus, quàm quòd Christus, utì fons gratiæ, contineatur sub singulis speciebus. 67. Adversarii dubium impertinens.

Quod Joan. 6. tribuitur Corpori & Sanguini, ibidem tribuitur soli Corpori, ut etiam Tridentinum

Et posset hæc resolutio confirmari; quia

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Eidem tribuitur soli Corpori.

tinum observavit sess. 21. cap. 1. de quo plura sectione sequenti. Ergo licèt in triduo solum Corpus fuisset sumptum sub specie panis, equidem eundem tribuisset effectum. Hæc illi.

Et addunt: Quidquid verò sit de hoc dubio satis incerto, ratio adducta efficaciter procedit de Sacramento prout nunc se habet, quia nunc singulæ species totum Christum continent, *Omnium gratiarum fontem & auctorem*, ut loquitur Trident. suprà can. 3. Ergo singulis seorsim sumptis nihil deest ad totum hujus Sacramenti effectum conferendum.

Trident.

68. Planè nihil deest ad conferendum totum effectum necessarium ad salutem, ut seipsum explicat Tridentinum suprà cap. 3.

Explicatur Conc. Moguntinum.

Et conformiter intelligi potest Concil. Moguntinum sub Sebastiano cap. 32. dicens: *Iam nec hoc quisquam fidelis dubitare debet, illum sub una specie communicandi morem ad salutem sumentium æquè utilem & efficacem esse, quàm alterum sub utraque.* Ad salutem, inquam, hoc est, ad vitandam æternam damnationem, & acquirendam vitam æternam per impletionem præcepti Communionis. Transeo esse Concilium Provinciale, & nondum à Sede Apostolica confirmatum.

69. Ioan. Hessel.

Vasquez.

Porrò minoris auctoritatis est, quod refert Joannes Hesselanus lib. de Communione sub utraque specie Tract. 3. fol. 171. (ut citat Vasquez disp. 215. nu. 3.) videlicet Joannem Slechtam Bohemum scripsisse Erasmo, se intellexisse Bohemis à Concilio Basilienſi concessum fuisse, ut si vellent sub utraque specie communicare, profiteantur se credere totum Christum esse sub qualibet specie, & non plùs fructûs capi ex hoc Sacramento sub duabus, quàm sub una specie tantùm.

Refellitur Imbola ex Ioan. Hesselano.

Hoc, inquam, parvæ auctoritatis est; nam (præterquam quòd illud in Concilio non inveniatur) quando sessio 30. habita fuit (in qua sola de hac re actum) erat Concilium schismaticum, adeoque parùm curandum de ejus doctrina.

Interim nihil aliud docet illâ sessione, quàm totum Christum contineri sub singulis speciebus, quæ est fides Catholica. Ergo singulæ species habent eundem effectum; Negatur Consequentia, non multùm dissimilis isti: Sub singulis hostiis continetur totus Christus; ergo singulæ hostiæ diversis temporibus manducatæ conferunt eundem effectum.

70. Concl. improbatur ex institutione Sacramen.

Hinc nonnulli Adversariorum, optimè, meo judicio, recurrunt ad ipsam institutionem Sacramenti, causantes eam talem fuisse, ut eundem effectum singulæ species haberent, & tantum effectum, quantum dispositio præsens subjecti exigit, vel quantus natus est conferri virtute Sacramenti.

Et si objeceris: diversa sunt signa sacramentalia; ergo diversi effectus. Respondent concedendo Antecedens, & distinguendo Consequens: ergo diversi sunt effectus primarii, concedunt totum; effectus secundarii, negant Consequentiam. & respondetur objectioni.

Effectum primarium vocant gratiam subsistentem, id est, Corpus & Sanguinem Christi; effectum verò secundarium, gratiam inhærentem, sive justificantem. Et quidem effectum primarium constat esse distinctum ex vi verborum; secundarium autem existimant esse eundem, diversimodè causatum ab utraque specie, scilicet per modum cibi & potûs.

Quæris à me quæ fuerit mens Doctoris Subtilis de hac controversia? Respondeo, in Reportatis (Coloniæ impressis) 4. dist. 13. q. 2. n. 4. sic ait: *Nunc autem non dispensatur* (Sanguis Christi) *propter periculum effusionis, & propter scandalum, ne simplices crederent maiores virtutes esse in duabus speciebus, quàm in una:* id est, ne simplices crederent sub altera tantùm specie non sumi totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum; ac propterea, quod ad fructum attinet, aliquâ gratiâ, necessariâ ad salutem, eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt. Quæ fuerit mens Scoti de hac controversia.

Ex hactenus disputatis tam pro una parte controversiæ, quàm pro altera, liquet profectò, quare Conclusionem solùm dixerim esse probabilem. Cæteroquin, quia hæc institutio Christi, de qua statim fecimus mentionem, difficulter ostenditur etiam existimo eam faciliorem & veriorem. 71.

Neque per ipsam prohibitio Ecclesiæ, quâ laicis prohibet Communionem sub utraque specie, redditur injusta aut irrationabilis; siquidem etiam prohibet secundò eodem die communicare, & tamen indubiè ex secunda Communione haberetur augmentum gratiæ. Similiter prohibet dari Sacramentum parvulis, perpetuò amentibus &c. tametsi fructuosè ab illis reciperetur. Ecclesia justè prohibet laicis sumptionem calicis, esto distinctam causaret gratiam.

Item negat ægrotis, quando est periculum vomitûs, idque propter reverentiam Sacramenti, ad quam non minùs, quàm ad utilitatem Ecclesia debet attendere: ergo eâdem ratione justè potuit Ecclesia prohibere laicis sumptionem calicis, quantumvis probabiliter illa sumptio augeat gratiam præexistentem. Sed de hac prohibitione plura sectione sequenti, quæ erit

SECTIO OCTAVA

De Necessitate Communionis.

1. Triplex est Eucharistiæ manducatio; *Trident.*

PRænotandum primò triplicem esse manducationem Eucharistiæ, quam his verbis explicat Concil. Trident. sess. 13. cap. 8. in principio. *Quoad usum autem rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter duntaxat id sumere, ut peccatores: alios tantùm spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide vivâ quæ per dilectionem operatur, fructum eius & utilitatem sentiunt: tertios porrò sacramentaliter simul & spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.*

Sacramentalis tantùm,

Spiritualis tantùm,

Sacramentalis, & spiritualis simul.

Prænotandum secundò dupliciter aliquid esse necessarium ad salutem, scilicet vel necessitate medii, vel necessitate solùm præcepti. Explicationem & distinctionem hujus duplicis necessitatis vide disp. 2. sect. 3. concluf. 3.

Necessitas alia medii, alia præcepti.

Prænotandum tertiò aliam esse necessitatem præcepti divini; aliam verò præcepti humani, quod duplex est, Ecclesiasticum & civile, quæ ex terminis constant. Venio ad rem, & dico Primò:

Duplex præceptum, divinum, & humanum.

CONCLUSIO I.

Communio non est necessaria ad salutem necessitate medii.

2. Communio non est necessaria necessitate medii.

ESt communior & verior. Efficax ejus probatio desumitur ex dictis præcedenti sectione: non enim Eucharistia per se instituta est ad conferendam primam gratiam, ut patet ex Conclusione prima; neque ad perseverandum in gratia accepta: quamquam enim præservet à peccatis mortalibus, non tamen infallibiliter, sed dependenter à libera cooperatione voluntatis, ut probavimus concluf. 2. Quâ autem aliâ ratione potest esse medium necessarium ad salutem?

Objectio.

Dices; quia licèt homo, qui Eucharistiam sumpsit, non infallibiliter & necessariò perseveret; nequit tamen perseverare sine ejus sumptione in re vel in voto. Sicuti quamvis homo, qui baptizatur, non infallibiliter salvetur, sine Baptismo tamen in re vel voto nequit salutem consequi, quod sufficit ut Baptismus dicatur medium necessarium ad salutem.

Optima instantia: verumtamen Antecedens ubi revelatum est? Joan. 6. inquis, v. 54. *Dixit ergo eis Jesus: Amen amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*; id est, non retinebitis vitam in vobis. Eodem modo, quo de Baptismo Joan. 3. v. 5. *Respondit Iesus: Amen amen dico tibi: Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* Ergo eadem necessitas Baptismi & Eucharistiæ; Baptismi ad primam gratiam accipiendam, Eucharistiæ autem ad finaliter in gratia accepta perseverandum.

Joan. 6.

Joan. 3.

Resp. Negando Consequentiam. Disparitas petitur ex materia subjecta. Nam Joan. 3. loquitur Christus de re omnino necessaria ad tollendum peccatum: Joan. autem 6. de re, quæ supponit peccatum ablatum, & gratiam acquisitam. Constat porrò solam gratiam sufficere ad salutem; neque eam deperdi nisi per peccatum. Igitur Eucharistia necessaria non nisi ad peccatum evitandum, per quod gratia habita amitteretur; sicuti est necessaria observatio reliquorum mandatorum, juxta illud Christi Matth. 19. v. 17. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et hinc quamvis in attritione vel contritione includatur ejus votum, non tamen magis quàm votum cujuscumque alterius præcepti adimplendi: sicuti ergo restitutio, & similia, non sunt necessaria necessitate medii; ita neque Eucharistia.

Respondeo.

Non est eadem ratio Baptismi & Eucharistiæ.

Matth. 19.

Profectò si eadem esset necessitas Baptismi, Pœnitentiæ, & sumptionis Eucharistiæ, quis non meritò miraretur, Concil. Trident. cùm per plura capita sess. 13. exactissimè explicet naturam hujus Sacramenti, nullam facere mentionem istius necessitatis?

Sanè æqualem esse necessitatem Baptismi & Pœnitentiæ disertis verbis docet sess. 14. c. 2. in fine dicens: *Est autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus.* Et explicans necessitatem Baptismi in particulari ait sess. 6. cap. 4. *Quæ quidem translatio, id est, justificatio, post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest.* Similiter sess. 14. cap. 4 docet: *Ipsam reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti Pœnitentiæ voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.*

Quod æqualem sit necessitatem Baptismi & Pœnitentiæ.

Quid simile unquam dixit de Sacramento Eucharistiæ, aut ejus voto? Altum ubique silentium. Quin imò non esse medium realiter necessarium ad salutem definit sess. 21. can. 4. Si

Si quis dixerit parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ Communionem; anathema sit. De quo plura infrà.

Verba Joan. à intelliguntur de necessitate præcepti.

Tridem.

Præterea illa verba Joan. 6. suprà allegata, intelligenda esse de sola necessitate præcepti, satis indicat eâdem sessione cap. 1. ubi dicit: *Sed neque ex sermone illo apud Ioan. 6. rectè colligitur utriusque speciei Communionem à Domino præceptam esse, utcumque iuxta varias SS. Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit:* Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis, *dixit quoque: Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Quo modo argumentandi tacitè innuit, unicam dumtaxat speciem esse præceptam. De quo præcepto Conclusione sequenti. Nunc

4. Objicitur auctoritas D. Augustt. de Communione parvulorum,

Objicitur primò auctoritas D. Augustt. qui multis in locis dicit, verba illa Christi Joan. 6. intelligenda esse etiam de parvulis. Unum cito locum, & principalem meo judicio ex lib. 1. de Peccat. Merit. & Remiss. cap. 20. ibi: *Auferatur ergo iam dubitatio, Dominum audiamus, non suspiciones, coniecturasq; mortalium: Dominum audiamus, inquam, non quidem hoc de Sacramento lavacri dicentem, sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo ritè nisi baptizatus accedit:* Nisi manducaveritis carnem meam, & biberitis Sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis. *Quid ultra quærimus? Quid ad hoc respondere poterunt, nisi pertinacia pugnaces nervos adversùs constantiam perspicuæ veritatis intendant?*

An verò quispiam etiam hoc dicere audebit, quòd ad parvulos hæc sententia non pertineat, posintq; sine participatione Corporis huius & Sanguinis in se habere vitam, quia non ait: Qui non manducaverit, *sicut de Baptismo;* Qui non renatus fuerit, *sed ait:* Si non manducaveritis, *velut eos alloquens, qui audire & intelligere poterant, quod utique non valent parvuli?*

Sed qui hoc dicit, non attendit, quia nisi omnes ista sententia teneat, ut sine Corpore & Sanguine Filii hominis vitam habere non possint, frustra etiam ætas maior id curat: Potest enim si non voluntatem, sed verba loquentis attendas, eis solis videri dictum, quibus tunc Dominus loquebatur, quia non ait: Qui non manducaverit: *sed, Si non manducaveritis.* Hactenus Aug.

5. quæ non possit intelligi de manducatione reali,

Quæ verba non posse intelligi ad litteram sicut videntur sonare, de reali manducatione Corporis, & bibitione Sanguinis Christi in Sacramento altaris, sic, inquam, non posse intelligi, nimiùm probat Concil. Trident. suprà sess. 21. can. 4.

ut liquidò constat ex Conc. Trident.

Interim pro majori intelligentia D. Augustt. addo verba cap. 4. ejusdem sessionis: *Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nullâ obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem, siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt.*

Sequitur: *Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit,* (id est, si aliquando dedit parvulis sacramentalem Eucharistiæ Communionem) *ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certè eos nullâ salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.* Nihil evidentiùs dici poterat.

Num ideo fallitur D. Aug. cujus doctrinam sequitur & servat S. Romana Ecclesia? Minimè; nam & ipse lib. 1. contra Jul. cap. 4. allegat Romanam Ecclesiam, id est, Pontificem Innocentium, dicens: *Qui denique* Innoc. *parvulos definivit, nisi manducaverint carnem Filii hominis, vitam prorsus habere non posse.*

Et ubi quæso Innocentius hoc definivit? 6. Contrarium non docuit Innocent.

In Epistola, quam scripsit Patribus Concilii Milevitani, approbans eorum acta contra Pelagianos, & est 93. inter Epistolas D. Augustt. Hæc sunt verba Innocentii: *Illud verò quod eos vestra fraternitas asserit prædicare, parvulos æternæ vitæ præmiis etiam sine Baptismatis gratia posse donari, perfatuum est. Nisi enim manducaverint carnem Filii hominis, & biberint Sanguinem eius, non habebunt vitam in semetipsis. Qui autem hanc eis sine regeneratione defendunt, videntur mihi ipsum Baptismum velle cassare, cum prædicant hos habere, quod in eos creditur non nisi Baptismate conferendum.*

Numquid aliud Innoc. nuntiat; aliud Trident. clamat? An simul Communio parvulis potest esse necessaria ad salutem, & non necessaria? Si æquivocationem nominis *Communio* perpendimus, utrumque potest esse verum. Et quidem quod attinet ad Concil. Trident. quando negat Communionem esse necessariam, satis clarè loquitur de Communione sacramentali, ut suprà notavi.

Innocentius autem quid? Non ambigo 7. qui intelligendus est de Communione spirituali,

quin intelligi debeat de Communione spirituali, id est, de fructu & utilitate hujus Sacramenti, gratiâ, inquam, justificante, quæ merito sanctissimæ Passionis Domini nostri Jesu Christi per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui baptizantur, atque ipsis inhæret. Hæc est participatio Corporis & Sanguinis Christi, sine qua apud D. Augustt. parvuli non possunt in se habere vitam; justificatio, inquam, in qua cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur, fidem, spem, charitatem, per quas virtutes unitur perfectè cum Christo, atque Corporis ejus vivum membrum efficitur. per gratiam & virtutes,

Unde rectè Trident. suprà sess. 21. cap. 4. probans parvulos nullâ necessitate obligari ad sacramentalem Eucharistiæ Communionem: *Siquidem*, inquit, *per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati,* (id est, participes effecti Tridem.

effecti Corporis Christi) *adeptam iam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt.*

8. quæ est legitima ipsius Innocentii & D. Augustini expositio:

Sanè hanc esse legitimam expositionem Innocentii & D. Augustini clarè demonstrat eorum intentum, quod erat probare necessitatem Baptismi, sive gratiæ baptismalis in parvulis ad salutem contra Pelagianos, qui, teste D. Aug. suprà, conabantur parvulis non baptizatis, innocentiæ merito salutem ac vitam æternam tribuere; sed tamen propter illa verba Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non introibit in regnum cælorum*, eos à regno cælorum facere alienos, novâ quâdam & mirabili præsumptione, quasi salus ac æterna vita possit esse præter Christi hæreditatem, præter regnum cælorum. Quis autem ambigat per solam gratiam Baptismi parvulum effici hæredem quidem Dei, cohæredem autem Christi? Res nimis clara est, ut indigeat ulteriori probatione.

ut de Aug. probatur ex cap. 20. lib. 1. de peccat. mer.

Hinc citato cap. 20. in principio sic scribit D. Aug. *Cæterùm quis ignorat, quòd baptizatus parvulus, si ad rationales annos veniens non crediderit, nec se ab illicitis concupiscentiis abstinuerit, nihil ei proderit, quod parvus accepit? Verumtamen si percepto Baptismate de hac vita emigraverit, soluto reatu, cui originaliter erat obnoxius, perficietur in illo lumine veritatis, quod incommutabiliter manens in æternum iustificatos præsentia Creatoris illuminat.*

9. & ex cap. *Nulli.* de Consecrat. dist. 4. quod adscribitur D. August. scribenti ad Bonifacium.

Ex quo, inquit Wiggers q. 73. n. 13. constat, quòd D. Aug. non requirat realem perceptionem Eucharistiæ tamquam necessariam ad vitam; sed effectum & rem significatam, videlicet unitatem cum Corpore Christi, & incorporationem in Christo, quocumque modo aut medio habeantur; quæ clariùs exponit scribens ad Bonifacium ut habetur cap. *Nulli.* de Consec. dist. 4. *Nulli est aliquatenus ambigendum*, inquit, *tunc unumquemque fidelem Corporis Sanguinisq; Domini participem fieri, quando in Baptismate membrum Christi Corporis efficitur, nec alienari ab illius panis, calicisq; consortio, etiamsi antequam illum panem comedat, & calicem bibat* (scilicet in Sacramento Eucharistiæ) *de hoc sæculo in unitate Corporis Christi constitutus abscedat; Sacramenti quippe illius participatione & beneficio non privatur, quando in se hoc, quod ipsum Sacramentum est, invenitur*; id est, quando invenitur esse Corpus Christi, quatenus scilicet est membrum Christi, sive de Corpore Christi. Hucusque Wiggers. Et amabo, clariùs potuisset Aug. mentem suam exponere? Non potuisset.

sed ibi non invenitur,

Sed dicet aliquis; non invenio illa verba in operibus D. Aug. ad Bonifacium. Resp. neque ego invenire potui, licèt diù, multumque quæsierim. Et verò putas, quia Wiggers in Augustino ea legerit? Credat qui volet. Hoc scio à Beda citari tamquam Aug. ex Sermone ad infantes ad altare de Sacramento; à Beda, inquam, 1. Cor. 10. In Polycarpo autem citantur ex Innocentio, ut refertur in notis ad can. *Quia passus est.* 36. de Consec. dist. 2. Cujuscumque sint, vera esse, ne dubites, si vis permanere in unitate Corporis Christi.

10. Exponuntur aliquot verba S. Aug. Hauzeur.

Neque obstat, quod ait Aug. suprà: *Non quidem hoc de Sacramento lavacri dictum, sed de Sacramento sanctæ mensæ suæ, quo nemo ritè nisi baptizatus accedit: Nisi manducaveritis* &c. Quia (inquit Hauzeur in sua Anatomia fol. 443) non nisi sic verbatim dictum; sed ut suprà intelligendum. Nam sub idem probat ex illo Joan. 6. *Panis quem ego dedero, caro mea est pro sæculi vita.* Et ex illo Joan. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam, qui autem incredulus est Filio, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Ergo de incorporatione seu participatione Corporis & Sanguinis Christi per fidem, quæ in ipso Sacramento Fidei seu Baptismo supponit ablutionem à peccatis. Hæc ille.

Joan. 6. Idem 3.

Verumtamen, dicet aliquis, si sic verbatim dictum à D. Aug. cur non etiam verbatim verum? Vel si verbatim falsum, jam S. Doctor videtur sibi ipsi contradicere lib. contra Mend. ad Consentium cap. 1. ibi: *Non mihi persuadetur eos* (Hæreticos) *de latebris suis nostris esse mendaciis eruendos. Vt quid enim eos tantâ curâ vestigare, atque indagare conamur, nisi ut captos in apertumq; productos, aut etiam ipsos veritatem doceamus, aut certè veritate convictos nocere aliis non sinamus? Ad hoc ergo ut eorum mendacium deleatur, sive caveatur; Dei autem veritas augeatur. Quomodo igitur mendacio mendacia rectè potero persequi: An & latrocinio latrocinia, & sacrilegio sacrilegia, & adulterio sunt adulteria persequenda?* Quomodo ergo rectè Aug. persequitur Pelagianos, asserens illa verba Christi: *Nisi manducaveritis* &c. non esse dicta à Christo de Sacramento Lavacri, si à parte rei etiam de illo dicta sint?

S. Augst.

Tamquam litteraliter dicta à Sacramento Eucharistiæ, mystice autem de Baptismo.

Resp. quia utrumque verum est, sed secundùm diversum sensum, litteralem videlicet, & mysticum. Nam litteraliter dicta sunt de Sacramento sanctæ mensæ, id est, de manducatione realis Corporis & Sanguinis Christi: mystice verò etiam de Sacramento Lavacri. Cui hæc responsio displicet, quærat meliorem. Sufficit nobis veritas Catholica, à qua non est verisimile Augustinum voluisse recedere, aut recessisse; utpote quem numquam teste Cælestino Papâ Epist. 1. ad Episcopos Galliæ cap. 2. *sinistræ suspicionis saltem rumor asperxit.*

Cælestinus Papa.

11. SS. Patres agentes de necessitate Eucharistiæ Eucharistiam accipiunt pro re contenta videlicet pro Christo, 1. Ioan. 2.

Ex his festinè cognoscitur, quomodo intelligendi sint alii SS. Patres, qui similiter loquuntur de necessitate Eucharistiæ: Vel enim Eucharistiam accipiunt pro re contenta & significata, & ita verissimè dicunt, illam omnino esse necessariam, cùm sine Sanguinis effusione non fiat remissio peccatorum. *Si quis peccaverit,* inquit Apostolus Joannes Epist. 1. cap 2. v. 1. *advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris;*

non

non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.

qui est causa meritoria nostræ justificationis. Trident.

Modum autem propitiationis explicat Concil. Trident. sess. 6. cap. 7. dicens: *Meritoria* (causa justificationis) *dilectissimus Unigenitus suus Dominus noster Iesus Christus: qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem, quâ dilexit nos, suâ sanctissimâ passione in ligno crucis nobis justificationem meruit, & pro nobis Deo Patri satisfecit.*

S. Augustin.

Et D. Aug. lib. 1. de Peccat. merit. & remiss. cap. 24. *Non itaque dubitemus etiam pro infantibus baptizatis Sanguinem fusum, qui priusquam funderetur, sic in Sacramento datus, & commendatus est, ut diceretur: Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, Matth. 26.

12. Vel SS. PP. sunt intelligendi de manducatione spirituali per fidem, & unionem cum Christo.

Vel certè, ut suprà explicavi Innocentium & D. Augustinum, Sancti Patres verba Christi intelligunt de manducatione spirituali per fidem & unionem mysticam cum Christo, quæ etiam competit parvulis, qui in habitu credunt, & per Baptismum pertinent ad unitatem Corporis Christi.

S. Aug.

Hinc, ut bene aliqui notant, non dicit D. Aug. suprà cap. 20. parvulos non posse habere vitam sine manducatione Sacramenti; sed *sine participatione Corporis huius & Sanguinis*, scilicet per fidem & charitatem, quam accipiunt in Baptismo.

Similiter loquitur lib. 3. de Peccat. merit. & remiss. cap. 4. ibi: *Numquid etiam illud ambiguum est: Quia nisi manducaverint homines carnem eius, hoc est, participes facti fuerint Corporis eius, non habebunt vitam?* Et subjungit: *His atque huiusmodi aliis, quæ nunc prætereo, testimoniis divinâ luce clarissimis, divinâ auctoritate certissimis, nonne veritas sine ulla ambiguitate proclamat, non solum in regnum Dei non baptizatos parvulos intrare non posse, sed nec vitam æternam posse habere præter Christi Corpus, cui ut incorporentur Sacramento Baptismatis imbuuntur?*

13. Nec mirum quod PP. eodem ferè modo loquantur de Baptismo & Eucharistia, Joan. 6. cum sint variæ controversiæ inter illa duo Sacramenta, Joan. 6.

Nec mirum verò videri debet, quòd SS. Patres eodem ferè modo loquantur de Baptismo & Eucharistia: nam sicuti Joan. 6. promittitur vita sumentibus Eucharistiam v. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et v. 55. resurrectio: *Et ego resuscitabo eum in novissimo die*; ita quoque eadem promittuntur Baptismo ad Rom. 6. v. 3. 4. & 5. *An ignoratis, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius baptizati sumus? Consepulti enim in illo sumus per Baptismum in mortem, ut quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.*

Præterea sicut Eucharistia repræsentat mortem Christi: *Hoc facite in meam commemorationem* Luc. 22. v. 19. ita & Baptismus eandem repræsentat, ut patet ex verbis Apostoli mox allegatis. Unde Leo Papa Epist. 4. & 5. ad Episcopos per Siciliam; *Propriè in morte crucifixi & in resurrectione ex mortuis potentiâ Baptismi novam creaturam condidit ex veteri &c.*

Leo Papa.

14. & in significando Christi Corpus mysticum, scilicet Ecclesiam; Trident.

Denique Eucharistia significat Corpus Christi mysticum, id est, Ecclesiam, juxta illud Trident. sess. 13. cap. 2. *Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis, adeoque symbolum unius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos tamquam membra arctissimâ, fidei, spei & charitatis connexione adstrictos esse voluit.* De Baptismo autem quid? *Per ipsum*, inquit Florent. in decreto de Armenis, *membra Christi ac de Corpore efficimur Ecclesiæ.* Ergo rectè dicitur baptizatus fieri particeps Corporis & Sanguinis Christi per Baptismum, scilicet quoad similitudinem & æquivalentiam rei significatæ.

Florent.

differunt tamen quoad modum significandi.

Differunt equidem Baptismus & Eucharistia quoad modum significandi; quia Eucharistia hæc omnia significat per modum nutrimenti; Baptismus verò per modum regenerationis; quæ ad idem absolutè tendunt, nempe vitam, licèt secundùm diversum modum operandi, & ideo etiam diversas requirunt in subjecto dispositiones.

Verba illa: *Nisi manducaveritis* &c. varios accipiunt sensus.

Unde patet, quàm sit fundata locutio D. Aug. licèt aliquibus dura videatur & perplexa, illis, inquam, qui ad mysticam significationem eam non referunt. Sanè hæc verba Christi: *Nisi manducaveritis* &c. diversos accipere sensus, variasque interpretationes ipsum Tridentinum claris verbis exprimit sess. 21. cap. 1. dicens: *Verumque iuxta varias SS. Patrum & Doctorum interpretationes intelligatur*, scilicet sermo Christi apud Joan. 6. cap. Sed ad alias pergamus objectiones.

15. Dignitas hujus Sacramenti non arguit necessitatem medii.

Objicitur ergo secundò dignitas hujus Sacramenti, quæ videtur exigere necessitatem. Resp. quia hoc Sacramentum dignissimum est, ideo postulat dignissimam dispositionem, adeoque statum gratiæ in suscipiente; constat autem necessitatem medii consistere in remissione peccati, quod unicum est impedimentum vitæ, & mors animæ. Et si contrà

neque quòd sit nutrimentum spirituale.

Arguitur tertiò; nutrimentum corporale est medium necessarium ad sustentandam vitam corporalem, licèt non ad dandam: ergo similiter nutrimentum spirituale (quod est Eucharistia) erit necessarium ad vitam spiritualem conservandam, licèt non ad dandam. Resp. disparitatem esse, quòd per plura media possit vita spiritualis conservari.

16.

Interim non negamus aliquam necessitatem moralem Eucharistiæ, cùm sit medium per se ordinatum ad obtinenda auxilia ampliora, ut peccatis resistamus. Unde huic Sacramento specialiter adscribitur præservatio à peccatis mortalibus, ut vidimus Sectione præcedenti Concl. 2. non quasi necessariò peccet mortaliter, qui postquam pervenit ad usum rationis, non sumit hoc Sacramentum (quid si enim sit impossibile de-

Ex quo equidem colligitur quædam necessitas moralis.

fectu materiæ, aut ministri?) Sed quia peccat mortaliter, qui non adimplet præceptum Communionis divinum vel humanum quando commodè potest; & quia per illud homo accipit specialia auxilia, quæ aliàs sine multis orationibus, & aliis piis operibus non acciperet.

Reliqua Sacramenta non dependent in suo effectu ab Euchar.

Dicere autem, omnia alia opera bona, uti etiam reliqua Sacramenta, in suo effectu dependere ab effectu Eucharistiæ, sive à sumptione Eucharistiæ, nullo prorsus nititur fundamento. Ponamus enim quòd quis sumpserit Viaticum, & postea peccet mortaliter, an aliquis diceret talem non posse accipere remissionem peccatorum sine ordine ad Eucharistiam? Non puto.

quæ tamen est quasi finis & complementum eorum.

Quamquam id verum sit in hoc sensu, quòd à Christo, qui in hoc Sacramento realiter continetur, omnia Sacramenta habeant suam efficaciam, & quòd Eucharistia sit finis quasi & quoddam complementum cæterorum. Et ideo ab aliquibus dicitur Eucharistia causare gratiam Baptismi, sicut nimirum finis causat electionem medii; atque in Baptismo includi votum Eucharistiæ, quatenus per regenerationem accipiens homo vitam spiritualè, fit capax illius spiritualis alimenti, & ad idem particularem propensionem accipit, sicut per vitam corporalem ad alimentum corporale. Indè autem inferte necessitatem plusquam præcepti quæ apparentia?

17. Consuetudo Ecclesiæ communicandi infantes, *Clem. Rom. S. Dionys. Areop. S. August. Triam.*

Arguitur quartò ex consuetudine antiqua Ecclesiæ communicandi infantes baptizatos; ut patet ex Liturg. Clem. Rom. lib. 8. Dionysii Areop. c. 3. Eccles. Hierarchiæ, & aliis veteribus Scriptoribus; ejusq; meminit D. Aug. Epist. 23. ibi: *Illud verò quod in eadem commemoratum epistola, quamdam parvulam, turbatis in fugam parentibus, nutrici derelictam, atque ab eadem nutrice dæmonium sacrilegiis impactum, postea in Ecclesia illatam sibi Eucharistiam miris motibus respuisse* &c. ac novissimè Trident. sess 21. c. 4. ubi tamen insinuat non fuisse consuetudinem generalem dicens: *Si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit.*

eâdò fuerit laudabilis & rationabilis, non tamen arguit absolutam necessitatem.

De consuetudine ergo, sed particulari quoad locum & tempus, non est dubitandum; neque damnanda est, ut ibidem docet Concilium, quia probabilem causam habuit; puta, ut significaretur spiritualis illa & mystica participatio, de qua superiùs egimus, & ut tantò decentiùs consumerentur fragmenta hostiarum; præsertim cùm infantes baptizati sint capaces fructûs hujus Sacramenti, & certò certius ad fructum suscipiendum dispositi. Interim *nullâ necessitate salutis* Sanctissimos Patres *id fecisse, sine controversia credendum est*, inquit Trident. suprà. Nullâ, dico, necessitate sive medii, sive præcepti.

Porrò quæ infantium, eadem est ratio perpetuò amentium. Illis autem qui perfectâ ratione utuntur, adeoque mortaliter possunt peccare, quis credat hoc Sacramentum tam utile, & quasi moraliter necessarium ad vitanda peccata mortalia, planè liberum esse, id est, non necessarium ad salutem, vel saltem necessitate præcepti? Dico igitur Secundò:

CONCLUSIO II.

Datur præceptum divinum Communionis.

18. Sumptio Eucharistiæ est de præcepto divino ad salutem.

DAri præceptum divinum Communionis sacramentalis, id est, sumptionis Eucharistiæ, quamvis communior & verior sit sententia; non tamen theologicè certa, minùs de fide, ut patebit ex rationibus, quæ pro ipsa communiter adferuntur.

Probatur variis rationibus, Joan. 6. Luc. 22.

Principalis accipitur ex illis verbis Christi Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis* &c. Secunda ex illis verbis Christi Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem* Tertia ex diligentia, quâ Ecclesia semper cavit, idque diligentissimè, ne morituri absque Viatico decederent. Accedat quarta ex summa utilitate, & quasi morali necessitate effectûs Sacramenti.

19. quæ clarè rem non convincunt.

Sed hæ rationes, ut existimo, non clarè convincunt. Nam quod ad primam attinet, ille locus Joan. à D. August. (ut vidimus præcedenti Conclusione) & aliis doctissimis ac sanctissimis viris, intelligitur de manducatione spirituali per fidem.

Locus Joan. 6. intelligitur de spirituali manducatione, vel saltem omnibus non constat.

Deinde admisso (quod probabiliùs est) etiam intelligi debere de manducatione sacramentali; certum est non posse quoad omnia intelligi in rigore verborum: quippe concluderet ex præcepto divino homines obligari ad sumptionem utriusque speciei. Item hoc Sacramentum esse necessarium ad salutem non tantùm necessitate præcepti divini, sed etiam medii; quia talem vim habent illa verba: *Nisi quis renatus fuerit* &c.

Objectio solvitur.

Nec obstat quòd unum verbum sit activum, alterum passivum; quia etiam parvuli manducare possunt, & bibere, quamvis non voluntariè, quod impertinens est ad necessitatem medii. Oportet ergo illum locum plures limitationes seu explicationes admittere, quoad modum scilicet manducandi, & necessitatem.

An possit intelligi magna utilitate Eucharistiæ.

Quod si semel limitatur, cur non sæpiùs, quamdiu id non est contra expressam Ecclesiæ sententiam? Id est, si tu exponis illa verba, *Nisi* &c. de necessitate præcepti divini, & non medii: cur mihi non licet exponere de necessitate neque medii, neque præcepti, sed magnæ utilitatis? Ut sensus sit, difficulter habebitis vitam in vobis. Frequens enim est in Scriptura, illud vocare impossibile, quod est difficulter possibile.

Opinio.

Et ideo sic explicat illum locum Cyprianus in expositione Orationis Dominicæ, ait quidam Auctor. Sed ego nihil tale ibi reperio. Equidem qui sic explicaret, nescio quâ ratione posset evidenter redargui.

Audia-

20. S. Bonaventura. Audiamus Seraphicum Doctorem 4. d. 12. art. 4. q. 1. *Dicendum*, inquit, *quòd Sacramentum hoc non est de necessitate quantum est de sua institutione; sed si est, hoc est ex assumpto officio, vel mandato superaddito. Ex assumpto officio, quod scilicet necessarium est exequi, ut cùm Sacerdos vivit de altari, ut parochianis prosit, debet servire altari. Si autem non vivat de altari, sed in libertate sua remaneat, non tenetur magis, quàm alius homo ex debito, sed magis ex bono & æquo. Ex mandato superaddito quod instituit Ecclesia, ut fideles communicarent semel in anno & in morte. Unde si quis negligit, non est sine contemptu, ideo peccat mortaliter. Ratio autem quare Ecclesia instituit est, quòd hoc Sacramentum est salubre, & multi erant negligentes de sua salute.*

Doctor Seraphicus eum intelligit de manducatione spirituali, Et post pauca. *Ex his patent obiecta: nam verbum Ioan. sive Domini in Ioan intelligitur de manducatione spirituali, quæ est per fidem & charitatem, sine qua nemo adultus salvatur, & hæc etiam est in parvulo aliquo modo per incorporationem.*

uti etiam Doctor Angelicus. Accedat Doctor Angelicus 3. parte q. 65. art. 4. ubi sic lego; *Ad secundum: Dicendum quòd illud verbum Domini est intelligendum de spirituali manducatione, & non de sola sacramentali, ut Augustin. exponit supra Ioan.* Tractat. 26. & 27. Simili modo loquitur 4. dist. 9. q. unicâ art. 1. quæstiunculâ 2 ibi: *Ad primum dicendum quòd Dominus loquitur de manducatione spirituali sine qua non potest esse salus.*

21. Locus apud Lucam 22. cap. magis modum præcipit, quàm exercitium Communionis; 1. Cor. 11. Ad secundam probationem in primis dici potest, non tam ibi præcipi exercitium Communionis, quàm modum, ut si velis communicare, in passionis Domini memoriam facias. Unde apud Lucam non simpliciter dicitur: *Hoc facite*, sed, *Hoc facite in meam commemorationem.* Et apud Apost. 1. Cor. 11. v. 25. *Hoc facite quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Quod imitatur Ecclesia in Canone Missæ illis verbis: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.*

vel & exercitium, de sanctificantibus est intelligendus. Deinde si velis illa verba, *Hoc facite*, referri ad exercitium alicujus actûs, & non solùm ad modum, aptè referri possunt ad actionem Sacrificii, quam Christus ibi instituit, præcepitque Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, ut sensus sit; Quod ego feci offerendo & consecrando, hoc & vos deinceps facite.

Trident. Atque ita hæc verba intellexit Tridentinum sess. 22. cap. 1. ibi: *Et eisdem* (Apostolis) *eorumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba*: Hoc facite in meam commemorationem, *uti semper Catholica Ecclesia intellexit & docuit.*

22. Solicitudo Ecclesiæ de tanto Viatico posset falsum aeque ma-pem Eucharistiæ utilitatem, Ad tertiam probationem responderi potest, Ecclesiam semper fuisse solicitam de dando morituris Viatico, non ob necessitatem præcepti divini, sed ob incredibilem tanti Sacramenti utilitatem: quomodo adhuc hodie solicita est de administranda eisdem Extrema Unctione, quæ tamen non præcipitur jure divino.

Ad quartam patet responsio ex D. Bonav. suprà; quia enim hoc Sacramentum tam salubre est, idcirco Ecclesia præcepit, ut fideles semel in anno communicarent, & in morte. Quis dubitat etiam Sacramentú Extremæ Unctionis esse valde utile; num ideo jure divino præceptum? Imò nequidem jure Ecclesiastico. uti & præceptum ante-nuè communicandi.

Hæc non ideo à nobis dicta sunt, ut communis sententiæ rationes abjiceremus; sed ut non eam esse ostenderemus vim illarum, ut faciant certitudinem fidei, vel etiam omnimodam certitudinem Theologicam: quò minùs contraria sententia quorumdam gravissimorum Doctorum Alensis 4. distinct. 51. membr. 2. D. Bonav. suprà, & aliorum sit tuta in fide; imò fortè probabilis in Theologia. Interim non potest negari, quin nostra & communis sententia sit probabilior; quippe solutiones prædictarum rationum sunt utcumque violentæ. 23. Igitur prædictæ rationes non faciunt Concluſ. Theologicè certam: *Alenſis. D. Bonav.*

Primæ quidem rationis solutio, quia cùm Scriptura loquatur præceptivè, oportet eam propriè intelligere sicut sonat, nisi quatenus Ecclesia aliter exponit. Quocirca cùm ex doctrina Ecclesiæ habeamus hoc Sacramentú non esse per se institutum ad conferendã primã gratiam; hinc colligimus illud, *Nisi manducaveritis*, non importare necessitatem medii. Et aliunde, cùm Ecclesia doceat non esse laicis necessariam utriusque speciei Communionem, rectè deducimus illa verba: *Nisi manducaveritis & biberitis*; habere sensum disjunctivum, non conjunctivum. At verò nusquam Ecclesia indicat, illis verbis nullum omnino præceptum contineri: ergo neque nos id possumus affirmare contra verborum proprietatem. reddunt tamen eam multò probabiliorem, eò quòd locus Joan 6. propriè intelligatur de præcepto,

Nec refert quòd aliqui Doctores exponant illa verba de manducatione spirituali: plures siquidem, imò communis sententia exponit de manducatione sacramentali; saltem de utraque posse intelligi non est dubium, & videtur Ecclesia intelligere de sacramentali, dum in Concilio Trident. sess. 13. cap. 2. quod intitulatur *De ratione institutionis sanctissimi hujus Sacramenti*, utitur hisce verbis Joan. 6. v. 58. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* & communius de manducatione reali; uti intellexit Tridentinum.

Similiter sess. 21. cap. 1. docet ex illis verbis Christi: *Nisi manducaveritis* &c. non rectè colligi *Vtriusque speciei Communionem à Domino præceptam esse*: tacitè innuens, ut suprà notavi, saltem alterutram esse præceptam. Unde etiam in Festo Venerabilis Sacramenti sumit ex illo cap. 6 Joan. Euangelium.

Ad secundæ rationis solutionem priorem dico, conditionem actui appositam in præcepto non indicare, quòd solus ille modus, & non exercitium actûs præceptum sit; uti cùm lex divina jubet, ut diligamus Deum ex toto corde, tota anima &c. non solùm hic diligendi modus, sed etiam ipsa dilectio præcipitur. Itaque tam præcepto illi Communionis, quàm huic charitatis ille modus apponitur, non ad 24. Lucæ 22. non tantùm modus, sed & actûs exercitium præcipitur.

limitandum, sed explicandum actum præceptum ut sic; tenemur enim & illum implere, & tali modo. Ita quidam Auctor.

Immo ipse modus non videtur præceptus

Sed non puto, salvo meliori, talem modum esse præceptum in sumptione Eucharistiæ; quotus enim quisque communicantium cogitat de Passione Christi, & in illius memoriam ordinat suam Communionem? Sanè plerique, maximè rudes & indocti, ignorant illam obligationem, si quæ est, nec Confessarii aut Concionatores soliciti sunt vel pœnitentes, vel auditores de ea instruere. Illa ergo memoria Passionis, quæ videtur præcipi simul cum ipso actu, est ipse actus Communionis secundùm uniuscujusque conditionem, sive sub utraque specie, simul consecrando illam, sive sub una solùm.

prout est ab actu distinctus.

Ly *Hoc facite*, refertur ad sanctificationem & communionem laicam.

Ad posteriorem solutionem dico, illud; *Hoc facite*, cùm sit indistinctum, magis adæquatè referri ad totum actum, quem Christus exercuit cum Apostolis, nimirum ad sacrificationem & Communionem laicam, quam illis dederat, quàm ad solam sacrificationem; utrumque ergo præcepit.

Neque Tridentinum aliud significat; quia quamvis dicat præceptam oblationem Sacrificii (de qua eo loco tantùm agebat Concilium) non ideo negat præceptam Communionem laicam. Quin sess. 13. cap. 2. sic inquit: *In illius Sacramenti sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamq; annuntiare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat.* Ubi loquitur Concilium non solùm de Sacerdotibus, sed de omnibus generaliter.

Sanè quando aliquod Festum præcipitur in honorem Sancti, non solùm præcipitur, ut si fiat, in ejus honorem fiat; sed absolutè præcipitur observatio Festi.

25. Quomodo ex sollicitudine Ecclesiæ,

Ad tertiæ rationis solutionem dicito, non præcisè ex eo colligi præceptum divinum Communionis, quòd Ecclesia utcumque sit sollicita de illo administrando; sed quia gravissimè præcipit, ut administretur morituris, quod non ita facit de Sacramento Unctionis.

ejusque præcepto deducatur præceptum divinum de communicando.

Ex quo patet quid dicendum sit ad solutionem quartæ rationis: videlicet Ecclesiam præcipere Communionem non ideo tantùm, quia valde utilis est; nam & Extrema Unctio valde utilis est, quam tamen non præcipit, sed quia extat jus aliquod divinum Communionis, non ita Sacramenti Unctionis.

26.

Cæterùm institutio hujus Sacramenti per modum cibi & potûs non evincit hanc obligationem; sufficit enim quòd sit aliqua similitudo inter cibum & potum spiritualem ex una parte, & cibum ac potum corporalem ex altera. Profectò jam anteà non semel ostendimus, in pluribus hanc similitudinem claudicare.

Convenientia cibi spiritualis cum corporali.

Si autem petas; in quo ergo cibus spiritualis & corporalis conveniant? Resp. in magna utilitate & morali quadam necessitate ad vitam augendam & conservandam: propter quam utilitatem cibus Eucharisticus saltem ab Ecclesia est præceptus; & aliunde per accidens, ex obligatione aliorum præceptorum, sæpè potest esse necessarius, v. g. ad profitendam fidem coram Tyranno, ad superandam gravem tentationem contra castitatem &c.

propter quam ille præceptus debuit immediatè à Christo.

An autem ideo etiam per se & immediatè à Christo debuerit præcipi, non puto. Potuit præcipi, & quòd præceptus sit, est communior & verior sententia, quam mutato consilio amplexus est Doctor Angelicus 3. parte qu. 80. art. 11. dicens: *Manifestum est quòd homo tenetur hoc Sacramentum sumere, non solùm ex statuto Ecclesiæ, sed ex mandato Domini dicentis Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationem*; cùm alioquin contrariam docuisset, aut saltem videri posset docuisse 4. dist. 9. qu. unica art. 1. quæstiuncula 2. & dist. 12. q. 3. art. 2. q. 1. solius utique memorans præcepti Ecclesiastici. D. Thom.

27. An S. Aug. docuerit præceptum divinum?

Citatur etiam D. Aug. Epist. 118. ad Januarium cap. 1. sed an verè, poterit Lector judicare ex ejus verbis, quæ hìc exscribo. *Primò itaque tenere te volo, quod est huius dispotationis caput, Dominum nostrum Iesum Christum sicut ipse in Euangelio loquitur, levi iugo suo nos subdidisse, & sarcinæ levi. Vnde Sacramentis numero pauciss imis, observatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem novi populi colligavit, sicut est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, Communicatio Corporis & Sanguinis ipsius, & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur.*

Affirmat Lugo.

In quibus verbis, inquit Lugo disp. 16. n. 3. Aug. non loquitur de mera institutione Baptismi & Eucharistiæ; sed de præceptis eorum Sacramentorum: affert enim ea solùm ad ostendendam facilitatem Legis Euangelicæ, in qua Christus pauciss ima & facillima præcepta imposuit.

Affert eum interpretatur Dicastillo.

Sed contrà, Aug. loquitur, inquit Dicastillo disp. 10. n. 7. de omnibus Sacramentis, quibus societatem novi populi colligavit. Constat autem non omnium Sacramentorum esse præceptum divinum, quo ad illorum usum obligemur, ut suis locis vidimus in Confirmatione, & videbimus in Extrema Unctione, Ordine & Matrimonio.

28.

Quidquid sit de mente D. Aug. quæ est incerta; hæc sententia jam communiter docetur à Theologis; eamque disertis verbis amplectitur Doctor Subtilis 4. dist. 13. q. 2. n. 20. dicens: *Christus expressè docuit, se velle, sumi Eucharistiam à quolibet Christiano Ioan. 6. Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & ibi loquitur omnibus.* Quamquam oppositam insinuet 3. dist. ultimâ n. 5. ibi: *Alia Sacramenta à Baptismo & Pœnitentia fortè non sunt necessaria, aut si sunt, sunt satis facilia, puta Confirmatio, Eucharistia, Extrema Vnctio.* Quid sit sent. Subtilis

Quærit autem aliquis à me, quos obliget illud præceptum divinum? Jam audivimus à Scoto;

Scoto; *Christus*, inquit ille, *expressè docuit, se velle, sumi Eucharistiam à quolibet Christiano*, supple adulto ratione utente. Erit itaque

CONCLUSIO III.

Præceptum divinum Communionis obligat omnes adultos ratione utentes.

29. Præceptum divinum obligat omnes baptizatos, & probabiliter non baptizatos,

OMnes baptizatos obligari hoc præcepto nemo inficiatur. De non baptizatis controvertitur inter Doctores Catholicos, his asserentibus, illis probabiliter negantibus.

Fundamentum sententiæ affirmativæ est generalitas locutionis Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis* &c. quæ verba videntur dicta pluribus pro tunc necdum baptizatis, non in sensu compositio pro tempore ante baptismum, quo nondum erant capaces fructûs hujus Sacramenti; sed in sensu diviso, pro tempore scilicet sequente ipsum Baptismum, ex quo videtur resultare specialis obligatio suscipiendi Baptismum, sicuti ex obligatione finis resultat obligatio medii necessarii. Quod clariùs apparebit ex solutione rationum sententiæ negativæ.

sed pro tempore sequente Baptismum.

30. Prima objectio.

Objicitur ergo primò; Adulti ante Baptismum non possunt implere præceptum Communionis: ergo non obligantur. Antecedens probatur; quia præcipitur Communio Sacramentalis, id est, talis sumptio Eucharistiæ, quæ sit signum gratiæ sanctificantis in sumente; atqui sumptio Eucharistiæ non confert gratiam homini non baptizato, cùm Baptismus sit janua Sacramentorum: ergo &c.

Responsio. Ut præceptum affirmativum obliget, sufficit quòd possit & debeat pro aliquo tempore adimpleri.

Resp. Negando primam Consequentiam; quia ut præceptum affirmativum simpliciter obliget, sufficit quòd possit, & debeat pro aliquo tempore adimpleri. Sic quippe ex lege naturali tenetur quilibet succurrere proximo extremè indigenti, dum commodè potest, quamvis fortè numquam occurret casus hoc præceptum adimplendi. Similiter tenetur quis exponere vitam pro Republica, tenetur confiteri Christum coram Tyranno &c. tametsi hìc & nunc non possit, minùs debeat, illa præstare.

Igitur potest subsistere obligatio legis, licèt non teneat facere opus præscriptum pro quocumque tempore, statu ac in quibuscumque circumstantiis; imò tametsi in aliquibus circumstantiis non possim facere, dummodò saltem possim facere id, quod ad legis adimpletionem prærequiritur; v. g. excommunicatus teneor in Paschate communicare, quamvis id non possim, nisi priùs petitâ absolutione ab excommunicatione.

An putas debitor excusatur à redditione pecuniæ, quia non habet pecuniam, nisi vendat aliqua alia bona sua, ex quibus pecuniam redigat? Imò specialiter obligatur illa bona vendere, nisi aliquid aliud obster. Quando ergo quis tenetur ad aliquid, ex suppositâ conditione, quam potest ponere, tenetur eam ponere, & ità implere quod debet. Cùm igitur generaliter omnibus sit præcepta Communio sacramentalis, & in potestate hominis non baptizati sit ponere conditionem prærequisitam, scilicet Baptismum, quidni etiam ad illam ponendam obligetur?

An sit eadem ratio præcepti Confessionis?

Aliud fortassis dicendum est de præcepto confessionis, quod non videtur obligare nisi valde remotè & universaliter, ut suo loco explicabitur, ante Baptismum, imò ante peccata post Baptismum commissa; quia videlicet conditio necessariò prærequisita ad ejus adimpletionem, puta peccata commissa post Baptismum, quæ sola sunt materia confessionis, nec debent, nec possunt poni, alioquin peccata non essent peccata, quæ est manifesta implicantia.

31. Secunda objectio.

Objicitur secundò; per Baptismum primò quis ingrèditur in Rempublicam Christianam: ergo ante illam non obligatur legibus Christianis. Patet sequela; quia nemo tenetur legibus Communitatis, cujus non est pars. Undè nemo tenetur ad vota monastica, antequam seipsum per professionem ad vitam monasticam obligaverit.

Solvitur. Ante Baptismum tenetur quilibet suscipere Christianam Religionem.

Resp. Negando Consequentiam; quia ante Baptismum tenetur quilibet suscipere Christianam Religionem, & ex consequenti ejus leges. Aliud est quando quis non obligatur ad statum aliquem suscipiendum; tunc enim nec tenetur legibus illius statûs, antequam sponte eum susceperit.

32. Instantia.

Contrà; tametsi quispiam voverit intrare Religionem, equidem non obligatur votis monasticis aut præceptis Regulæ ante professionem, nec peccat contra illa, quantumvis non intret Religionem, cùm tamen ad intrandum ex voto obligetur.

Solvitur.

Resp. in eo disparitatem esse, quòd omnis obligatio voti oritur ex propria voluntate voventis: quid ergo mirum, si nondum obligetur ad castitatem, qui necdum voluit se obligare per professionem ad servandam castitatem, quamvis voluerit se obligare ad profitendum? Et eadem est ratio præceptorum Regulæ, quæ non possunt obligare nisi subditos, nemo autem subditus fit alicui Prælato per votum profitendi, nisi accedat actualis professio. Porrò quis prudenter potest cogitare, quin Christus potuerit præcipere omnibus hominibus Communionem, sicut præcepit omnibus Baptismum? Breviter ergo, votum pendet à voluntate voventis, præceptum à voluntate Superioris.

Votum pendet à voluntate voventis; præceptum autem à voluntate Superioris.

Alia instantia solvitur.

Et si inferas; ergo non baptizati etiam obligantur legibus Ecclesiasticis. Resp. Negando Consequentiam: quoniam Ecclesia non est Superior eorum, sicuti est Christus. Unde

solùm hìc loquimur de mero præcepto divino communicandi semel in vita.

33. Tertia instantia.

Dices; illud præceptum est indeterminatum, saltem extra articulum mortis: ergo ad nihil determinatè obligat: ergo infideles non peccant determinatè contra illud, cùm numquam sit verum, quòd tunc habeant obligationem communicandi. Si autem recurras ad determinationem Ecclesiæ, illi non subjiciuntur nisi baptizati.

Lugo existimat determinationem Ecclesiæ obligare non baptizatos.

Respondet Card. Lugo disp. 16. n. 19. determinationem factam ab Ecclesia obligare etiam non baptizatos, non per modum præcepti, sed ut conditionem, quâ positâ, obligat illos Christi præceptum determinatè; atque ideo peccant contra Christi præceptum, ex quo deberent reddi habiles ad sumendam Eucharistiam tali tempore, per Ecclesiam determinato.

Probat à simili:

Probat à simili: Sicut, inquit, si Confessarius imponat pœnitenti jejunium iis diebus, quos Medicus designaverit, non dat Medico jurisdictionem nec Medicus præcipit quando determinat dies: sic ergo Ecclesia determinando tempus Communionis, licèt id faciat præcipiendo etiam in ordine ad suos subditos, potest tamen illa determinatio obligare non baptizatos, non ut lex Ecclesiæ, sed ut conditio, quam exigit præceptum ad determinatè obligandum.

34. sed illi meritò contradicit Dicastillo.

Sed hæc responsio cum sua probatione displicet (& meritò) Dicastilloni disp. 10. n. 71. & sequentibus; quia nimirum neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, neque ex Traditione, ut patet, constat Christum præcepisse Communionem dependenter à determinatione Ecclesiæ: sed neque ex natura Sacramenti id ostendi potest; quamvìs enim Eucharistia cibus sit, non tamen nisi pro baptizatis. Et quamvìs valde utilis, non tamen omnino ex natura rei necessarius. Indè ergo inferre Catechumenum singulis annis peccare contra præceptum Communionis, imò singulis diebus olim peccasse, quando, ut aliqui volunt, baptizati ex determinatione Ecclesiæ debebant singulis diebus communicare, suprà quàm cuiquam credibile est.

Quocirca dicendum arbitror, hanc obligationem specialem suscipiendi Baptismum in ordine ad Communionem satis determinatam esse ad articulum mortis, ut patebit ex Conclusione sequenti.

35. Tertia objectio.

Objicitur tertiò; Nemo tenetur speciali titulo nasci, ut possit natus nutriri; sed solùm nativitate suppositâ. Sicut si Confirmatio (quæ est accretio) esset à Christo præcepta, nemo teneretur vi præcepti Confirmationis ad Baptismum, sed solùm nativitate suppositâ, teneretur crescere per Confirmationem.

Solvitur.

Resp. si per nativitatem intelligitur corporalis, apertissimum est, quod assumitur, cùm in nullius potestate sit corporaliter nasci: sin autem accipiatur nativitas spiritualis, petitur manifestè principium; & ad simile dico: si Confirmatio esset præcepta omnibus à Christo illis verbis: *Nisi confirmati fueritis, non habebitis vitam in vobis*, etiam ex illo præcepto oriretur specialis obligatio Baptismi tamquam medii necessariò prærequisiti ad validam Confirmationem. Aliud esset de præceptis jejuniorum, Festorum, & similium, si Christus ea instituisset, etiam pro non baptizatis; quia constat Catechumenos hujusmodi præcepta legitimè posse observare; secùs præceptum Communionis aut Confirmationis, si esset.

36. An baptizatus de poenitentia baptizatorum, cum non sit baptizatus, recipiat fructum ejus Sacramenti.

Sed dicet fortassis aliquis: cùm Catechumenus possit esse in gratia, & spiritualiter hoc Sacramentum manducare, cur non etiam sacramentaliter? Sanè durissimum videtur, quòd aliquis putans bonâ fide se esse baptizatum, & sæpiùs cum maxima devotione communicans, nullum ex opere operato ex illis Communionibus fructum recipiat.

Innoc. III. cap. 1. extra de frigidis, non baptizatis.

Accedit cap. *Veniens.* 3. de Presbytero non baptizato, ubi Innoc. III. proposito dubio, an talis Presbyter debeat iterum ordinari? Pro parte negativa sic argumentatur: *Cùm quis non solùm per Sacramentum Fidei, sed per fidem etiam Sacramenti, efficiatur proculdubio membrum Christi: & qui Christum habet per fidem, etiamsi Baptismum non habeat, habet utique fundamentum, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus: superædificare posse videtur, sicut salutifera opera, sic & quælibet ecclesiastica Sacramenta: cùm illud non sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus Sacramentis, quòd Baptismus sit fundamentum illorum: quoniam & Sacramentum conjugii & Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest.*

Quod utique argumentum non rejicit, quantumvìs resolvat pro contraria sententia dicens: *Nos circa latorem præsentium in hoc dubitabili casu, quod tutius est sequentes: Mandamus, quatenus ipsum per singulos Ordines usque ad Sacerdotium promovere procures* &c.

37. Communis sententia negat.

Atque hæc contraria sententia est communis, & fundamentum principale sumitur ex eodem capite statim citato ibi: *Ut cùm Baptismus sit fundamentum omnium Sacramentorum, ante susceptionem Baptismi non suscipiatur aliud Sacramentum: quoniam ubi fundamentum non est, superædificari non potest.* Uno verbo: Baptismus est janua omnium aliorum Sacramentorum.

quia Baptismus est janua aliorum Sacramentorum.

Sed ad hoc axioma responderi posset, intelligendum esse cum proportione, ut videlicet ad substantiam aliorum Sacramentorum prærequiratur substantia Baptismi; ad effectum verò aliorum Sacramentorum sufficiat effectus Baptismi; porrò impræsentiarùm solùm agitur de effectu Eucharistiæ. Quidni ergo Catechumenus, qui per Baptismum flaminis, aut etiam sanguinis in nostra sententia potest habere effectum Baptismi fluminis; quidni, inquam, etiam possit recipere effectum Eucharistiæ?

Responsio pro secunda affirmativa.

Hæc tamen responsio, ait Lugo disp. 13. n. 6.

quæ reficiuntur à Lugone.

n. 6. videtur esse contra mentem omnium Theologorum, qui certè, quando dicunt Baptismum esse januam Sacramentorum, non tam intelligunt de janua, per quam ipsa Sacramenta intrent in Ecclesiam, & fiant in seipsis, quàm de janua, per quam nos intramus ad ipsa recipienda; quia sicut per Baptismum intramus in Ecclesiam, ita per Baptismum intramus ad Ecclesiæ Sacramenta participanda. Hæc ille.

38. Instantia pro eadem opinione.

Estò: adhuc manet disparitas inter sumptionem Eucharistiæ, & sumptionem aliorum Sacramentorum, quòd sumptio illa, ut habet communior opinio, non sit verè Sacramentum, sed applicatio tantùm Sacramenti; susceptio autem aliorum Sacramentorum est ipsum Sacramentum. Quamvis itaque reliqua Sacramenta præter Baptismum, utpote invalida, nullum conferant effectum homini non baptizato; equidem quid obstat quò minùs Eucharistia, utique verum Sacramentum ante sumptionem, conferat suum effectum cuicumque voluntariè suscipienti?

Respondeo.

Respondeo, voluntas Christi, qui Pastoribus Sacramenta reliquit, ut per ea pascant oves suas, *Pasce oves meas*; inquit Christus Principi Apostolorum Joan. 21. v. 17. Et quæ illæ? *Alias* (inquit Christus apud Joan. 10. cap. v. 16.) *oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili: & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor.*

Joan. 21.

Joan. 10.

39. Sacramentum Eucharistiæ institutum est ut per ipsum pascantur oves Christi,

Oves ergo, quas Christus Corpore & Sanguine suo pasci voluit, illæ sunt, quæ per characterem Christianitatis impressum in Baptismo, intrarunt in ovile Christi, id est, membra facta sunt Christi, & visibilis ejus Ecclesiæ, jam non solius tantùm fidei debitores, & universæ legis Christi servandæ, sed insuper universæ legis ecclesiasticæ, tam scriptæ, quàm traditæ. Baptizati, inquam, oves sunt, & qui baptizantur, oves fiunt, per visibilem generationem Christo incorporati, ut per visibilem cibum visibiliter nutriantur. Reliquis autem, qui invisibiliter tantùm per gratiam merè internam Christo uniuntur, & in Christo regenerati sunt, sufficit quoque invisibilis nutritio per augmentum gratiæ ex opere operantis.

Admisso itaque intellectu axiomatis communis, quem aliqui possent prætendere, nihil adhuc sequitur contra communem doctrinam; quoniam omnes qui baptizati non sunt, quantumcumque justificati per Baptismum flaminis, aut sanguinis, carent aliquo effectu Baptismi, scilicet charactere Christianitatis; & ideo nequeunt recipere effectum reliquorum Sacramentorum, etiam Eucharistiæ.

quales non sunt infideles, qui carent characte Christianitatis.

Respondetur ad antecedentem hujus.

Ad Innocentium plana est responsio, puta, loquitur disputando pro utraque parte, adductis utrimque rationibus, non tam ex propria sententia, quàm aliorum, quas proinde non oportebat omnes esse veras; præsertim cùm non solùm Eucharistiæ, sed etiam Sacramenti Matrimonii capacem dicerent non baptizatum, quod tamen constat esse falsum. Unde etiam Pontifex resolvit pro contratia parte, ut audivimus.

Ex his sequitur corollarium: non baptizatum, tametsi bonâ fide accederet ad Sacramentum, non impleturum præceptum Communionis; quoniam non est Communio sacramentalis, quia nullatenus in ipso signum gratiæ sacramentalis, id est, gratiæ ex opere operato. Nec hoc alicui magis durum videri debet, quàm illud quod communiter ab omnibus admittitur, videlicet non baptizatum infructuosè suscipere Sacramenta Confirmationis, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonij; licèt aliqua sit disparitas, de qua suprà. Ratio autem à prioi æqualis est, scilicet voluntas instituentis.

40. Non baptizatus, tametsi bonâ fide communicaret, equidem non impleret præceptum.

Rogas, nùm etiam sit voluntas instituentis, ut Eucharistia fructificet solis adultis ratione utentibus? Non puto. Ideo erit

CONCLUSIO IV.

Præceptum divinum Communionis obligat solos adultos ratione utentes, estò fructuosè suscipiatur à parvulis, & perpetuò amentibus.

41. Parvuli, & perpetuò amentes sunt capaces fructûs hujus Sacramenti.

PArvulos (& eadem est ratio de perpetuò amentibus) esse capaces fructûs hujus Sacramenti, satis demonstrat à posteriori antiqua consuetudo distribuendi ipsis Eucharistiam, de qua meminit Synodus Trident. sess. 21. c. 4. (vide Conclusionem primam) quæ quamvis hodie in plerisque Ecclesiis abolita sit, apud Ruthenos tamen, & quosdam alios populos, etiam Catholicos, adhuc servatur teste Arcudio lib. 3. cap. 40. Non est autem verisimile Ecclesiam vel olim permisisse, vel adhuc permittere ejusmodi distributionem cum frustratione effectûs tanti Sacramenti.

Arcudius.

Unde loco citato dicit Concilium, Sanctissimos Patres, qui illum morem aliquando servaverunt, habuisse probabilem causam sui facti pro illius temporis ratione. Quæ autem potest esse probabilis causa distribuendi Sacramentum cum certa frustratione effectûs?

Objectio.

Dices; quia dubitabant, an fortè parvulis sumptio Eucharistiæ esset medium necessarium ad salutem propter illa verba Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis* &c.

Joan. 6.

Solvitur primò.

Sed contra primò; id gratis omnino dicitur, & contra respectum illorum sanctissimorum Patrum, quasi in re certò falsa dubitassent; imò contra Tridentinum suprà dicens: *Eos nullâ salutis necessitate id fecisse.* Secundò quo-

Secundò.

modo

modo poterat sumptio Eucharistiæ parvulis esse medium necessarium, si erant incapaces fructûs illius?

42. An requiratur voluntas Ecclesiæ? Dices; etsi olim profuisset parvulis, quando cõcurrebat voluntas Ecclesiæ, non tamen modò, quando Ecclesia prohibet. Ita nonnulli, sed sine sufficienti fundamento: tum quia non requiritur voluntas Ecclesiæ; sed sufficit voluntas Christi, ut patet in Baptismo & Confirmatione, quæ constat parvulis validè, & fructuosè conferri contra prohibitionem Ecclesiæ; tum quia etsi nolit Ecclesia Eucharistiam dari, nullatenus tamen vult, ut si secùs fiat, non habeat effectum. Quæ enim in hoc utilitas? Imò major sit irreverentia Sacramento, fraudando illud suo effectu.

Sanè Ecclesiæ voluntas non aliter potest impedire effectum Sacramentorum, quàm quatenus potest impedire validum Sacramentum, ejusque validum ministerium, aut certè in quantum suâ prohibitione causat occasionaliter indispositionem subjecti, dum suscipiens Sacramentum contra suam prohibitionem, peccat mortaliter; quæ liquet non habere locum in parvulis, aut perpetuò amentibus, quibus ministratur Eucharistia, licèt peccaminosè ex parte ipsius ministri.

43. Affignantur rationes propter quas hodie sit illicitum parvulis ministrare Eucharistiam. Petes; quare ergo Ecclesia hodie prohibeat Eucharistiam talibus ministrari? Resp. non existare expressam prohibitionem; interim ex ipsa consuetudine & existimatione Ecclesiæ videtur esse illicitum ob reverentiam ac decentiam tanti Sacramenti, quæ exigit devotam adorationem ipsius, & maximè, quia est res subjecta variis irreverentiæ periculis, præsertim hoc tempore, quando Ecclesia prohibuit usum calicis: nam olim hoc Sacramentum non sub specie panis tantùm, sed sub utraque mixtum, vel etiam fortè sub specie vini tantùm parvulis tribuebatur: quâ ratione faciliùs ab eis, & cum minori periculo irreverentiæ sumi poterat.

Vasquez. Et ita fortassis, ut notat Vasquez disp. 212. cap. 2. in fine, in Ecclesia Latina hic mos negandi Eucharistiam parvulis ab eo tempore inolevit, quo etiam calix adultis cœpit denegari.

Adde, antiquis temporibus majorem fuisse devotionem fidelium, quæ præcavebat irreverentiam, vel certè præponderabat irreverentiæ periculo, quod poterat subesse.

Denique ratio hodiernæ prohibitionis potest esse confutatio & magis explicita condemnatio quorumdam Hæreticorum, qui dicebant etiam parvulis præter Baptismum esse necessariam Communionem sacramentalem; sicuti ob similem rationem Ecclesia jam prohibuit laicis sumptionem calicis antea permissam, non quasi laici sint incapaces effectûs; sed ut ostendat sumptionem unius speciei sufficere ad salutem.

Cæterùm ratio à priori hujus veritatis est voluntas instituentis: ex nullo enim capite ostenditur Christum requisivisse majorem usum rationis ad fructuosam sumptionem Eucharistiæ, quàm ad fructuosam susceptionem Baptismi aut Confirmationis; atqui secundùm omnes hæc Sacramenta validè & cum fructu à parvulis suscipiuntur: ergo & illud. 44. Non requiritur major usus rationis ad fructuosam susceptionem Eucharistiæ, quàm Baptismi.

Objectio. Quidni, inquis, requisiverit majorem usum rationis, cùm Apostolus 1. Cor. 11. dicat v. 28 *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat?* 1. Cor. 11.

Solvitur. Non legisti, quod sequitur v. 29. *Qui enim manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit: non diudicans Corpus Domini?* Tunc ergo probatio est necessaria, quando est periculum indignæ sumptionis propter indispositionem sumentis. In parvulis autem quod periculum indispositionis, cùm sint incapaces peccati personalis, peccatum verò originale remissum sit per Baptismum?

45. Non obest quod parvuli sint incapaces peccati. Quinimò, instas, quia incapaces sunt, ideo Eucharistia illis non prodest; nam instituta est ad restaurandas vires deperditas.

Primarius enim effectus non est restauratio vitium deperditorum. Erras, si putes hunc esse primarium finem, & effectum hujus Sacramenti. Quis ergo? Audi Innocentium III. cap. *Firmiter* de Summa Trinitate: *Vt*, inquit, *ad perficiendum mysterium unitatis accipiamus ipsi de suo, quod accepit ipse de nostro* Innoc. III.

Fiorent. Hinc Eugenius IV. in decreto de Armenis: *Huius Sacramenti*, ait, *effectus, quem in anima operatur digne sumentis est adunatio hominis ad Christum*, scilicet perfecta; quia prima fit per gratiam Baptismi: *Et quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius unitur, consequens est quod per hoc Sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur*, ad perficiendum videlicet mysterium unitatis & incorporationis jam inceptum. sed adunatio hominis ad Christum,

cujus parvulus est capax. Dubitas adhuc, an parvulus sit capax hujus perfectæ unitatis, id est, augmenti gratiæ sanctificantis? Certè nec sic Confirmatio illi prodesset, quod nemo dixerit; neque adulto statim baptizato prodesset Eucharistia, quia nihil adhuc deperditum, quo quid absurdius?

46. An infans qui comederet hostiam sacram casu repertam, reciperet gratiam. Sed urges: ergo etsi infantes hostiam sacram casu repertam comederent, reciperent gratiam. Respondet noster Pontius Sum. Theol. disp. 44. q. 13. Negando Consequentiam; quia, inquit, neque ex parte ipsorum, neque ex parte Ecclesiæ aut Christi reperitur voluntas requisita ad fructuosam perceptionem Sacramenti; sed ad hoc requiritur, ut ministretur ipsis tamquam Sacramentum. Negatio.

Auctor. Insignis conjectura; & si ipse hoc asserendo probavit, ego negando refutavi. Hinc Respondeo concedendo totum: recipiunt enim verum Sacramentum, cujus sunt capaces, etiam quoad effectum gratiæ, cùm sint justi. Porrò Sacramenta suscepta sive applicata subjecto causant

causant gratiam instar causarum naturalium, quando non inveniunt obicem, prout hic: intentionem autem in parvulis non requiri patet, cùm sint illius incapaces. Ita docet Lugo disp. 13. n. 17. & 23. dicens, ita sensisse graves Theologos in Hispania. Lugonem sequitur Dicastillo disp. 9. n. 204.

Auctor affirmat cum Lugone & Dicastillo.

Lugo. Dicastillo.

47. Instabis: ergo etiamsi adultus casu manducaret hostiam consecratam, nesciens esse talem, reciperet gratiam. Respondetur communiter Negando Consequentiam; eò quòd in ipso requiratur intentio suscipiendi Sacramentum, quæ ibi non est, sed potiùs opposita, scilicet comedendi hostiam tamquam cibum communem.

Quod quidam etiam asserunt de adulto,

Equidem semper mihi visum fuit, non carere fundamento, quòd etiam talis reciperet gratiam. Primò, loquendo de lapso in phrenesim, aut moribundo sensibus destituto. Secundò, loquendo etiam de cæteris. Idq; duplici viâ.

Suppositâ intentione saltem habituali,

Prima; quia ordinariè adest intentio habitualis suscipiendi Sacramentum, saltem conditionata, hâc ratione, quatenus censetur velle, ut talis actio ei prosit, quantùm sine nocumento prodesse potest. Unde posset quis expresè habere hanc intentionem. Nolo quidem manducare Eucharistiam tamquam cibum communem, si tamen ex ignorantia id fieri contingeret, volo ut Eucharistia mihi prosit quantùm fieri potest; & indubiè qui talem intentionem habuisset, reciperet gratiam: quamvis enim tunc illa susceptio Sacramenti non fuerit voluntaria, quia omnino independens à mea voluntate; fuit tamen volita, quod videtur sufficere: sic enim Baptismus, qui confertur moribundo sensibus destituto, validus est, tametsi pro tunc nullo modo dependeat ab ejus voluntate, quòd conferatur, quia saltem volitus fuit.

& conditionati,

Et licèt talis manducatio non fuerit volita absolutè & in se; attamen fuit volita in suo effectu; imò & in se, casu quo ita applicaretur. Hoc autem sufficere probatur à simili: quia si quis ordinaretur, qui tamen non cupit ordinari, equidem valeret ordinatio, si consentiat, supposito quòd fiat, ne alàs Sacramentum sit irritum. Similiter si infirmus sciat, quòd Extrema Unctio applicabitur ipsi à ministro incompetenti, potest nihilominus velle acceptare, si citra culpam suam fiat, ut sic habeat effectum. Ergo eâdem ratione possum velle suscipere Sacramentum Eucharistiæ, in quacumq; occasione citra meam culpam illud contigerit applicari, suppositâ quippe malitiâ administrantis, vel casu fortuito, melius est ut Sacramentum suscipiatur cum fructu, quàm sine.

quia in multis aliis eadem ratio valet,

& in quolibet Christiano præsumitur.

Quid si igitur dicamus unumquemque Christianum hujusmodi implicitam habere voluntatem? Certè voluntas bona est & sancta, meritoque censetur inclusa in voluntate Christianè vivendi & moriendi. Atque hæc pro prima via, quæ satis plana est & trita.

48. De secunda quid dicam? Invia est, & hactenus clausa, equidem allubescit eam aperire. Quidni dici possit, ad fructum hujus Sacramenti non requiri intentionem in suscipiente? Enimverò auctoritates, quas videre poteris disp. 1. sect. 8. concl. 1. & 2. solùm loquuntur de Sacramentis, quæ consistunt in usu, adeoque in sui applicatione confici debent, ut sunt omnia præter Eucharistiam.

Ad fructum hujus Sacramenti fortè in suscipiente non requiritur intentio;

Quare si Baptismus v. g. adulto, alioquin disposito & capaci, posset validè applicari sine intentione aliqua ejusdem, utì parvulis (quod sanè Christus velle potuisset) cur putas in eodem non haberet effectum? Etenim Sacramenta validè applicata subjecto, in quo non est obex, conferunt infallibiliter gratiam. Et verò impræsentiarùm id fit; nam Sacramentum Eucharistiæ non est conficiendum, sed jam confectum, tantùm est applicandum, applicaturque subjecto, in quo non est obex.

Dices; non suscipitur sacramentaliter. 49. Resp. non potest capax Sacramenti illud suscipere, quin sacramentaliter. Nam si quis etiam sine intentione posset accipere Sacramentum Baptismi validum, utique acciperet sacramentaliter hâc ratione, ut carens obice reciperet gratiam, & semper characterem.

Instas: ergo etiam non baptizatus susciperet validè Eucharistiam? Resp. materialiter, sed non sacramentaliter; quia non est subjectum capax. Eucharistia siquidem, ut alibi expendimus, non significat, aut confert gratiam, nec est ad illam significandam practicè instituta, nisi respectu subjecti baptizati.

Instas rursum: ergo non obstaret intentio contraria; adeoque si justo renitenti ingereretur Eucharistia, is acciperet gratiam? Resp. Concedendo totum. Nec dixeris hoc esse absurdum; quippe si posset invito validè conferri Baptismus, indubiè ei imprimeret characterem. Quid ergo mirum, si etiam aliunde non indisposito conferret gratiam?

imò nec obest contraria?

Cæteroquin quia minùs congruum est, ut beneficium præstetur invito, Christus ordinavit, ne Sacramenta, quæ in actione consistunt, dentur adulto non consentienti positivè; neque etiam rectè tali daretur Eucharistia: equidem si daretur, ex principiis generalibus efficaciæ Sacramentorum videtur colligi dandum effectum. 50.

quod equidem fieret incongruè

Nec Christus omni incongruentiæ debuit obviare, etiam per invalidationem facti, ut patet in pluribus instantiis in ipsa materia Sacramentorũ, de quibus alibi egimus. Obviavit verò huic incongruentiæ in aliis Sacramentis, quæ, ut statim dixi, in adulto non consentienti minimè valent: si tamen valerent, ut suprà expendimus, utique effectum conferrent: unde quia valet Eucharistiæ Sacramentum, conferet effectum.

cui incongruentiæ Christus non debuit obviare,

utì multis aliis.

Instabis tertiò ex Joan. 6. v. 55. *Qui manducat carnem meam & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*; Qui manducat, inquam, tamquam talem, & humano modo, ac liberè. Resp.

Joan. 6.

Negando sic esse verba illa intelligenda, ut liquet in parvulis, phreneticis, moribundis, sensibus destitutis &c.

Hæc inquirendi potiùs, quàm asserendi studio sint scripta. Certum est, aliquid ampliùs requiri in adultis ad validam susceptionem aliorum Sacramentorũ, quàm in parvulis. Et apud me nõ minùs certum est, ad effectum hujus Sacramenti in parvulis solam voluntatem Christi sufficere.

51. Parvuli non obligantur præcepto divino ?

Sed numquid ideo obligantur ex præcepto divino suscipere Sacramentum ? Concluſio negat. Siquidem lex non datur nisi illis, qui capaces sunt obligationis, quales non sunt ii, qui non utuntur ratione, vel numquã usi fuerunt; quandoquidem non sit obligatio præcepti nisi ad actum voluntarium, qui in talibus non reperitur.

Quæris unde sciam ? Quia lex est regula actuum humanorum, sive moralium. Quod indè patet; quia ipsa lex est actus rationis & voluntatis: ergo etiam præcipit actum rationis, & voluntatis. Deinde potestas legislativa propria est creaturæ rationali; ergo dirigit illam quà rationalis est: ergo in actibus rationalibus.

Sicut enim creatura irrationalis certas sibi habet regulas præfixas ab auctore naturæ, per quas determinatur & inclinatur ad certas operationes; ita etiam natura rationalis quà talis, sive quà libera debet habere aliquas certas regulas, secundùm quas oporteat eam dirigere actiones sibi proprias, id est, liberas: illæ autem regulæ sunt leges naturales, leges positivæ divinæ, vel humanæ. Plura in Tract de Legibus.

52. ubi nec usu rationis carentes, quamquam aliquando fuerint usi:

Dices: ergo etiam non obligantur præcepto Christi, qui aliquando usi fuerunt ratione, si de facto ampliùs non utantur. Resp. Concedendo totum; quamquam multi oppositum doceant: quia, inquiunt, tales sunt capaces voluntarii habitualiter, quatenus rationis status, quem aliquando habuerunt, & secundùm quem tenebantur sibi procurare Communionem, semper manet habitualiter in illis.

quod quidam negant, & variè probant.

Probant; quia voluntarium actuale manet habitualiter, quamdiu non est contrario actu ablatum. Unde cùm is, qui ante amentiam tenebatur voluntariè communicare, huic obligationi non satisfecerit, semper manet habitualiter obligatus.

Sicut v. g. si ante amentiam contraxit debitum pecuniarium, manet habitualiter obligatus tempore amentiæ ad illud solvendum. Et sicut aversus à Deo actuali peccato, manet etiam tempore amentiæ ab illo aversus peccato habituali, si ante amentiam non retractavit delictum.

Neque obstat, quòd non possint per se, sive actu proprio implere præceptum; quia possunt adjuti ab alio. Similiter licèt nequeant proprio actu seipsos probare, aut dijudicare Corpus Domini; possunt equidem esse probati habitualiter, & similiter habituali fide dijudicare, quatenus possunt esse in statu gratiæ, & habere fidem ac voluntatem habitualem suscipiendi Corpus Domini; si nimirum, quando amentes facti sunt, erant in statu gratiæ.

Unde ad Apostolum 1. Cor. 11. respondent illum loqui de probatione & dijudicatione Corporis Domini indefinitè, sive actuali, sive habituali pro statu cujusq; communicantis. Hæc illi.

53. Sed quæstio pro majori parte videtur de nomine.

Quid dicam? Quæstio pro majori parte videtur esse de nomine, in qua meliùs loquuntur, qui negant obligationem præcepti pro isto tempore quo homo non est compos rationis: etenim obligatio legis est vinculum in conscientia; ubi ergo nulla conscientia, ubi nullum peccatum, ibi nullum vinculum in conscientia, & per consequens nulla propriè dicta obligatio legis ad aliquid faciendum vel omittendum. *Qui enim servare legem non vult, in potestate eius est si velit*, ait D. Aug. lib. 2. de Actis cum Felice c. 5. Alioquin si naturâ non voluntate facit; id est, si libero ad faciendum, & ad non faciendũ motu animi caret, neque si bonum eligeret, præmiũ ejus acciperet, neque si malum eligeret, pœnam ejus sentiret. Melior rideretur pars negativa, ex variis fundamentis. S. Aug.

Cùm ergo per statum amentiæ tollatur liberum arbitrium, id est, liber motus animi ad faciendum, & ad non faciendum, consequenter tollitur omnis obligatio ad liberè agendum vel omittendum, quæ anteà inerat (saltem in actu secundo) eo modo, quo tollitur obligatio legis pro tempore quo actus præceptus alicui redditur physicè impossibilis; Reg. 6. de Reg. juris in 6. *Nemo potest ad impossibile obligari*. Et L. *Impossibilium*. 185. ff. eodem tit. *Impossibilium nulla obligatio est*.

54. Et putas amentium aliqua erit? Non magis quàm mortuorum, cùm civiliter, & in ordine ad actus humanos, mortui sint. An fortè existimas aliter obligari amentem, qui ante amentiã contraxit debitum; aliter verò mortuum, qui ante mortem contraxit debitum? Eadem sanè utriusque obligatio; vel potiùs nulla utriusque obligatio personalis.

Ratione obligationis eius ratio dicitur amens obligatus tempore amentiæ solvendi debita.

Dico, *personalis*, quia realis manet etiam post mortem naturalẽ & transit cum bonis debitoris, quibus est affixa, ad hæredes. Et ratione hujus obligationis realis potest dici amens obligatus tempore amentiæ, non tantùm habitualiter, sed etiam actualiter, id est, bona ipsius manent obligata creditori, ita quòd creditor possit sibi ex illis procurare solutionẽ de licentia eorũ, quorum interest, etiam ipso amente principali debitore invito & reluctante. Quâ solutione habitâ, expirat tota obligatio justitiæ, quam vel habet, vel unquam debitor habuit: non quòd ipse amens impleverit præceptum justitiæ, reddendo alteri quod ipsi debitũ erat; sed quia creditor jam habet quod suum est, quâcumque tandem viâ ad ipsum pervenerit. Quid ergo mirũ, si præceptum ampliùs non obliget subtractâ ejus materiâ?

55. Pariformiter in nostro casu, qui aliquando habuit usum rationis, pro illo tempore habuit etiam obligationem sumendi Eucharistiam; adeoq; eam petendi, & per consequens jus, ut

Videtur esse obligatio in Ecclesia ministri ipsi Sacramentum.

ut ea sibi administraretur. Porrò antequam potuit communicare, incidit in amentiam, dico hoc ipso expirare obligationem illius præcepti, in quantum afficit ipsum amentem, qui pro illo tempore non est capax actûs præcepti.

Interim tamen videtur manere aliqua obligatio in Ecclesia ministrandi Sacramentum hujusmodi amenti, utpote qui sit capax fructûs illius, & jam anteà habuit jus ad illud ministerium. Quis enim dixerit furem esse liberum à restitutione, quia verus Dominus incidit in amentiam?

Qui communicavit in amentia, amplius non obligatur præcepto divino.

Quo ministerio exhibito, estò redeat amens ad mentem, opinor non ampliùs eum obligari mero præcepto divino, non quasi ipse in amentia illud impleverit; sed quia per Communionem tunc datam subtracta est ejus materia. Et idem dicerem de eo, qui communicasset in infantia.

56. Ex quo patet ad primum simile. Secundum autem nimiùm claudicat: quæ enim comparatio inter peccatum habituale, & obligationem legis ad aliquid faciendum vel omittendum? Certè perexigua. In hoc unico, quòd sicuti peccatum habituale est aliquid moraliter permanens in peccatore ex actu præterito peccati, ita etiam obligatio legis sit aliquid moraliter permanens in subjecto ex præterita voluntate Legislatoris. Ergo sicuti tempore amentiæ manet peccatum habituale, ita etiam manet obligatio legis, quâ præcipitur libera perceptio Eucharistiæ: qualis consequentia?

Peccatum habituale non est obligatio faciendi in amentia.

54. Optima, inquis; quoniam peccatum habituale non est aliud, quàm obligatio satisfaciendi. Credat qui volet: Ego credo peccatum habituale manere in damnatis, manere autem obligationem satisfaciendi, cùm satisfactio in illo statu sit impossibilis: quis sapiens & intelliget istud? *Quis enim non clamet* (utor verbis D. Aug. lib. de Fide contra Manich. cap. 10.) *stultum esse præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere, & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas iussa complere?*

D. Aug.

Manet quidem debitum pœnæ in amentibus, & damnatis tamquam effectus consequens rationem peccati, independenter à voluntate peccantis, non inficior; sed veram & propriè dictam obligationem legis ad liberè operandum vel omittendum, quod ipsis physicè est impossibile, non facilè credidero.

Rationes obligationis nullo modo urgent amentes.

Dices; in dormiente manet obligatio legis, saltem habitualiter: ergo etiam in amente. Resp. Negando Consequentiam; quia somnus est quid transiens & naturale, amentia autem quasi status perpetuus, quamvis per accidens aliquando cessat: & ideo in homine dormiente potiùs dormit obligatio; in amente autem censetur quasi extincta.

57. Aliter loquendum de dormiente, aliter de amente.

58. Cæterùm si nihil aliud velint Auctores contrarii, quàm amentes, de quibus hìc loquimur, aliquando habuisse obligationem præcepti divini, & nondum illi obligationi satisfeciisse, in hoc verbum eorum verissimum est; & si nihil aliud intelligant per obligationem habitualem, libentissimè ipsis consentimus, & dissensio solùm erit in voce; quia existimo hoc non sufficere, ut simpliciter, & sine addito dicantur obligati præcepto divino sumendi Eucharistiam pro illo tempore, quo amentia durat; quamvis satis sit, ut præ parvulis, qui nunquam habuerunt aliquam obligationem actualem, in articulo mortis non debeat ipsis Communio negari. Unde erit

CONCLUSIO V.

Lapsis in phrenesim, vel amentiam, non est in articulo mortis Communio deneganda: quemadmodum nec energumenis, vel à nativitate surdis, & mutis.

58. SUppono quòd sine periculo exterioris irreverentiæ possit Sacramentum ministrari. Similiter quòd sint in bono statu, vel saltem non sciantur esse in malo, & quòd aliquo modò Eucharistiam petierint, Catholicè vivendo.

Phreneticis vel amentibus in extremis non deneganda Communio.

Conclusio est communis, præsertim quando anteà nunquam communicarunt. Ratio plana est; quia sunt capaces effectûs, & aliquando habuerunt obligationem communicandi, cui hactenus non satisfecerunt. Et quamvis satisfeciissent præcepto divino per antecedentem Communionem, non tamen præcepto Ecclesiastico communicandi in articulo mortis, de quo infrà. Accedit summa utilitas, imò aliquando extrema necessitas, si v. g. peccator tantùm est attritus, & non adsit qui possit absolvere à peccatis, vel ministrare Extremam Unctionem.

ut docet Catechismus Romanus.

Unde sic docet Catech. Rom. parte 2. c. 4. q. 49. *Amentibus qui tunc à pietatis sensu alieni sunt, Sacramenta dare minimè oportet, quamvis si antequam in insaniam incidèrint, piam & religiosam animi voluntatem præ se tulerint, licebit eis in fine vitæ, ex Concilii Carthaginensis decreto Eucharistiam administrare: modo vomitionis, aut alterius indignitatis, & incommodi periculum nullum timendum sit.*

& Concilium Carthag. IV.

Porrò decretum Concilii Carthag. IV. c. 76 ita se habet: *Is, qui Pœnitentiam in infirmitate petit, si casu, dum ad eum Sacerdos invitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, vel in phrenesim versus fuerit, dent testimonium qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam. Et si continò creditur moriturus, reconcilietur per manûs impositionem, & infundatur ori eius Eucharistia.* Eadem autem est

ratio de iis, qui extra infirmitatem in amentiam incidunt.

59. cui consonat Aurasicanum I.

Consonat Concil. Arausic. I. can. 13. *Amentibus*, inquit, *quæcumque pietatis sunt, conferenda sunt.* Sub quibus verbis communiter Doctores intelligunt Eucharistiam. Verùm, inquit Vasquez disp. 212. n. 22. (quem sequitur Dicastillo disp. 9. n. 185.) cùm Canon præcedens sit de iis, qui cùm vellent baptizari aut Pœnitentiam accipere, subitò obmutescentes, eam ampliùs petere non potuerunt, videtur etiam hic intelligendus de iis, qui subitò in amentiam inciderunt, cùm tamen anteà Pœnitentiam peterent, aut Baptismum.

Vasquez.

Dicastillo.

Sed hoc argumentum nullius est momenti, cùm sæpissimè nulla sit connexio inter materiam Canonis præcedentis, & materiam Canonis immediatè subsequentis. Quocirca singuli Canones intelligendi sunt sicuti sonant, nisi aliquid obstet. Hic autem nihil obstat, quò minùs Canon 13. generaliter, sicut sonat, intelligatur, puta de iis omnibus amentibus, quos in principio Conclusionis descripsimus.

& Toletanum II.

Eandem veritatem non obscurè indicat Concilium Tolet. II. can. 11. dicens: *Quicumque fidelis inevitabili qualibet infirmitate coactus Eucharistiam perceptam reiecerit, in nullo Ecclesiasticæ damnationi subiaceat. Similiter nec illos cuiusquam punitionis censura redarguet, qui talia aut tempore infantiæ faciunt, aut in qualibet mentis alienatione positi, qui quod fecerint, ignorare videntur.*

An sit obligatio ex justitia?

Ex his sequitur Pastores obligari ex justitia talibus dare Eucharistiam, idque per modum Viatici; præsertim cùm in vita Christianè transacta, sufficienter præcesserit devotio, & includatur voluntas saltem interpretativa recipiendi extrema Sacramenta, id est, Pœnitentiam, Viaticum, & Extremam Unctionem, ad quæ quilibet habet jus, si est capax, & nulla obstet prohibitio. Et sanè si Extrema Unctio conceditur, quidni Eucharistia concedi debeat, quæ est magis necessaria?

60. Quæ amentium, eadem, imò major est ratio energumenorum,

Cæterùm quæ amentium, eadem, imò major est ratio energumenorum, quidquid olim fuerit in usu apud priscos quosdam Patres, saltem quoad illos, qui juxta veteris Ecclesiæ morem erant ob gravia peccata ab Episcopis traditi Satanæ in vexationem carnis; quamdiu enim durabat talis vexatio, etiam erant excommunicati ab usu hujus Sacramenti: attamen retinebant obligationem ad usum, ubi essent Ecclesiæ reconciliati.

1. Cor. 5.

Illa consuetudo indicatur ab Apostolo 1. Cor. 5. v. 3. & sequentibus: *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicavi ut præsens, eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi.*

Interim hâc consuetudine abolitâ, estò ob modò sit in statu gratiæ

præcedentia sua peccata (quod non semper) à Dæmone forent obsessi, si actu sunt in statu gratiæ, nil obstat præcedens indignitas; eoque sunt magis indigi, ac proinde, si absit periculum irreverentiæ, dicendum, eis similiter dari posse Eucharistiam, non tantùm in articulo mortis & in Paschate; verùm etiam frequentiùs, prout prudens Confessarius judicaverit expedire ad expellendum, vel frænandum Dæmonem, ad patientiam & utilitatem obsessi.

Enimverò nullo jure id prohibetur; immo uti ipsa conceditur in Conc. Arausic.

expressè conceditur cap. 14. Conc. Arausic. I. his verbis: *Energumeni iam baptizati, si de purgatione sua curent, & se solicitudini Clericorum tradant, monitisq; obtemperent, omnimodè communicent, Sacramenti ipsius virtute vel muniendi ab incursu Dæmonum, quo infestantur, vel purgandi, quorum iam ostenditur vita purgatior.*

S. Prosper. Cassianus D. Thom. & fere omnes firmat pro xii,

Colligitur etiam ex facto, quod refert Prosper lib. 4. de Prædictionibus & promissionibus c. 6. Et docet Cassianus Collat. 7. c. 30. D. Thom. & alii Recentiores passim.

61. quæ erat habet locum in iis, & infantibus à nativitate.

Consule praxim Ecclesiæ, quæ est optima legum interpres; & dicet tibi, non tantùm energumenis; verùm etiam mutis & surdis à nativitate, si non appareant indispositi, & exmutibus satis constet eos cibum illum spiritualem distinguere à prophano (quod eos signis edoceri posse, experientia ostendit) & accipere in remedium salutis: dicet, inquam, hujusmodi quoque adultis præberi posse Eucharistiam in articulo mortis, & Paschate; imò si discretio sit maturior & perfectior, etiam sæpiùs, v. g. in solemnioribus festivitatibus, quemadmodum possunt confiteri & absolvi.

Si quæris rationem, in promptu est; sunt quippe capaces præcepti, tam divini, quàm Ecclesiastici. Aliud foret si simul essent à nativitate cæci: tunc siquidem non videntur capaces Eucharistiæ dignoscendæ, adeoque nec sumendæ magis, quàm perpetuò amentes.

Porrò si à me quæritur, quid ergo sit dicendum de pueris doli capacibus, qui passim admittuntur ad Confessionem, defectu tamen plenæ maturitatis arcentur à Communione? Respondeo:

CONCLUSIO VI.

Pueris, qui sunt doli capaces, in articulo mortis non est Communio deneganda.

Pueri doli capaces possunt mortaliter peccare.

VOco pueros doli capaces, qui possunt mortaliter peccare. Quamvis enim tunc statim non obligentur præcepto Ecclesiastico singulis annis communicare, ut multi probabiliter docent, & consuetudo Ecclesiæ approbat: equidem quid obstat, quò minùs obligentur præcepto

præcepto divino semel communicandi in vita? Ergo in articulo mortis non est ipsis Communio deneganda, prævia instructione si opus sit. Consequentia patet; quia si tunc non communicent, nunquam in vita poterunt communicare.

Objectio.

Dices: requiritur major discretio ad communicandum, quàm ad confitendum; siquidem debet puer dignè communicans discernere hunc cibum ab aliis, & revereri latentem in eo majestatem, quæ discretio communiter non solet advenire ante annum ætatis decimum, cùm tamen sæpissimè anno septimo discernat inter bonum & malum, peccatum veniale & mortale, quod sufficit ut dignè confiteatur, & per consequens ut obligetur ad Confessionem.

63. Propter quam docet Vasquez non prius obligare præceptum divinum, quàm Ecclesiasticum.

Et verò propter hanc rationem, oppositam sententiam probabiliter docet Vasquez disputat. 214. cap. 4. n. 40. & sequentibus; videlicet priùs obligari puerum præcepto divino Confessionis, quàm obligetur præcepto divino Communionis, & non priùs obligari præcepto divino Communionis, quàm Ecclesiastico; adeoque vel Communionem illi esse dandam in Paschate, vel negandam in articulo mortis.

Diana.

Vasquezium cum aliis, à se citatis, sequitur Diana parte 5. Tract. 14. resol. 50. dicens: Probabiliùs videtur, ex vi juris divini non obligari hominem ad Communionem in articulo mortis, si non attingit ætatem, in qua licitum est communicare juxta consuetudinem Ecclesiæ; quia Ecclesia declaravit tunc non habere discretionem sufficientem, ut eâ, quâ par est, devotione, & reverentiâ Eucharistia suscipiatur.

Suarez.

Addit in fine resolutionis: Sed Confessarii, me consulente & impellente, eo ipso quo puer sit capax Confessionis, ne deserant in articulo mortis illi sacram Eucharistiam porrigere, secundùm opinionem Suarez disp. 70. sect. 1. in fine; quam utique opinionem amplexus fuerat, citatis multis aliis pro ea Auctoribus, eâdem parte Tract. 3. resol. 44. Ex quo apparet utramque sententiam esse probabilem, & tutam in praxi.

64. Vasquez il fundamentum refutatur.

Elegimus autem illam, quæ est magis utilis saluti animarum. Unde ad fundamentum Vasquezii Respondeo; majorem discretionem requiri, ut passim aliquis admittatur ad sacram Communionem, quàm ut admittatur semel tantùm in vita, quando videlicet, nisi jam communicet, ampliùs non poterit communicare. Patet in phreneticis & amentibus, de quibus Conclusione præcedenti. Licèt enim defectu actualis discretionis & devotionis non admittantur ad Communionem in Paschate & aliis temporibus, equidem in articulo mortis, maximè si nunquam anteà communicaverint, quis audeat ipsis negare Communionem?

Ecclesia ja. potuit

Ergo similiter justè potuit Ecclesia differre, imò prohibere Communionem parvulorum, qui nondum plenam & perfectam habent discretionem hujus Sacramenti extra articulum mortis, quamvis in illo possit, & debeat ipsis Sacramentum ministrari; quia saltem aliqualiter sciunt discernere inter cibum sacrum & prophanum; nam audiunt Missam, imò tenentur audire, & reverenter adorant hostiam, quando elevatur, quem cultum non exhibent aliis cibis. Quamvis ergo Ecclesia non voluerit tunc statim illos obligare; sed exigat majorem discretionem, ut cum majori reverentia & devotione Eucharistiam percipiant; attamen non potuit limitare præceptum divinum generaliter impositum omnibus illis, qui possunt Sacramentum voluntariè accipere.

prohibere annuam parvulorum Communionem.

tamen non potuit limitare præceptum divinum omnibus impositum;

Confirmatur: quia similibus pueris datur in illo articulo Extrema Unctio, quæ tamen non obligat; ergo multò magis dari debet Eucharistia, quæ videtur ipsos obligare, si non ex præcepto Ecclesiastico in Paschate, Ecclesiâ connivente (nam posset illos obligare si vellet) ut ex consilio Confessarii ad unum aut plures annos possint Communionem differre, ut ita cum majori reverentia & præparatione accedant, saltem ex præcepto divino: imò etiam Ecclesiastico in articulo mortis; quia tunc ampliùs non est ulla causa sufficiens differendi.

præcipuè pro mortis articulo.

65. Quid faciendum si dubitetur de capacitate pueri?

Petes; quid faciendum, si dubitetur de capacitate pueri? Respondet Lugo disput. 13. nu. 43. non esse obligationem dandi Eucharistiam tali puero, stante illo dubio. Ratio ipsius est; quia talis puer non obligatur suscipere: non enim constat eum lege comprehendi; adeoque possidet suam libertatem: *In pari autem delicto vel causa melior est conditio possidentis.* Reg. 65. de Reg. juris in 6. Sicuti qui dubitat, an excesserit annum 21. non tenetur adhuc lege jejunii, quamdiu perseverat illud dubium.

Lugo putat non esse obligationem dandi Eucharistiam;

Accedit possessio legis prohibentis pueris dari Eucharistiam: constat quippe talem puerum antè fuisse incapacem & comprehensum illâ lege, & nondum constat de ejus capacitate. Unde præsumitur incapax, quamdiu non probatur capax. Quæ ratio videtur probare, etiam esse illicitum illis dare Eucharistiam, saltem hujusmodi pueros non habere jus illam exigendi.

66. neque etiam prohibitionem.

Nihilominus Card. suprà nu. 44. ait se non videre fundamentum convincens ad negandam Eucharistiam in tali dubio. Prohibitio enim dandi parvulis Eucharistiam fundatur ferè in consuetudine explicata in Rubricis Ritualis Romani Tit. de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento his verbis: *Iis etiam, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hujus Sacramenti cognitionem & gustum habent, administrari non debet.*

Rubr. Rit. Rom.

Et similibus verbis in iisdem Rubricis Tit. de Sacramento Extremæ Unctionis prohibetur ministratio Extremæ Unctionis: *Non ministretur etiam*

Probat exemplo Extremæ Unctionis,

etiam prælium inituris &c. *aut pueris rationis usum non habentibus.* Jam autem quando dubium est de puero, an sit jam doli capax, sic ut datur illi Sacramentum Pœnitentiæ sub conditione, sic etiam datur Extrema Unctio, ut cum aliis docet Diana parte 3. Tract. 4. resol. 169.

Diana.

quæ datur sub conditione illi, de cujus vita dubitatur.

Quidni daretur, cùm juxta easdem Rubricas eodem Tit. danda sit illi, de quo dubitatur an sit vivus? *Quòd si dubitet* (inquiunt) *an vivat adhuc, Unctionem prosequatur, sub conditione pronuntiando formam dicens: Si vivis, per istam sanctam Unctionem* &c. Ergo à fortiori videtur danda ejusmodi pueris; cùm non minùs sit incapax illius Sacramenti homo mortuus, quàm parvulus doli incapax; nec minùs prohibitum sit ungere mortuos, quàm hujusmodi parvulos.

Similiter ergo, licèt propter Ecclesiæ prohibitionem danda non sit Eucharistia pueris, quos constat non esse doli capaces, iis tamen de quibus dubitatur, poterit dari in articulo mortis: cur enim magis strictè interpretabimur eam prohibitionem humanam, quàm similem divinam circa Extremam Unctionem, præsertim cùm Sacramentum Extremæ Unctionis sit minoris necessitatis, quàm Eucharistia?

67. *Assignatur aliquod discrimen inter illa duo Sacramenta, Dicastillo.*

Respondet Dicastillo disp. 10. n. 120. istud *Cur* non est difficile invenire, ob magnum discrimen quod est inter utrumque Sacramentum, non solùm propter majorem reverentiam, quæ debetur Christo præsenti in Eucharistia; sed quia in Extrema Unctione non est periculum dandi Sacramentum casu quo non sit capax; perinde atque in Baptismo, quando confertur sub conditione puero: *Si non est baptizatus*, aut, *si adhuc sit vivus*: nam si baptizatus est, aut mortuus, nullum confertur Sacramentum. Non est autem minùs incapax Sacramenti Unctionis, qui non est doli capax, quàm Sacramenti Baptismi qui est baptizatus, aut mortuus; ac proinde appositâ conditione ad Sacramentum Unctionis: *Si puer est doli capax*, tollitur periculum conferendi verum Sacramentum inutiliter & vanè. In Eucharistia verò non ita contingit; nam cùm Sacramentum supponatur priùs absolutè factum & existens, & tantæ dignitatis, utpote in quo est ipsemet Christus, nemo non videt multò majorem causam esse, rationemque reverentiæ, atque adeò cavendi, ne conferatur vanè & inutiliter, & incapaci accipiendi illud.

pro quo à Dicastillone citatur Lugo;

A qua doctrina, prosequitur Dicastillo, non abhorret ipse Lugo n. 47. imò n. 62. dum hoc ipsum docet, comparans absolutionem cum Communione, & admittit casum in quo absolutio est conferenda, & non Communio. Potest enim contingere, inquit, ut ex depravata vita hominis &c. prudentissimè judicetur, nunc etiam carere debito dolore & proposito; & tunc licèt propter aliquale dubium adhiberi possit remedium necessarium absolutionis, saltem sub conditione, *si capax est* &c. in illo tamen dubio, imò præsumptione maxima indignitatis, reverentia ergà Sacramentum Eucharistiæ, quàm summoperè observat Ecclesia, videtur exigere, ne exponatur illi irreverentiæ, cùm non sit medium necessarium ad salutem infirmi &c. Ubi ob majorem reverentiam Eucharistiæ concedit negandam Eucharistiam, quando non sit neganda absolutio, propter conditionem sub qua absolutio conferri potest. Hactenus Dicastillo; sed parùm ad propositum.

Vis autem scire Dicastillo, quantùm abhorreat Lugo à tua doctrina? Tantùm profectò, quantùm abhorret parvulus bene dispositus ad suscipiendum effectum Sacramenti Eucharistiæ ab adulto peccatore, quem prudentissimè judicas indispositum. Non argumentatur Eminentissimus ab Extrema Unctione ad Eucharistiam in quocumque subjecto, sed in parvulo, de quo dubitatur, an habeat sufficientem usum rationis. De hoc autem tu ipse sic discurris n. 121. 68. *sed male.*

Si puer ille reverà usum rationis habet, dari debet Eucharistia, & non debet privari; si verò nondum sit capax doli, & illi detur Sacramentum, suum effectum habebit. Nam pueris baptizatis si detur, gratiam confert. Jam ergo juxta generale principium, vel omnino verum, vel saltem probabile, quòd quando ex duobus periculis, damnis, aut inconvenientibus, alterutrum subeundum est, eligi debeat, quod est minus; argumentari licet: Minus est inconveniens, & minus est periculum, conferre illi puero Eucharistiam, quàm negare: ergo conferenda potiùs erit, quàm neganda. *uter istud Dicastillonis dictum sit dedecus tuæ,*

Antecedens probo: Si negetur illi, & reverà sit capax, privatur tanto bono, & non fit, quod Christus fieri voluit: si verò detur, ex uno capite nulla irreverentia gravis fit Sacramento, ex eo quòd manducetur à puero; ex alio verò capite non fruſtra datur & sine effectu; confert enim gratiam illi, & per æternitatem gloriam habebit illi gratiæ respondentem: ergo minus inconveniens (si tamen inconveniens) est illi conferre, quàm negare.

Præterea constat etiam admiculante Tridentino sess. 21. c. 4. fuisse in multis locis in Ecclesia Dei usum conferendi infantibus Eucharistiam, & habuisse Sanctissimos Patres, sic facientes, *sui facti probabilem causam*: quamvis autem nunc sive expressâ lege, sive consuetudine receptâ non detur illis; hæc tamen lex seu consuetudo non credi debet habere locum in nostro casu articuli mortis; sed, sicut Extrema Unctio confertur, non obstante prohibitione, ita potest conferri Eucharistia ob specialem hanc, quam dixi, rationem. Hucusque Dicastillo, satis probabiliter, & per omnia consonans doctrinæ Lugonis. *Trident.* *qui potè bibit.*

Tantùm

69. An in casu proposito debeat ministrari Eucharistia?

Tantùm noto, quòd ex jam dictis videatur sequi, non solùm posse ministrari Eucharistiam tali puero, sed etiam deberi; unusquisque enim habet jus ad extrema Sacramenta, nisi obstet prohibitio Ecclesiæ, quæ cùm hìc non obstet, ut ostensum est, quidni competat tali puero jus exigendi Eucharistiam, & per consequens Ministro incumbat obligatio ministrandi? Certè non video quid efficaciter possit objici.

Nam quod suprà dicebat Card. puerum, stante tali dubio, non obligari ex vi præcepti divini, quid refert? Etiam nullus obligatur ad suscipiendum Extremam Unctionem; equidem jus habet eam petendi, & Parochus obligationem ministrandi.

debet ministrari si possit.

Igitur vel non potest Eucharistia ministrari tali puero, vel si potest, debet ad ejus petitionem; censetur autem quilibet petere in illo articulo Sacramenta maximè utilia, nisi positivè renuat. Sed numquid potest ministrari? Nescio quid obstet.

70. Responsio ex Lugone ad quandam objectionem.

Dices; possessio legis prohibentis, de qua suprà. Respondetur ex Lugone n. 42. Prohibitio Ecclesiæ dupliciter potest fieri: primò ne detur Eucharistia, nisi iis, qui sunt doli capaces; secundò ne detur Eucharistia iis, qui non sunt doli capaces. Juxta priorem deberet constare positivè de capacitate, ut posset licitè dari Eucharistia: petitur enim capacitas, ut conditio requisita; quare sicut non potest conferri Ordo aut Beneficium, nisi constet positivè de ætate requisita ad Ordinem aut Beneficium; sic nec posset dari Eucharistia, nisi constaret positivè de capacitate, quæ esset etiam conditio requisita.

At verò si prohibitio fiat posteriori modo, non videtur exigi positiva scientia de capacitate, sed quòd non constet de incapacitate: qui enim præcipit ne detur incapaci, solùm videtur prohibere actum dandi incapaci, contra quod non videtur facere, qui dat ei, quem nescit esse incapacem: ideo enim non fit contra legem prohibentem illegitimos ordinari, quando ordinatur qui in infantia fuit expositus, & de quo dubitatur, an sit legitimus, juxta sententiam multorum, quam approbatam fuisse à Summo Pontifice, refert Henriquez de Irregul. cap. 8. n. 10. in margine littera K.

In infantia expositus, de quo dubitatur an sit legitimus, licitè ordinatur, Henriquez.

Coninck.

Rationem autem reddit Coninck disp. 18. de Sacramentis dub. 12. n. 105. quia defectus non imputatur, nisi probetur. Quia nimirum dum prohibetur ordinari illegitimus, solùm videtur prohiberi ordinari ille, quem constat positivè esse talem, non eum, quem, facto examine debito, non constat. Porrò Communionem parvulorum non priori, sed posteriori modo prohiberi, colligi potest ex verbis, quibus in Rituali Romano proponitur. Hucusque Lugo.

71. Quomòd defectus non imputetur.

Sed contrà; qui in infantia fuit expositus, ideo potest ordinari, quia, ut bene dicit Regius, defectus non imputatur, nisi probetur, saltem aliquando fuisse: non constat autem talem expositum fuisse illegitimum. Unde si certò sciretur aliquem esse illegitimè natum, dubitaretur equidem de dispensatione, stante dubio, secundùm communem sententiam, non posset talis ordinari.

nisi probetur aliquando infuisse:

Ergo similiter in præsenti, cùm certò constet talem parvulum aliquando fuisse incapacem Eucharistiæ ex præcepto Ecclesiæ, pro illo scilicet tempore, quo erat planè incapax rationis, nisi jam prudenter possit præsumi capax, videtur judicandum pro possessione legis, nisi aliquid aliud obstet.

sicuti probatur parvulo infuisse defectus usus rationis;

Quæris quid impræsentiarùm obstet? Resp. benigna interpretatio mentis Ecclesiæ, quæ tali puero ministrat Extremam Unctionem, Sacramentum absolutè non necessarium, cùm tamen Eucharistia fortè sit necessaria ex præcepto divino; atque ut non esset, nihilominus moraliter certò habitura effectum.

adeoque judicatur pro possessione legis,

Unde non est par ratio de prohibitione humana dandi Eucharistiam incapaci usus rationis, & prohibitione divinâ accipiendi Eucharistiam indignè, seu in peccato: nisi enim quis, saltem probabiliter, sciat peccatum remissum, exponit Sacramentum manifestissimo periculo carendi suo effectu. Probet ergo seipsum positivè, & sic de pane illo edat.

nisi aliter constet de mente legislatoris.

72. Adultis debilem rationis usum habentibus quandoque danda Communio.

Ex hactenus dictis arbitror satìs pervium, quid sit dicendum de adultis, qui habent debilem usum rationis: nempe dandam illis esse Communionem, saltem in articulo mortis, si verè capaces sint: sæpiùs autem, vel minùs sæpè extra illum articulum, secundùm majorem vel minorem capacitatem, juxta prudens judicium Confessarii, secundùm illud Innoc. III. in Concilio generali Lateranensi cap. 21. (& refertur cap. *Omnis utriusque sexus* 12. de Pœnitentiis & remissionibus.) *Nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione* (Eucharistiæ in Paschate) *duxerit abstinendum.* Ubi judicio Confessarii permittitur dilatio Communionis Paschalis, alioquin ab Ecclesia præceptæ.

Conc. Lateranense.

Atque hæc sufficiant de subjecto legis divinæ. Inquiro ulteriùs, quando obliget illa Lex? Responsio erit

CONCLUSIO VII.

Præceptum divinum Communionis videtur per se & ratione sui tantùm semel in vita obligare, ita ut ei satisfiat quandocumque communicetur.

ITa docet Sylvest. verbo Eucharistia 3. qu. 1. Armilla verbo Communio n. 4. & alii. Est verò contra Durandum, Gabrielem, & alios, quos

73. Sylvester, Armilla.

Præceptum Communionis secundùm aliquos per se obligat in mortis articulo, *Durandus. Gabriel. Suarez. Nicænum.*

quos refert & sequitur Suarez disp. 69. sect. 3. qui putant in articulo mortis præcisè obligare hoc præceptum, sive anteà quis communicaverit, sive non. Fundantur: quia jam indè ab Apostolorum temporibus solet Ecclesia diligentissimè cavere, ne morituri absque Viatico decedant. Concilium Nicænum can. 13. aliàs 12. & ponitur cap. *De hu. 9. 26. q. 6. De his verò qui recedunt à corpore, antiquæ legis regula observabitur etiam nunc, ita ut si fortè quis recedat ex corpore, necessario vitæ suæ Viatico non defraudetur.*

Lugo.

Ubi, inquit Lugo disp. 16. n. 34. ratio redditur, quia Viaticum est necessarium, non videtur autem sermo esse de necessitate ex præcepto Ecclesiastico; quia lex ipsa Ecclesiastica non bene redderet pro ratione necessitatem provenientem ex eadem, vel simili lege Ecclesiastica: ergo debet intelligi de necessitate aliunde proveniente ex lege divina. Sed hoc argumentum nullius pili est, ut statim videbimus.

Addit Suarez cum aliis, non solùm in mortis articulo, verùm etiam aliquoties in vita obligare jus divinum Communionis, ut ne differatur ultra tres vel quatuor annos. Quia ita solent obligare alia Dei præcepta affirmativa indefinitè lata, v. g. præceptum dilectionis Dei super omnia, præceptum Pœnitentiæ, Religionis, præceptum sacrificandi Sacerdotibus impositum. Immo de præcepto charitatis docet Scotus in 3. dist. 27. q. unicâ n. 18. obligare illud jure divino pro singulis diebus Dominicis: quod etiam de præcepto adorationis Christi affirmat dist. 9. ejusdem lib. q. unicâ n. 5.

secundùm alios, etiam sæpius in vita.

Scotus.

74. Conclusio probatur.

Nihilominus probatur Conclusio nostra: quia neque ex natura Sacramenti, neque ex Scriptura, neque ex aliqua definitione Ecclesiæ, aut traditione, neque ex ratione potest colligi, quòd sæpiùs obliget, quàm semel hoc præceptum: non sunt autem multiplicandæ obligationes absque sufficienti fundamento. Sed videamus singula.

Præcisè ex ipsa institutione Sacramenti non colligitur obligatio vel semel communicandi;

Quod attinet ad naturam Sacramenti, nemo ambigit institutum esse per modum cibi sive nutrimenti: equidem non necessarii ad salutem, eò quòd per se primò non conferat primam gratiam, sed gratiæ augmentum, & spiritualis dulcedinis abundantiam; quæ etiam oratione, jejuniò, eleëmosynâ, aliisque pietatis operibus obtineri possunt. Igitur præcisè ex ipsa institutione, nisi accessisset expressa voluntas instituentis, non sufficienter colligeretur obligatio vel semel communicandi, quantò minùs sæpiùs, aut determinatè in articulo mortis?

Pono quòd nutrimentum corporale aliâ viâ posset haberi, quàm per cibum aut potum, quidni licitum foret tali casu abstinere ab omni cibo & potu? Et verò hoc Sacramentum non-ne etiam institutum est per modum potûs? Et tamen sufficienter impletur præceptum divinum sumendo tantùm cibum. Quare? Quia tota virtus habetur in cibo. Si ergo tota virtus Eucharistiæ, id est, augmentum gratiæ, reperitur in oratione, jejunio, & aliis piis operibus, quæ necessitas cibi Eucharistici ex vi suæ institutionis? Sanè nulla, nisi ut illud augmentum gratiæ recipiatur ex opere operato.

Præterea interrogo: cur frequentissimè utimur cibo corporis, & non ita frequenter Eucharistiâ, sive cibo animæ? Respondes; quia virtus cibi spiritualis potentior est, & diuturnior ad servandam vitam animæ, quàm virtus cibi materialis ad conservandam vitam corporis. Optima responsio! 75.

Unde ergo colligis necessitatem cibi spiritualis determinatè in articulo mortis, aut sæpiùs in vita? Nonne ad vitam corporis oportet nunc comedere, si anteà comedisti, & adhuc cibi virtus perseverat? Minimè, inquis. Cur ergo debeo sumere Eucharistiam in articulo mortis, si anteà eam sumpsi, & adhuc perseverat ejus virtus? An existimas, quòd minor sit virtus Eucharistiæ, quàm aliorum Sacramentorum? Et tamen sufficit illa semel sumpsisse. Multò magis communicare in articulo mortis, si anteà communicavit, caveat.

Respondebis fortassis, Eucharistiam non conferre tantam gratiam, aut tam diuturnam, quantam, & quàm diuturnam conferunt alia Sacramenta; idque quia Eucharistia instituta est, ut sæpiùs possit accipi. Esto; numquid etiam Pœnitentia de eisdem peccatis sæpiùs accipi potest? Quis ideo docet in articulo mortis esse obligationem iteratæ Confessionis eorumdem peccatorum? Frustra ergo recurritur ad naturam Sacramenti, ex qua nihil aliud habetur, quàm quòd sæpiùs sumi possit, & sumptio utilis sit.

Neque etiam ex Scriptura habetur illa obligatio; siquidem illa verba: *Nisi manducaveritis* &c. Et illa: *Hoc facite*, & si quæ alia sunt quæ indicant præceptum divinum, nullam temporis determinationem continent, & abundè verificantur in unica Communione, ut patet consideranti. 76. Multiplex obligatio communicandi non probatur Scriptura.

Dices; illud præceptum divinum indeterminatum, per Ecclesiam est determinatum ad singulos annos, ad tempus Paschatis & mortis articulum, eodem modo quo præceptum divinum Confessionis obligat singulis annis ex determinatione Ecclesiæ. Objicis.

Respondeo; quidquid sit de præcepto annuo Confessionis, divinum sit, an verò solùm Ecclesiasticum, interim disparitas est, quòd ex Tridentino sess. 14. cap. 5. constet omnia peccata mortalia post Baptismum commissa semel in vita esse confitenda. Jam autem per præceptum Ecclesiæ efficitur, ut solùm semel in vita, sed hoc tempore illud præceptum impleatur: neque enim est ulla obligatio, etiam Tridentinum obligat differendi confessionem & communionem. 79.

ex

ex præcepto Ecclesiastico, iteratò confitendi peccata semel directè remissa. Potrò impræsentiarùm Eucharistia sæpiùs acciperetur ex præcepto divino, cùm tamen illud præceptum non sufficienter colligatur neque ex natura Sacramenti, neque ex Scriptura.

77. Non colligitur obligatio iterùm communicandi ex definitione vel traditione Ecclesiæ.

Neque ex definitione, vel traditione Ecclesiæ, quod sic probo: licèt varia extent Conciliorum antiquissima decreta de dando moriturisViatico; hinc tamen duo solùm possunt concludi: Unum, esse saltem Ecclesiasticum præceptum de Communione in articulo mortis. Alterum, esse aliquod divinum Communionis præceptum obligans indefinitè ex se: quippe Ecclesia non solet præcipere susceptionem Sacramentorum, nisi jam illa susceptio sit jure divino præcepta indefinitè; & hinc nullum extat præceptum Confirmationis, Extremæ Unctionis, Ordinis aut Matrimonii; quia videlicet de his Sacramentis accipiendis, quamvis aliqua sint valde utilia, non extat præceptum divinum. Contrà verò Ecclesia præcipit Pœnitentiam, Communionem, Baptismum, eò quòd de illis extet jus divinum saltem indefinitè latum. Hoc ergo ad summum colligitur ex statuto Ecclesiæ.

78. Dicastillus. Concilia & Pontifices Papius se referunt ad leges prædecessorum, & idem statuunt.

Igitur ad argumentum Lugonis suprà n. 73. Respondeo cum Dicastillone disp. 10. n. 22. receptissimum est, quòd Concilia & Pontifices se referant ad leges prædecessorum, & juxta illorum statuta decernant. Quid quæso magis tritum in Bullis Pontificiis, quibus confirmatur, aut innovatur aliqua prædecessoris constitutio, quàm illa quasi solemnia verba: *Nos eiusdem prædecessoris nostri N. vestigiis insistentes, & eius constitutionem confirmantes* &c.?

Quod particulariter ostenditur ex diversis locis Conc. Trident.

In particulari autem, Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. agens de reservatione casuum. *Magnopere*, inquit, *ad Christiani populi disciplinam pertinere, sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina non à quibuslibet, sed à summis duntaxat Sacerdotibus absolverentur.* Ex quo judicio sanctissimorum Patrum concludit: *Unde meritò Pontifices Maximi pro suæ potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores suo potuerunt peculiari iudicio reservare.* Et infrà ex eo, quod *in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis*, inferre: *Atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuslibet peccatis & censuris absolvere possunt.*

Similiter cap. 5. ejusdem sessionis agens de præcepto Confessionis, cùm meminisset legis Conc. Later. sub Innoc. III. ubi annua Confessio statuitur, approbat morem confitendi tempore quadragesimæ dicens: *Quem morem hæc sancta Synodus maximè probat, & amplectitur tamquam pium & meritò retinendum.*

79. Præceptum confitendi.

Denique, ut propiùs accedamus ad propositum, idem Concilium sess. 13. cap. 6. in hac ipsa materia Sacramenti Eucharistiæ sic loquitur: *Porrò deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquam quòd cum summa equitate & ratione coniunctum est, tum multis in Conciliis præceptum inventur, & vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hac Synodus retinendum omnino salutarem hunc, & necessarium morem statuit.*

Eucharistiam ad infirmos.

Et quæ putas sunt ista Concilia, in quibus invenitur hoc præceptum? Certè unum ex illis est Concilium Nicænum suprà allegatum; cujus meminit Trident. in principio illius capitis, inquiens: *Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeò antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit.* Num & illa consuetudo jus divinum? Quis ausit affirmare? Ergo nec consuetudo deferendi Eucharistiam ad infirmos, quam tamen Concilium vocat *necessarium morem*, utique ex præcepto Ecclesiastico à tempore Concilii Nicæni, quod Tridentinum hìc approbat & confirmat.

Consuetudo nequit inducere vel abrogare jus divinum.

Et verò quis unquam docuit consuetudinem posse inducere, vel abrogare jus divinum? Certè jus divinum immutabile est, nisi ab eo, qui sanxivit. Ergo jus divinum determinatè non obligat singulis annis in Paschate, vel in articulo mortis, cùm subsit dispositioni Ecclesiæ sæpiùs vel minùs sæpè illis vel aliis temporibus Eucharistiam præcipere, prout aliquando practicatum fuit, de quo suo loco.

Ad quid ergo adducitur definitio, vel traditio Ecclesiæ? Enimverò nil probat præter utilitatem Sacramenti, & obligationem legis Ecclesiasticæ. Adde, si placet, præceptum divinum semel communicandi in vita, sive in articulo mortis, sive extra illum.

80.

Profectò vel sola utilitas causa est sufficiens, ut Ecclesia tamquam pia mater omnibus, etiam excommunicatis, non jejunis &c. in articulo mortis concedat Communionem; quamquam & in aliquibus casibus soleat eam negare; v. g. si non possit haberi Sacramentum, nisi Sacerdos celebret sine sacris vestibus, aut non jejunus secundùm multorum sententiam. Præterea si solùm adsit laicus, qui illam possit ministrare, ut aliqui putant.

An Ecclesia justè posset prohibere Viaticum in pœnam delicti.

Quidni etiam justè posset prohibere Viaticum in pœnam delicti, quamvis rarissimè hoc faciat? Olim siquidem in Hispaniis moris erat non communicare damnatos ad mortem: quem morem sustulit Pius V. Motu proprio A. 1569. Philippus etiam secundus eodem anno legem posuit de eadem re, præcipiens insuper, ne afficerentur supplicio, nisi post 24. horas post sumptam Eucharistiam.

Pius V.

Afficiendis extremo supplicio datur Communio.

Equidem illud tempus per se non est necessarium; sed etiam unâ horâ antè posset reus communicare. Vide Dianam parte 3. tract. 6. resol. 59. ubi putat cum Sancio in Selectis disp. 40. n. 4. quòd, quamvis pridie ante mor-

81.

Diana. Sancius.

Posset dari ipso mortis die, immo minùs pium esset negare;

tem esset sumpta Eucharistia à damnato, si tamen devotionis causâ ipso die mortis vellet iterum communicare, minùs pium esset Communionem impedire; immo pii Judices ad suscipiendum debent hortari, ut puniendi tolerabiliùs mortem patiantur, & dæmonis tentationes illâ horâ maximè turbantes, faciliùs superent: nec ex hoc reverentia Sacramenti minuitur; cùm Christus illud instituerit ad nostram utilitatem, & non cohærent irreverenter suscipi, & ob nostram utilitatem sumi, si aliàs communicans debitam dispositionem habeat: unde vellem hæc à Principibus & Judicibus prænotari. Ita Sancius.

saltem dandum tempus præparationis ad dignè semel communicandum.

Saltem obligantur reo concedere tempus sufficiens, ut possit se præparare ad semel dignè communicandum, etsi etiam timerent justè interea liberandum à supplicio. Immo tenerentur differre supplicium ad aliquot dies, si sperarent communicaturum intrà illud tempus, & nullum aliud inconveniens timerent, cùm Eucharistia pro illo agone sit necessaria, saltem ex præcepto Ecclesiastico, cujus adimpletionem debent curare, quantùm commodè fieri potest.

82. Non potest assignari certus terminus obligationis divinæ præcisè per rationem.

Ex dictis patet, per rationem præcisè non posse assignari certum terminum obligationis divinæ communicandi. Unde nec Adversarii assignant, sed innixi variis & incertis conjecturis, unus asserit præceptum divinum per se obligare ne ultra duos annos differatur Communio, alius ne ultra tres annos &c. quod frivolum est, & conscientias hominum reddit incertas. Accedit quòd nec alia præcepta affirmativa divina de se obligent ad certum tempus, nisi ex speciali natura alicujus præcepti aliud constet.

Respondetur ad exempla contra Conclusionem allata:

Ut igitur respondeamus ad exempla superiùs objecta: estò teneantur Sacerdotes ad celebrandum aliquoties in vita, de quo infrà proprio loco, hoc non fit præcisè ex eo, quòd teneantur præcepto divino affirmativo; sed quia in tali materia: sunt quippe instituti ministri illius Sacrificii, quod juge ac frequens in Ecclesia sua esse voluit Deus in propitiationem pro peccatis totius mundi, qui toties in se Dei iram provocat.

Cæterùm ad actum Charitatis, Pœnitentiæ, Religionis multis placet, & verosimile est, neminem sæpiùs obligari in vita, præcisè quantùm est ex vi juris divini naturalis: quamquam jure divino positivo, Religionis exercitium olim esset determinatum ad diem Sabbathi, Exodi 20. v. 8. *Memento ut diem Sabbathi sanctifices.* Et jure positivo Ecclesiastico nunc sit determinatum ad diem Dominicum cap. 62. & 64. de Consec. dist. 1. de quo præcepto inferiùs, ubi de auditione Missæ. Constat etiam ex cap. 12. de Pœnit. & remiss. Ecclesiam præcepisse omnibus fidelibus utriusque sexûs, postquam ad annos discretionis pervenerint, annuam peccatorum Confessionem, de qua in materia de Pœnitentia.

Exod. 20.

Cap. 62. & 64. de Consec. dist. 1.

Cap. 12. de Pœnit. & remiss.

Quid ergo ad Scotum? Patet ex textu. Hæc sunt ejus verba 4. dist. 27. q. unicâ n. 18. *Quantùm ad secundum articulum dico, quòd illud præceptum affirmativum Deut. 6. & Matth. 22.* Diliges Dominum Deum tuum &c. *non tantum obligat semper ad oppositum fugiendum, ne scilicet in se actus odii; sed obligat pro aliquando ad actum eliciendum &c. Quando autem sit hoc, fortè determinavit hoc illud præceptum divinum*, Sanctifica Sabbathum. *Et*, Maneat unusquisque apud se, *id est, recolligendo se, & ascendendo ad Deum suum. Et Ecclesia specificavit quantùm ad Missam audiendam in die Dominico de Consecratione dist. 1. cap. Missas.* 83. & explicatur mens Scoti. Deut. 6. Matth. 22.

Similiter loquitur de præcepto adorationis loco suprà allegato: *Hoc*, inquit, *præceptum affirmativum non potest perpetuò impediri ab executione actûs, quasi numquam occurrat opportunitas exequendi actum hujus præcepti &c. Et ideo simpliciter ad actum hujus præcepti affirmativi aliquando eliciendum, tenetur quilibet adultus. Et pro tempore legis Mosaicæ videtur determinatio fuisse facta ad actum hujus præcepti per illud tertium præceptum:* Sabbathum sanctifica &c. *Pro tempore verò legis Evangelicæ cultus ille exhibendus Deo in sanctificatione Sabbathi, determinatur* (utique ab Ecclesia) *exhibendus die Dominico.*

Quid dicitur loqui, vel significare congruentem, quia necessitatem.

Nota ly *Fortè*, & ly *Videtur*: ergo non loquitur Scotus assertivè, sed dubitativè, & magis significat congruitatem, quàm necessitatem. Et dato quòd assereret necessitatem; equidem non juris naturalis præcisè secundùm se, sed juris positivi divini, vel Ecclesiastici; quale jus Ecclesiasticum nos etiam agnoscimus circa sumptionè Eucharistiæ, ut ex infrà dicendis patebit.

84. An nimia dilatio amoris sit contemptus divinæ bonitatis?

Porrò quod aliqui dicunt, ideo per se loquendo pluries in vita obligare præceptum charitatis divinæ; quia nimia dilatio amoris est contemptus divinæ bonitatis super omnia amabilis, si id asserere est probare, negare est refutare. An aliquis eorum auderet determinare dilationem, quæ præcisè est contemptus?

Si dixeris: dilatio ad unum annum; quæro, cur non etiam dilatio ad medium annum? Cur non dilatio ad unum mensem? Cur non ad duos annos, tres annos &c. Ecce quomodo omnia incerta, ut non sit verisimile Deum voluisse conscientias hominum hujusmodi incertis obligationibus irretire.

Atq; ut verum esset, quod hi Auctores docent, jam illa obligatio pluries eliciendi actum dilectionis, non oritur præcisè ex jure naturali affirmativo diligendi super omnia Deum; sed ex præcepto negativo Deum sive bonitatem Dei non contemnendi, quod constat semper; & pro semper obligare.

Nec dubito quin ex eodem præcepto Eucharistia sæpiùs obliget in vita, si nimia ejus dilatio censeri debeat contemptus divini amoris, quem

quem specialiter Salvator noster in hoc Sacramento effudit, memoriam faciens mirabilium suorum. Sed hæc obligatio est per accidens, de qua hic non agimus; prout etiam illa, quæ oritur ex aliis præceptis, tam naturalibus, quàm positivis; quando frequentior sumptio Eucharistiæ est necessaria ad vincendam tentationem.

Iterum ergo dico: Præceptum divinum Communionis videtur per se, & ratione sui, tantùm semel in vita obligare. Sed numquid ad sumptionem utriusque speciei? Hæc est veritas Catholica:

CONCLUSIO VIII.

Divinum præceptum Communionis non obligat laicos, & Clericos extra Sacrificium ad sumptionem utriusque speciei.

85. Extra Sacrificium nullus obligatur ad sumptionem utriusque speciei. Petrus Dresdensis. Æneas Sylvius. Calvinus.

COntrarium errorem docuit Pragæ in Bohemia quidam Petrus Dresdensis circa annum 1412. ut refert Æneas Sylvius in Histor. Bohemorum cap. 35. quem, studio opponendi se Ecclesiæ Romanæ, secutus est Calvinus, aliique Hæretici nostri temporis, causantes Ecclesiam injustè prohibere laicis usum calicis. Sed quàm justa sit hæc prohibitio, plusquam meridianum est his, qui viam Dei in veritate docent, & non moliuntur latendi locum in Scripturarum obscuritate garriendo. Profectò injusta esse non potest, si usus calicis non est necessarius.

Trident.

Itaq; sancta Synodus Tridentina *à Spiritu Sancto, qui spiritus est sapientiæ & intellectûs, spiritus consilii & pietatis, edocta, atque ipsius Ecclesiæ iudicium & consuetudinem secuta, declarat ac docet nullo divino præcepto Laicos, & Clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum; neque ullo pacto, salvâ fide, dubitari posse quin illis alterius speciei Communio ad salutem sufficiat.* Hactenus Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 1.

86. Quæris autem, quod sit illud judicium Ecclesiæ, & quæ illa consuetudo, quam hìc sequitur sancta Synodus Tridentina? Respondeo, esse judicium Concilii Constantiensis, & consuetudinem illius temporis. Exscribo verba Concilii ad longum, ad majorem rei dilucidationem.

conformi. ad Concilium Constantiense.

Cùm in nonnullis mundi partibus quidam temerariè asserere præsumant, populum Christianum debere Sacramentum Eucharistiæ sub utraque panis & vini specie suscipere, & non solùm sub specie panis, sed etiam sub specie vini populum laicum pasim communicent, etiam post cœnam, vel aliàs non ieiuni, & communicandum esse pertinaciter asserant, contra laudabilem Ecclesiæ consuetudinem rationabiliter approbatam, quam tamquam sacrilegam damnabiliter reprobare conantur: hinc est quòd hoc præsens Concilium sacrum generale Constantiense in Spiritu Sancto legitimè congregatum adversùs hunc errorem saluti Fidelium providere satagens, maturâ plurium Doctorum tam divini, quàm humani iuris deliberatione præhabitâ declarat, decernit, & diffinit, quòd licèt Christus post cœnam instituerit & suis discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante sacrorum Canonum auctoritas laudabilis & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit, & servat, quòd huiusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à iure, vel Ecclesia concesso, vel admisso.

Et similiter quòd licèt in primitiva Ecclesia, huiusmodi Sacramentum reciperetur à fidelibus sub utraque specie: tamen hæc consuetudo ad evitandum aliqua pericula & scandala, est rationabiliter introducta, quòd à conficientibus sub utraque specie, & à Laicis tantummodò sub specie panis suscipiatur, cùm firmissimè credendum sit & nullatenus dubitandum, integrum Christi Corpus, & Sanguinem tam sub specie panis, quàm sub specie vini veraciter contineri. Vnde cùm huiusmodi consuetudo ab Ecclesia & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutissimè observata sit, habenda est pro lege, quam non licet reprobare, aut sine Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quòd hanc consuetudinem & legem observare sit sacrilegum aut illicitum, censeri debet erroneum, & pertinaciter asserentes oppositum præmissorum, tamquam Hæretici arcendi sunt, & graviter puniendi per Diocæsanos locorum, seu Officiales eorum aut Inquisitores hæreticæ pravitatis &c. Hactenus Concilium Constantiense sess. 13.

asserens esse consuetudinem communicandi sub una specie.

87. Tridant.

Consonat Synodus Tridentina suprà cap. 2. ubi cùm declarasset, in Ecclesia perpetuò fuisse potestatem, ut in Sacramentorum administratione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret, continuò attexit: *Quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licèt ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset, tamen progressu temporis, latissimè iam mutatâ illâ consuetudine, gravibus & iustis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.*

Atque ut omnia suis numeris essent completissima, hunc secundum statuit Canonem: *Si quis dixerit sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis & rationabilibus adductam fuisse, ut laicos, atq; etiam Clericos non conficientes sub panis tantummodò specie communicaret; aut in eo erasse, anathema sit.* Quid ampliùs debuit facere, & non fecit?

88. cujus consuetudinis sunt justæ & rationabiles causæ:

Fortè expectas justas & rationabiles causas? Non dubito has fuisse: prima, ut esset conformitas in tota Ecclesia; secunda, ut contra Hæreticos ostenderet totum Christum sub singulis speciebus contineri; tertia, & potissima, ut consuleret reverentiæ Sacramenti, quod fidelibus ita multiplicatis, & refrigescente devotione, senibus, pueris, infirmis, & multis valde aggrestibus sine effusionis periculo administrari nequit, nec commodè transportari, aut diù conservari sub speciebus vini.

Dic ergo cum Ecclesia Catholica, quam, utpote columnam & firmamentum veritatis non est verisimile errare in necessariis ad salutem, dic, inquam, nullo divino præcepto laicos & Clericos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum. Quam profectò veritatem ante Concilium Constantiense tradiderant Alexander Alensis, Albertus Magnus, D. Thomas, D. Bonaventura, & alii, hæresibus nondum exortis, & deinceps omnes Theologi.

Alensis. Albertus Magnus. D. Thomas. S. Bonaventura.

89. & ex aliis capitibus nulla ostenditur obligatio communicandi sub utraque specie.

Probatur autem contra Hæreticos; quia neque ex natura hujus Sacramenti, neque ex Scriptura, neque ex facto Christi instituentis in ultima Cœna, neque ex Traditione Ecclesiastica potest hoc præceptum divinum colligi: ergo non datur. Consequentia tenet.

Trident.

Antecedens probatur pro prima parte; quia fatendum est cum Concilio Tridentino suprà cap. 3. *Etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumq; Sacramentum sumi; ac propterea quod ad fructum attinet, nullâ gratiâ necessariâ ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.* Estò utraque species conferret majorem gratiam. Vide dicta Sect. præced. Concl. 6.

Non ex natura Sacramenti.

Et quamvis utraque species perfectiùs extensivè, id est, expressiùs significet Corpus & Sanguinem Christi, quàm altera seorsim; unde constat Christum obligasse fideles, ut Sacramentum sub hac expressiori significatione proposita sumerent?

90. Neque ex Scriptura Joannis 6.

Dices, ex Scriptura Joan. 6. v. 54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.*

Respondent aliqui, ex illis verbis in omni proprietate intellectis nihil aliud colligi, quàm teneri homines ad manducandum Christi Corpus, & bibendum ejus Sanguinem, quod totum fit sumptione unius speciei; quia sub illa sumitur Corpus cum Sanguine.

Si dixeris: sumi quidem cibum & potum sub singulis speciebus; sed non manducari cibum, & bibi potum, ut Scriptura requirit.

Contrà interrogant, quid est manducare, & quid bibere? Vel enim est sumere id, quod verè est cibus & potus; vel sumere cibum sub externa & visibili specie cibi, & potum sub externa specie potûs. Si primum, jam in singulis speciebus manducatur & bibitur; quia in singulis sumitur id, quod verè est cibus & potus. Si secundum, rursum petunt, ubi hoc scriptum habetur: *Nisi manducaveritis sub modo cibi, & biberitis sub modo potûs?*

Hoc Scriptura non habet, sed potiùs, si fiat vis in modo loquendi seu litterali sono syllabarum, indicare videretur, & præcipere, ut manducaremus sub specie carnis, & biberemus sub specie Sanguinis. Itaque hoc præceptum versatur circa rem, quæ sumitur, non circa modum, quo sumitur. 91. Ad quod ibidem dicitur præceptum de re, non de modo.

Quid miramur? Nonne Apostolus 1. Cor. 3. v. 2. dicit: *Lac vobis potum dedi.* Et eâdem Epistolâ cap. 9. v. 7. *Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Ecce lac bibitur, & manducatur. Sed & fel: Psal. 68. v. 22. *Et dederunt in escam meam fel.* Matth. cap. 26. v. 34. *Et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.* 1. Cor. 3. Psal. 68. Matth. 26.

Altera expositio illius loci est, ly Et, non copulativè, sed disjunctivè sumi: *Nisi manducaveritis, vel biberitis.* Qui modus loquendi est frequens in Scriptura, præsertim hebraico idiomate scriptâ, cujus idiomatis phrasim sæpè imitatur Joannes in suo Euangelio, ut passim Expositores notant. 92. Vel dicendum est, ibi disjunctivè;

Ita Psal. 43. v. 19. *Et non recessit retrò cor nostrum, & declinasti semitas nostras à via tua;* subintelligitur repetita negatio, *& non declinasti;* quæ repetita negatio habet vim disjunctivæ. Et ita sensus Scripturæ, de qua disputamus, etiam secundùm rigorem dialecticum erit: *Nisi,* id est, *si nec manducaveritis, nec biberitis* &c. Psal. 43. Multis aliis exemplis probatur.

Similiter Psal. 1. v. 5. hebraicè est: *Non resurgent impii in iudicio, & peccatores in concilio iustorum. Et peccatores,* id est, *neque peccatores.* Act. 3. v. 6. *Argentum & aurum non est mihi,* id est, *nec argentum nec aurum,* sive, *argentum vel aurum.* Sic etiam dicitur Exodi 21. v. 31. *Filium quoque & filiam si cornu percusserit* (bos cornupeta) *simili sententiæ subiacebit.* Et tamen non requirebatur percussio utriusque. Psal. 1. Act. 3. Exod. 21.

Tertia interpretatio hujus Scripturæ est, ibi quidem præcipi sumptionem utriusque speciei, attamen non singulis in particulari, verùm Ecclesiæ pro aliquibus dumtaxat membris, scilicet Sacerdotibus. Alia illius loci posterior interpretatio.

Contrà; dicitur: *Non habebitis vitam in vobis.* Respondent: ut Laici habeant vitam, debent Sacerdotes utramque speciem consecrare, & sumere. 93. Objectio solvitur.

Probant autem aliqui hanc interpretationem ex illo Gen. 1. v. 28. *Crescite & multiplicamini,* ubi datur præceptum generationis, quod tamen non omnes in particulari concernit, ut patet. Ratio hujus interpretationis petitur ex Gen. 1.

Contrà arguit Dicastillo disp. 10. n. 189. etiam brutis animalibus dicitur in eodem capite v. 22. *Crescite & multiplicamini,* & tamen nullum præceptum, sed benedictio tantùm. quam propugnat Castillo num.

Respondeo; verba debere expendi secundùm materiam subjectam; animalia bruta non Respondet

erant

erant capacia præcepti; homines erant capaces: ergo bene stat, quòd hominibus per illa verba detur præceptum strictè dictum, licèt non aliis animalibus.

Oppugnat secundo. Præterea nu. 188. idem Auctor oppugnat hanc tertiam interpretationem; quia eodem modo posset quis dicere, nec præceptum sumendi saltem unam speciem esse quoad omnes; sed solùm quoad Sacerdotes.

Respondetur. Respondeo Negando Consequentiam: quippe ex aliis suprà allegatis satìs constat omnibus necessariam esse unam speciem, per quam accipiant augmentum vitæ spiritualis, id est, gratiæ sanctificantis, quam nec ipse Christus nobis immediatè promeruit, id est, ita promeruit, ut nobis daretur absque proprio nostro actu, vel susceptione alicujus Sacramenti, quantò minùs sic promereri possunt Sacerdotes?

93. De cætero, utcumque illa Scriptura juxta varias SS. Patrum (ut bene notavit Tridentinum suprà cap. 1.) & Doctorum interpretationes intelligatur, qui dixit: *Nisi manducaveritis* &c. dixit quoque eodem capite v. 52. *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et qui dixit ibidem v. 55. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam*; dixit etiam v. 52. *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.* Denique qui dixit v. 57. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum Sanguinem, in me manet & ego in illo*; dixit nihilominus v. 59. *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quare putabimus Christum sic locutum fuisse, nisi ut significaret utriusque speciei sumptionem non esse necessariam? Atque hæc satis de prima Scriptura.

94. Secundò objiciunt Adversarii verba Christi Matth. 26. v. 27. *Bibite ex hoc omnes.* Resp. per ly *Omnes*, non intelligi cunctos homines futuros; sed solos Apostolos, qui tunc cum Christo cœnabant. Sicuti si Pater-familias in mensa sua porrigens calicem vini diceret: *Bibite ex eo omnes*, quis crederet omnibus extra mensam id præcipi?

Ideoque Sirus vertit: *Bibite ex hoc vos omnes*; ut sensus verborum Christi sit: non sumat unus totum; sed accipite, & dividite inter vos, sic ut omnes aliquid ex eodem isto calice bibatis. Hinc illa verba Christi apud S. Lucam cap. 22. v. 17. *Accipite* (calicem) *& dividite inter vos.* Atque hoc impletum fuisse testatur Euang. Marc. cap. 14. v. 23. his verbis: *Et biberunt ex eo omnes.*

Ratio quare Christus non addiderit illa verba ad distributionem panis. Ex quo patet, quare non addiderit Christus illa verba ad distributionem panis, quia videlicet ipse & fregit, & singulis dedit partem. *Cœnantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditq; Discipulis suis* &c. Matth. 26. v. 26. Similiter loquuntur Marcus & Lucas.

Non est tamen silendum, Ecclesiam in Canone Missæ similia verba referre Christum dixisse de pane consecrato: *Accipite*, inquit, *& manducate ex hoc omnes.* Illaque reperiuntur apud D Ambrosium lib. 4 de Sacramentis c. 5. S. Ambr.

Sed contrà; *Quod autem vobis dico, omnibus dico*, Mar. 13. v. ultimo. Quis dubitat? Nùm ideo omnibus fidelibus dixit quòd dicebat Apostolis, Matth. 26. v. 31. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte?* An ergo Beata Virgo scandalum passa? Nequaquam. Quid ergo omnibus dixit Mar. 13.? Textus clarus est. Hoc unicum quod continuò subjungitur: *Vigilate.* 95. Objectio solvitur. Mar. 13. Matth. 26.

Nec mirari debes, si Paschasius lib. de Corpore & Sanguine Domini c. 15. post medium, illa verba Christi: *Bibite ex hoc omnes*, explicaverit hoc modo, *Tam ministri, quàm reliqui credentes:* nam etiam videtur existimasse, esse juris divini communicare sub utraque specie, quod cernebat usitatum tunc. Idem videtur sensisse Algerus; quamquam nonnulli illos explicent. Vide Vasquez disp. 216. cap. 6. Paschasius. Algerus. Vasquez.

96. Profectò si aliquibus dicta sunt præter Apostolos, non aliis, nisi Sacerdotibus, eorum in Sacerdotio successoribus. Prout etiam illis solis in Apostolis dictum videtur: *Hoc facite in meam commemorationem*, Luc. 22. v. 19. ut explicat Trident. sess. 22. cap. 1. dicens de Christo: *Corpus & Sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc novi Testamenti Sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradidit; & eisdem, eorumq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba:* Hoc facite in meam commemorationem; *uti semper Catholica Ecclesia intellexit.* Posset etiam locus Matth. 26. intelligi de Sacerdotibus. Luc. 22. Trident.

Sensus igitur istorum verborum non est: Distribuite omnibus præsentibus utramque speciem, prout me videtis jam facere; sed, offerte utramque speciem, sicut me nunc videtis facere, & vos ipsi sumite, uti jam sumitis.

97. Atque ut illa verba dicta fuissent omnibus fidelibus, non solùm indirectè, ut aliqui explicant, sed etiam directè, equidem cum proportione accommoda, quâ semper ab Ecclesia sunt intellecta; nempe quoad sumptionem veri Sacramenti, non autem quoad omnes modos & ritus accidentales. Præterquam quòd solùm dicta legantur à Christo post Consecrationem panis. Nam post Consecrationem calicis, teste Apostolo 1. Cor. 11. v. 25. dixit: *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem.* Immo quòdam sensu de omnibus fidelibus. 1. Cor. 11.

Ex quo dicto secundùm aliquos (ut vidimus Concl. 2.) non potest intelligi mandatum generale, usurpandi utramque speciem; imò nec unam speciem; sed tantùm, ut dum usurpamus calicem, in memoriam Christi usurpemus. Non quòd illa memoria sit strictè præcepta, ut dixi loco citato; sed quia sumptio calicis in memoriam Christi instituta est.

98. Oppugnatur Conclusio ab Hæreticis.

Tertiò objiciunt Hæretici quasdam figuras, ut quòd populus veteris Testamenti eandem escam spiritualem manducaverit, & eundem potum spiritualem biberit, dicente Apostolo 1. Cor. 10. v. 3. & 4. *Et omnes eandem escam spiritalem manducaverunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt.* Quæ figura non censebitur impleta, nisi etiam bibant Christiani.

1. Cor. 10.

allegantibus varias figuras veteris Testamenti, Exodi 12.

Rursum legimus, & sanguine illitos fuisse postes fidelium, & sanguine aspersum fuisse populum à Sacerdote, Exod. 12. v. 22. *Fasciculumq; hysopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & utrumque postem,* Exod. 24. v. 8. *Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum.*

Item 24.

ad quas respondetur primò.

Resp. primò, ex figuris non sumi argumentum dogmaticum, eò quòd non debeat esse per omnia conveniens figura cum veritate.

Secundò.

Resp. secundò, si ex figuris velint argumentari, facilè nobis suppetere contrarias figuras: nam in manducatione Mannæ, & panum propositionis, & agni paschalis nullus potus ceremonialis adhibebatur: ac denique cùm Judæi non possent comedere sanguinem, ut habetur Levit. 3. v. ultimo: *Nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis*, mirum est Hæreticos ex figuris veteris Testamenti velle nobis obtrudere potum sanguinis.

Levit. 3.

Tertiò.

Resp. tertiò, Christianos sub specie panis cum Corpore etiam accipere sanguinem, quo ipso fidelium animæ satis asperguntur Sanguine Agni, qui occisus est, satisque bibunt de spirituali petra, quæ est Christus. Igitur ex Scriptura non potest colligi præceptum divinum generale sumendi utramque speciem.

99. Ex facto Christi non colligitur præceptum generale sumendi utramque speciem.

Sed neque ex facto Christi in ultima Cœna. Quia vel volunt Hæretici omnia nobis esse præcepta, quæ ibi Christus egit; & hoc est absurdum, & contra ipsos: quia nec ipsi pedes lavant, nec cum Apostolis mundi sunt secundùm conscientiam, antequam suam Cœnam Eucharisticam edant, nec priùs comedunt Agnum, quàm panem calvinisticum, nec alias observant circumstantias ultimæ Cœnæ à Christo celebratæ.

Vel volunt Hæretici, illa solùm, & illa omnia esse præcepta, quæ ita Christus fecit, ut fieri à nobis voluerit; & hujusmodi esse, quòd Sacramentum dederit Apostolis sub utraque specie: atqui hæc est petitio principii; probatum enim oportuit, non suppositum, Christum præcepisse utriusque speciei sumptionem.

S. August. Neque improbatur jejunium ab Ecclesia præceptum.

Appositè D. Aug. Epist. 118. *Illud*, inquit, *magis movere potuit homines, utrùm iam refecti die illâ vel offerrent, vel sumerent Eucharistiam, quod in Euangelio dicitur*: Cùm autem illi manducarent, accepit Jesus panem, & benedixit &c. *Et liquidò apparet quando primùm acceperunt discipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos.*

Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quòd à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm externi cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur. Neque enim quia post cibos dedit Dominus, propterea pransi aut cænati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat, mensis suis ista miscere. Namque Salvator, quò vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat.

Et ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesias disposturus erat, servaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset, ut post cibos alios semper acciperetur, credo quòd eum morem nemo variasset. Hæc ille de jejunio, indubiè idem dicturus de sumptione unius speciei, si occasio ita exegisset.

100. Si Christus voluisset sumi utramque speciem, Ecclesia non quam eum morem instituisset.

Credo planè, & firmiter mihi persuadeo, si Christus voluisset sumi utramque speciem ab omnibus fidelibus, quòd eum morem nemo variasset.

Variavit autem Ecclesia, etiam à sui exordio, ut jam ostendo, & erit probatio ejus, quod suprà diximus, scilicet ex Traditione Ecclesiæ non posse colligi obligationem universalem utriusque speciei.

Tametsi constet Ecclesiam olim subinde laicis concessisse calicem, ea tamen consuetudo numquam fuit generalis, vel in tota Ecclesia, vel pro omni tempore. Non fuisse utique generalem, liquidò ostendit mos antiquissimus, quo singulis dabatur Eucharistia in linteo mundo, ut illam domum delatam, ibi sumerent opportuno tempore.

101. quod tamen à suo exordio fuisse constat antiquissimo usu, quo singulis dabatur Eucharistia in linteo mundo. Tertull. D. Cypr. S. Augst.

Illius meminit Tert. lib. 2. ad uxorem dicens: *Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes? & si sciverit panem, non illum credet esse qui dicitur.* Similiter Cyprianus Ser. de lapsis ibi: *Et cùm quædam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne indè surgente deterrita est, ne auderet attingere.* Accedat testimonium D. Aug. Sermon. 252. de Temp. ibi: *Omnes viri quando communicare desiderant, lavant manus suas, & omnes mulieres mundas exhibent linteamina, ubi Corpus Christi accipiant.* Plures alii citantur à Baronio ad annum 57.

Solùm addo can. 36. Conc. Antisiodorensis: *Non licet mulieri nudâ manu Eucharistiam sumere.* Ex can. 39. ejusdem Concilii qui sic habet: *Vnaquæque mulier, quando communicat, dominicalem suum habeat. Quod si non habuerit usque in alium diem dominicum non communicet.* Ergo ex tunc frequenter fideles communicabant sub una tantùm specie, nempe sub specie panis, ut patet ex verbis citatis, in quibus nulla fit mentio calicis, utpote qui solùm in

Conc. Antisiod.

templo

templo per Diaconum distribuebatur, & meritò, propter periculum effusionis.

101. De antiquo usu Ecclesiæ Latinæ in Parasceve.

Quid dicam, quòd antiquus usus Ecclesiæ Latinæ (cujus meminit antiquus Ordo Romanus editus ante annos 800.) habeat, ut Sacerdos in Parasceve communicet tantùm sub una specie? Idem quoque observabatur in Ecclesia Græca ante 1200. annos, quæ per totam quadragesimam solùm consecrabat diebus Sabbathis & Dominicis, aliis autem communicabat sicut nos in feria 6. Parasceves. Vide can. 49. Conc. Laodicensis: *Non oportet in quadragesima panem offerri, nisi Sabbato & dominica tantùm.*

Conc. Laodic. can.

Confirmatur ex consuetudine asservandi Eucharistiam in Sacrario, Trident.

Neque silentio involvenda consuetudo asservandi in Sacrario sanctam Eucharistiam, adeò antiqua, ut eam reste Tridentino sess. 13. c. 6. sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Et verò ad quid putas asservabatur Eucharistia, nisi ad communicandos infirmos? Vide Tridentinum suprà, ubi delationem Eucharistiæ ad infirmos vocat vetustissimum Catholicæ Ecclesiæ morem.

Sophronius,

Numquàm autem fuit Sacramentum pro morituris conservatum, nisi sub specie panis; tum quia deferendo illud ad infirmos sub specie vini, facillimè potuisset effundi; tum maximè, quia facilè, & brevissimo unius vel duorum dierum tempore potuisset acescere, & corrumpi sub specie vini. Porrò testatur Sophronius in Prato spirituali cap. 79. aliquando servatam Eucharistiam per annum. Non itaque nisi sub specie panis Viaticum dabatur infirmis.

102. De exemplo Ecclesiæ Jerosolymitanæ, Act. 2.

Finio hunc discursum exemplo Ecclesiæ Jerosolymitanæ, in qua fideles, ut dicitur Act. 2. v. 42. *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, nullâ factâ mentione calicis.

Act. 21.

Etsi quamvis sit argumentum ab auctoritate negativa, quod non semper concludit: attamen ex circumstantiis facilè colligitur, saltem aliquos fuisse, quibus non dabatur calix; quia inter fideles tunc erant multi Nazarei, ut patet Act. 21. v. 23. *Sunt nobis viri quatuor habentes votum super se*; quibus Apostoli tunc permittebant observantiam legis. Nazareis autem interdictum erat vinum Num. 6. v. 3. *A vino, & omni quod inebriare potest abstinebunt.*

Num. 6.

Profectò quòd Nazarei ex lege non poterant, hoc multi nullatenus ferunt ex naturali quadam dispatia, adeoque minus congruum fuisset præceptum utriusque speciei; præsertim cùm in multis regionibus non possit haberi copia vini sufficiens multitudini fidelium communicandæ. Quis ergo credat consuetudinem communicandi sub utraque specie fuisse universalem in omnibus Ecclesiis?

Contrarium sanè non obscurè indicant SS. Patres, qui scribentes de hoc Sacramento, nunc utramque nominant speciem, nunc alteram solùm. Quidquid sit, certum est jam ante annos 400. vel 500. desiisse in tota Ecclesia hanc consuetudinem. Ergo ex Traditione Ecclesiæ minimè colligitur necessitas utriusque speciei.

103. Respondetur ad varia loca SS. Patrum,

Atque ex his facilè respondetur ad varia loca SS. Patrum, quæ ab Hæreticis nobis objiciuntur. Et in primis Cyp. (vel quisquis est Auctor) Sermone de Cœna Domini. *Lex*, inquit, *esum Sanguinis prohibet, Euangelium præcipit ut bibatur.*

in primis S. Cypriani,

Resp. sed non omnibus, si bibere idem sit quod sumere Sanguinem sub speciebus vini: alioquin accipiendo bibitionem pro qualibet sumptione Sanguinis, ut videtur ibi accipere Cyprianus, omnibus præcipitur bibere Sanguinem Christi, ut ostendimus Conclusione secundâ.

Et consimiliter alii Patres aliquando loquuntur. Sin autem expresè requirant sumptionem utriusque speciei, & unam asserant sine altera non prodesse, agunt de suo tempore, quo fortè præceptum erat ab Ecclesia, in qua ipsi morabantur, sumere Sacramentum sub utraque specie, & sic una species sine alia non proderat, propter peccatum, quod interveniebat non sumendo utramque secundùm consuetudinem illius temporis & Ecclesiæ.

deinde S. Chrysost.

Porrò quod ait D. Chrysostomus hom. 18. in 2. Cor. *Est autem ubi nihil differt Sacerdos à subdito, ut quando fruendum est horrendis Mysteriis. Similiter enim ut illa percipiamus, digni habemur, non sicut in veteri lege, partem quidem Sacerdos comedebat, partem autem populus: & non licebat populo participem esse eorum, quorum particeps erat Sacerdos: sed nunc non sic, verùm omnibus unum corpus proponitur, & poculum unum.* Hæc, inquam, ab eo dicta sunt, quia si jus divinum attendamus, nihil peculiariter in lege nova est assignatum Sacerdoti, de quo non liceat eodem jure laicum participare.

104.

Sanè nihil difficultatis invenio in SS. Patribus, qui sicut superiùs indicavi, nunc unius speciei, nunc utriusque mentionem faciunt, pro ratione consuetudinis, quę vigebat inter illos, ad quos loquebantur, vel scribebant. Solùm duq adhuc loca indigent aliquâ animadversione.

Denique Leonis & Gelasii.

Unus est D. Leonis Serm. 4. de Quadragesima ubi reprehendit, ac notari jubet eos, qui sic accipiunt Corpus Domini, ut de calice bibere omnino recusent. Alter est Gelasii Papæ in Epistola ad Majoricum & Joannem Episcopos, & refertur de Consecrat. dist. 2. cap. 12. ubi sic ait: *Comperimus autem quòd quidam sumpta tantummodò Corporis sacri portione à calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

105. D. Leo notat Manichæos, qui

Resp. D. Leonem notare Manichæos, qui ideo nolebant, juxta consuetudinem illius temporis, Eucharistiam accipere sub vini specie, quod

vinum tamquam rem in se malam abhorrebant.

quod inter alia errorum portenta, vinum esse creaturam malam, à malo Deo creatam dicebant: hi ergo de calice bibere omnino recusabant, ut inquit Leo, quia vinum tamquam rem in se malam abhorrebant. Hæc sunt verba Pontificis:

Qui scivit humano generi mortem inferre per cibum, novit & per ipsum nocere ieiunium, & ad contrariæ fraudis effectum famulis utendo Manichæis, sicut per serpentem intulit interdicta præsumi, ita per famem suadet concessa vitari.

Et paucis interjectis rationem attexit: *Damnant enim creaturarum naturam in Creatoris iniuriam, & contaminari edentes asserunt iis, quorum non Deum, sed diabolum conditorem esse definiunt, quùm prorsus nulla sit substantia mala, nec ipsius mali sit ulla natura. Omnia enim bona bonus Auctor instituit, & unus est universarum rerum Creator, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Ex quibus quidquid homini ad cibum potumq; concessum est, sanctum & mundum est in sui generis qualitate.*

Sequitur Conclusio: *Nulla itaque vos contagionis huius aspergat impietas, qui suâ maximè observantiâ polluuntur, servientes creaturæ potiùs, quàm Creatori, & luminaribus cœli fiultam abstinentiam devoventes, quos nemo ambigat esse Manichæos, qui in honorem Solis ac Lunæ die Dominico & secundâ feriâ deprehensi fuerint ieiunare.*

Et post pauca: *Cumq; ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutiùs lateant: ore indigno Christi Corpus accipiunt, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis huiusmodi homines, & his manifestentur indicijs, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati & prodsti à sanctorum societate, sacerdotali auctoritate pellantur.*

106. Nequaquam præcepit ut Communio non fieret sub specie panis tantum.

Hæc fusiùs referre volui propter aliquos, qui, nescio quo errore decepti, existimant D. Leonem in hoc sermone præcepisse, ut Communio non fieret sub specie panis tantùm propter hæresim Manichæorum & aliorum quorumdam, qui dicebant Christum assumpsisse corpus phantasticum sine sanguine; quam ob causam contendebant tunc illi, Eucharistiam sine Sanguine sumendam esse. Sed nullum corpus phantasticum, aut vestigium ejus reperio in toto illo sermone D. Leonis: ipsi fortè invenerint in sua phantasia.

Quod D. Leo, idem aliquibus videtur voluisse Gelasius.

De cætero quod D. Leo, idem aliquibus videtur voluisse Gelasius, prout indicant verba parenthesis: *Quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi.* Unde videtur Manichæorum superstitionem notasse, voluisseque, ut tales, in suæ superstitionis detestationem, utramque speciem sumerent. Sapienter enim in his, quæ indifferentia sunt, solet Ecclesia præcipere, ut fiat quod Hæretici illicitum dicunt, & illud prohibere ne fiat, quod illi necessarium erroneè affirmant.

Sed inquit Pontius Sum. Theol. disp. 44. n. 100. in fine, huic responsioni non satis quadrat ratio Pontificis: *Quia divisio unius eiusdem mysterij sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Quod autem grande sacrilegium, si aliquis abstineat à calice non præcepto, quia putat vinum esse malum? Ipse ergo existimat eum loqui de illis, qui sumerent Corpus, sed omitterent Sanguinem, ex eo quòd putarent sumptionem ipsius non prodesse. 107. Pontius.

Verùm huic responsioni nec parenthesis favet, nec satis quadrat ratio. Quæ enim hic superstitio, aut quod grande sacrilegium, ex hypothesi quòd sumptio Sanguinis non erat præcepta? Nonne plurimi docent, & probabilissimè, sumptionem utriusque speciei simul non conferre majorem gratiam, quàm uniut speciei tantùm? Aut certè qui sunt isti, qui aliquando docuerunt solitariam sumptionem Sanguinis non prodesse?

Tertia ergo expositio est Doct. Ang. 3. parte q. 80 art. 12. ad primum. *Dicendum*, inquit, *quòd Gelasius loquitur quantùm ad Sacerdotes: qui sicut totum consecrant Sacramentum, ita etiam toti communicare debent. Vt enim legitur in Concilio Toletano 12. cap. 5.* (& refertur de Consec. dist. 2. cap. *Relatum.* 11.) *Quale erit Sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur?* 108. Alteri interpretem D. Thomæ.

Atque huic expositioni consonat Titulus cap. qui est talis: *Corpus Christi sine eius Sanguine Sacerdos non debet accipere.* Quadrat etiam ratio Pontificis, quia probabiliùs jure divino utraque sumptio sacrificanti est præcepta. Neque aliena est parenthesis; fieri enim potuit ut illo tempore aliqui Sacerdotes ex errore Manichæorum suprà relato abstinerent à calice sacri cruoris. Nil hoc præjudicat quæstioni facit.

Quæ cùm ita sint, quis non, nisi studio contentionis mentem ipsam perdiderit, libenter fateatur, rectissimè potuisse Ecclesiam laicis interdicere, & de facto interdixisse justissimè Communionem sub specie vini? Enimverò si sumptio utriusque speciei non est juris divini, utì revera non est, prout jam ad oculum demonstravimus, profectò Ecclesiæ dispositioni relinquitur pro temporum & locorum circumstantiis. 109.

Quod utique *Apostolus* (utor verbis Tridentini sess. 21. cap. 2.) *non obscurè visus est innuisse, cùm ait:* Sic nos existimet homo ut ministros Christi & dispensatores mysteriorum Dei. *Atque ipsum quidem hâc potestate usum esse satis constat, cùm in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento cum ordinatis nonnullis circa eius usum: Cætera, inquit, cùm venero disponam.* Sumpta utriusque speciei sub forma Ecclesiæ.

Proinde veluti in primitiva Ecclesia rectè factum fuit, ut permitteretur laicis usus calicis, quòd tunc tam suscipientium, quàm ministran-

ministrantium major esset reverentia, & sollicitudo erga hoc Sacramentum, quod videbatur posse sufficere ad evitandum periculum effusionis sacri cruoris; ita nunc ob contrariam rationem, & alias suprà enumeratas, sapienter factum fuit, ut laicis negaretur usus calicis.

110. Objectio. Dices; Fideles habent jus ad petendum id, quod Christus illis concessit per Ecclesiam administrandum; atqui concessit illis usum calicis: ergo habent jus illum petendi: ergo Ecclesia obligationem ministrandi. Confirmatur; quia quamvis Christus non præceperit fidelibus Confirmationem, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium, tamen hoc ipso quo illa Sacramenta permisit fidelibus, consequenter præcepit Ecclesiæ Pastoribus, ne illa negarent legitimè petentibus.

Dilut. Resp. distinguendo Majorem: Quod Christus positivè concessit fidelibus, ad id petendum fideles habent jus; & talia sunt Sacramenta, quæ in confirmatione tanguntur: quamquam & Matrimonium in multis casibus sit illicitum; imò & invalidum solo jure Ecclesiastico, & ad licitè & validè suscipiendum Ordinem multæ conditiones ab Ecclesia requirantur. Unde bene additum fuit in fine confirmationis ly *Legitimè petentibus*. At verò quæ solùm negativè concessit Christus, id est, non interdixit, ad illa fideles non habent jus; & talis est Communio sub utraque specie, itemque vesci carnibus omni tempore, & similia.

Christus solum negativè concessit fidelibus usum calicis.

111. Ecclesia potest hic & nunc interdicere speciem panis, & permittere calicem. Ex dictis sequitur, sicuti Ecclesia potuit interdicere laicis calicem, & permittere speciem panis; ita consequenter potuisse, & posse interdicere speciem panis, & permittere calicem, si recta ratio in casu id postularet; siquidem neutra species determinatè est præcepta jure divino, quidquid aliqui in oppositum sentiant, debilibus satis fundamentis.

Objectio. Dicunt enim primò, Christum solùm post Communionem sui Corporis dixisse absolutè: *Hoc facite in meam commemorationem.*

Luc. 22.

Solvitur 1. Cor. 11. Resp. etsi Lucas post Communionem Sanguinis non referat dixisse Christum: *Hoc facite*; equidem Paulus 1. Cor. 11. v. 25. & Matth. cap. 26. v. 27. etiam de calice aiunt dixisse: *Hoc facite*, seu, *Bibite ex hoc omnes.* Et quamvis Paulus addat: *Quotiescumque bibetis*, id non significat solum modum præcipi; sed ipsum finem, seu modum proprium actûs de se præcepti exponit, ut attigimus Concl. 2.

Matth. 26.

Alia objectio. Dicunt secundò, Christus Joan. 6. loquens subinde de una specie, eique attribuens effectum hujus Sacramenti, non loquitur de specie Sanguinis, sed Corporis: ergo hujus receptio est determinata jure divino.

Joan. 6.

Solvitur. Resp. Christum ibi quidem explicare, quòd Communio sub sola specie panis habeat effectum salutis æternæ, numquam tamen negare, quin etiam sub specie vini eundem effectum habeat. Quid si enim Sacerdos moriatur post sumptam sacram hostiam ante sumptionem calicis, nonne præscribunt Rubricæ Tit. de defectibus cap. 10. n. 3. *Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit?* Et quam habet veri apparentiam, hujusmodi Communionem solius Sanguinis illi Sacerdoti non conferre effectum gratiæ? Certè nullam.

Rubr. Miss.

Alioquin ineptè quærerent Theologi; an si æger in articulo mortis non possit deglutire hostiam, ministranda sit ei species vini. Et quamvis communiter Doctores id negent; quia putant in tali casu non obligare præceptum divinum; sed potiùs credendum esse non fuisse latum pro tali occasione: equidem non desunt qui affirmant, ut videre poteris apud Dianam parte 5. tract. 3. resol. 34. ubi pro hac sententia citat Didacum Nugnum 3. parte tom. 1. q. 80. art. 12. concluf. 3. qui tamen putat in casu contingenti adhibendum esse consensum Episcopi.

112. An si æger in articulo mortis non possit deglutire hostiam, ministranda sit ei species vini?

Diana.

Didacus Nugnus.

Adfert præterea Petrum Ochagaviam de Sacrament. tractat. 2. de Eucharist. effectibus quæst. 18. num. 9. ubi sic ait: Cùm infirmus in tali esset casu constitutus, quòd hostiam consecratam trajicere in stomachum non posset, si vinum tamen consecratum trajicere rectè posset, Suarez sentit non posse Sacerdotem tunc temporis ministrare speciem Sanguinis, ne præbeatur occasio indiscretis ministris frangendi eam legem, quæ prohibet Communionem sub specie vini &c. Sed probabilius mihi videtur cum Recentioribus, debere tunc ministrari Sacramentum sub specie vini. Probatur ex eo; quia tunc in articulo mortis obligat præceptum divinum Eucharistiæ, quòd præferendum est humano præcepto de non sumenda specie vini à laicis. Ita ille.

Affirmat Petrus Ochagavia;

Suarez;

Sed hæc ratio non est firma; quia vel nullum est præceptum divinum in articulo mortis, si infirmus anteà adhuc communicaverit, juxta dicta Conclusione præcedenti; vel certè non obligat, quia commodè non potest adimpleri propter circumstans præceptum humanum; non quasi præceptum humanum prævaleat divino, sed quia Legislator divinus non censetur voluisse pro tali casu obligare. Quod idem cernitur in aliis similibus casibus de quibus infrà suo loco.

113. cujus æquidem ratio non est satis firma.

Porrò si quæritur: an ergo numquam stante præsenti decreto Ecclesiæ liceat laico sumere species vini? Resp. cùm finis legis Ecclesiasticæ, prohibentis calicem laicis, fuerit pro maxima parte reverentia Sacramenti, in casu, quo species vini irreverentiæ periculò subjacerent, nisi à laico sumerentur, posse, & debere à laico sumi: tum quia cessat præcipua ratio legis contrariè; tum etiam, quia tunc jus humanum cedit juri divino Religionis de cavenda irreverentia sacrarum, divinarumq; rerum. Casus esset, si Sacerdos in altari factâ Con-

Si species vini irreverentiæ periculo subjacerent, possent sumi à laico.

secratione, occidetur ab Hæreticis effusuris Sanguinem, nisi eum laicus bibat. Fortè etiam, si Sanguis jam esset effusus in terram, & laicus posset sumere absque nausea, nec vellet id facere Sacerdos, qui consecravit, quamvis Sotus & alii id negent.

Sotus.

114. Atque ex his sit finis hujus Sectionis: nam ad illud, quod aliqui objiciunt, Ecclesiam facere injuriam fidelibus; quia privat illos perfecto & integro convivio, & majori gratiâ, quam per utramque speciem possent accipere, responsum fuit suprà Conclusione ultimâ præcedentis Sectionis.

Veriùs injuriam faciunt fidelibus Calvinistæ, qui perinde faciunt atque illi, qui codicillos porrigunt hæredibus, & universam substantiam dissipant. Lutherani quoque, qui negant totum Christum sub una specie contineri, adeoque mortuum carnem sub specie panis, & mortuum sanguinem sub specie vini exhibent. Illi, inquam, veriùs injuriam faciunt fidelibus, quàm Ecclesia Catholica, exhibens sub una specie totum Christum, non semel tantùm in vita, quod sufficeret ad implendum præceptum divinum; sed sæpiùs tamquam pia mater, volens filios suos non solùm ad sufficientiam, sed etiam ad superabundantiam reficere alimoniâ illâ cælesti & spirituali. De hac frequenti spirituali refectione instituitur

SECTIO NONA.

De Præcepto Ecclesiastico Communionis.

1. Diversis temporibus diversa fuit communicandi consuetudo.

NOn una fuit omnibus temporibus Ecclesiæ consuetudo circa Eucharistiæ frequentationem. Aliqui existimant in primitiva Ecclesia fideles quotidie in divino Missæ Sacrificio communicasse, idque non modo ex devotione, sed etiam ex præcepto, ut vult Doctor Angelicus 3. parte q. 80. art. 10. ad 5. & videtur colligi ex Anacleto Epistola 1. in medio, & ponitur de Consec. dist. 1. cap. 59. *Peractâ*, inquit, *consecratione, omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere limitibus. Sic enim & Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia.*

D. Thom. Anacletus.

Quæris ubi Apostoli hoc statuerint? Ecce Canon 10. Apostolorum: *Omnes fideles, qui conveniunt in solemnibus sacris ad Ecclesiam, Scripturas Apostolorum & Euangelium audiant. Qui autem non perseveraverint in oratione, usque dum Missa peragitur, nec sanctam Communionem percipiunt, velut inquietudines Ecclesiæ moventes, convenit Communione privari.*

Can. 10. Apost.

2. An in primitiva Ecclesia fuerit obligatio quotidie communicandi?

Sed, ut verum fatear, non video quomodo vel ex hoc Canone, vel ex illa Epistola efficaciter probetur generalis necessitas quotidie communicandi: nam (ut omittam Anacletum posse explicari de solis ministris altaris, ut patet ex verbis præcedentibus) unde constat in primitiva Ecclesia statutum fuisse, ut quotidie omnes fideles audirent Missam? Equidem illis solis præcipitur Communio, qui Sacrificio Missæ interfuerint.

Unde etiam probatur Episcopos illo tempore quotidie solemniter celebrasse? Equidem de solemni Sacro loquuntur jura præcitata. Sic enim dicitur in Epistola Anacleti: *Episcopus Deo sacrificans testes (ut præfixum est) secum habeat, & plures quàm alius Sacerdos. Sicut enim maioris honoris gradu fruitur, sic maioris testimonii incremento indiget. In solemnioribus quippe diebus, aut 7. aut 5. aut 3. Diaconos, qui eius oculi dicuntur, & Subdiaconos atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte, & à tergo, & Presbyteri è regione dextra, lævaq;, contrito corde & humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodientes eum à malevolis hominibus, & consensum eius præbeant Sacrificio. Peractâ autem consecratione* &c. ut suprà. De obligatione ergo communicandi quotidie nihil certum.

Anacletus.

3. Fabianus statuit, ut laicus communicet ter in anno.

Cæterùm refrigescente paulatim charitate, statutum fuit à Fabiano Papa ut *saltem in anno ter homines laici communicent (nisi forte quis maioribus quibuslibet criminibus impediatur) in Pascha videlicet, & Pentecoste, & Natali Domini.* Ita refertur Can. 16. de Consecr. dist. 2.

Soter adjecit quartum diem, nempe feriam 5. in Cœna Domini, ut habetur Can. 17. de Consecr. dist. 2. ubi sic ait Pontifex: *In Cœna Domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus (exceptis iis, quibus pro gravibus criminibus inhibitum est) percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat, cùm etiam pœnitentes eadem die ad percipienda Corporis & Sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur.*

Soter quartum diem adjecit.

Tandem indultum est, ut tantùm semel in anno, & in articulo mortis tenerentur ad Communionem. Sit itaque

Ad et vide 2.
Solùm quæ scripsi
pag 283 CON-

CONCLUSIO I.

Omnes & soli baptizati postquam ad annos discretionis pervenerint, tenentur jure Ecclesiastico singulis annis communicare, ad minus in Pascha.

4. sed modò obligantur tantum semel in anno,

Ita statuit Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. 21. & habetur cap. 12. de Pœnit. & remiss. in principio: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata, saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti: & injunctam sibi pœnitentiam, proprijs viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens ecclesiasticâ careat sepulturâ.* En decretum Concilii Lateranensis.

Explico singulas ejus partes, *ne quisquam*, ut ibidem loquitur Pontifex, *ignorantiæ cæcitate velamen excusationis assumat.*

5. omnis baptizatus, Trident.

Omnis utriusque sexus fidelis. Id est, omnis baptizatus, *cùm Ecclesia* (utor verbis Tridentini sess. 14. cap. 2.) *in neminem judicium exerceat qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus: Quid enim mihi*, inquit Apostolus 1. Cor. 5. v. 12. *de iis, qui foris sunt, judicare?* Judicaret autem Ecclesia eos, qui foris sunt, si legibus suis tenerentur.

1. Cor. 5.

Legislatio quippe actus est jurisdictionis, quem nemo exercet nisi in subditum; argumento cap. 6. de Majoritate & obedientiâ ibi: *Cùm inferior superiorem solvere nequeat vel ligare, sed superior inferiorem liget regulariter, & absolvat.* Et argumento Legis finalis ff. de Jurisdictione. *Extra territorium jus dicenti, impunè non paretur. Idem est, & si supra jurisdictionem suam velit jus dicere.*

Cap. 6. de Major.

Lex fin. ff. de Jurisd.

Quid ergo de Pontifice? Resp. probabiliùs obligari istâ lege quoad vim directivam; secùs quoad vim coactivam, ut docetur in Tract. de Legibus. Peccaret ergo Pontifex secundùm illam sententiam non communicans in Paschate, pœnam verò non incurreret.

6. postquam ad annos discretionis pervenerit.

Sequitur in decreto: *Postquam ad annos discretionis pervenerit.* Sed qui sunt illi anni? Resp. illi sunt, quibus novit æstimare dignitatem hujus Sacramenti, idque judicio prudentis viri, præsertim Confessarii. Unde minimè placet, quòd quidam Doctores ex numero annorum (ut circa annum 12. 14. 15.) annum discretionis in hac materia determinant; cùm aliqui anno 10. ingenio maturiores sint, & meliùs instructi in rebus fidei, quàm alii anno 16. Cur ergo illi rejicientur; hi autem admittentur?

Qui sint anni discretionis,

Caveant porrò parentes, ne in hac re sint notabiliter negligentes, parùm curantes de instructione prolium, per se, vel alios, necessaria ad dignè communicandum; proles etiam, ne resistant determinationi parentum aut Confessarii.

An quando constat de illis, adhuc Confessarius possit Communionem differre? Affirmat Suarez.

Sed quid si certò constet me habere annos discretionis, adhuc liberum erit Confessario ad unum aut alterum annum Communionem meam differre, ut interea crescat discretio & reverentia erga Sacramentum? Affirmat Suarez disp. 69. sect. 1. nam & usus Ecclesiæ, inquit, ita videtur hanc legem declarasse; & rationi consentaneum est, ut Ecclesia non obliget, cùm primùm potest: sed facultatem concedat expectandi per aliquod tempus, vel propter majorem reverentiam Sacramenti, vel propter majorem fructum suscipientis, vel ne hi pueri facilè exponantur periculo transgressionis. Hæc ille. Accedit quòd in ipso decreto dilatio ad tempus ob aliquam rationabilem causam permittatur judicio Confessarii.

7. Negat Auctor,

Nihilominus displicet hæc opinio; tum, quia ista exceptio vel mitigatio est contra proprietatem verborum legis; tum, quia sic etiam facilè dabitur libertas differendi usque ad tertium, vel quartum annum; tum denique, quia præceptum jejunii, & alia Ecclesiastica obligant præcisè pro eo tempore, quod lege præscribitur. Neque in hoc erunt anxii fideles, ut sciant quando præcisè annos discretionis attigerint; quia si faciunt ex consilio prudentis viri, præsertim Confessarii, erunt tuti, sicut in aliis dubiis moralibus, quæ metaphysicâ indivisibilitate nequeunt determinari.

nisi consuetudo contrarium præscripserit.

Cæterùm si verum est, quod Suarius dicit, usum sic declarasse illam legem (de quo usu mihi non satis constat) quid adhuc dubitamus? Optima sanè legum interpres est consuetudo.

Respondetur aliis argumentis Suarii,

Reliqua argumenta Suarii nihil probant. Si enim, omnibus consideratis, certò constat Joannem v. g. ad annos discretionis pervenisse, adeoque sine ullo peccato irreverentiæ Sacramentum posse accipere, quo jure privatur fructu Sacramenti tanto tempore? Nam majorem fructum, quem acciperet post duos annos, nonne impedit minor fructus, quem de facto accipit? Certè magis juvat, ut etiam ampliorem recipiat, quàm aliàs recepisset. Sic enim meliùs disponitur subjectum, saltem habitualiter, per augmentum utique gratiæ sanctificantis, quantumcumque parvum.

Aliud fortè esset, si Sacramentum Eucharistiæ esset initerabile, prout est Sacramentum Confirmationis, quod ideo Ecclesia distulit administrare usque ad usum rationis, ut cum majori fructu suscipiatur.

Non est majus periculum transgrediendi præceptum Communionis, quàm auditionis Sacri,

Quod autem additur de periculo transgressionis præcepti, anne majus periculum transgrediendi præceptum Communionis, quàm præceptum audiendi Sacrum, præceptum non vescendi carnibus in die jejunii & similia, ad quæ tamen illi obligantur? Profectò minus periculum; cùm præceptum, de quo hìc agimus, solùm obliget semel in anno, alia autem pluries. Nec obstare potest difficultas Confessionis præmittendæ; quia ad illam equidem obligantur.

8.

An sit idem tempus discretionis respectu Communionis & Confessionis.

Unde non desunt Auctores, qui censent, contra communem aliorum, esse idem tempus discretionis ad Confessionem, & Communionem; tum, quia in favorem animarum; tum, quia consonum Concilio Lateranensi suprà, ibi: *Confiteatur proprio Sacerdoti &c. suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum.* Præmiserat autem: *Postquam ad annos discretionis pervenerit*: ergo iidem anni discretionis requiruntur, & sufficiunt ad obligationem confitendi, & communicandi.

Aliqui affirmant;

Atque hanc sententiam esse probabilem, si stemus præcisè juri scripto, & verbis Concilii Lateranensis, ut videntur sonare, præsertim quantùm ad facultatem ita faciendi, docet Dicastillo disp. 10. nu. 102. Quod etiam ante ipsum expressit Diana parte 3. tract. 6. resol. 70. aliquibus pro ea citatis Auctoribus: quamquam ipse contrariam teneat, utpote magis communem & consuetudine ubique receptam.

Dicastillo, Diana.

sed contrarium suadetur ex consuetudine.

Declarat autem hæc consuetudo pueros citiùs teneri ad annuam Confessionem, si peccaverint mortaliter, quàm Communionem; tum propter majorem Confessionis necessitatem; tum, quia major est mysterii Eucharistici difficultas, & requisita in recipiente reverentia. Incredibile profectò est, totam quasi Ecclesiam aberrare à vero intellectu propriæ legis tanti momenti.

Explicantur verba textûs.

Quando ergo in textu citato dicitur, omnes teneri tum ad confitendum, tum ad communicandum, postquam ad annos discretionis pervenerint, intellige annos discretionis cum distributione accommoda juxta conditionem utriusque actionis: id est, ut quando quis pervenerit ad annos discretionis pro Confessione, confiteatur, & quando quis pervenerit ad annos discretionis pro Communione, communicet. Et hactenus de secunda parte decreti.

9.

Tertia porrò sic habet: *Omnia sua solus peccata, saltem semel in anno, fideliter confiteatur proprio Sacerdoti &c. suscipiens reverenter, ad minus in Pascha, Eucharistiæ Sacramentum.* In hisce verbis quod dicitur de annua Confessione ad præsens institutum non spectat. In reliquis ergo verbis per *Pascha*, intelligitur spatium quindecim dierum circa diem Resurrectionis; nimirum à Dominica Palmarum inclusivè usque ad Dominicam in Albis inclusivè, ut patet ex praxi Ecclesiæ, & declaratione Eugenii IV. apud Navarrum cap. 21. n. 45. Si tamen alicubi consuetudo esset computandi tempus Paschale à Quadragesima, vel à Dominica Passionis, aut etiam à Feria 5. Cœnæ Domini, illa esset à fidelibus observanda.

Quid intelligatur per ly *Pascha*.

Eugenius IV.

Sed cùm id satis constet inter Doctores Catholicos, adhuc tamen controvertitur primò, an qui prævidet se impediendum à Communione Paschali, debeat eam prævenire? Secundò, an qui ob impedimentum, vel ex malitia, aut negligentia non communicavit in Paschate, teneatur quamprimùm communicare? Responsio ad primam quæstionem erit

CONCLUSIO II.

Prævidens impedimentum debet prævenire Communionem annuam, si obliget, secùs Paschalem.

10.

Secundum aliquos est duplex præceptum Communionis,

unum Paschale, aliud annuum;

STatuunt nonnulli, idque probabiliter, duplex præceptum Communionis, unum Communionis annuæ, alterum Communionis Paschalis, quorum primum sine secundo potest adimpleri, quamvis non secundum sine primo: Pascha namque semper occurrit intrà annum, adeoque qui communicat in Paschate, necessariò etiam communicat intrà annum. Sicuti si Ecclesia præciperet singulis hebdomadibus audire Missam, saltem in die Dominica, esset duplex virtualiter præceptum; hoc est, unum præceptum continens duas partes, quarum prima impleri potest sine secunda, licèt non è converso, quia possum audire Missam in hebdomada aliâ die quàm Dominicâ; nequeo tamen audire Missam in die Dominica, quin simul audiam in hebdomada, quoniam dies Dominica est una ex septem diebus hebdomadæ.

quod aut Lugonem docuit Suarius.

Neque hoc duplex præceptum Communionis, vel potiùs duplex pars unius præcepti, est noviter à Lugone excogitata, sed ejus meminit Suarius d. 70. sect. 2. probans suam assertionem, de qua infrà, ex intentione hujus legis, quæ, inquit, duas partes principales includit: una est, ut Communio ultra annum non differatur, altera est, ut saltem fiat tempore Paschatis: & utraque est principaliter intenta, præsertim prior. Ita ille.

11.

& alii à Lugone citati.

Plures alios Auctores citat Lugo disp. 16. n. 65. quos sequitur n. 66. dicens: Hoc præceptum non est sicut præceptum jejunandi vel audiendi Missam tali die; sed continet virtualiter duo præcepta, alterum Communionis, saltem in anno; alterum communicandi in Paschate: hoc secundum alligatur tali termino, quia respicit venerationem istius Festivitatis; alterum adhuc perseverat.

Colli-

Probatur ex verbis legis;

Colligitur autem hoc in primis ex verbis legis: *Saltem ſemel in anno confiteatur, ſuſcipiens reverenter, ad minus in Paſcha, Euchariſtiæ Sacramentum.* Nam illa verba, *Saltem*, & *Ad minus*, ſatis indicant ſimul prohiberi minorem frequentationem Communionis, & præcipi ad minus annuam.

Ex Tridentino:

Quem eſſe illorum verborum ſenſum, explicuit magis Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. can. 9. *Si quis*, inquit, *negaverit, omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cum ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum iuxta præceptum S. Matris Eccleſiæ, anathema ſit.*

Ubi verba illa Innoc. *ſemel ſaltem in anno*, non ſolùm ad Confeſſionis, ſed ad Communionis etiam præceptum referuntur. Sicuti ergo Confeſſio obligat annuè, ita etiam Communio: inſuper verò Communio ad minus in Paſcha; quod non dicitur de Confeſſione.

12. Quæ probatio non placet Dicaſtilloni;

Sed hæc probatio non placet Dicaſtilloni: Ego (inquit diſp. 10. n. 140.) in his verbis legis nihil tale invenio, imò ſine illa obligatione per annum totum durante, & ſolâ obligatione alligatâ ad Paſcha, video ſufficienter & propriè habere poſſe ſuum ſenſum, & vim prædicta verba, & hoc eſſe maximum fundamentum pro ſecunda (id eſt, oppoſita) ſententia. Nam verum adhuc erit dicere: *Omnis utriuſque ſexûs debet ſuſcipere ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum.* Mutemus ergo verbum, *Debet ſuſcipere*, in imperativum, *Suſcipiat*, & dicatur: *Omnis utriuſque ſexus ſuſcipiat ad minùs in Paſcha* &c. tunc de tali verbo erit eadem ratio: ergo ex vi verborum illius legis nihil aliud probatur.

Qui alio modo exponit illas particulas *Saltem*, & *Ad minus*.

Nec obſtant illæ particulæ *Saltem*, & *Ad minus*: poſſunt ſiquidem habere aliam ſignificationem optimam, appoſitiſſimam, & dignam Concilio, & Pontifici, nempe optaret Concilium (ut etiam ſeſſ. 22. cap. 6. expreſſit Tridentinum) quòd fideles aut quotidie, aut frequenter, id eſt, *ut in ſingulis Miſſis fideles adſtantes, non ſolùm ſpirituali affectu, ſed ſacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicarent*; præcipit autem, *ut ad minus in Paſcha* hoc faciant. Quod præceptum non exigit, ut illa verba ulteriùs pergant. Sicut ſi dixiſſet: Optaret Sancta Synodus, ut omnes fideles omnibus diebus hebdomadæ audiant Miſſam, & præciperet ut ad minus die Dominico eam audiant; non ideo cenſeretur velle, ut ambulatoriè (ſic liceat loqui) iret obligatio per omnes hebdomadæ dies.

Sanè hunc eſſe ſenſum verborum Concilii Lateranenſis ſatis videtur indicare tenor præcepti, prout exprimitur in Catechiſmo: *Euchariſtiam*, inquit, *ad minus ſemel in anno, idq; circa feſtum Paſchæ ſumito.* Veluti ſi præciperet: *Singulis ſeptimanis, ad minus Feſtis & Dominicis diebus Miſſam audito.* Quidni ergo idem ſit ſenſus verborum Concilii Tridentini? Non enim ſtatuit novum jus, ſed confirmat vetus, ibi: *Iuxta præceptum S. Matris Eccleſiæ.*

13. Quare à Trident. addatur ly *Singulis annis.*

Quod autem addit, *Singulis annis*, ideo dicit, quia Paſcha ſingulis annis recurrit; & ne quis fortè ineptè putaret, quòd ſufficeret in aliquo Paſchate, quodcumque in vita elegiſſet, communicare; ideo non unum Paſcha unius anni, ſed in ſingulis declaratur.

Sicut poſſet dicere Concilium de præcepto Miſſæ: *Si quis negaverit, omnes & ſingulos Chriſti fideles utriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis pervenerint, teneri ſingulis hebdomadis; ſaltem in Dominica ad aſſiſtendum Sacrificio Miſſæ, iuxta præceptum Sanctæ Matris Eccleſiæ, anathema ſit*, abſque eo, quòd intelligamus duo præcepta; quin ſufficiat unum affixum diei Dominicæ. Ita ferè Dicaſtillo.

Verò cùm hic Auctor toties repetat ſimile de audienda Miſſa, reſponderet facillimè Cardinalis, petitionem eſſe principii, & eandem fore rationem præcepti audiendi Miſſam, ſi eiſdem verbis ab Eccleſia fuiſſet latum; ac nullatenus coincidere hanc propoſitionem: *Optat Eccleſia ut omnes fideles omnibus diebus hebdomadæ audiant Miſſam, & præcipit ut ad minus die Dominico eam audiant*, cum iſta: *Præcipit Eccleſia, ut omnes fideles ſingulis ſeptimanis audiant Miſſam, ad minus die Dominico.*

14. Quæ fuerit in hac re mens Eccleſiæ.

De cætero etſi ſatis videam ſic poſſe explicari præceptum Communionis, ut cum ipſo feſto tota obligatio expiret, ſicut expirat obligatio audiendi Miſſam cum die Dominico; attamen ignoro, an illa fuerit mens Eccleſiæ. Unde ſic argumentor ex Lugone ſupra nu. 67. Eccleſia debuit, exigente fidelium negligentiâ, determinare tempus implendi præceptum divinum, in quo non fuerat tempus determinatum; in hoc autem defeciſſet Eccleſia, ſi eum, qui in Paſchate non communicaret, liberum reliquiſſet; multi enim tunc ob impotentiam excuſarentur: cùm ergo divinum præceptum non reſpiceret venerationem, & cultum Paſchatis (principaliter) ſed debitam frequentiam Euchariſtiæ, hanc debuit Eccleſia primo loco, & principaliter præcipere, ac infrequentiam prohibere, licèt obiter præciperet Paſchalis feſtivitatis venerationem.

Argumentum pro ſententia Lugonis.

Confirmatur à ſimili: Præceptum recitandi Horas, obligat ſub veniali ad recitandū debito tempore, niſi rationabilis cauſa excuſet, & tamen qui debitâ horâ non recitavit, non manet liber, ſed debet ſub mortali intrà eandem diem ſupplere; quia eſt quaſi duplex præceptum: alterum obligans ſub mortali ad recitandum ſemel in die, alterum obligans ſub veniali ad recitandum tali horâ; quâ elapſâ, adhuc manet obligatio alterius præcepti. Sic ergo videtur eſſe in caſu noſtro, cum hoc diſcrimine, quòd utraque obligatio ſit ſub mortali propter materiæ gravitatem. Hactenus Eminentiſſimus pro ſua ſententia.

Confirmatio à ſimili.

Quæ profectò, ut anteà dixi, non est ita nova, quemadmodum aliqui imaginantur, nisi in eo, quòd putet non esse obligationem statim communicandi post Pascha; sed sufficere, quòd communicet ante annum expletum: quod non est adeò inconsequenter dictum; quamquam & tunc consequenter dicere debuisset, nullam esse obligationem post Pascha communicandi, si aliquando ante Pascha communicaverit; quia talis verè implevit præceptum Communionis annuæ, & præceptum communicandi in Paschate est redditum impossibile, de quo plura infrà.

15. Sed ad dictam rationem & confirmationem respondet Dicastillo,

Nunc videamus, quid ad illam rationem & confirmationem reponat Dicastillo. Hoc argumentum, inquit, duas habet partes. Prior pars est, quia Ecclesia debuit, exigente fidelium negligentiâ, determinare tempus implendi præceptum divinum &c.

Hæc pars argumenti (prosequitur n. 143.) parùm probat: tum, quia cùm sint multi dies Paschatis, non sunt nimis multi, qui unâ vel aliâ die illarum possint communicare: tum, quia cùm præceptum Confessionis juxta veriorem sententiam duret usque ad finem anni, etiam post Pascha, non est admodùm timendum, quòd qui legitimè confitetur, non communicet; atque adeò non necessarium fuit, Ecclesiam esse valde solicitam pro iis paucis, qui non potuerunt communicare: tum denique, quia etiam est opinio probabilis, quòd colere festà sit præceptum divinum, quod determinavit Ecclesia ad certos dies; nec ideo ille cultus obligat pro alio die.

Secunda pars argumenti est: Quia præceptum divinum non respicit venerationem & cultum &c. Neque hæc, inquit n. 145. multùm roboris habet: quia cùm Communio Paschalis recurrat singulis annis, & per Communionem Paschalem utrumque præstetur, quia per illam & veneratio exhibetur illi tempori, & infrequentia vitatur, potuit Ecclesia unico præcepto utrique rei prospicere, affigendo Communionem illi tempori, quod singulis annis colitur. Id quod etiam reperitur in præcepto audiendi Missam in Dominica die. Hæc summa responsionis ad rationem Lugonis.

16. Dicastillo ab Auctore impugnatur.

Sed quod attinet ad determinationem præcepti divini, sive Communionis, sive cultûs Festorum, illam suprà negavimus & adhuc negamus. Nihilominus ex hypothesi ab utroque illo Auctore admissâ, Resp. pro Lugone: si Ecclesia pro singulis annis determinasset unum solum diem festum, sicut determinavit unam tantùm Communionem, minùs bene prospexisset infrequentiæ cultûs, illam obligationem colendi Deum affigendo isti diei, sic quòd cum ipso die festo expiraret obligatio cultûs pro illo anno. Jam autem cùm plurimi dies tum Dominici, tum alii singulis annis cultui divino dedicati sint, nulla fuit necessitas faciendi obligationem quasi ambulatoriam per alios dies.

Profectò nimis multi reperiuntur, qui vel ex malitia, vel ex justa causa diebus Paschalibus non communicant: pauci autem, vel nulli, qui integro anno omittunt omnibus diebus Dominicis & festis colere Deum. Et qualis, quæso, consequentia: Legitimè confitetur, ergo communicat? Nonne plurimi fideles frequentiùs confitentur, quàm communicant?

Sed esto, difficultas Confessionis sit causa non communicandi in Paschate, quid indè? Ergo, inquis, cùm adhuc perseveret obligatio confitendi, non est admodùm timendum, quòd qui postea legitimè confitetur, non communicet.

Contrà: quot hodie non inveniuntur, qui ideo præcisè confitentur, quia tenentur communicare? Et putas quòd hujusmodi, si vel legitimè impediti, vel ex negligentia aut malitia non communicaverint in Paschate, putas, inquam, quòd transacto Paschate confitebuntur, si expiraverit obligatio communicandi? Præterea natum est contingere, quòd aliqui in principio anni satisfecerint præcepto Confessionis: ergo illis saltem timendum, quòd non communicabunt.

Dices; si præceptum communicandi singulis annis est duplex: ergo qui toto anno non communicant, peccant duplici peccato, quod videtur esse contra communem sensum fidelium, qui in Confessione non se arguunt duplicis peccati. 17. Objectio.

Respondeo; arguunt se Communionis omissæ per totum annum, in qua omissione satìs per se intelligitur illud duplex peccatum. Sicuti si quis confiteretur se integro anno non audivisse Sacrum, eo ipso satìs significat non unum tantùm, sed plura commisisse peccata. Solutio Sententiæ Lugonis, non negat cum illa.

An autem toties peccet, quoties post Pascha habet opportunitatem communicandi, & non communicat, est alia quæstio. In sententia Lugonis res non habet difficultatem; quia præceptum Communionis Paschalis expirat cum ipso Paschate: præceptum autem Communionis annuæ potest impleri singulis diebus anni, & non est major obligatio pro hoc die, quàm pro quolibet alio: ergo tantùm semel potest peccare contra illud præceptum. De quo plura sequenti Conclusione.

Venio ad probationem præsentis Conclusionis, quæ facillima est. Enimvero cùm obligatio annua, ut mox diximus, sit in singulis diebus, si hoc die possum communicare, & prævideam, quòd reliquis diebus subsequentibus minimè potero, nemo dubitat, me teneri communicare hoc die. Simile est in eo, qui videt, quòd in die Dominica non poterit audire Sacrum, nisi præcisè horâ sextâ: talis namque tenetur prævenire alias horas, in quibus prævidet futurum impedimentum; siquidem illa obligatio est pro 18. Probatur prima Conclusio.

toto

toto tempore ante meridiano, &, ut suppono, toto illo tempore manet subditus legi.

Quod addo; quia satis probabile est, si ante expletum tempus obligationis, in quo posset satisfacere præcepto, sit in alio, ubi non est talis obligatio, probabile, inquam, est, ut alibi docetur, non esse obligationem præveniendi. Sed hoc non habet locum in nostro casu, cùm præceptum singulis annis communicandi non sit locale, sed personale, consequens personam ubicumque fuerit. Ecce probatio primæ partis.

Probatio secundæ partis.

Secunda pars non minùs est evidens, quidquid aliqui contradicant: cùm enim Communio Paschalis non obliget nisi præcisè pro tempore Paschæ; non potest illam, multò minùs tenetur, prævenire, communicando extra tempus Paschale; siquidem non potest impleri præceptum, quod nondum est, nisi per privilegium, de quo hic non constat.

Dixi: *Communicando extra tempus Paschale*; quia si prævidet se impediendum posterioribus diebus quindenæ, certum est debere communicare in aliquo ex diebus prioribus, ut statim diximus de Communione annua, & obligatione audiendi Sacrum die Dominicâ. Addè obligationem legendi Horas canonicas, quas teneo legere manè, si prævideam me post meridiem fore impediendum.

19. Qui prævenit totum tempus Paschale, impedimento non secuto, tenetur iterum in Paschate communicare.

Ex hac doctrina sequitur, ita prævenientem totum tempus Paschale, non secuto impedimento, teneri iterum communicare in Paschate; verè etenim illud præceptum non adimplevit, sed solum præceptum Communionis annuæ, & cùm alioquin, ut supponitur, servari possit, cur non debeat?

Dices; licitum est differre Communionem Paschalem ultra tempus Paschatis ex consilio Confessionarii: ergo ex præsumpta voluntate Ecclesiæ etiam anticipare.

Solvitur objectio.

Resp. Negando Consequentiam: nam Antecedens expressis verbis declaratur, seu conceditur in ipsa lege scripta: illius verò voluntatis Ecclesiæ, quæ præsumitur in Consequente, nullum extat indicium, neque in lege scripta, neque in consuetudine: ergo præsumptio hujusmodi infundata; adeoque actus, qui illi inititur, per se corruit. Quidni corruat, cùm omnes fideles existiment se peccare mortaliter non communicando in Paschate, tametsi anteà pluries communicassent?

Diversa Communionis conceditur in ipsa lege, ratione anticipationis.

20. In positivis non valet argumentum à paritate rationis.

Instas; est par ratio anticipationis, & postpositionis? Esto (quod non, ut statim edisseram) in positivis non valet argumentum à paritate rationis. Num tibi videtur hoc argumentum efficax: Licet ex privilegio Ecclesiæ vespere legere Matutinas sequentis diei; ergo à pari, licet manè legere Vesperas & Completorium diei præcedentis? Et tamen Ecclesia, sicut unum concessit, posset & aliud indulgere, si vellet.

Non est, inquis, eadem ratio. Sit ita. Dico & ego, in nostro casu non esse eandem rationem: nam postpositio Communionis remittitur ad judicium proprii Sacerdotis; tu verò antepositionem permittis judicio uniuscujusque communicantis. Præterea postpositio non est obligatoria; tu autem anticipationem doces obligare. Profectò tametsi lectio Matutinarum possit anticipari, nulla tamen est obligatio, quantumcumque prævideam altero die impedimentum, quia nullus tenetur uti suo privilegio.

Neque est paritas rationis in dilatione & anticipatione.

Instabis rursum: si aliquis bonâ fide putans se habiturum impedimentum post meridiem, ante meridiem legit Vesperas & Completorium, licèt postea impedimentum cesset, non obligatur etiam sub veniali iterum recitare illas Horas tempore ordinario: ergo per recitationem anticipatam satisfecit duplici præcepto, scilicet recitandi Horas, & recitandi tali tempore; nam si secundò nondum est satisfactum, manet obligatio, quæ anteà erat, recitandi post meridiem: ergo similiter per Communionem anticipatam satisfactum est præcepto Communionis annuæ, & simul etiam præcepto Communionis Paschalis.

21. Instantia.

Resp. Negando Consequentiam: ratio discriminis; quoniam usus communis sic explicat unum præceptum, & non aliud. Alioquin, qui non præviso impedimento anticipasset Communionem Paschalem, liber foret à communicando in Paschate, tametsi facilè posset: sic enim qui malâ fide, hoc est, absque rationabili causa, legit Vesperas & Completorium ante meridiem, non tenetur secundò legere post meridiem, ut constat ex praxi.

Solvitur.

Itaque præceptum communicandi in Paschate non est simile in omnibus præcepto recitandi singulas Horas cujusque diei statutis temporibus; sed magis assimilatur præcepto audiendi Missam, vel jejunandi tali die, quæ ita alligantur diei, ut nec anticipari possint privatâ auctoritate, nec postponi.

Præceptum communicandi in Paschate non est simile in omnibus præcepto recitandi singulas Horas statutis temporibus.

Tantùm autem abest, quòd Ecclesia concederet potestatem anticipandi Communionem Paschalem ex rationabili causa, ut potiùs in ipsa lege significet oppositum: exceptio namque, ut communiter dicunt Theologi & Jurisperiti, firmat regulam in contrarium: igitur cùm lex solùm det facultatem differendi Communionem ex consilio Confessarii, bene arguitur, non posse anticipari, hoc est, non posse fieri, etiam ex consilio Confessarii, ut qui communicavit ante Pascha, non teneatur iterum communicare in Paschate, si pro tunc nullum occurrat impedimentum. Quid miramur? Et enim neque dispensare potest, aut consulere, ut qui in Paschate non habet aliquod impedimentum, abstineat tunc à Communione, & in aliud tempus differat.

Exceptio firmat regulam in contrarium.

Sed

22. Objectio. Sed fortassis hìc aliquis tacitis secum cogitationibus dicat: pauci hodie inveniuntur, qui cùm privatim legunt divinum Officium, horas positas in Rubricis Breviarii observant: immo Caramuel Theol. fundamentalis (primæ editionis) p. 1. n. 1117. sincerè protestatur se in Hispania, Gallia, Belgio, Germania, Bohemia, Hungaria, non cognoscere unum, qui eas observet exactè: unde ergo obligatio sub veniali, quam in instantia videmur supponere?

Caramuel.

An detur præceptum de tempore legendi privatim horas?

Audi Caramuelem suprà: Si standum, inquit, est consuetudini, sufficit dicere Vesperas & Completorium post prandium, Matutinas & cæteras horas ante prandium. Sed qualis, interrogat, hæc ipsa consuetudo? An quæ habeat vim legis? Respondet: Hìc ingrederemur difficultatem quæ paucis expediri non posset. Quam ego Dianæ examinandam relinquo. Hæc ille. Interim subscribit Conclusionem quartam sequentis tenoris: Non datur de facto præceptum de tempore legendi privatim. Ubi verò non est lex, nec est prævaricatio. Vide præfatum Auctorem loco citato.

23. *Dicastillo.* Dicastillo suprà nu. 160. sic inquit: Video sanè hoc esse receptissimum; mihi tamen difficile est agnoscere in ea anticipatione veniale peccatum. Sed quæ hujus difficultatis ratio? Nam (prosequitur) omne actionis peccatum, aut omissionis est, aut commissionis; id est, vel contra præceptum affirmativum, vel contra negativum: ulteriùs debet posse assignari tempus vel instans, in quo committatur; atqui peccatum hoc, quod dicitur esse in anticipatione, nec omissionis esse potest, nec commissionis, nec assignari potest quando committatur: ergo nullum est.

Probat Minorem, in qua sola potest esse difficultas; Nam si loquamur de illo tempore, in quo anticipo, nec commissionis peccatum committo, nec omissionis; non quidem commissionis contra aliquod præceptum negativum, quo mihi præcipitur: *Ne dicas hoc tempore istas preces*; nec enim mihi prohibetur orare eas potiùs, quàm alias: ergo dicendo illas non pecco peccato commissionis, multò minùs tunc pecco peccato omissionis; tum quia dicere illas preces, non est omissio, ut patet; tum quia nullum habeo præceptum dicendi tunc alias, cum quibus hæ sint incompossibiles: ergo nullum tunc committo peccatum. Postea verò quando jam adest tempus congruens illis precibus, nulla est obligatio dicendi illas, supposito quòd jam antèà dixerim, ut omnes concedimus: nullum ergo apparet peccatum. Hæc ille; nihil tamen definiendo.

24. Si est peccatum non legere suo tempore, est peccatum commissionis. Nec ego aliquid in hac materia velim definire: hoc tantùm dico, si verè est peccatum, esse peccatum commissionis contra præceptum negativum consuetudine stabilitum: *Ne dicas hoc tempore istas preces, tanquam debitas ex præcepto legendi Horas Canonicas, & ut per illas satisfacias tuæ obligationi.*

Si inferas: ergo non satisfacio obligationi meæ per hujusmodi lectionem Horarum. Resp. Negando Consequentiam: *Multa* enim *fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem.* cap. *Ad Apostolicam.* 16. de Regularibus. Objectio solvitur. Cap. 16. de Regul.

Redeo ad principale, & resolvendo secundam quæstionem suprà propositam, dico:

CONCLUSIO III.

Qui vel ob impedimentum, vel ex malitia, aut negligentia non communicavit in Paschate, non tenetur proximâ opportunitate.

25. Annus ità computatur à 1. die Januarii usque ad ultimum Decembris. COmputo annum juxta communem significationem à prima die Januarii usque ad ultimam Decembris: quæ enim ratio aliter computandi? Nam quod aliqui dicunt, per illas particulas, *Saltem*, &, *Ad minùs*, Ecclesiam velle significare, quòd Pascha sit terminus, seu finis obligationis annuæ, ac si diceret: Sacerdos legat Horas suas saltem horâ undecimâ noctis, quia tunc adest terminus temporis, quo currit obligatio, hoc, inquam, videtur repugnare communi sententiæ, scilicet obligationem communicandi in Paschate inductam esse ab Ecclesia propter venerationem Festi, prout obligatio audiendi Missam propter cultum diei Dominicæ. Alioquin terminum temporis, quo currit obligatio communicandi, satìs expresserat Concilium per ly *Singulis annis.*

Probatur Conclusio quia Communio Paschalis facta est impossibilis; Hâc itaque computatione suppositâ, & admisso duplici præcepto, scilicet Communionis annuæ, & Communionis Paschalis, haud difficilis erit probatio Conclusionis. Enimverò Communioni Paschali, quà tali, non potest ampliùs satisfieri, cùm tempus expiraverit. Sicuti obligationi audiendi Missam in die Dominica, non potest satisfieri per auditionem Missæ in altera die, quia res præcepta est auditio Missæ in die Dominica. Et ideo qui vel propter impedimentum, vel ex malitia, aut negligentia non audivit Sacrum in die Dominica, non tenetur proximâ opportunitate; quia materia legis facta est impossibilis. Ergo similiter, qui non communicavit in Paschate, non tenetur proximâ opportunitate, quia Communio in Paschate facta est impossibilis.

Porrò Communio annua impleri potest singulis diebus anni, ergo differri poterit usque ad ultimam Decembris. Fieri etiam potest ut ante Pascha impletum fuerit præceptum Communionis annuæ, quo casu nulla remanet obligatio communicandi post Pascha, estò annus computaretur, ut aliqui volunt, à Paschate in Pascha. Ratio patet ex dictis; nam Communioni Paschali

& Communio annua impleri potest singulis diebus anni.

Paſchali non poteſt ampliùs ſatisfieri; Communioni autem annuæ ſatisfactum fuit ante Paſcha.

26. Qui intra annum non communicavit, tenetur proximo opportuno.

Sed quid ſi ante Paſcha non communicaverit, nec communicet in Paſchate, & Paſcha ſit terminus anni? Reſp. primâ opportunitate eſſe communicandum, non ut ſatisfiat Communioni Paſchali; ſed Communioni annuæ. Etenim terminus anni conſtitutus eſt, ut terminus executionis, hoc eſt, ultra quem non differatur Communio, non verò ut terminus, in quo expiret obligatio communicandi.

Probatur à ſimili.

Similia multa præcepta ſunt obvia. Præcipitur, ſecundùm communem ſententiam, ut ſingulæ Horæ Officii divini dicantur certis diei temporibus, in quibus tamen ſi omittantur, non ceſſat obligatio. Præcipit Confeſſor pœnitenti, ut feriâ ſextâ jejunet, principaliter intendens, ſicut ordinariè fit, unius diei jejunium, etſi tunc omittatur, non extinguitur obligatio. Tenetur quiſpiam quotannis ſolvere tributum; ergo cum anno expirat obligatio ſolvendi, negatur ab omnibus Conſequentia. Sacerdos ex vi Beneficii ſui tenetur ſingulis annis legere certum numerum Miſſarum; ſi id facere omittat, non propterea extinguitur tranſacto anno obligatio.

Ergo ſimiliter impræſentiarùm, cùm præcipuû motivû præcepti Eccleſiaſtici ſit, ne Communio diutiùs, quàm par eſt, differatur, liquet profectò eum peccare, qui elapſo anno, non ſtatim, id eſt, primâ opportunitate communicat.

27. Peccat contra præceptum non differendi Communionem ultra annum.

Quæris, contra quod præceptum peccet? Reſp. contra præceptum negativum non differendi Communionem ultra annum. Si autem ulteriùs interrogas: an ergo toties peccet quoties habet opportunitatem communicandi, & non communicat?

An toties peccet, quoties habet opportunitatem communicandi

Reſp. ſi ex malitia non communicavit intrà annum, potiùs continuare prius peccatum; ſicuti qui non ſolvit debitum tempore ſtatuto, vel non reſtituit rem alienam, quando commodè poteſt, cenſetur peccare uno continuo peccato, quamdiu manet commoditas ſolvendi vel reſtituendi, & non reſtituit vel ſolvit. Sin autẽ ſolutio vel reſtitutio fiat impoſſibilis, & redeunte potentiâ novam eliciat voluntatem non ſolvendi vel reſtituendi, indubiè peccat novo peccato.

Obiectio ſubitum.

Quidni ſimiliter peccet novo peccato, qui aliquo tempore legitimè excuſatus à Communione, redeunte opportunitate novam elicit voluntatem non communicandi? Non video diſparitatem. Ergo tenebitur illa diſtincta peccata in Confeſſione explicare; Concedo totum.

Contrà; fideles ea non ſolent explicare, neque Confeſſarius ſolet de illis interrogare. Reſp. unde conſtat? Præterea idem dici poſſet de volitione non ſolvendi aut reſtituendi: putat enim pœnitens ſe ſatisfacere explicando ablationem ſive retentionem rei alienæ, & Confeſſarius nihil ampliùs interrogat; quia communiter illæ novæ voluntates non interveniunt, ideoque exiſtimat ſe ſufficienter cognoſcere ſtatum pœnitentis, quando cognoſcit tempus quo pœnitens fuit in mora ſolvendi aut reſtituendi: ergo & hìc ſufficere debet Confeſſario ſcientia temporis elapſi ab ultima Communione, cùm pœnitentes, niſi valde docti, neſciant inter illa peccata diſtinguere, defectu reflexionis ſuper proprios actus, quando verſantur circa idem objectum.

28. Eſt probabile, obligationem expirare cum Paſchate.

Accedit probabilitas ſententiæ, quæ docet unicam eſſe obligationem communicandi ſingulis annis, ita affixam diebus Paſchalibus, ut ſimul cum illis expiret, ſicuti obligatio legendi Horas canonicas eſt affixa ſingulis diebus, & obligatio audiendi Sacrum expirat cum ipſo feſto; adeò ut nec ante feſtum, nec poſt feſtum poſſit, aut debeat illi obligationi ſatisfieri. Ita docent Antoninus, Tabiena, Medina, Victoria, Ledeſma, Toletus, Henriquez, Valentia, Sotus, & alii apud Dianam parte 3. tract. 4. reſol. 41. quorum auctoritas facit hanc opinionem tutam & ſecuram in praxi.

Antoninus. Tabiena. Medina. Victoria. Ledeſma. Toletus. Henriquez. Valentia. Sotus.

Ratio ſit: quia neque ex verbis legis, neque ex mente Eccleſiæ hactenus declaratâ, evidenter poſſumus colligere aliam obligationem: ergo non eſt aſſerenda, quoniam multiplicatio obligationum odioſa: *Odia* autem *reſtringi*, *& favores convenit ampliari* Reg. 15. de Reg. jur. in 6.

Contraria ſententia eſt magis communis, & conformior intentioni & fini Eccleſiæ.

Equidem elegimus ſententiam magis communem, & ut apparet, maximè conformem intentioni, & fini Eccleſiæ. Et quamvis, ut communiter dicitur: finis Legiſlatoris non cadat ſub legem, niſi etiam ſit materia legis; tamen quando ille finis eſt principalis, ex illo rectè conjectamus ſenſum & intentionem legis, ac materiam ejus. Addit Suarez diſp. 70. ſect. 2. hunc finem non eſſe extrinſecum, ſed intrinſecum; ſubſtantialemque materiam hujus legis, ut patet ex dictis Concluſione præcedenti & præſenti.

29. Objectio.

Quid dicam, quòd illi, qui non communicaverunt in Paſchate, cogantur à Prælatis Eccleſiæ, etiam ſub pœnis & cenſuris, ad quantocyus communicandum? Sanè & hoc ipſum militat contra noſtram Concluſionem. Unde

Solvitur.

Reſpondeo: vel ſequuntur alteram opinionem; vel pœnas minantur ob delictum in omiſſi Communione patratum: cùm enim propterea pœnam mereantur; neque jus ullam latæ ſententiæ apponat, ſed ſolùm ferendæ, judices illam minantur ſe illaturos, non ob peccatum continuatum omiſſæ Communionis quaſi adhuc obligantis, ſed ob peccatum præteritum; ob quod tamen non infligerent illam, niſi ex ſuppoſito quòd nolint poſtea cõmunicare. Eſt itaque pœna pro peccato tranſacto, ad quã tollendam requirunt Prælati Eccleſiæ talem ſatisfactionem; adeòque obligantur tantùm ſub pœna communicare, non ſub culpa.

Prælati minantur pœnas ob peccatum præteritum.

Contrà; ubi non eſt culpa, non debet eſſe pœna. Reſp. ſufficit culpam fuiſſe: nam ut habet

Reg. 23. de Reg. juris in 6. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Quis autem ambigit peccatum præteritum esse causam? Nonne fur suspenditur propter furtum præteritum, estò de facto amplius non peccet?

30. Probatur ex Conc. Later. Urges: illâ pœnâ coguntur ad communicandum. Nego; & ostendo ex verbis Decreti Lateranensis: *Alioquin*, inquit, *& vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens ecclesiasticâ careat sepulturâ.* Quæ pœna, ut liquidò constat, non adhibetur ut aliquid fiat; sed quia factum non est.

Si autem à me quæritur, quare ergo cessetur à pœna, quando reus offert communicare? Resp. quia offert satisfactionē Et si dixero, hoc ipsum posse eis injungi per modum pœnæ, quòd communicent postea, quis me arguet de errore? Injungatur ergo, ut primâ opportunitate communicent, & ecce obligantur in conscientia, sicut obligantur pœnitentes, quibus Confessarius præcipit communicare in satisfactionē pro peccatis commissis. Sed de hac obligatione hic non quæritur. De qua ergo? De illa, quæ præcisè oritur ex præcepto Ecclesiastico Communionis Paschalis.

Potest injungi per modum pœnæ, quòd postea communicent.

31. Differens ex consilio Confessarii tenetur postea communicare. Dices: qui ex consilio proprii Sacerdotis, seu Confessarii distulit Communionem, tenetur postea ex eodem præcepto, ex quo tenebatur communicare in Paschate: ergo etiam qui ex malitia distulit; ne alioquin malitia ei patrocinetur.

Resp. Neg. Consequentiam; quia prius in textu exprimitur, non posterius. Unde si simili modo loqueretur præceptum audiendi Sacrum in diebus Festis, deberet differens de consilio Sacerdotis supplere postea Missam, non alter, qui omisisset ex malitia. Eodem modo sicut ille, qui ex malitia celebravit non confessus, non tenetur quamprimùm confiteri, secùs qui celebravit ex necessitate.

Id enim in lege præscribitur.

Neque talis reportat commodum ex malitia, sed magnum incommodum; scilicet offensam Dei & legis transgressionem, quam legem alter procedendo ex consilio Confessionarii non transgreditur.

32. Rodriguez. Instabis: qui differt ex justa causa, per se excusante à communicando hic & nunc in Paschate, tenetur postea: ergo &c. Responderi posset primò Neg. Antecedens: sicut non tenetur audire Missam feriâ secundâ, qui die Dominicâ fuisset legitimè impeditus. Ita docet Emanuel Rodriguez Sum. casuum conscientiæ c. 64. n. 1.

Respondetur secundò Neg. Consequentiam: nam etsi jus tantùm loquatur de illo, qui abstinet à Communione ex consilio proprii Sacerdotis, id fit potiùs exempli ordinarii gratiâ, quia videlicet dum est justa causa, solet homo timoratus non fidere proprio judicio, sed Confessarii.

Idem videtur aliquibus dicendum de omittente ex justa causa abs. que consilio Confessarii.

Mens itaque legis est eadem & generalis, quando justa causa & impedimentum adest, cùm etiam arbitrium Confessarii debeat in justa causa fundari, ut prolongatio temporis sit justa. Cæteroquin qui haberet impedimentum de se excusans, si ad securitatem expeteret arbitrium proprii Sacerdotis, deberet postea ex lege illa communicare. & non si tacuisset; quod videtur absonum. Unde sic docent Armilla & alii, tenentes alioquin unicum tantùm dari præceptum communicandi, scilicet in Paschate, quod cum illo de per se expiret.

Armilla.

In sententia, quæ agnoscit duplex præceptum, existimo quando impedimentum fuit sufficiens de se, Communionem sine ulla alia causa differri posse usque ad finem anni; secùs si impedimentum de se non erat sufficiens, licet bene, ut ex consilio Confessarii ad tempus à Communione abstineret; tunc enim ex vi Decreti obligabitur communicare tempore à Confessionario præstituto. Hæc enim unica videtur esse mens Concilii, videlicet, ut qui de per se tenentur in Paschate communicare, possint ex aliqua rationabili causa ex judicio proprii Sacerdotis ad certum tempus ab ipso præscribendum Communionem differre, quasi per commutationem unius Communionis in aliam. Qui autem per se liber est ab obligatione præcepti, non indiget commutatione aut dispensatione.

33. Opposita non videntur probabilia, quare causa sufficiens excusat.

Hinc si quis non solùm in Paschate, verùm etiam toto reliquo tempore anni justè foret impeditus, vel nullam haberet obligationem communicandi ratione anni præteriti, si cum anno expirat præceptum, vel obligaretur pro primâ opportunitate, si præceptum non expirat; secùs si impedimentum de se non erat sufficiens, sed distulit, alioquin obligatus, ex consilio Confessarii: tunc siquidem, ut statim dixi, obligaretur pro tempore à Confessario præscripto; proximè quidem ex præcepto Confessarii, remotè autem ex Decreto Concilii, quod talem dedit Confessariis potestatem.

Porrò ad argumentum supra pro sententia Armillæ, dico, nihil referre, si ad securitatem consulat Confessarium, dummodò judicet Confessarius causam per se esse sufficientem.

Respondetur ad argumentum.

Huculq; de secunda parte Decreti. Tertia non minorem habet difficultatē. Sed quæ illa? *Suscipiens* (inquit Pontifex) *reverenter*. Hic jam quæritur, de qua reverentia Decretum loquatur, an de sola externa, an verò etiā de interna, id est, debitā dispositione ad effectū gratiæ? Pro responsione sit

CONCLUSIO IV.

Utrique præcepto Communionis, tum Divino, tum Ecclesiastico, satisfit per Communionem sacrilegam.

ITa Doctores communiter contra Franciscum Sylvium 3. parte q. 80. art. 11. & quoslam alios. Ratio sumitur ex generali regula, quam tradunt Theologi in materia de legibus. Quia lex præcipiens actum, præcipit solùm substantiam

Ita probatur.

tiam ejus, non verò modum; nisi modus sit essentialis actui secundùm se, vel prout sub legem cadit. Sicuti quia attentio interna probabiliter est de essentia orationis; ideo qui ex aliquo præcepto tenetur orare, tenetur ex consequenti attentè orare. Item quia diligere Deum super omnia est de essentia dilectionis charitativæ, idcirco præceptum charitatis obligat ad diligendum super omnia.

Contrà verò, suscipere Baptismum cum gratiæ effectu, jejunare cum merito, Missam audire, vel legere Horas propter Deum, non est de essentia horum actuum, & ideo talibus præceptis non intelligitur ille modus comprehensus. Unde licèt quis in statu peccati mortalis, vel ob finem mortalem jejunaret, Baptismum susciperet, Missam cum debita attentione audiret &c. impleret præceptum.

Alioquin, ut bene notat Scotus 2. dist. 28. q. unicâ n. 3. in fine: *Quicumque commisit peccatum mortale, si postea non occidit, quia Deus præcipit non occidere, si etiam non furetur, quia Deus præcipit non furari, peccat mortaliter: similiter si servat Sabbathum, etiam quia Deus hoc præcepit, peccat mortaliter.*

Hoc autem *dicere* (prosequitur Doctor n. 4.) *non videtur aliud, quàm pervertere omnes, qui semel commiserunt peccatum mortale, ut nullum bonum opus ex genere postea faciant: ad quod tamen aliàs sunt adstricti; cùm tamen suadendi sint, & movendi ad oppositum, ut scilicet faciant bona opera ex genere, quia illa disponunt eos ad gratiam citiùs & facilius obtinendam.*

Similiter existens in charitate potest facere aliquod opus præcepti, non tamen motus ex charitate, sed ex pietate & mansuetudine naturali, vel ex aliquo alio non referendo tunc actualiter ad finem ultimum, ita quòd ista impletio operis præcepti non esset sibi meritoria, quòd si teneretur servare præceptum secundùm intentionem mandantis, ut scilicet per ipsum posset finem pertingere, tenetur tunc ad meritum, & tunc peccaret mortaliter faciendo tale opus, quod est bonum ex genere, & ex præcepto: quod est absurdum. Hæc Doctor Subtilis.

Porrò quæ Baptismi, eadem est ratio præcepti Communionis: enimverò verba Scripturæ & Ecclesiastici Canonis nihil aliud requirunt, quàm ut verè, id est, sacramentaliter manduces Corpus, & bibas Sanguinem Domini, quo modo manducant & bibunt etiam peccatores, teste Tridentino sess. 13. cap. 8. ibi: *Quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores.* Quamvis enim actualiter ipsis non conferat effectum gratiæ, equidem conferret, si essent dispositi; hoc autem est sacramentaliter manducare, & bibere, nempe realiter sumere species consecratas, quæ, quantùm est de se, natæ sunt conferre effectum gratiæ sumenti, etsi de facto propter obicem peccati non conferant

Ex quo patet infidelem, id est, non baptizatum, minimè satisfacere posse huic præcepto; quia non potest manducare Corpus, & bibere Sanguinem Christi sacramentaliter; quoniam non est magis nata Eucharistia conferre illi gratiam, quàm bestiæ. Idem propter eandem rationem communiter dicitur de homine baptizato, etiam justo, qui planè involuntariè sumeret Sacramentum; quod an verum sit, superiùs discussimus. Modò

Infidelis non potest satisfacere præcepto Communionis.

Objicitur primò contra Conclusionem: Jure divino tenetur peccator Communioni præmittere Confessionem ex Apostolo 1. ad Cor. 11. v. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Ergo præceptum divinum Communionis obligat ad statum gratiæ: ergo etiam præceptum Ecclesiasticum, quod solum est determinatio temporis, quo præceptum divinum est adimplendum. 36. Objectio prima. 1. Cor. 11.

Resp. Negando primam Consequentiam: nam illis verbis non exprimitur præceptum affirmativum Communionis, sed aliud negativum, idest, naturale Religionis prohibens accedere indignè; contra hoc postremum peccat, qui accedit ad Sacramentum in malo statu, secùs contra primum. Responsio.

Contrà; saltem ex præcepto illo negativo colligimus Communionem præcipi ut verum actum Religionis; non est autem talis nisi perfectè circumstantionatus, id est, ut non solùm exteriùs videatur Deo cultum deferre, quia hæc est religio Pharisaica; sed etiam ut cum interiori reverentia Sacramentum suscipiatur, quæ reverentia longè abest ab eo, qui cum conscientia polluta Sacramentum accipere præsumit. Instantia.

Resp. solùm colligitur illam fuisse intentionem extrinsecam Legislatoris, ad quam nemo obligatur ex vi præcisè præcepti Communionis. Quippe non illa intentio est anima legis, sed intentio intrinseca, id est, quam habet ex vi ipsius formæ legis. Pro quo Solvitur. Nemo obligatur ad intentionem extrinsecam Legislatoris.

Nota duplicem esse intentionem præcipientis; una, quâ vult finem, propter quem præceptum dedit; altera, secundùm quam vult subditos obligare: v. g. Princeps aliquis, ut tantò securiùs possit hostem invadere, præcipit subditis munire suum castrum: subditi munientes castrum satisfaciunt intentioni Principis, secundùm quam voluit eos obligare, estò vel ignorent finem munitionis, vel si sciant, nequaquam propter illum operentur. 37.

Ad propositum: licèt Deus dando præcepta, & specialiter præceptum Communionis, intendat gratiam sanctificantem, & vitam æternam fideliter ea observantibus tribuendam; non tamen intendit homines ad id intendendum obligare: alioquin juxta doctrinam Scoti suprà, qui abstineret à fornicatione propter solam honestatem naturalem, peccaret mortaliter, quod est absurdum. Intentio gratiæ & vitæ æternæ est extrinseca.

Præcipit quidem Deus modum charitatis; sed conditionaliter, juxta illud Matth. 19. v. 17.

Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, scilicet ex charitate, siquidem observatio mandatorum sine charitate non est meritoria vitæ æternæ.

Objectio solvitur. Contrà; non solùm sub conditione effectûs, si vis accipere gratiam Sacramenti; sed absolutè præcipit Deus dignam sumptionem Sacramenti. Resp. cum distinctione: præcipit per præceptum affirmativum Communionis, Nego: per præceptum negativum Religionis non faciendi injuriam Sacramento per sacrilegam susceptionem, Concedo.

38. Porrò hoc præceptum esse duplex, & non unicum, probo exemplo Baptismi, de quo dicitur Matth. ultimo v. 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. *Matth ult.* Marc. ultimo v. 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit.* *Marc. ult.* Et Joan. 3. v. 5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.* *Joan. 3.* Attamen si sacrilegè suscipitur, impletur præceptum affirmativum suscipiendi Baptismum, ut omnes fatentur, licèt suscipiens peccet contra præceptum negativum Religionis non suscipiendi indignè Sacramenta.

Aliud est præceptum communicandi, aliud dignè communicandi.

Addè, quòd in aliquo casu possim, imò tenear communicare sine fructu, v. g. si hostia sacra ab Hæreticis est conculcanda, nisi ego existens & permanens in statu peccati mortalis eam consumam. Et quis audeat dicere me tali Communione non satisfacere præcepto divino & Ecclesiastico? Ergo est aliud præceptum communicandi, aliud communicandi dignè cum effectu gratiæ justificantis.

Probatur.

Quid si enim ad summam gratiam pervenerim sine Communione, num ideo liber ero ab obligatione præcepti? Nequaquam, & tamen si accepero Sacramentum, non causabit gratiam sanctificantem.

39. Per sacrilegam Confessionem, si fuerit valida, satisfit præcepto.

Dices; per sacrilegam Confessionem non satisfit præcepto divino Confessionis. Resp. omnino latisfieri; si detur Confessio informis valida, de qua proprio loco: cæteroquin disparitas est, quòd Confessio sacrilega non sit vera Confessio; adeoque pertinet ille modus ad substantiam actûs, secùs interna reverentia ad substantiam Communionis.

Urgebis: hoc Sacramentum est cibus animæ; ergo cibatio pertinet ad ejus substantiam: ergo sicuti non satisfacit præcepto sumendi cibum corporalem, qui eo modo sumit, quo non potest prodesse; ita etiam non satisfacit præcepto sumendi cibum spiritualem, qui eo modo accipit, quo non potest prodesse, sed obesse.

Differentia inter præcepta sumendi cibum corporalem & spiritualem.

Resp. Negando utramque Consequentiam; priorem quidem, quia ad rationem cibi sufficit, quòd possit cibare si reliqua adsint: posteriorem verò, quoniam præceptum sumendi cibum corporalem, est formaliter præceptum sustentandi vitam: quod patet, quia si alio modo posset sustentare, non teneretur sumere. Porrò præceptum spiritualis cibi obligat etiam eum, qui per revelationem sciret absque Communione vitam spiritualem conservandam fore, & augendam.

40. Quomodo sint intelligenda verba Decreti, *suscipiens reverenter*.

Si ergo à me quæritur, quomodo prædicta verba Decreti, nimirum, *Suscipiens reverenter*, sint intelligenda? Respondeo de reverentia externa: vel si de interna, solùm continent consilium & monitionem, fidelibusque revocant in memoriam jus divinum Religionis, quod præcipit sancta sanctè & reverenter tractari.

Probatur non esse intelligenda de interna reverentia.

Si enim voluisset Ecclesia præcipere reverentiam internam jure divino naturali requisitam ad obtinendum Eucharistiæ effectum (ut omittam, quòd non possit præcipere actus merè internos, qui ad substantiam actûs externi, vel saltem quatenus est certæ speciei moralis, minimè sunt necessarii, prout communiùs docetur in Tract. de Legibus) in vanum certè constituisset pœnas ferendæ sententiæ, id est, per judicem infligendæ, cùm judex in foro externo non possit judicare de occultis, argumento cap. unici, Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur, ibi: *Quòniam etsi locum Dei teneamus in terris, non tamen de occultis potuimus divinare.*

Judex in foro externo non potest judicare de occultis.

Idem legitur scripsisse Stephanus V. Humberto Episcopo Moguntino, & refertur 2. q. 5. cap. 20. ibi: *Spontaneâ enim Confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta verò & incognita illis sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.* *Stephanus V.*

Hinc Concilium Tridentinum sess. 24. in decreto de reformatione Matrimonii cap. 1. *Cui*, inquit, *malo* (scilicet adulterio occulto) *cùm ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit* &c. *Trident.*

41. An Ecclesia potuerit præcipere reverentiam internam.

Ex quibus juribus aliqui inferunt, Ecclesiam, etsi voluisset, non potuisse præcipere reverentiam internam necessariam ad effectum Eucharistiæ, sicuti non potuit præcipere, adeoque non censetur præcepisse, dispositionem necessariam ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ.

Sed, salvo meliori, illa jura hoc nullatenus probant: nam clarissimum est, quòd loquantur de foro externo; agunt siquidem de peccatis externis per accidens occultis, de quibus Ecclesiam in foro interno judicare, nemo Catholicus potest dubitare.

Quidquid ergo sit de potestate Ecclesiæ, quam aliqui probabiliter ipsi adscribunt, etiam in actus merè internos pro foro conscientiæ, clarum est ex pœna adjuncta, Ecclesiam in præsenti decreto illâ potestate non fuisse usam.

Nec obstat; quòd hodiè in quibusdam Ecclesiis imponatur pœna latæ sententiæ, excommunicatio, vel alia quæcumque; quia est lex merè pœnalis, quæ non obligat ad actum, sed supponit actum aliunde prohibitum vel præceptum.

Ad

Forte eam præcipit, qui Chriſtum recognoſcamus præſentem.

Ad ſummum itaque præcipit Eccleſia reverentiam externam, aut certè internam, quâ Chriſtum recognoſcamus præſentem; quæ etſi præcepta foret, poteſt cum inſufficienti diſpoſitione ad effectum Euchariſtiæ, adeoque cum Communione ſacrilega, conſiſtere; ſicut conſtitutus in malo ſtatu poteſt reverenter cum Deo loqui.

42. Exponitur ultima pars decreti.

Sic itaque explicatâ tertiâ parte Decreti, progredior ad quartam & quintam, quæ parvam, vel nullam habent controverſiam; & ideo breviter expono incipiens ab ultima, quæ imponit pœnam non ſervantibus præceptum Communionis his verbis: *Alioquin & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Eccleſiaſticâ careat ſepulturâ.* Conſtat autem apud omnes hanc pœnam eſſe ferendæ ſententiæ, & ideo ad eam tranſgreſſor non obligatur, antequam per judicem infligatur.

43. Exponitur penultima pars. Proprius Sacerdos hic eſt omnis Confeſſarius.

Reſtat pars quarta; *Niſi fortè*, inquit Pontifex, *de proprii Sacerdotis conſilio, ab huiuſmodi perceptione duxerit abſtinendum.* Circa quam quæritur: Quis ſit iſte proprius Sacerdos? Reſp. omnis, qui eo tempore poteſt Confeſſionem excipere, ſive poteſtate ordinariâ, ut ſunt illi, qui ex officio habent curam animarum; ſive ex delegatione Pontificis, ut Religioſi Mendicantes; ſive ex ſpeciali licentia Epiſcopi vel Parochi, ut reliqui Confeſſarii ad Confeſſiones audiendas tempore Paſchatis peculiariter ab Ordinariis deputati.

Probatio.

Ratio eſt; quia conſilium differendi Communionem ſæpè ſumendum eſt ex conſcientia pœnitentis, v. g. quia Confeſſio generalis eſt præmittenda, vel pœnitens ad perfectiorem dolorem diſponendus &c. Ergo qui delegat poteſtatem abſolvendi, eo ipſo etiam cenſetur delegare poteſtatem Communionem differendi, prudenter expenſis impedimentis & cauſis abſtinendi pro iſto tempore. Et ita habet praxis communis, quæ idem declarat circa parvulorum Communionem inchoandam, vel abſolutè differendam.

44

An autem illi, qui Communionem differunt ex conſilio Confeſſarii, teneantur poſtea communicare, jam ante reſolutum fuit pro parte affirmativa.

Objectio.

Dices; Sacerdos aufert ab illis obligationem communicandi hoc anno: ergo non tenentur ſequenti anno bis communicare, ſemel pro anno præterito, & ſemel pro præſenti. Conſequentia tenet: quia non tenentur hoc anno bis communicare, niſi quia tenebantur præcedenti anno ſemel; at tunc non tenebantur ob Sacerdotis diſpenſationem, ut ponimus: ergo &c. Ita illi, qui annum computant à Paſchate in Paſcha; quamvis etiam ſimilis objectio in alia computatione locum habeat.

Reſpon. Confeſſarius differens Communionem non dispenſat, ſed commutat.

Reſp. ergo, ſuppoſitum eſſe falſum: non enim Confeſſarius diſpenſat cum illo, ſeu non tollit; ſed differt, aut commutat obligationem communicandi pro hoc anno, in obligationem communicandi altero anno. Nec enim poteſt præceptum Superioris immutare abſque ſpeciali commiſſione, quæ neque ex hoc loco, neque ex aliis juribus ſatis colligitur ad diſpenſandum, bene ad differendum vel commutandum.

45. An Communio Paſchalis, danda ſit à propriis Parochis.

Sed numquid ex his verbis rectè colligitur teneri fideles Communionem Paſchalem apud proprios Paſtores implere, vel alibi de eorum licentia? Non puto quòd efficaciter, præcisè ex vi verborum; nam longè diverſa ſunt communicare ex manu proprii Sacerdotis, & Communionem differre ex conſilio proprii Sacerdotis: potuiſſet ſanè Eccleſia rationabiliter velle unum, & non alterum, potuiſſet, inquam, rationabiliter committere unicuique Sacerdoti adminiſtrationem Euchariſtiæ; dilationem autem, utpote quæ non debeat fieri niſi ex juſta cauſa, reſervare judicio proprii Sacerdotis, tamquam magis idonei ad cauſam illam dignoſcendam.

Interim communis praxis & ſenſus fidelium, nec non variæ declarationes Pontificum, qui in privilegiis Regularium faciunt exceptionem Communionis Paſchalis, ita videntur hanc legem interpretari. De quo infrà, ubi de Miniſtro Euchariſtiæ.

His ita de Communione Paſchali conſtitutis, reſtat dubitatio; an extra tempus Paſchale, omnes vel aliqui fideles obligentur præcepto Eccleſiaſtico ad ſæpiùs communicandum? Pro negante dubii parte facit, quòd ſi alia extarent tempora Communionis, id debuiſſet Eccleſia in verbis prædictæ legis declarare, ne daretur fidelibus occaſio errandi.

Nihilominùs cum communi ſententia dico:

CONCLUSIO V.

Omnes Fideles præcepto Eccleſiaſtico tenentur communicare in articulo mortis.

46. Articulus mortis à periculo ejuſdem diſtinguitur;

ARticulus mortis à periculo mortis propriè in hoc diſtinguitur, quòd articulus mortis importat ſtatum diſponentem ex natura ſua, & per ſe ad mortem, ut cùm valetudo à medicis ita deſperata eſt, ut illorum judicio paulò poſt mortem ſit allatura. Periculum verò dicitur ſtatus, qui etſi naturâ ſuâ & per ſe ad mortem non diſponat, tamen per accidens ratione circumſtantiarum, quæ proximè mortem inferre poſſunt, talis eſt, ut frequenter eum mors ſubſequatur: tale periculum eſt, cùm imminet prælium, naufragium, partus difficilis &c.

quamquam ſecundùm Auctores plerumque

Equidem Auctores plerumque periculum mortis cum articulo confundunt; quod & jus facit; nam cap. *Eos qui.* 22. de Sententia Ex-

confundantur.

communicationis in 6. articulus mortis dicitur, quod paulò pòst periculum vocatur, ibi: *Eos qui à sententia Canonis, vel hominis (cùm ad illum à quo aliàs de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum, pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur: si cessante postea periculo, vel impedimento* &c.

Cap. Eos qui. de Sent. Excom. in 6.

Cap. Si quis suadente Diabol. 17. q. 4.

Similiter 17. qu. 4. cap. 29. *Si quis suadente Diabolo*, positâ reservatione excommunicationis excipitur periculum mortis ibi: *Nisi mortis urgente periculo*, cujus exceptionis fit mentio in cap. *Non dubium*. 5. de Sententia Excom. ibique appellatur articulus mortis: *Nec nisi in articulo mortis sine Romano Pontifice absolutionis possint beneficium impetrare.* Ratio est; quia, quoad moralem æstimationem, periculum & eventus periculi pro eodem reputantur.

Cap. Non dubium. de Sent. Excom.

47. Probatio Conclus. & solutio argumenti in contrarium.

Hoc ergo supposito, Conclusio patet ex dictis præcedenti Sectione Conclus. 7. Neque argumentum pro negante dubitationis parte contrarium probat; quia Concilium Lateranense non dicit, quòd tantùm semel, sed quòd *saltem semel in Paschæ*, id est, etsi aliunde non obligaretur aliis temporibus communicare, quod ex aliis legibus, votis, & institutis hominum est petendum.

Deinde dico voluisse Ecclesiam ferre generalem Communionis legem pro omnibus fidelibus tam infirmis, quàm sanis; & hoc titulo communitatis fidelium nemo tenetur aliàs, quàm in Paschate communicare.

Communio in mortis articulo est præcepta sub mortali.

Enimverò etsi nullum jus scriptum extaret, consuetudo communicandi morientes adeò est recepta, ut sine gravi scandalo non possit violari; quod est signum gravis obligationis, quam etiam agnoscit communis sensus Doctorum & fidelium.

Hinc non est audiendus Caietanus verbo Communio, ubi sic scribit: Utrùm autem in mortis articulo teneatur fidelis quisque communicare, in dubium non est vertendum, quoniam consuetudo Ecclesiæ hoc mandat, & procul dubio peccat, qui sine rationabili causa absque Viatico recedit. Si tamen contemptus desit, non video rationem peccati mortalis in hujusmodi omissione, ex quo Paschalem Communionem implevit. Idem docet Sylvester verbo Eucharistia 3. in principio. Et sequitur Ema. Sa verbo Eucharistia n. 1.

Caietanus. Sylvester. Eman. Sa.

48. Pro peccato veniali malè citatur D. Bonaventura. Diana. D. Bonav.

Pro hac etiam opinione, ut puto paradoxa, quia contra torrentem Doctorum sine sufficiente fundamento citat Diana 3. parte tract. 4. resol. 40. D. Bonaventuram in 4. dist. 10. art. 3. q. 1. (debet esse dist. 12. a. 2. q. 1.) sed perperàm ut ostendo ex ejus verbis: *Dicendum quòd Sacramentum hoc non est de necessitate, quantùm est de sua institutione, sed si est, hoc est ex assumpto officio & mandato superaddito.*

Et explicans istud mandatum: *Quod*, inquit, *instituit Ecclesia, ut fideles semel communicarent in anno, & in morte. Unde si quis negligit, non est sine contemptu: ideo peccat mortaliter.* Hæc Doctor Seraphicus, æquâ lance, ut vides, de Communione in Paschate, & in morte.

Unico verbo, docet semper adesse contemptum tanti Sacramenti, quando ex negligentia, id est, sine justa causa omittitur, & ideo tunc semper est peccatum mortale, quæ est communis sententia.

49. Non videtur cur obligetur Communio in articulo mortis, quàm jejunium, auditio Missæ, &c.

Profectò non video, cur minùs obliget Communio in articulo mortis, quàm jejunium, auditio Missæ, lectio Horarum Canonicarum, & similia, quæ tantùm sunt necessaria ex præcepto Ecclesiæ. Sive enim spectes materiam præcepti, sive finem, liquet manifestè Communionem in articulo mortis esse materiam notabilem, imò notabiliorem, quàm jejunium, auditionem Missæ, & similia, non solùm secundùm se; sed etiam ratione finis, qui est consolatio & vigor spiritûs in illa omnium terribilium terribilissimâ necessitate moriendi, quam hoc Sacramentum tribuit. Quid simile præstat jejunium, vel auditio Missæ?

Et quid amplius confert Communio in Paschate, ut hæc sit materia notabilis; secùs autem Communio in articulo mortis? Igitur vel numquam pecco mortaliter contra legem humanam, si desit formalis contemptus (quod, post hæc scripta, ut minimum tamquam scandalosum ab Alex. VII. Summo Pontifice damnatum & prohibitum fuit) vel certè pecco mortaliter, quando ex mera negligentia omitto communicare in articulo mortis.

Immo ita tam in periculo mortis;

Quidni etiam in periculo mortis? Certè ex fine legis rectè colligitur mens legis: constat autem finem seu effectum Communionis pariter locum habere in periculo mortis, estò distingueretur ab articulo mortis.

50.

Ex quo colligo 1. milites inituros periculosum conflictum, item eos, qui inituri periculosam navigationem, similiter lethaliter vulneratos, mulieres proximas difficili partui, damnatos ad mortem &c. graviter obligari ad communicandum.

adeòque teneantur ad communionem dum mortis imminet tempus ad Communionem disponendum. Azor. 51.

Unde judex, ut diximus Sectione præcedenti conclus. 7. obligatur reo dare tempus disponendi se ad communicandum, ut patet ex cap. *Super eo.* 4. de Hæreticis in 6. ubi Alexander VI. qui multis annis præcessit Pium V. præcipit dari Eucharistiam Hæreticis traditis brachio sæculari, si sufficientia signa pœnitentiæ dederint: *Nos*, inquit Pontifex, *inquisitioni vestræ de fratrum nostrorum consilio respondemus, quod taliter deprehensis, etiamsi (ut dictum est) sine ulla penitus audientia relinquendi sint judicio sæculari; si tamen postmodum pœniteant, & pœnitentiæ signa in eis apparuerint manifesta, nequaquam sunt humiliter petita Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ denegenda.*

52. Pofnet.

Idem anteà constitutum fuerat cap. 30. 13. q. 2. de iis etiam, qui ob alia delicta erant extremo

Can. 30. 13. q. 2.

tremo ſupplicio afficiendi. *Si omnibus*, inquit Concilium Moguntinenſe II. ſub Rabano cap. 27. *de peccatis ſuis puram confeſſionem agentibus, & dignè pœnitentibus Communio in fine ſecundum canonicum iuſſum danda eſt; cur non eis, qui pro peccatis ſuis pœnam extremam perſolvunt?*

Conc. Moguntin. 11.

Colligo ſecundò, & erit

CONCLUSIO VI.

Qui paucis antè diebus nihil minùs cogitans quàm de morte, communicavit ex devotione, non tenetur accipere aliud Viaticum.

51. Probatur Concluſ.

RAtio principalis eſt, quia talis communicavit in articulo, vel periculo mortis; ſiquidè articulus mortis non ſic computandus eſt, quaſi Euchariſtia debeat ſumi immediatè ante mortem: ſic quippe executio hujus præcepti frequenter eſſet impoſſibilis, & qui hodie manè ſanus communicaſſet, ſi à prandio ſubitò incurreret periculum mortis, teneretur iterum communicare, quod nemo rectè dixerit. Sufficit ergo quòd ita communicetur, ut ſatisfiat fini legis; finis autem eſt, ut dixi præcedenti Concluſione, vegetatio ſeu vigor ſpiritûs in hora mortis, qui vigor facilè retinetur per octo vel decem dies.

Duarn.

Hanc ſententiam tenet Suarius diſput. 69. ſect. 3. §. *Rogabis*: conſulit tamen, & meritò, iteratam Communionem, etiamſi tempus interceptum breve ſit, v. g. præcedentis diei: nam tunc licitum eſt per modum Viatici iterum communicare, etiam poſt cibum & potum, quia Eccleſia non limitavit hanc facultatem ad eos, qui ante longum vel breve tempus non communicaverunt, ſed ſimpliciter illam conceſſit omnibus, qui Viaticum non acceperunt; in dicto autem caſu propriè & formaliter non accepit homo Euchariſtiam per modũ Viatici. Plus dico: tametſi formaliter accepiſſet Viaticum, ſolà utilitas Communionis in articulo mortis excuſat à lege jejunii, de quo infrà proprio loco.

52. Vaſquez.

Nihilominùs, oppoſitum Concluſionis docet Vaſquez diſp. 214. cap. 2. n. 13. dicens: Ego ſolùm in ipſo articulo mortis, inchoatâ jam ægritudine, hujus præcepti obligationem ità incipere cenſeo, ut intrà illud tempus ſolùm ei ſatisfieri poſſit. Rationes quas adfert, nullius ſunt momenti, & ex jam dictis facilè ſolvuntur.

Satisfit rationibus in contra-rium.

Primùm, inquit, quia ſi ſemel admittamus, ante articulum mortis huic obligationi fieri poſſe ſatis, non poſſet aſſignari ratio, ob quam potiùs ſufficiat pridie, quàm ante duos, aut plures dies ei ſatisfieri. Reſpondeo, rationem eſſe, quia non pro quolibet tempore cenſetur quis retinere fructum Communionis, quatenus eo indiget pro articulo mortis.

Sed contrà: ergo poterit aliquis in eodem infirmitatis ſtatu obligari ad ſæpiùs communicandum. Conſequens videtur falſum; quia Sacramentum Extremæ Unctionis, quod etiam ordinatur ad ſubſidium infirmi, non poteſt iteratò ſuſcipi, niſi mutato infirmitatis ſtatu. Conſequentia tenet; quia poteſt infirmitas mortalis tam longo tempore durare, ut Communio, quæ hodie v. g. fit, non cenſeatur ſufficienter vegetare infirmum poſt unum, aut duos menſes: ergo ad hunc finem conſequendum tenebitur iterum communicare.

An aliquis in eodem infirmitatis ſtatu poſſit obligari ad iteratam Communionem.

Reſp. primò Negando Subſumptum. Ad ejus probationem nego Conſequentiam: diſparitas quippe inter Communionem & Unctionem eſt voluntas inſtituentis, quæ nobis innoteſcit ex praxi Eccleſiæ, quæ non permittit morituris quamdiu perſeverat idem morbi ſtatus iteratam Unctionem; bene tamen iteratam Viatici ſumptionem. Ratio verò congruentiæ reddi poteſt, quòd Sacramentum Unctionis ſolummodò inſtitutum ſit ad alleviandum in extrema infirmitate hominem; & ideo ratione hujus ſignificationis, manente eâdem infirmitate extremâ, non debet iterari: Sacramentum autem Euchariſtiæ ad nutriendum hominem, ſive illo nutrimento indigeat homo pro ultima debilitate, ſive aliàs.

53.

Hinc quoties indigere cenſetur homo hoc nutrimento, poteſt illud iterum ſuſcipere. Et quia maximè illo indiget imminente ultimo certamine, voluit Eccleſia ſuo præcepto ad hoc inducere homines, ut paulò ante mortem communicent. Quantum verò futurum ſit illud tempus, prudenti arbitrio videtur relinquendum, ut ſi v. g. octo aut decem dierum eſſe cenſeatur, inquit Suarez ſuprà.

Reſp. ſecundò Negando primam Conſequentiam; quia quamvis ad præcepti impletionem ſufficiat ita facere, quod præceptum eſt, ut ſatisfiat fini legis; tamen ad præcepti inductionem non ſufficit finis legis, ſed inſuper requiritur voluntas Legiſlatoris, idque externa. Proinde tametſi, durante diutiùs articulo mortis, iterum poſſit occurrere ratio communicandi, non tamen id ſub obligationem cadit; cùm lex non præcipiat: ſolùm enim ſimpliciter ait, in articulo mortis communicandum, quod unâ Communione ſatis impletur.

Ad præcepti inductionem non ſufficit finis legis.

Hinc patet, quid reſpondendum ſit ad hanc Conſequentiam: ergo qui hodie in articulo mortis ſacrilegè communicavit, vel poſt ſacram Communionem peccavit mortaliter, tenetur rurſum communicare, quia vel nullum fructum Sacramenti percepit, vel certè perceptum fructum per peccatum perdidit. Patet, inquam, Conſequentiam eſſe negandam: quia licèt ex fine Legiſlatoris ſæpiùs colligamus mentem legis, tamen lex ad illum finem non obligat, ut ſuperiùs latiùs declaravi, & praxis in his caſibus ſatis declarat.

54. Qui in articulo mortis ſacrilegè communicavit, non tenetur rurſum communicare.

Aliud

Aliud est de Sacramento Pœnitentiæ, utpote obligante pro reconciliatione cum Deo, & primâ gratiâ consequendâ, quæ est necessaria ad salutem; ideoque si ea per peccatum est amissa, iterum obligatio illius Sacramenti revivíscit.

55. Ergo prima probatio Vasquezii parvi ponderis. Nec minùs levis secunda. Deinde, inquit, eadem sententia probatur; quia si quis constitutus in ægritudine, jam sentiret mortis periculum, justè posset Sacramentum non jejunus accipere, etiamsi præcedenti die bene valens illud accepisset, quis hoc neget? Nemo Vasquez. Sed quid tum? Atqui, subsumis, nemo excusatur à præcepto jejunii præmittendi ante Eucharistiam, nisi ratione alterius præcepti, quod magis strictè obligat. Nego subsumptum; sed sufficit in illo articulo sola utilitas Communionis, ut suprà dixi & infrà latiùs declarabo.

In articulo mortis sola utilitas Communionis excusat a præcepto jejunii.

Lugo. Bene advertit Lugo disp. 16. nu. 42. illud argumentum facilè retorqueri posse; quoniam ex eo sequitur, ægrotum, qui in eadem infirmitate sæpiùs communicavit ex devotione, non posse jam morti proximum accipere Viaticum absque jejunio: nam multò antè, & ferè ab initio incipit morbus esse periculosus; &, secundùm Vasquezium, quælibet Communio accepta, postquam cœpit periculum, satisfacit præcepto, etiamsi fiat absque intentione Viatici: & tamen praxis omnium Religiosorum, quam non potuit hic Auctor ignorare, est in contrarium.

56. Quid dicam de tertia probatione? Postremò, ait Vasquez, inauditum est præceptum aliquod servari & impleri per opus aliquod ante tempus obligationis: quomodo igitur per Communionem extra articulum mortis satisfieri potest præcepto, quod solùm in ipso articulo obligat?

An possit satisfieri præcepto, antequam oliget?

Adducuntur multi casus, in quibus Lugo putat id fieri; Ad labefactandam hanc probationem Lugo suprà n. 39. multas adducit instantias, in quibus videtur satisfieri præcepto per opus factum ante obligationem. Prima est illius, qui post recitatum divinum Officium ex devotione, suscipit Ordinem Sacrum, vel profitetur in Religione approbata. Secunda Sacerdotis, qui manè facit Sacrum, & postea pergit ad alium locum, in quo est præceptum audiendi Missam propter Festum illius loci. Tertia Pensionarii, qui habens obligationem recitandi Officium parvum B. Mariæ, loco illius recitavit Officium majus, quo recitato accipit beneficium Ecclesiasticum. Quarta Beneficiarii, qui post Officium recitatum accipit secundum beneficium obligans ad Officium. Quinta Subdiaconi, qui post Horas persolutas ordinatur Diaconus; & Diaconi, qui ordinatur Sacerdos. In his omnibus casibus putat Cardinalis secundùm communem sensum fidelium satisfieri obligationi audiendi Missam, vel recitandi divinum Officium, antequam obligatio existat.

Quidquid sit de veritate istorum casuum; nam primus & tertius à multis reprobantur; ad alios autem responderi posset consuetudinem sic interpretari mentem Ecclesiæ. Prout etiam ex privilegio, qui vesperi legit Matutinas sequentis diei, satisfacit obligationi pro tunc nondum existenti, & ex voluntate creditoris, qui debet v. g. centum florenos primâ die Maii, anticipatè potest solvere: nisi malueris dicere, diem sequentem pro Horis nocturnis incipere Ecclesiasticè ab occasu solis; anticipatam autem solutionem extinguere debitum pecuniarium, quia die occurrente jam invenitur æqualitas inter datum & acceptum; perinde enim est primâ die Maii habere in bonis suis centum florenos, atque illos tunc primùm accipere, sicuti fur retinens bona aliena, censetur moraliter illa accipere.

Sed non omnes admittunt.

57. Igitur quidquid sit de his casibus: Respondeo ad tertiam probationem Vasquezy, Communionem, de qua impræsentiarùm, non exhiberi ante tempus obligationis, id est, extra articulum vel periculum mortis, sed in ipso articulo vel periculo; hoc est, in tali statu hominis, quem post paucos dies sequetur mors, etsi homo hoc ignoret. Enimverò intentio Ecclesiæ est obligare hominem, ut non moriatur absque Eucharistia proximè accepta; illa autem obligatio erat, quando suscepit Communionem, etsi eam homo ignoraret & de ea nihil cogitaret.

In casu Concilii non solùm datur Eucharistiæ ante tempus obligationis.

Qui scit se esse in peccato mortali, ideò tenetur, quia nescit se teneri ad communicandum. Confirmatur: quia si quis ex revelatione divina sciret se cras subitò moriturum, teneretur jam communicare. Quidni, cùm reus teneatur, qui scit se moriturum ex sententia judicis? Ergo antequam morbus incipiat, est obligatio, licèt propter nostram ignorantiam excusemur; adeoque Communio reipsa, licèt non ex intentione communicantis, facta fuit intrà tempus, quo jam obligabat; præceptum enim, ut statim dixi, solùm est de Communione paulò ante mortem præmittenda.

58. Dices; si non intendit satisfacere præcepto: ergo non satisfecit. Resp. Negando Consequentiam: quippe, ut communiter docetur in Tract. de Legibus, etiam cum contraria voluntate potest satisfieri præcepto, dummodò actus præceptus fiat rationali & liberâ voluntate; quia in potestate observantis legem non est, obligationem illius prorogare, aut postquam fecit id, quod lege præcipitur, eam imposterùm iterum implendam reservare.

Prima objectio solvitur.

Potest fieri præceptum pro futuro antequam obligatio existat.

Dices rursùm: ergo qui sciret instare morbum periculosum, deberet statim communicare. Resp. Negando Consequentiam: quia sufficit quòd communicet ante mortem; jam autem in ipso morbo adhuc poterit communicare. Sicuti licèt satisfieri possit obligationi legendi Horas Canonicas primâ horâ diei, equidem satis est si legantur horâ duodecimâ, sive ultimâ. Similiter quamvis satisfieri possit obli-

Objectio solvitur.

Qui sic interpretatur mentem Ecclesiæ, non debet hoc amplius usurpare.

obligationi audiendi Missam horâ 6. quis tamen dicat illum peccare, qui differt auditionem usque ad horam undecimam?

59. Qui prævideret impedimentum tempore ægritudinis, teneretur prævenire.

Cæterùm qui prævideret impedimentum communicandi tempore ægritudinis, teneretur prævenire intrà illud tempus, quod moraliter æstimatur tempus mortis; sicut obligatus audire Missam, tenetur prævenire horam undecimam, si in illa prævidet impedimentum.

Et sicuti qui omisit audire Sacrum die Dominicâ, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non tenetur illud audire die Lunæ; quia res præcepta ampliùs non existit, ita qui non communicavit in articulo mortis, sive bonâ, sive malâ fide, eo transacto, ampliùs non obligatur quia obligatio illa tantùm erat pro articulo isto necessitatis; quo proinde cessante, cessat etiam præceptum.

Petes; an qui hodie manè communicavit ex devotione, nesciens se esse proximum morti, possit post meridiem, agnito mortis periculo, accipere Viaticum? Responsio communis est:

CONCLUSIO VII.

Qui manè communicavit ex devotione, non potest eâdem die post meridiem accipere Viaticum.

60. Qui manè communicavit ex devotione, non potest eâdem die accipere Viaticum. Suarez. Lugo.

INtelligo Conclusionem, sive communicaverit manè bene valens, sive infirmus. Illam expressis verbis docet Suarius disp. 69. sect. 3. §. *Regabis*, in fine: At verò, intrà eundem diem non est hæc licentia danda; quia non solùm non est in usu, sed etiam iterata Communio intrà eundem diem est simpliciter ab Ecclesia prohibita. Hæc ille.

Addit Lugo suprà n. 51. se non invenisse ullum Auctorem, qui oppositam sententiam typis mandaverit; solùm invenio, inquit, ter, vel quater fuisse in diversis locis ad praxim deductam in totidem casibus. Sed reverà quod semel, aut iterum in repentinis casibus fit, non æquivalet auctoritati eorum, qui accuratè de re cogitantes scribunt: facilè enim fieri potest, ut in subita illa turbatione non occurrant rationes omnes, & ideo eligatur id, quod tutiùs & utiliùs existimatur animæ ægroti. Hæc ille.

ab præceptum Ecclesiæ inhibentis bis eâdem die Communionem.

Ratio autem communis sententiæ est prohibitio Ecclesiæ communicandi bis eâdem die, quę, cùm sit inducta in Sacramenti reverentiam, non videtur cessare, nisi quando secunda Communio est necessaria ad impediendam irreverentiam Sacramento inferendam; ut, ne ab Hæreticis conculcetur, ne Sanguis effusus in terram maneat, si sacrificans, qui effudit, non possit, vel nolit lambere.

61. Prima objectio.

Contrà; etiam lex jejunii inducta est in Sacramenti reverentiam, & tamen cessat ubi nullum est periculum irreverentiæ, v. g. in periculo mortis. Solvitur.

Resp. ex mera benignitate Ecclesiæ, quæ constat ex communi praxi & consuetudine, quæ consuetudo non habetur in nostro casu.

Secunda objectio.

Contrà II. per Communionem matutinam non fuit satisfactum præcepto divino, aut saltem Ecclesiastico accipiendi Viaticum: ergo &c. Resp. vel hoc præceptum prævalet alteri, vel non: si primum, ergo non tantùm potest, sed etiam debet accipere post meridiem aliud Viaticum; quod non solùm contra omnes Doctores, inquit Suarius suprà, sed etiam contra Ecclesiæ consuetudinem esse videtur.

Solvitur primo.

Suarez.

Sin verò non prævalet, liquet profectò non posse accipere; adeoque hujusmodi moribundum excusari ab impletione præcepti, etiam divini, si tale est (quod non puto) utique propter impossibilitatem non physicam, sed moralem; eodem modo, quo ille excusatur, cui deest copia Sacramenti, nisi Sacerdos celebret sine vestibus sacris.

Solvitur secundò.

Resp. II. Negando Antecedens. Patet ex Conclusione præcedenti, quæ manifestè infert Conclusionem præsentem, nisi quis præsumere velit de benignitate Ecclesiæ, quòd sicuti ob solam utilitatem Communionis in extremo vitæ periculo dispensat in lege jejunii; ita ob eandem utilitatem dispenset in prohibitione bis communicandi eodem die.

Quæ sanè præsumptio si nititur veritate, jam licitum erit & congruum in tali casu bis communicare, licèt non obligatorium. Quod videtur sensisse Sanctus Vincentius Ferrerius Serm. 2. de Assumptione B. Virginis, ubi sic ait: *Secundus dies est Communio: etiamsi illâ die celebraverit, adhuc est communicandum; hoc est tamen non ex necessitate faciendum, sed congruitate.*

S. Vincent. Ferrerius.

62. Diana.

Cæterùm Doctores Scholastici, qui videntur docere oppositum nostræ Conclusionis, quos citat, & sequitur Diana 4. parte tract. 4. resol. 197. & 5. parte tract. 3. resol. 33. denique 6. parte tract. 6. resol. 18. Omnes supponunt secundam Communionem esse necessariam ex præcepto divino, vel saltem Ecclesiastico accipiendi Viaticum.

Vasquez. Hurtado. Doctores, qui contrarium sentiunt, supponunt secundam Communionem esse necessariam,

Certè si Vasquez subscripsit huic sententiæ (ut testatur Gaspar Hurtado de Sacramentis disp. 10. de Eucharistia diffic. 2. quod etiam mihi satis constat, inquit Dicastillo disp. 10. nu. 41.) non aliter potuit illam intellexisse, cùm suprà, ut vidimus, expressè doceat neminem excusari à præcepto jejunii præmittendi ante Eucharistiam, nisi ratione alterius præcepti, quod magis strictè obligat: quomodo

ergo excusaretur à præcepto non communicandi bis in die, nisi ratione alterius præcepti strictiùs obligantis?

Dicastillo. Quare Dicastillo, quamvis nu. 56. asserat tutum esse in conscientia pro Viatico communicare, etiamsi eâdem die quis communicaverit, aut celebraverit bene valens; idque propter auctoritatem Doctorum, tum qui illam sententiam impresserunt; tum qui publicè docuerunt, tum qui ad praxim saltem probabilem deduxerunt, sciente Ecclesiâ, &, cùm commodè posset, non contradicente: tamen (inquit num. 57.) si quis ægrotus communicasset illâ die pro sua devotione, etiamsi postea inciperet ex eodem morbo peiùs valere, & censeri positus in articulo mortis, non ita probabile putaverim, posse illi dari secundam Communionem illâ die. Ita etiam *Lugo.* Lugo disp. 16. num. 53. qui rectè advertit, impossibile esse, ut morbus ille qui hodie ducit ad mortem, non esset hoc manè periculosus, quantumvis ejus periculum non agnosceretur; atque adeò & accepit Sacramentum in articulo mortis, & non videntur Auctores in eo casu locuti, ut pro eo casu censeatur ab Ecclesia tolerata, aut permissa sententia; ut indè ducamus argumentum probabilitatis. Hactenus Dicastillo.

63. Ex quo facilè colliges, an satis fundatè non-nemo Theologus ante aliquot annos has duas theses simul propugnandas assumpserit: Prima: *Qui citra omne mortis periculum communicavit manè, non debet iterum post meridiem, si tunc periculum mortis ingruat, communicare per modum Viatici:* Altera erat: *Potest quis sæpiùs in eadem ægritudine non semel communicare, & qui manè nullo dum existente mortis periculo communicavit, potest denuò etiam non semel si periculum eodem die ingruat.*

Unde quidam non rectè in thesibus defendit, secundam Communionem simul esse liberam & licitam propter auctoritatem illorum Doctorum.

Me autem inquirente disputationis causâ, quo fundamento. Respondit: quia præclari Auctores ita docent, sciente, & non contradicente Ecclesia. Rursùm interrogavi, qui essent illi præclari Auctores, qui docerent licitam esse secundam Communionem, nec tamen obligatoriam. Neminem nominavit, credo, quia neminem scivit; sed dixit: aliquos inveniri, causantes Communionem secundam licere; alios verò, dicentes illam non obligare, & hoc scire Ecclesiam.

Argumentum subtile à divisis ad conjuncta: Ecclesia scit, quòd Suarez doceat secundam Communionem non esse obligatoriam, & etiam scit, quòd Vasquez teneat, secundam Communionem in eodem die esse licitam: ergo Ecclesia scit, quòd aliqui præclari Auctores doceant, secundam Communionem in eodem die esse licitam, juxta ac liberam. Et qui sunt isti? Nec Vasquez, nec Suarez, nec Lugo, nec Dicastillo, nec Diana, & sic de cæteris, uno excepto Vincentio Ferrerio.

64. Dices: Sacerdos potest bis eâdem die celebrare si sit jejunus ad dandum Viaticum, tametsi non obligetur: ergo etiam infirmus bis communicare. *Objectio.*

Resp. Negando Consequentiam: Nam Sacerdoti etiam tertiò licet celebrare in Natali Domini, non ideo tamen licet laico tertiò communicare. Et in multis casibus potest Sacerdos binare, trinare &c. ex concessione Ecclesiæ; ubi tamen laicis numquam conceditur multiplex Communio, nisi ad vitandam irreverentiam Sacramenti, & fortè in casu, de quo jam disputamus. Ratio ergo disparitatis est concessio Ecclesiæ. *Solutio.*

Quæris fortè, quare potiùs Ecclesia unum concedat quàm aliud? Responsio in promptu est; quia secunda celebratio est necessaria, ut infirmus impleat præceptum Communionis in articulo mortis, secùs secunda Communio infirmi, ut suppono. *Quare Sacerdos potius bis celebre eodem die ad unum Viaticum, quàm infirmus bis communicet.*

Cæterùm quoniam prohibitio pluries communicandi eâdem die est lex Ecclesiastica, contrariâ consuetudine legitimè præscriptâ poterit, vel in totum, vel secundùm aliquam partem aboleri. Et si quando constiterit de hujusmodi consuetudine in casu Conclusionis, ex nunc in eam consentio.

65. Atque ex his sit impositus finis huic Sectioni; nam præter tempus Paschale & mortis articulum, non tenentur fideles communi Ecclesiæ præcepto aliis temporibus communicare. De obligatione particularium personarum ipsi viderint. Solùm addo consulendam esse hominibus frequentiorem Communionem, propter incredibilem hujus Sacramenti vim ad extinguendum affectum vitiorum & cælestium rerum sensum inducendum.

Frequens Communio consulitur Trident.

Testem advoco Sanctam Synodum Tridentinam quæ sess. 13. cap. 8. *Paterno affectu admonet, hortatur, rogat, & obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri ut omnes & singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc unitatis signo, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo iam tandem aliquando conveniant, & concordent, memoresque tantæ majestatis & tam eximii amoris Iesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, & carnem suam nobis dedit ad manducandum; hæc sacra mysteria Corporis & Sanguinis eius eâ fidei constantiâ, & firmitate, eâ animi devotione, ac pietate, & cultu credant, & veneretur ut panem illum substantialem frequenter suscipere possint, & is vere eis sit animæ vita, & perpetua sanitas mentis; cuius vigore confortati, ex huius miseræ peregrinationis itinere, ad cælestem patriam pervenire valeant.*

Igitur sancta Synodus admonet, hortatur, rogat & obsecrat omnes & singulos fideles, non simpliciter ut frequenter communicent; sed ut eâ fidei constantiâ & firmitate, eâ animi devo-

devotione, ac pietate, & cultu credant, & venerentur hoc Augustissimum Sacramentum, ut frequenter illud suscipere possint; non Sacramentum tantùm, sed etiam rem & fructum Sacramenti. Quæ sit autem ista animi devotio ac pietas, relinquitur judicio prudentis Confessarii, & facilè colligi poterit ex iis, quæ sequenti Sectione edissero de præparatione animi necessaria, ut quis dignè sacram Eucharistiam percipiat.

SECTIO DECIMA.

De Dispositione spirituali suscipientis.

3. Sancta sanctè sunt tractanda. Conc. Trid.

Si non decet (auditis Concil. Trident. sess. 13. cap. 7. in principio) *ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sanctè; certè quò magis sanctitas, & divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat, præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit: non diudicans Corpus Domini*, 1. Cor. 11. v. 29.

1. Cor. 11.

Quæris quæ sit illa reverentia & sanctitas? Haud dubium quin status gratiæ. Hinc erit

CONCLUSIO I.

Ad dignam susceptionem hujus Sacramenti per se requiritur status gratiæ.

2. Probatur Concl. ex Scriptura 1. Cor. 11. & ex Patribus.

ITa contra omnes Lutheranos, aliosque Hæreticos docent omnes Catholici ex Apostolo suprà versu 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.* Unde Chrysostomus Homiliâ in Epistolam ad Ephesios: *Regem quidem nolles ore tuo fœtido adosculari: Regem vero cœli anima grave olenti oscularis?* Et Clemens Romanus lib. 7. Apostolicarum Constitutionum cap. 72. in fine: *Si quis*, ait, *sanctus est, accedat, si quis non est, curet ut fiat per Pœnitentiam.* Quæ certè formula paucis verbis mutatis reperitur in plerisque Liturgiis antiquis, in quibus ante Communionem fideles præmonebantur his binis verbis: *Sancta sanctis.*

S. Chrysost. Clem. Rom.

Responsio quorundam Hæreticorum refutatur.

Hæc verò non esse dicta, ut respondent Acatholici, ad excludendos Catechumenos, satis dilucidè patet, tum ex verbis Clementis, in quibus illi soli dicuntur non sancti, qui per Pœnitentiam debebant justificari; quam propterea ipsis commendat; non autem Baptismum, qui tamen necessarius erat Catechumenis; tum ex eo, quòd Catechumeni multò prius excluſi essent ab Ecclesia, scilicet ante oblationem Sacrificii & Consecrationem.

Alia testimonia Patrum vide suprà sect. 7. concluſ. 1. Ubi quoque invenies rationem à priori, scilicet institutionem Christi, qui voluit Eucharistiam esse Sacramentum vivorum; adeoque ex primario suo fine non conferre primam gratiam, sed solùm ejus augmentum. Dico, *ex primario fine*; quia secundariò aliquando causat primam gratiam, prout etiam cætera Sacramenta vivorum, ut latiùs deduximus disp. 1. de Sacramentis in genere sect. 5. concl. 5. Et ideo signanter dixi in Conclusione, *Per se requiritur.*

Ratio à priori voluntas Christi.

Porrò qualis sit peccatum indigna sumptio Eucharistiæ, liquet profectò ex dictis disp. 1. sect. 8. conc. 3. esse mortale sacrilegium, *Qui enim manducat, & bibit indignè*, inquit Apostolus suprà v. 29. *judicium sibi manducat & bibit: non diudicans Corpus Domini.* Quod peccatum aliquibus videtur, per se loquendo, esse gravius omnibus, quæ fiunt circa, aut contra puras creaturas, vel in usu aliorum Sacramentorum. Equidem minus est quàm commissa contra divinitatem immediatè, ut idololatria, vel contra humanitatem in seipsa, ut passio Christi, aut etiam quàm projectio Sacramenti canibus ad manducandum, vel in lutum ad conculcandum.

3. Indigna sumptio Eucharistiæ est peccatum mortale. 1. Cor. 11.

Sed numquid eò gravius peccatur, quò cum pluribus & gravioribus peccatis acceditur? Affirmant communiter, eò quòd tantò longius à gratia & unione cum Christo, quam hoc Sacramentum principaliter in usu significat, recedatur: jam autem potissima ratio malitiæ indignæ sumptionis consistit in eo, quòd reddatur falsa significatio Sacramenti. Non est tamen hæc major gravitas tanta, ut sit explicanda in Confessione, etiam in sententia illorum, qui circumstantias notabiliter aggravantes putant necessariò exprimendas. Consule praxim communem, & ita invenies.

eò gravius, quo cum pluribus & gravioribus peccatis acceditur.

Addunt aliqui ex Paschasio lib. de Corpore & Sanguine Domini cap. 22. *quòd nulli periculosius ea contingant, quàm luxuriosi & incestuosi.* Quomodo autem hoc sit intelligendum, latè disputat Lugo disp. 14. à n. 9. Res non meretur longiorem discussionem.

4. Paschasius. Lugo.

Periculosiùs accedunt luxuriosi.

Dico breviter cum Doctore Angelico 3. p. q. 80. art. 5. ad 2. *Secundùm quid peccatum fornicationis magis reddit hominem ineptum ad perceptionem hujus Sacramenti: in quantùm scilicet per hoc peccatum spiritus maximè carni subiicitur, & ita impeditur fervor dilectionis, qui requiritur in hoc Sacramento.* Ideoque magis indiget hujusmodi peccator specialibus auxiliis ad peccata carnis superanda, quæ tamen meritò ipsi subtrahuntur, eò quòd peccet contra purissimum Sacramentum, quod in remedium hujusmodi tentationum Deus providit. Et hinc majus illud periculum.

D. Thomas.

Blasphemus contra B. Virg. periculosiùs peccat.

Sicuti blasphemus contra Beatissimam Virginem periculosiùs peccat, quia Virginis intercessione, aliis peccatoribus communi, meritissimè privatur; dignus siquidem est ut specialibus auxiliis destituatur, qui contra remedia ipsa specialiter delinquit.

Majorem difficultatem habet, an si quis à Communione arceatur, non solùm præcepto naturali, ratione peccati mortalis; sed etiam præcepto Ecclesiastico; v. g. quia excommunicatus, quia non jejunus, satisne exprimat peccatum suum in Confessione, dicendo, communicavi indignè? Respondeo:

CONCLUSIO II.

Qui existens in statu peccati mortalis, & non jejunus, vel excommunicatus sumit Eucharistiam, peccat duplici peccato in Confessione explicando.

5. HUic Conclusioni facilè subscribent; imò subscribere debent omnes qui docent præcepta diversorum Superiorum, habentium diversam specie jurisdictionem, præcipientium ex eodem motivo eandem rem, influere in violationem sui diversam specie malitiam. Quidni subscriberent, cùm illa sumptio Eucharistiæ sit prohibita jure divino naturali, & positivo Ecclesiastico?

Cæterùm in opposita sententia, quam semper existimavi veriorem, videlicet quòd multiplicatio præceptorum in eadem materia ex eodem motivo nihil facit ad specificam vel numericam distinctionem peccatorum, Conclusio non caret suâ ambiguitate. Ratio pro parte negante; quia utrumque præceptum est in eadem materia ex eodem motivo Religionis, adeoque peccatum oppositum habet unicam malitiam contra reverentiam Sacramenti, quæ satis explicatur in Confessione dicendo, communicavi indignè. Ita docet Vasquez disp. 207. n. 5. quem sequitur Diana p. 5. tract. 13. resol. 62. citans præterea Lugonem disp. 14. de hoc Sacramento n. 20. ubi sic ait:

Probatur oppositum Conclus. quia utrumque præceptum est in eadem materia ex eodem motivo. *Vasquez, Diana, Luge.*

Adhuc tamen quoad praxim, existimo doctrinam illam veram esse, nec oportere explicare utrumque illud præceptum; quia licèt præceptum humanum non habeat fortasse totum motivum, quod habet præceptum divinum, hoc tamen habet totum motivum, quod habet præceptum humanum, nempe removere ab hoc Sacramento indignos, ex quo motivo removentur ab Ecclesia excommunicati, etiam quando sunt in statu gratiæ, propter indignitatem aliquam præcedentem, licèt non sint nunc peccatores; sicut & removentur non jejuni propter eandem reverentiam Sacramenti, licèt sint in gratia. Ille ergo, qui explicat se accepisse Eucharistiam indignè, seu in statu peccati, jam explicat sufficienter malitiam, quæ sumitur etiam ex prohibitione Ecclesiæ, scilicet, se peccasse contra præceptum removens indignos ab hoc Sacramento, in quo motivo convenit utrumque præceptum. Hæc Cardinalis. Pro eadem sententia refert Diana p. 4. tract. 4. resol. 195. Gasparem Hurtado tract. de Sacramentis disp. 9. diffic. 1. Herrill.

Nihilominus Conclusio videtur verior, quam docet Bonacina disp. 4. de Sacramentis q. 6. puncto 1. n. 34. & ante ipsum Henriquez lib 5. cap. 7. n. 2. & alii apud Dianam p. 2. tract. 14. resol. 22. & 4. parte tract. 4. resol. 195. quos sequitur Dicastillo disp. 9. n. 13 Eandem sententiam tenet Aversa q. 8. de Sacramento Eucharistiæ sect. 5. §. *Sed videtur.* Citari etiam solet Suarius disput. 66. sect. 1. §. *Dices ergo* ibi: Quidquid sit de speculativa quæstione (an videlicet ex illis duobus præceptis oriantur duæ malitiæ specie distinctæ, vel tantùm efficiant unam graviorem) practicè tamen, & in ordine ad Confessionem existimo eam circumstantiam esse talem, quæ aperienda sit, quia plurimùm aggravat, ac meritò variare potest morale judicium. Hæc ille. 6. Bonacina. Henriquez. Dicastillo Aversa. Suarez.

Probatur Conclus. quia utrumque præceptum est in eadem materia, licèt fortè sit in eodem motivo, sed fortè in eadem materia.

Sed relictâ auctoritate Suarii & ejus fundamento; probo Conclusionem cum aliis Auctoribus jam citatis: quia utrumque præceptum licèt fortè sit in eadem materia, equidem ex diverso Religionis motivo, adeoque peccatum oppositum duplicem habet malitiam specie distinctam contra reverentiam Sacramenti. Consequentia est evidens.

7. Antecedens probatur; quia motivum præcepti divini naturalis, quo prohibetur sumptio Eucharistiæ in malo statu, est, ne Sacramentum frustretur suo effectu, quem alioquin causaret in anima suscipientis, & ex consequenti, ne significatio Sacramenti fiat falsa; motivum verò præcepti Ecclesiastici, quo prohibetur sumptio Eucharistiæ post sumptum cibum, vel potum, quod aliud esse potest, quàm reverentia aliqua tenens se ex parte corporis?

Probatur illa divisio.

Similiter motivum, propter quod Ecclesia prohibet excommunicatis ne suscipiant Eucharistiam, non est frustratio effectûs, cùm possit excom-

excommunicatus esse in gratia, ut omnes fatentur, si v. g. conteratur de peccato commisso, vel etiam bonâ fide confiteatur, & absolvatur. Quod ergo? Respondeo, punitio & emendatio contumacis inobedientiæ; siquidem ad plectendum & emendandum illud peccatum per se & principaliter fertur censura, virtute cujus prohibetur participatio cum aliis fidelibus non contumacibus in rebus sacris.

Alia species est indignitas hominis peccatoris, alia excommunicati, alia non jejuni: ergo alia species itreverentia, quæ ab ipsis committitur in sumptione hujus Sacramenti: ergo triplex specie malitia in Communione facta ab homine peccatore, excommunicato, & non jejuno & semper duplex in illa, quæ fieret ab excommunicato, vel non jejuno, quia, nisi bona fides excuset, qui non jejunus, vel excommunicatus communicat, etiam communicat in statu peccati mortalis, quia voluntas sic communicandi est peccatum mortale, ut patet.

8. Conficiens Eucharistiam in statu peccati sine vestibus sacris, peccat duplici peccato.

An fortè quispiam dicere audeat, conficientem Eucharistiam in statu peccati mortalis, sine vestibus sacris aliisvè ritibus ab Ecclesia præscriptis, unicum tantùm peccatum committere, & sufficienter explicare suum peccatum in Confessione dicendo: confeci Eucharistiam in malo statu? Non puto. Et tamen motivum utriusque præcepti est dignitas & reverentia Sacramenti.

Planè, inquis, sed non est eadem materia utriusque præcepti: nam unius materia est, non consecrare in statu peccati mortalis; alterius verò consecrare cum vestibus sacris. Optima responsio!

Sed contrà: eodem modo dicam, etiam in casu Conclusionis non esse eandem materiam utriusque præcepti; siquidem materia unius est, non communicare in statu peccati mortalis, alterius autem, non communicare ante absolutionem ab excommunicatione; similiter non communicare post sumptum cibum aut potum.

Si dixeris, ut videtur insinuare Suarius suprà, sunt tantùm plures circumstantiæ eidem actui necessariæ, idem ego dicam de vestibus sacris & aliis ritibus. Idem dicam de eadem die, in qua contra prohibitionem Ecclesiæ accipitur secunda Communio, idque in statu peccati mortalis: putas autem quòd talis satisfaceret solùm se accusando coram Confessario de indigna Communione?

Et verò quid refert, si vocentur hæc omnia circumstantiæ, dummodò sint circumstantiæ mutantes speciem, aut numerum? Voca Matrimonium circumstantiam, voca substantiam, nemo ambigit tribuere copulæ fornicariæ novam speciem malitiæ.

9. Objicio

Dices; in susceptione voluntaria Eucharistiæ à non jejuno, vel excommunicato, necessariò involvitur status peccati. Resp. si sciat præceptum; secùs si invincibiliter ignoret: quamvis & tunc illa Communio sit contra præceptum, saltem materialiter; ex quo liquet Ecclesiam prohibere illam Communionem sine ullo respectu ad statum peccati, vel gratiæ. Solvitur primo.

Resp II. etiam malitia fornicationis necessariò involvitur in peccato adulterii; & malitia furti in furto rei sacræ: ergo satisfacit adulter confitendo peccatum fornicationis, & fur sacrilegus accusando se de peccato furti: qualis Consequentia? Tantùm indè sequitur quòd satis erit dicere: commisi adulterium. Solvitur secundò.

Atque eodem modo existimo in casu Conclusionis sufficere, si dicat; communicavi non jejunus; vel, excommunicatus; quia hoc ipso satis explicat se communicasse in statu peccati; cùm hæc malitia in illa involvatur; non tamen è contra, si dicat se communicasse cum peccato mortali; quia hæc malitia non involvit illam.

Instas: ergo semper peccat duplici peccato, qui communicat in malo statu; uno impœnitentiæ contra præceptum Confessionis; altero sacrilegii contra reverentiam debitam Eucharistiæ. 10. Instantia.

Resp. Negando consequentiam: nam adæquatum motivum præcepti Confessionis est acceptio Eucharistiæ in bono statu; ubi autem unum est propter aliud, ibi est unum tantùm in morali æstimatione. Igitur præceptum communicandi in statu gratiæ & præceptum Confessionis censentur moraliter unum & idem. Cur ergo miraris si etiam peccatum oppositum, scilicet Communio cum conscientia peccati mortalis, sit unicum, & non duplex? Solvitur.

Quoniam, inquis, ad communicandum in statu gratiæ per se sufficit contritio: ergo præceptum Confessionis inducit novam obligationem. Concedo totum. Ergo omissio Confessionis est peccatum distinctum ab indigna Communione: Negatur Consequentia. Ratio: quia ideirco tantùm omissio Confessionis est mala; quia communicare in malo statu est malum. Unde quoties potest aliquis peccator acquirere statum gratiæ sine prævia Confessione, toties potest sine prævia Confessione communicare. 11. Omissio Confessionis non est peccatum distinctum ab indigna Communione.

Dices; semper potest per solam contritionem. Resp. neminem posse elicere veram contritionem, qui existens in statu peccati mortalis vult communicare sine prævia Confessione, quando hæc physicè, & moraliter est possibilis. Est evidens; quoniam contritio includit propositum non peccandi de cætero; actu autem peccat, qui vult communicare, & non confiteri, quantumcumque sibi contritus videatur, ut latiùs explico Conclusione sequenti, quæ sic se habet: Objectio solvitur.

CONCLUSIO III.

Conscius sibi peccati mortalis tenetur Communioni præmittere Confessionem sacramentalem: quòd jure divino, non satis probatur.

12. DE prima parte verba Tridentini sunt apertissima; sic enim ait sess. 13. c. 7. *Quare communicare volenti revocandum est in memoriam eius præceptum*: Probet seipsum homo. *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit, modò non desit illis copia Confessoris.*

Conscius peccati mortalis tenetur priùs confiteri, quàm communicare, *Trident.*

Eodem modo loquitur can. 11. ubi postquam contra Hæreticos definivit solam fidem non esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, illicò subjungit: *Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur* (en finis & motivum hujus præcepti, de quo Conclusione præcedenti) *statuit, atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem sacramentalem.*

sub gravi obligatione.

Dubitas de gravitate præcepti? Attende quod sequitur in eodem canone: *Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat.*

13. Nulli ergo hominum liceat de hac veritate dubitare, in quam ante Concilium Tridentinum convenerant omnes Scholastici excepto Cajetano (cujus Commentariis jussu Pii V. est expunctus), cum paucis aliis.

Cajetanus.

Doctor subtilis sic inquit 4. dist. 9. quæstione unicâ n. 3. *De tertio dico, quòd si occurrat opportunitas, tenetur priùs confiteri, quàm communicare.* Rationem attexit congruentiæ: *Quia non tantum debet reconciliari Deo, sed Ecclesiæ, ad hoc, quòd dignè recipiat Sacramentum Ecclesiasticæ unitatis.*

Rationem congruentiæ adfert Scotus.

S. Chrysost. Hinc Chrysostomus homiliâ 83. in Matthæum alloquens Sacerdotes: *Nam ad vos convertere sermonem necessarium est, ut multo cum studio hæc dona distribuatis: non parva vobis imminet ultio, si quempiam ullius culpæ conscium huius mensæ participem esse concedatis; sanguis eius de manibus vestris exquiretur, sive quis militiæ dux sit, sive præfectus, sive Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, prohibe, maiorem illo potestatem habes. Propterea vos Deus hoc insignivit honore, ut talia discernatis &c.*

Alia ratio congruentiæ.

Alia ratio esse potest, quia cùm Eucharistia sit dignissimum inter cætera Sacramentum, planè conveniebat ipsi dignissima dispositio, quæ est per Sacramentum Pœnitentiæ, quo homo certissimè constituitur in statu gratiæ.

14. Hoc præceptum non est recens impositum à Concilio Tridentino satis ostendunt illa verba textûs: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse &c.* Cujus certè consuetudinis nullum initium potest assignari post Apostolorum tempora. Alioquin in Francia, & aliis Regionibus, ubi Concilium dicitur non esse receptum, neutiquam lex illa obligat; adeòque immeritò excommunicatur, qui docet non esse obligationem, saltem universalem.

Hoc præceptum non est recens impositum à Concilio Tridentino.

Et eodem pacto potuisset Concilium excommunicare eum qui contrarium aliis legibus à Concilio editis docere, prædicare, vel pertinaciter asserere præsumpserit: hoc autem non facit; sed solùm præcipit observantiam aliarum legum: ergo in hac materia prohibet doctrinam aliquam præcedentem, quæ independenter ab ipso Tridentino jam erat falsa. Nihilominus

15. Objicitur primò; Apostolus tantùm docet, ut *probet seipsum homo*, non ut confiteatur alteri. Quare Chrysostomus homiliâ 28. in Epistolam primam ad Corinthios: *Non præcipit* (inquit) *ut alter alteri probetur, sed ipse sine traductione faciens iudicium, & sine teste redanguiones.* Similiter Theophylactus (vel, ut alii, Athanasius Alexandrinus) in eundem locum: *Non alium* (ait) *tibi iudicem attribuo, sed teipsum tibi ipsi commendo: iudica igitur & explora conscientiam tuam, & sic accede.*

Prima objectio. *S. Chrysost.* *Theophilact.*

Resp. probare se, formaliter idem est, quod examinare se. *Probet* (inquit D. Anselmus ad illa verba Apostoli) *id est, discutiat, & examinet priùs seipsum, qui etiam ex eo quòd homo est, sine peccato non est. Probet autem seipsum, id est, vitam suam inspiciat & consideret, an dignè possit accedere, vel non.*

Responsio S. Anselmus. Probare se idem est quod examinare.

Unde Doctor Angelicus lect. 7. in eundem locum; *Necesse* (ait) *est, ut primò homo seipsum probet, id est, diligenter examinet suam conscientiam, ne sit in eo voluntas peccandi mortaliter, vel aliquod peccatum præteritum, de quo non sufficienter pœnituerit.* Simili modo loquuntur alii Patres & Doctores; jam autem examinare conscientiam suam, per se loquendo spectat ad solum pœnitentem.

D. Thom. 16. ergo ea mira videtur solutio S. Doctoris.

In illo ergo examine sibiipsi unusquisque debet esse judex, discernens opera sua; & si quidem innocentem se invenerit, nullius culpæ de mor-

mortalis reum, accedat ad mensam Domini sine ulteriori probatione. Sin autem post diligens examen meminerit se mortaliter Dominum ac Deum suum offendisse, nullatenus præsumat accedere absque præmissa Confessione; quia nondum probatus est eâ probatione, quam Ecclesiastica consuetudo declarat esse necessariam.

Quæris quæ sit illa? Respondeo tale examen, quale sufficit ad hoc, ut homo judicet se non habere peccatum mortale, quòd non fuerit legitimè confessus.

Ab illo examine non excluditur Confessio. *Chrysostomus.* Enimverò Chrysostomum non excludere Confessionem à probatione hominis peccatoris, manifestè colligitur ex ejusdem Sancti homiliâ 30. in Genesim in principio, ubi agens de præparatione facienda in Hebdommada sancta: *Nunc maximè*, inquit, *& ieiuni cursus intendendus est, & magis continuandæ sunt preces, faciendaq, diligens & pura Confessio peccatorum &c. ut talibus ornati virtutibus, ubi in diem Dominicum venerimus, Domini libertate fruamur.*

D. Anselmus. Et D. Anselmus suprà (vel quisquis est Auctor istius Commentarii) idipsum non obscurè indicat dicens: *Indignè manducat & bibit, qui vel aliquod grave peccatum, vel multa levia commisit, & non confitetur ea priusquam ad Communionem accedat.*

Lugo. Quæ verba, subjungit Lugo disp. 14. n. 65. Licèt nimiùm videantur probare, scilicet necessitatem Confessionis, etiam peccatorum venialium, quando hæc multa sunt, possunt tamen intelligi cum proportione, nempe de indignitate gravi in uno casu, & levi in alio.

Sed non capio verbum hoc. Existimo enim peccata venialia, quantumcumque gravia & multa, adeò perfectè & integrè deleri posse per contritionem charitate perfectam, ut Communio careat omni prorsus indignitate.

17. Allegantur alii Patres qui istius Præcepti meminerunt. *S. Cyprianus. Leo Papa. S. Augustinus. Dicastillo.* Cæterùm non desunt alii Patres, qui hujus Ecclesiasticæ consuetudinis, præmittendi scilicet Confessionem, meminerint: inter cæteros D. Cyprianus lib. 3. Epistolâ 14. 15. 16. & 18. & Serm. de lapsis. Leo Papa Epistolâ 91. cap. 2. Auctor libri de Eccles. Dogmatibus apud D. Augustinum tomo 3. cap. 53. Etiam citatur à plerisque ipse Aug. Epistolâ 118. cap. 3. sed non est clarus, ut advertit Dicastillo disp. 9. n. 62.

Exscribo ejus verba: *Si tanta est plaga peccati, atque impetus morbi, ut medicamenta talia differenda sint, auctoritate Antistitis debet quisque ab altari removeri ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari. Hoc est enim indignè accipere, si eo tempore accipiat, quo debet agere pœnitentiam, non ut arbitrio suo cùm libet, vel auferat se Communioni, vel reddat.* In quibus verbis haud satis apparet, an loquatur de Confessione sacramentali, an verò de illa pœnitentia publica, quæ olim fiebat.

Deinde non loquitur ex propria sententia, sed aliorum, ut patet ex textu. Unde suam sententiam subjungens ait: *Rectiùs inter eos fortasse quisquam dirimit litem, qui monet, ut præcipuè in Christi pace permaneant. Faciat autem unusquisque quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum.* Ubi quotidianam Communionem (de hac enim ibi disputat an expediat) relinquit uniuscujusque conscientiæ.

Accedit, quod ait Aug. Ser. 252. de tempore: *Unusquisque consideret conscientiam suam, & quando se aliquo crimine vulneratum esse cognoverit, priùs orationibus, ieiuniis & eleëmosynis studeat mundare conscientiam suam, & sic Eucharistiam præsumat accipere.* Ubi nulla mentio Confessionis.

18. Argumentum ab auctoritate negativa non semper concludit. Quidquid sit de auctoritate D. Aug. qui etiam loco jam jam citato nequidem meminit alicujus pœnitentiæ, quam tamen constat esse necessariam. Estò, inquam, nulli Patres hujus legis mentionem fecissent, est tantùm argumentum ab auctoritate negativa, quod non concludit, quando aliunde constat contrarium. Nonne hæc Consequentia valet: Patres non affirmant; ergo negant? Quot sanè inveniuntur, qui non meminerint jejunii? Num ideo rectè infertur: ergo negant jejunium esse necessarium? Absit; sed magis suo silentio confirmant, quod alii apertissimis verbis docuerunt, & Ecclesia perpetuò observavit.

Et ideo fortassis Aug. suprà silet Pœnitentiam, & Confessionem, quia ex Scriptura necessitas Pœnitentiæ omnibus erat evidens; & æquè apertum ex praxi Ecclesiæ præceptum Confessionis. Si enim credimus Historiographis, refert Eusebius lib. 6. Historiarum c. 25. aliàs 27. Philippum Imperatorem volentem in die Paschæ communicare, non fuisse permissum ab Episcopo illius loci, nisi priùs præmitteret Confessionem. Nicephorus item 11. Hist. cap. 34. narrat de Dioscoro Abbate, quòd cùm esset Presbyter & Confessarius, diligenter explorabat conscientias subditorum ante Eucharistiam.

Eusebius. *Nicephorus.*

In obligatione communicandi in statu gratiæ, includitur obligatio Confessionis & jejunii. Prætereo quòd in obligatione non accedendi ad Communionem in statu peccati mortalis, quam omnes Patres ubique fidélibus inculcant, implicitè contineatur obligatio præmittendi Confessionem, prout etiam obligatio jejunandi; quia, ut dixi in fine præcedentis Conclusionis, qui accederet non præmissâ Confessione, accederet in statu peccati; idem est de illo, qui accederet non jejunus.

19. Porrò si aliquis me interrogat: ut quid ergo Ecclesia præcipit annuam Confessionem? Nonne satis erat præcipere annuam Communionem, quæ secum adfert obligationem confitendi?

Cur Ecclesia præter annuam Communionem præcipiat Respondeo facilè, quia multi sunt, qui excusantur à Communione annua, equidem obligati ad Confessionem. Patet ex dictis Sectione præcedenti; tales in primis sunt pueri doli capa-

annuam Confessionem.

capaces, qui judicio Confessarii adhuc non accipiunt Eucharistiam. Secundò, qui ob aliquod impedimentum non possunt suscipere Eucharistiam, cùm tamen possint confiteri. Tertiò, qui in Paschate non habebant peccatum mortale, & ideo non præmissâ Confessione satisfecerunt præcepto Communionis annuæ & Paschalis, illi, inquam, si ante finem hujus anni peccent mortaliter, tenentur ante finem hujus anni confiteri, ut dicemus in materia de Pœnitentia.

20. Cur potiùs ad Euchar. quàm ad alia sacram. præ-requiratur Confessio.

Rogas iterum, cur ad Eucharistiam magìs, quàm ad alia Sacramenta vivorum prærequiratur Confessio? Respondeo continuò, stat pro ratione à priori voluntas divina, vel humana: nam ex natura rei, suppositâ institutione utriusque Sacramenti, Pœnitentiæ scilicet, & Eucharistiæ, resultare hanc obligationem, quò fundamentò asseris?

Non oritur hæc obligatio ex natura rei,

Liquet profectò Sacramentum Pœnitentiæ institutum esse in remissionem peccatorum, constat pariter Eucharistiam ex sua institutione illam remissionem in communicante præexigere: sed quid tum? Nonne & alia Sacramenta vivorum? Quis dubitat? Et remissio peccatorum nonne obtinetur per contritionem charitate perfectam ante realem susceptionem Sacramenti? Unde ergo probatur, ex natura rei potiùs præmittendam Confessionem Eucharistiæ, quàm aliis Sacramentis? Vel ergo ad omnia Sacramenta vivorum ex natura rei prærequiritur Confessio, ut aliqui docent, quos alibi refutabimus, vel ad nulla, cùm omnium eadem sit ratio, consideratâ præcisè eorum institutione.

sed ex lege divina vel humana.

Ratio ergo Scoti suprà, & major dignitas hujus Sacramenti, congruentiam probant, non absolutam necessitatem. Quæ ergo causa necessitatis? Iterum dico, lex divina, vel humana.

21. Lex divina non satìs probatur,

Addo, *vel humana*; quia ut habet secunda pars Conclusionis, jus divinum non satìs probatur; quamvis communiùs asseratur. Enimverò Græci Sacerdotes ab antiquo non confitentur ante celebrationem Missæ magìs, quàm ante administrationem cæterorum Sacramentorum. Nec unquam de hoc notati aut reprehensi. Immo cùm Eugenius IV. in Concilio Florentino inter cæteras quæstiones hanc proposuisset: *Cur neque Pontifices, neque Presbyteri celebraturi peccata sua confiteri soleant?* eam Præsul Mytilenensis dissolvisse facilè visus est, ut refertur in fine dicti Concilii.

Florent. ut ostenditur ex consuetudine Græcorum.

Et fortè propter consuetudinem illam Græcorum, Tridentinum in suo decreto specialem mentionem fecit Sacerdotum dicens: *Quod à Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incumbit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò servandum esse decrevit.* Decrevit, inquam; ergo non tantùm declarat in illo capite obligationem divinam, ut communiter volunt DD. sed novam decernit, etiam pro iis qui fortè ex consuetudine præscripta nullam habebant.

Trident.

Contrà: *Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse* &c. Respondeo primò, multas ecclesiasticas consuetudines declarare jus ecclesiasticum, & non divinum. Respondeo II. can. 11. expresè dicit Concilium: *Statuit, atque declarat.* 22. Objectio solvitur duplicitèr.

Contrà: *Quare communicare volenti* (inquit cap. 7.) *revocandum est in memoriam eius præceptum: Probet seipsum homo* &c. Respondeo ly *eius*, refert Apostolum, non Christum, ut patet ex contextu: nam pro ximè antecedit: *Præsertim cùm illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus: Qui manducat, & bibit indignè* &c. Alia objectio soluta.

Instabis: illud præceptum tantùm promulgat Apostolus, velut acceptum à Domino. *Ego* (inquit 1. Cor. 11. v. 23.) *accepi à Domino, quod & tradidi vobis* &c. *Probet autem seipsum homo* &c. Nam cùm ibi solis Corinthiis scribat, ligaret alioquin illos solos; cùm tamen ibi agnoscat Ecclesia præceptum universale. 23. Instantia Apost. 1. Cor. 11.

Confirmatur: Deutero. 4. v 2. *Custodite* (inquit Moyses ad filios Israël) *mandata Domini Dei vestri, quæ ego præcipio vobis*, scilicet ministerialiter, tamquam divinæ legis promulgator, Confirmatur ex illo Scriptura Deut. 4.

Unde dicit Christus Matth. 8. v. 4. *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis*, cùm tamen oblatio illa esset juris divini, ut patet ex Levit. 14. in principio: *Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: Hic est ritus leprosi, quando mundandus est. Adducetur ad Sacerdotem: qui egressus de castris, cùm invenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se* &c. Matth. 8. Levit. 14.

Accedat similis locutio ipsius Apostoli 1. Cor. 7. v. 10. *Iis autem qui Matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus.* Ubi utrumque conjungit, *Præcipio*, inquit, scilicet ministerialiter, &, *non ego*, scilicet principaliter. 1. Cor. 7.

Nihilominus responderi posset Negando Assumptum: siquidem Apostolus 1. Cor. 11. non dicit, se à Domino accepisse præceptum Confessionis, sed institutionem tantùm Sacramenti, quam anteà ipsis tradiderat, & rursus refert ad memoriam refricandam, & dignam Dominicæ Cœnæ manducationem inculcandam. 24. Explicatur mens Apostoli.

Quocirca relationi illicò subjungit v. 27. *Itaque quicumque manducaverit panem hunc vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* Ut autem quantò dignius est hoc Sacramentum, tantò digniùs ad illud accederent, continuò attexit præceptum Apostolicum dicens: *Probet autem seipsum homo* &c. id est, examinet se, an habeat aliquod mortale peccatum per Confessionem non expiatum.

Interim præceptum illud est universale, quatenus à præcipua parte Ecclesiæ consuetudine acceptatum, quamquam non ita universale, ut universaliter obli- An præceptum Confessionis sit universale.

obliget omnes omnino quoniam non Græcos Sacerdotes.

Neque novum est, leges aliquas speciales, & per se non omnes obligantes, fuisse latas ab Apostolis; ut manifestum est in præcepto non manducandi idolothyta, lato in Actis Apostolorum cap. 21. v. 25. *De his autem qui crediderunt ex gentibus, nos scripsimus, iudicantes, ut abstineant se ab idolis, immolato, & sanguine & suffocato, & fornicatione*; quod tamen non concernebat nisi certas Provincias. Unde id alibi licere supponit Apostolus 1. Cor. 8.

Act. 21.

25. Responsio ad confirmationem.

Ex his colligitur responsio ad confirmationem: Scripturæ enim ibi adductæ tantùm probant aliquando appellari legem aut præceptum hominis illud, quod per hominem intimatur, licèt reverà sit præceptum, aut lex ipsius Dei, non autem generaliter; nam certum est Apostolos non tantùm promulgatores fuisse legis divinæ, sed etiam quarumdam legum proprii institutores. Quidni ergo etiam hujus legis, cùm non satìs constet de immediata institutione Christi?

Objectio.

Dices: Ecclesia numquam legitur dispensasse in hac lege in casibus, in quibus per se alioquin obligabat; ergo semper intellexit, quòd à Christo immediatè fuerit lata, & non ab Apostolis.

Responsio.

Respondeo Negando Consequentiam. Quid miraris? Etenim non dispensatur, nisi petatur. Quis autem unquam audivit aliquem petiisse dispensationem in hoc præcepto & non obtinuisse? Dispensatio datur à Papa? ecquis ideo curret Romam? Aut si in necessitate ab Episcopo, casus sunt secreti, nec libenter quis prodit suam conscientiam peccati mortalis non confessi; sunt etiam ordinariè subitanei casus, propter quos non possit adiri Episcopus, & regulariter tales, in quibus lex per se cessat. Itaque non venit moraliter occasio petendæ dispensationis.

Quare Ecclesia nunquam dispenserit in hoc præcepto.

Adde, non solere peti, vel dari; quia facilè plerique credunt, id non esse penes se. Aliàs ex praxi Græca, & præmissis satìs liquet Ecclesiam, non tantùm posse dispensare, sed etiam præceptum tollere.

1. Cor. 8.

26. Pœna excommunicationis non probat jus divinum.

Nec obstat pœna excommunicationis generaliter lata in omnes, qui præsumpserint docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere, Confessionem non esse necessariò præmittendam. Nam in eodem Concilio Tridentino sess. 25. de Regul. cap. 5. excommunicantur ipso facto omnes, qui sine licentia Episcopi, vel Superioris in scriptis obtentâ ingrediuntur monasteria Monialium. *Ingredi*, inquit, *inter septa monasterii nemini liceat, cuiuscumque generis, aut conditionis, sexûs, vel ætatis fuerit, sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtentâ, sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda.* Quis autem nesciat illum ingressum solùm esse prohibitum per jus humanum, & illam legem pœnalem non obligare ubique, sed solùm in locis in quibus Tridentinum est receptum?

Trident.

Contrà; nullus dubitat quin Ecclesia aliquando statuat pœnam excommunicationis pro iis, qui infringunt legem Ecclesiasticam; sed ubi excommunicat illos, qui audent docere talem, vel talem legem Ecclesiasticam non obligare, sicut hìc facit Tridentinum, si verum est, quòd præceptum Confessionis solùm sit Ecclesiasticum, & non divinum?

Objectio.

Respondeo; quod non fecit, potuisse facere. Imò feciss aliquando, ostendo evidenter ex declaratione Nicolai III. *Exiit qui seminat seminare semen suum*, in qua art. 15. n. 3. sic lego: *Et ne Sedem prædictam contra detractores huiusmodi oporteat ulteriùs laborare: universis & singulis cuiuscumque præeminentiæ, conditionis aut statûs, districtè præcipimus, ne contra prædictam Regulam* (Fratrum Minorum) *& statum Fratrum prædictorum seu contra præmissa per nos statuta, ordinata, concessa, dispositа, decreta, declarata, suppleta, approbata, & etiam confirmata dogmatizent, scribant, determinent, seu pravè loquantur publicè vel occultè* &c. Ecce prohibitio.

Solvitur.

Nicolaus Tertius generaliter excommunicavit omnes deptavantes intellectum suæ Constitutionis *Exiit qui seminat.*

Sequitur pœna n. 4. *Glossantes verò in scriptis constitutionem ipsam, aliter quàm eo modo quo diximus; Doctores insuper & Lectores, dum docent in publico ex certa scientia, & deliberatè intellectum constitutionis depravantes* &c. *Excommunicationis sententiæ, quam ex nunc in ipsos proferimus, se noverint subiacere: à qua per neminem, nisi per Romanum Pontificem, possint absolvi.* Ita Pontifex. Num ideo rectè dixeris, illam declarationem, aut prohibitionem esse juris divini? Minimè.

Si autem à me quæritur: cur ergo pœna tam generalis, cùm fieri possit, ut hæc prohibitio alicubi non sit recepta, adeoque non obligans? Respondeo, quia Nicolaus voluit suam prohibitionem esse generalem. Consimiliter ergo in præsenti, ideo Concilium Tridentinum generaliter sub pœna excommunicationis prohibet contrarium doceri, quia omnimodè optavit legem suam esse universalem, & ut talem illam constituit.

27.

Accedit, præceptum Confessionis non esse novum à tempore Tridentini, sed incepisse à temporibus Apostolorum, saltem in præcipua parte Ecclesiæ, ut superiùs indicavi, cumque Ecclesia Græca jam esset schismatica, jure merito suppositi Concilium, illam legem esse receptam ab universis verè fidelibus, & ideo excommunicavit omnes contrarium docentes, etiam in illis locis ubi Concilium non foret receptum.

Præceptum Confessionis incepit à temporibus Apostolorum,

Sed contrà ex D. Aug. lib. 4. de Baptismo contra Donatistas cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolicâ traditum rectissimè creditur.* Traditum, inquam, tamquam à Christo datum, & per Apostolos ad nos derivatum. Responsio patet ex dictis, nunc enim ostendimus universam Ecclesiam non semper id tenuisse.

Objectio ex S. Aug.

Solvitur.

28. Pro sententia, quæ docet præceptum Ecclesiasticum; citatur Scotus à Vasquez;

Hactenus pro sententia, quam nonnulli probabiliter docent; præceptum scilicet Confessionis tantùm esse Ecclesiasticum: pro qua Vasquez disp. 207. nu. 39. in fine citat etiam Doctorem nostrum 4. d. 9. q. unicâ. Ubi (inquit Vasquez) in extremis verbis asserere videtur hoc præceptum esse Apostoli 1. ad Cor. 11. ac proinde Ecclesiasticum. Verba Scoti sunt ista: *Sic etiam speciali lege tenetur Sacerdos antequam exerceat istum actum ad Pœnitentiam exteriorem* (id est, Confessionem). *Et si dicas, quâ lege? Dico quòd illâ lege Apostoli, quæ ponitur 1. Cor. 11. Probet seipsũ homo* &c.

sed commodè potest explicari de præcepto divino,

Ergo lege Ecclesiasticâ: quomodo id sequitur? Jam enim antè ex Scriptura probavimus, sæpè appellari legem aut præceptum hominis illud, quod per hominem intimatur, licèt reverà sit præceptum aut lex ipsius Dei. Quare ipse Vasquez in eadem disp. n. 42. in fine: Concilium, inquit, non ideo vocat præceptum Apostoli, quod ab eo tamquam à Legislatore editum fuerit; sed quod tamquam à Domino acceptum, ab eo fuerit nobis explicatum.

Qui sic poterat interpretari Tridentinum, non poterat similiter interpretari Scotum? Sed videntur aliqui ad hoc allaborasse & allaborare, ut possint Doctorem Subtilem allegare pro sententiis, quas putant minùs probabiles, ne dicam absurdas.

29. Atque ut Scoti esset hæc opinio, parùm referret; nam contraria non convincitur, & alii plures graves Auctores illam docent, neque aliquis antiquorum, aut recentiorum Doctorum respondet ad consuetudinem Græcorum, quæ mihi est maximum argumentum, hanc legem non esse Divinam, sed tantùm Apostolicam.

Nec aliquem moveat quòd Apostolus loco citato non ut rem novam, sed ut antiquam illud præceptum tradat; nam etiam ipsam institutionem Sacramenti tradit ut antiquam rem. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.* Non ait: *Quod & trado vobis*, sed, *quod tradidi*: ergo jam antè instructi fuerant Corinthii circa institutionem Eucharistiæ & dispositionis requisitæ, sive ex jure divino, sive ex jure Apostolico superaddito, ad dignam ipsius manducationem.

Quia autem intellexerat Apostolus, multos ex ipsis indignè manducare, parùm curantes præceptum Apostolicum Confessionis, ideo refricat memoriam, iterum referens institutionem venerabilis Sacramenti, & probationem necessariam, ut quis dignè illud accipiat.

30. quod agnoscit communior sententia, & probatur ex Leone Papa,

Cæterùm communior sententia agnoscit præceptum divinum, quod videtur insinuare Leo Papa Epistolâ 91. c. 2. ibi: *Mediator enim Dei & hominum, homo Christus Iesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus satisfactionem pœnitentiæ darent, & eâdem salubri satisfactione purgatos ad Communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent*; id est, per Sacramentum Pœnitentiæ: ergo illud Sacramentum est necessarium, idque ex jure divino.

Alioquin quomodo bene dicit Christum dedisse Sacerdotibus potestatem admittendi per absolutionem sacramentalem, si absque illa posset homo peccator ad Eucharistiam accedere? Non enim admittitur per specialem potestatem, qui sine illa potest intrare.

qui tamen posset commodè aliis explicari.

Equidem responderi posset, specialem potestatem esse necessariam, non ut simpliciter aliquis admittatur ad dignam Communionem, constat siquidem in multis casibus, de quibus infrà, contritionem sufficere; sed ut admittatur per Sacramentum Pœnitentiæ, sive hoc Sacramentum sit necessarium ex jure divino, v. g. si accedens nolit, vel fortè non possit contritionem elicere, sive tantùm ex jure Ecclesiastico. Igitur semper requiritur potestas à Christo data Apostolis Joan. 20. v. 22. & 23. his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ioan. 20.

31. Proxime etiam et Cyprianus,

Pro communi sententia afferunt etiam Cyprianum Epistolâ 10. ubi sic dicit: *Nondum pœnitentiâ actâ, nondum exomologesi factâ, nondum manu eis ab Episcopo & Clero impositâ, Eucharistia illis datur: cùm scriptum sit: Qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Sed tunc illi rei non sunt, qui minus Scripturæ legem noverunt: erunt autem rei, qui præsunt, & hæc fratribus non suggerunt, ut instructi à Præpositis faciant omnia cum Dei timore, & cum data ab eo & præscriptâ observatione.*

Eodem modo loquitur Epistolâ 11. ibi: *Illi contra Euangelii legem, contra vestram quoque bonorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologesim gravissimi, atque extremi delicti factam, ante manum ab Episcopo & Clero in pœnitentiam impositam, offerre lapsis pacem & Eucharistiam dare, id est, sanctum Domini Corpus profanare audeant, cùm scriptum sit, qui ederit panem* &c. Similia habet Epistolâ 12.

qui & ita facit et ponit et ibi.

Verumenimvero si per Scripturæ legem & Evangelii legem, & observationem à Deo præscriptam, intellexero præceptum prohibens indignam Communionem, tota difficultas citiùs evanescit. Quis namque ambigit, indignè eum communicare, qui accedit non præmissâ Confessione, etsi tantùm præcepta jure Ecclesiastico? Ergo contra legem Scripturæ, & legem Evangelii datur Eucharistia ante exomologesim factam gravissimi, atque extremi delicti, scilicet abnegationis Fidei: quisquis enim talis est, indignus est, saltem ex lege humana; verat autem lex divina quemcumque indignum admittere.

Et si dixero; Ecclesiæ non posse constare de sufficienti dispositione interna hujusmodi publici peccatoris, nisi prævia absolutione sacramentali, quis me arguet de errore? Quidni ergo peccent contra legem divinam, qui talibus peccatoribus dant Eucharistiam?

32. Dic

Displicet hæc interpretatio? Maximè, inquis, & meritò; quoniam sic ex illis locis nullum omnino colligitur præceptum Confessionis, contra communem sensum Doctorum.

Dic

Præceptum Confessionis eo sensu à Cypriano dictum, quo decimæ ab Innoc. vocantur jus divinum.

Dic ergo præceptum Confessionis eo sensu vocari à Cypriano observationem à Deo præscriptam, eo, inquam, sensu, quo Innoc. III. Extra de Decimis cap 26. vocat Decimas, jus divinum dicens: *Si Decimæ, quas Deus in signum universalis Dominii sibi reddi præcipit* &c. quia videlicet præceptum Decimarum radicaliter seu potestativè manat ex jure Euangelico, & potestate specialiter à Christo data; & ab Ecclesia Decimæ specialiter ordinantur ad cultum divinum.

Et verò præceptum Confessionis quis dubitat ex simili potestate manare, & ad specialem cultum & reverentiam Christi Dei & hominis ordinari? Itaque nec auctoritas Cypriani urget; adeoque non video efficaciorem probationem communis sententiæ, quàm communem sensum Doctorum.

33. Communicare non præmissâ Confessione est tantum unicum peccatum.

Qualiscumque tandem fuerit obligatio, sive divina, sive humana, hoc certum habeo, unicum tantùm esse peccatum non præmissâ Confessione communicare, ut dixi in fine præcedentis Conclusionis. Rationem à priori assignat Dicastillo disp. 9. n. 63. quia præceptum solùm est negativum non communicandi sine Confessione, non verò affirmativum, præmittendi Confessionem.

Probatio Dicastillo-nis rejicitur.

Sed quid indè? Numquid etiam præceptum jejunii solùm est negativum non communicandi post sumptum cibum? Et tamen secundùm eundem Auctorem n. 12. est duplex peccatum sic communicare.

Prosequitur Dicastillo suprà n. 63. Unde si in aliquo casu, tempore, aut in aliqua Religione sit etiam præceptum affirmativum confitendi, duplici peccato peccabitur, altero contra præceptum affirmativum confitendi; altero contra præceptum negativum non communicandi sine præmissa Confessione mortalis.

Sed & hoc falsum est, nisi præceptum affirmativum distinctum habuerit motivum.

34. Assignatur vera ratio à priori.

Ratio ergo à priori melior est; quia Lex illa specialis præmittendi Confessionem peccati mortalis, sive negativam dixeris, sive positivam, habet idem prorsus motivum cum lege divina non communicandi in statu peccati mortalis.

Interim differunt inter se, quòd in rarissimo casu possit quis suscipere Eucharistiam in statu peccati mortalis; quia rarissimum est, quòd homo non possit se disponere ad gratiam sanctificantem per actum contritionis, aut amoris Dei super omnia. At verò sæpiùs occurrit necessitas communicandi, quando tamen deest copia Confessoris.

Quod probè intelligens Concilium Tridentinum, ad evitanda multa inconvenientia, & sacrilegas Communiones, limitat præceptum Confessionis dicens sess. 13. cap. 7. *Modò non desit illis copia Confessoris.* Et canone ultimo: *Habitâ copiâ Confessoris.* Hinc omnes docent, in nimis multis casibus licere ad Eucharistiam accedere non præmissâ sacramentali Confessione. Solùm controvertitur, quinam sint illi casus. Pro regula generali statuo:

CONCLUSIO IV.

A præcepto Confessionis excusat grave incommodum proprium, vel alienum.

35. Præceptum præmittendi Confessionem non obligat cum gravi incommodo;

HÆc regula passim admittitur à Doctoribus, nec sine ratione; cùm enim finis Legis, scilicet status gratiæ, possit obtineri per solam contritionem, non est verosimile vel Christum, vel Ecclesiam voluisse obligare ad Sacramentum Pœnitentiæ cum gravi incommodo proprio, vel alieno; ne hoc præceptum in destructionem potiùs sit, quàm in ædificationem.

Quæris autem quæ sint ista incommoda in particulari, quæ excusant? Hoc opus, hic labor est; pendet siquidem ex particularibus circumstantiis: & ideo quod uni placet, alteri displicet. In articulo mortis omnes conveniunt, ut, si fortè casus contingeret agonizantem habere copiam Sacramenti Eucharistiæ, & non Pœnitentiæ, cum sola contritione possit illud suscipere; estò Viaticum foret juris tantùm humani, præceptum autem Confessionis juris divini.

Fatta in articulo mortis, quando deest copia Confessoris.

Probatur; quia non est generaliter verum, vel præceptum divinum præponderare humano, vel è contra humanum divino; sed sæpè Deus ita accommodat suam voluntatem voluntati hominum, ut nolit suum præceptum obligare, ubi adimpletio est impossibilis absque violatione præcepti humani. Et è converso sæpissimè cessat obligatio legis humanæ, propter incompossibilitatem legis divinæ.

Exempla sunt obvia, ut in his non oporteat immorari. Quid namque illustriùs, quàm præceptum audiendi Missam in die Festo non obligare, quando auditio est incompossibilis cum observantia legis charitatis? Similiter non obligare præceptum divinum Baptismi pro illo tempore, quo ab Ecclesia justè alicui prohibetur ejus susceptio?

Ratio à priori benigna voluntas legislatoris.

Quæris rationem à priori? Jam suprà assignata est, scilicet voluntas Legislatoris, qui non censetur velle obligare, quando lex ejus non potest commodè observari, cùm alioquin materia legis non sit planè necessaria ad honestatem rationalis creaturæ. Porrò in discernendis illis incommodis, opus est magnâ prudentiâ. Et quia tot sensus, quot capita, hinc facilè contingit, ut licèt in aliquibus casibus Auctores communiter conveniant, in aliis tamen in utramque partem probabiliter sint divisi.

36. An Sacerdos non præmissâ Confessione possit celebrare ad dandum Viaticum ?

Quamvis ergo, ut statim dixi, consentiant omnes in articulo mortis, ut infirmus possit communicare, ad satisfaciendum præcepto divino vel humano, & ad percipiendum fructum Sacramenti valde utilem, & aliquando etiam necessarium ad salutem : attamen dubitant aliqui, an Sacerdos non præmissâ Confessione possit celebrare ad Viaticum infirmo administrandum. Ratio dubitandi sumitur ex præcepto non communicandi post sumptum cibum, aut potum, à quo licèt excusetur ipse infirmus, ut non jejunus possit accipere Viaticum, neutiquam tamen Sacerdos, ut non jejunus possit celebrare, ad dandum Viaticum, ut communiter docent : quantò ergo minùs celebrare non præmissâ Confessione, cùm jejunium tantùm sit juris Ecclesiastici, Confessio autem probabiliter juris divini ?

Sententia affirmans est tuta,

Nihilominus sententia affirmans id esse licitum, est communior, & in praxi tuta. Ad rationem dubitandi in primis responderi posset, etiam jejunium tali casu non obligare Sacerdotem, ut infrà dicam.

estò ad eundem finem non possit celebrare sine vestibus sacris.

Secundò ; si illud argumentum concluderet, sequeretur Sacerdotem posse celebrare sine vestibus sacris ad communicandum seipsum in articulo mortis (quod nemo dixerit) sicut potest ad istum finem celebrare non præmissâ Confessione : etenim celebrare cum vestibus sacris certò certiùs tantùm est juris Ecclesiastici; ergo non valet hoc argumentum : Hæc necessitas excusat ab impletione præcepti divini ; ergo etiam ab impletione cujuscumque præcepti humani, sive utrumque respiciat eandem personam, sive diversam, ut planum est in exemplo assignato.

37. *Trident.*

Quantùm ad casum præsentem, ex Tridentino & communi sensu Fidelium constat hoc præceptum non obligare in urgente necessitate. *Quòd si* (inquit Concilium cap. 7.) *necessitate urgente, Sacerdos absque præviâ Confessione celebraverit* &c. Ergo supponit in illa necessitate id esse licitum. Jam autem necessitas proximi aliquo modo propria est.

Assignatur ratio disparitatis.

At verò præceptum Ecclesiasticum celebrandi cum vestibus sacris obligat cum majori universalitate, ut patet ex eodem communi sensu Fidelium, & generali praxi Ecclesiæ, quæ non nisi in specialissimo casu concedit celebrationem sine vestibus sacris. Similiter docent multi præceptum jejunii sic strictim & universaliter obligare, ut nisi Ecclesia id specialiter indulsisset, nequaquam posset necessitas Viatici dandi, vel accipiendi excusare.

Ratio disparitatis est; quia hæc præcepta lata sunt ob reverentiam tanti Sacramenti, adeoque planè conveniens erat, ut ritus & cultus, quo celebratur, & sumitur, uniformis esset, & solemnis; nec posset ob privatas necessitates aut utilitates alterari ; præsertim cùm aliâ viâ haberi non possit, sicut potest haberi status gratiæ (qui est finis præcepti Confessionis) absque Confessione, nempe per contritionem, vel amorem Dei super omnia.

Sed contrà ; Excommunicatus potest celebrare sine absolutione ad communicandum se vel alium infirmum. Respondeo, illud præceptum non tam esse latum ob reverentiam Sacramenti, quàm in pœnam excommunicati. Voluntas autem puniendi mitiùs interpretanda est. Reg. 49. de Reg. juris in 6. *In pœnis benignior est interpretatio facienda.* Atque hæc de articulo mortis.

38. An infamia excuset ab hac parte ?

Aliud grave incommodum, quod communiter pro tali agnoscitur, est infamia, quam aliquis incurreret, nisi hìc & nunc communicaret, non præmissâ Confessione. Quæ infamia potiùs intelligitur nomine scandali, quando dicitur id licere ratione scandali, quàm scandalum propriè dictum, sive activum, id est, dictum, vel factum minùs rectum præbens occasionem proximo peccati ; sive passivum, quod est ipsum peccatum proximi : nam rarissimum est, quòd aliquis peccet præcisè ex eo, quòd tu abstineas à Communione, recedendo videlicet à mensa Communionis, ad quam cum aliis accesseras ; siquidem verè habes peccatum mortale, ut supponitur, & ita hoc judicando nemo peccat judicio temerario, neque etiam detrahit aliis narrando, quoniam res fuit publica.

Si dixeris, quòd omissio ista Communionis non præbeat sufficiens fundamentum hoc judicandi ; Infero : ergo similis tunc datur occasio, sicut dum quis communicaturus, quærit priùs Confessarium ; quid si enim videntes temerariè judicent, te habere peccata mortalia ? Et tamen propter illud judicium non est relinquenda Confessio, quia est scandalum acceptum, minimè datum.

39. An bonum quod dicitur ?

Melius ergo intelligitur, ut dixi, nota seu infamia, quamvis reverà scandalum propriè dictum sufficeret, si oriretur ; v. g. si proximus, qui videt me non communicantem in Paschate, etiá ipse sine justa causa non communicet, parùm curans præceptum Ecclesiæ, quia putat me non curare. Equidem tale scandalum non videtur requiri; sed satis est, si subsit periculum suspicionis peccati mortalis in aliis, etsi in illa suspicione ipsi non peccent : maximè cùm is, qui jam antè confessus, iterum redit, seu discedit à loco Communionis, præbeat occasionem suspicandi de se, quòd non unum tantùm, sed plura mortalia habuerit ; quomodo enim tam facilè excidisset unum mortale ?

Nec obstat, quòd idem periculum possis incurrere, vel ex Confessione, quæ Communioni præmittitur modo ordinario, vel quæ diutiùs solito protrahitur, quod tamen periculum non excusat, vel simpliciter à Confessione, vel ab integritate Confessionis : non obstat, inquam ; nam præterquam quòd illæ suspiciones sint infundatæ, cùm etiam illi, qui nullum habent peccatum mortale, soleant Communioni sem-

semper, vel sæpiùs Confessionem præmittere, & diutiùs aliquando confiteri, quàm illi, qui habent multa mortalia; liquet profectò, quòd sit onus Confessioni intrinsecum, quod nullatenus, ut proprio loco dicetur, excusat, vel à Confessione simpliciter, vel ab ejus integritate.

Sola admiratio populi non excusat.

Dixi signanter: *Nota vel infamia*, quia sola admiratio populi secundùm Doctores communiter non excusat.

40. Neque sola inchoatio Missæ.

An autem sufficiat inchoatio Missæ, etiamsi commodè & sine aliqua nota aut infamia Sacerdos possit confiteri, non consentiunt omnes Auctores. Sententia negativa videtur nobis probabilior; prout etiam videtur Dianæ p. 3. tractat. 4 resol. 48. ubi citat plures Doctores pro se; quamvis etiam non desint, quos ibidem refert, qui doceant contrarium; quos sequitur Dicastillo disp. 9. n. 79. dicens: Quæ sententia propter tantorum virorum auctoritatem mihi placet, quamvis rationes oppositæ; si ratione tantùm agimus, probabiliores videantur; atque, ut rectè cum Sylvestro & aliis notat Diana, in Missa cum Diaconis, inter canendum in Choro, vel si sit concio, ut fit post Euangelium, & adsit ibi Sacerdos, qui fortè tunc Diaconi personam gerit, & alioquin potest absolvere, non video sufficientem rationem, ut non confiteatur. Sed propter auctoritatem aliorum Doctorum probabile videtur, posse pergere absque Confessione, eliciendo contritionem. Hucusque Dicastillo.

Diana.

Dicastillo.

Sylvester.

41. Pro opposita sententia perperàm citatur Suarez à Dicastillone.

Citat autem inter alios Doctores Suarium disp. 66. sect. 4. continuò subjungens: Quem falsò pro contraria sententia etiam in hoc puncto retulit Diana ibidem; solùm enim dicit teneri, si non facilè posset confiteri.

Sed numquid Dicastilloni credendum? Constabit ex verbis Suarii, quæ subscribo. Si memoria peccati vel necessitas occurrat, jam inchoatâ Missâ, & facilè & sine incommodo possit ad altare vocari Confessor, faciendum est, & præmittenda confessio. Ita Bonav. in 4. dist. 13. in expositione litteræ circa principium. Sylvester verbo Eucharistia 2. q. 6. Et ratio est, quia illa prior pars Missæ (scilicet ante consecrationem) est extrinseca Sacrificio, & ideo sine indecentia interrumpi potest ex causa rationabili, sicut fieri solet per concionem aut populi orationem. Si autem non potest ad altare vocari Confessor, non tenetur Sacerdos indè discedere, & Missam inchoatam relinquere. Ita sentit Bonaventura suprà. Hæc Suarez loco citato §. *Difficultas verò est.*

S. Bonav.

Sylvester.

Et §. præcedenti sic ait: Si hæc memoria (scilicet peccati mortalis) vel necessitas (absolvendi Sacrificium inchoatum) post consecrationem superveniat, sine controversia & limitatione dicendum est, progrediendum esse ad Communionem sine Confessione cum sola interiori pœnitentia, propter integritatem & perfectionem Sacrificii, quæ res gravissima est, & maximè necessaria.

Si memoria peccati occurrat post consecrationem putat Suarez non esse confitendum, etiam secluso scandalo.

Quin imò licèt facilè, & sine ullo scandalo possit Sacerdotem ad altare vocare, & confiteri, nec tenetur nec debet id facere, quia non decet Sacrificium jam substantialiter inchoatum interrumpere, nisi fortè tanta esset necessitas, ut non speraret se posse ad contritionem sine Confessione pervenire; tunc enim ex duobus incommodis minus est eligendum. Hactenus Suarius.

Regius.

Idem docet Regius qu. 80. nu. 16. & alii, quos refert Diana suprà, ubi propositâ quæstione, An Sacerdos, si post introitum recordetur alicujus peccati mortalis, teneatur confiteri, si sine scandalo potest? Affirmativè, inquit, respondet Sylvester, Navarrus, Suarez, Coninck, & alii sentientes, quòd si Sacerdos post consecrationem recordetur peccati mortalis, debet elicere contritionem, & Missam prosequi; sin autem ante consecrationem, seclusâ infamiâ, confiteatur. Quid videtur tibi Lector, num Diana falsò retulit Suarium in hoc puncto?

Henriquez.

Atque hæc doctrina indubiè probabilis est tum ex auctoritate, tum ex ratione jam assignata: imò probabilior; si tamen probabile sit, solam inchoationem Missæ sufficere, quod docet Henriquez lib. 8. cap. 46. n. 3. nullâ assignatâ ratione.

42. Oppositum docet Bonacina.

Quin imò putat Bonacina disp. 4. q. 6. p. 1. n. 15. & non sine fundamento, esse obligationem confitendi, etiam post consecrationem, si possit fieri sine scandalo, cùm tunc nulla sit necessitas prætermittendæ Confessionis, nec interrumpatur Missæ Sacrificium, cùm aliquid fiat, quod dirigitur & ordinatur ad ipsum Missæ Sacrificium dignè conficiendum. Cæterùm quia regulariter non potest Missa, saltem post consecrationem, sine nota vel gravi infamia interrumpi; ideo fortè generaliter aliqui docuerunt, tali casu non esse obligationem.

Hoc certum est, quod Suarez suprà bene notavit, post consecrationem semper progrediendum esse ad Communionem cum sola interiori pœnitentia propter integritatem Sacrificii, etsi sine aliqua nota vel infamia Sacerdos posset Missam dimittere. Secùs fortè alicui videretur ante inceptum Canonem, cùm in multis aliis casibus tunc Missa dimittatur, in nullo autem post consecrationem, quando Communio est possibilis.

43. Circa casum propositum ponuntur verba Scoti.

Pro fine hujus casûs appono verba Doctoris Subtilis 4. dist. 9. q. unicâ n. 3. *Si non occurrat* (inquit Scotus) *opportunitas confitendi, si potest sine scandalo vitare, ne tunc communicet; tenetur non communicare, sed expectare Confessionem . . . . . Si verò occurrit scandalum, nisi statim communicet, utpote si est indutus* (Sacerdos) *& postquam indutus est, occurrit sibi conscientia de peccato mortali, de quo non fuit confessus, & non habet in promptu idoneum Confessorem, tunc cum contritione, & voluntate con-*

fitendi tempore opportuno, potest celebrare, ut scandalum evitetur. Et similiter de alio communicaturo, qui non celebrat; utpote consuetudo est in aliqua Religione, vel Ecclesia, ut omnes non Sacerdotes communicent, in simili casu, scilicet si tunc cùm debet communicare, non habet idoneum Confessorem, potest tunc non confessus communicare.

Nec est dicendum, quòd peccet mortaliter, vel transgrediatur præceptum, ut evitet scandalum, quia nullum præceptum excludit istum ab isto actu in hoc casu, quia dilatio Confessionis in actu, quæ nunc habetur in affectu, non excludit, quin sit membrum etiam Ecclesiæ militantis, habile ad actus, in quibus membra communicant, & tenetur vitare scandalum proximi. Hactenus Doctor Subtilis de Sacerdote, qui recordatur peccati mortalis non confessi ante consecrationem, & similiter de alio communicaturo, qui non celebrat.

Sed quid de Sacerdote, qui recordatur peccati mortalis non confessi, vel peccat mortaliter in ipso Sacrificio post consecrationem? *Dico, quòd Sacerdos priusquam consecret, tenetur laborare, ut sit extra peccatum mortale. Si autem contingat, quòd post consecrationem, ante tamen Communionem occurrat sibi memoria peccati mortalis, olim commissi, de quo non præcessit pœnitentia interior vel exterior, tenetur tunc habere pœnitentiam interiorem, antequam percipiat, & differre pœnitentiam exteriorem*, id est, Confessionem, *donec occurrat opportunitas confitendi*, id est, donec habeat idoneum Confessarium. Ita Scotus suprà n. 5.

44. Quis in casu proposito sit idoneus Confessor,

Interrogas, quis sit idoneus Confessor? Respondeo, quicumque potest, & vult directè absolvere à peccatis mortalibus, quorum conscientiam habes; etsi privilegiatus tantùm, aut talis, cui cum minori devotione soleas confiteri.

Dices; quid si ergo habeam unum peccatum mortale non reservatum, & alterum reservatum à quo non potest Confessarius præsens absolvere, urget autem necessitas celebrandi vel communicandi: teneor confiteri? Et si teneor, possum confiteri solùm non reservatum? Pro responsione ponitur

CONCLUSIO V.

Habens peccatum reservatum, & aliud mortale non reservatum tenetur ante Communionem confiteri inferiori: equidem satisfacit confitendo non reservatum.

45. Lugo. Dicastillo.

ITa docet Cardinalis Lugo disp. 14. n. 87. & Dicastillo disp. 9. n. 111. Et quidem, suppositâ veritate posterioris partis, prima videtur satìs certa. Si enim necessitas Communionis est causa sufficiens dimidiandi Confessionem, quidni etiam sit causa necessaria? Etenim non solùm præcipitur Confessio omnium peccatorum copulativè, sed etiam singulorum divisim, ut patet in eo, qui ob justam causam (puta quia timet revelationem sigilli, aut aliud grave nocumentum Confessioni extrinsecum) tacet aliquod peccatum non reservatum, qui tamen adhuc tenetur ad alia confitenda ante Communionem.

Dixi in Conclusione, *Mortale non reservatum*, quia si præter reservatum non habet nisi venialia, nulla est obligatio illa confitendi, nisi fortè per accidens, quando non haberet contritionem; tunc enim deberet confiteri venialia, ut eo modo absolveretur indirectè à reservatis, & reciperet gratiam, ne indignè communicet, suscipiendo Sacramentum in statu peccati mortalis.

46. An necessitas Communionis sit causa sufficiens dimidiandi Confessionem?

Itaque cardo difficultatis in hac præcisè vertitur quæstione, an necessitas Communionis sit causa sufficiens dimidiandi Confessionem? Enimverò si debeo explicare peccatum reservatum, quamvis directè non possim ab illo absolvi, satìs probabile videtur, nullam esse obligationem confitendi; ne alioquin sit obligatio ad bis confitendum idem peccatum reservatum, semel inferiori, & postea superiori, ut ab ipso directè absolvar, quod est onus grave extrinsecum Confessioni.

Suarez sustinet tenentem probabilem.

Respondet Suarez disp. 66. sect. 4. §. *Quartus casus*, illud gravamen ferè nullius momenti esse, ut excusare sufficiat ab obligatione hujus præcepti divini. Et ideo existimat contrariam sententiam probabiliorem. Item, quia propter illam causam non excusaretur aliquis ab obligatione implendi præceptum annuæ Confessionis. Item, aliàs posset quis eo prætextu multis annis non confiteri, & sæpiùs communicare sine Confessione; consequens autem est satìs absurdum.

Respondetur eo argumento.

Contrà: hoc non est magìs absurdum, quàm quòd aliquis prætextu alterius gravis nocumenti, v. g. infamiæ, quam justè timet sibi à Confessario inferendam, multis annis non confiteatur, & sæpiùs communicet sine Confessione.

Si dixeris, facilè posse reperiri Confessarium, à quo non timetur illud malum. Respondeo, etiam satìs facilè posse reperiri Confessarium, qui habeat potestatem absolvendi à reservatis.

Cæterùm non esse leve onus bis confiteri idem peccatum ipsa clamat experientia, quando tot inveniuntur peccatores, qui sacrilegè confitentur, quia verecundantur semel exprimere aliquod peccatum.

47. Sensus affirmans est probabilis.

Quamobrem, ut veniamus ad punctum principale, iterum dico, vel non esse obligationem confitendi, vel pœnitentem satisfacere confitendo solùm peccatum non reservatum. Quòd autem satisfaciat (tametsi ab aliquibus impro-

Durandus Lugo. improbabile dicatur, & à Durando 4. dist. 17. q. 15. n. 11. ut refert Lugo suprà n. 86. acerbiori censurâ afficiatur) probabile esse, Lugone referente, fatentur non pauci, nec contemnendi Theologi. Gerson 2. parte de Casuum reservatione, & Alphab. 41. Alexander Alensis 4. p. qu. 78. membro 5. art. 2. ad ultimum. aliàs q. 18. membro 4. art. 5. §. 2. Et Major d. 17. qu. 5. dicunt esse probabilem. Petrus de Soto lect. 10. de Confessione, esse maximè probabilem. S. Antoninus tertiâ parte tit. 14. c. 19. §. 6. contrariam sententiam demonstrari non posse, sed tantùm esse probabilem; quo etiam modo loquitur Mart. de Ledesma 2. p. 4. q. 8. art. 2. dub. 4. dicens contrariam sententiam non esse certam. Nugnus in 3. part. quæst. 9. Additionum art. 2. in 2. p. art. dub. 3. refert pro hac sententia aliquos juniores, & contrariam solùm vocat probabiliorem; quod etiam indicat Suarez tom. 4. in Tertium. disp. 31. sect. 3. n. 8. dicens posse reddi probabilem rationem, cur omnia peccata dici debeant inferiori.

Gerson. Alensis. Major. Soto. S. Antonin. Mart. de Ledesma. Nugnus. Suarez. Diana.

Clariùs loquitur Diana parte 3. tract. 4. resolut. 104. in fine, ubi ita concludit: Ex quibus omnibus apparet, pœnitentem habentem casum reservatum, etiam cum excommunicatione, urgente necessitate ad celebrandum vel communicandum, posse, ubi magìs libuerit vel expedierit, aut confiteri peccata non reservata, seu simul reservata, & non reservata, vel elicere actum contritionis, & sine prævia Confessione celebrare, aut communicare.

Ferd. de Castro. Joannes de Salas. Bonacina.

Eandem sententiam docet absolutè Ferd. de Castro parte 1. Operis moralis tract. 4. disp. 4. puncto 3. §. 6. cujus titulus est. *Positivè aliquando absolvi Hæreticus à privato Sacerdote de peccatis non reservatis, tacità hæresi.* Et postea n. 2. respondet affirmativè. Eandem sententiam probabilem esse docuit P. Joannes de Salas in manuscriptis de Sacramento Pœnitentiæ, & indicat Bonacina disp. 5. de Sacramento Pœnitentiæ q. 7. p. 5. §. 3. n. 9. vocans contrariam sententiam solùm probabiliorem. Hucusque Eminentissimus. Quis ergo dubitet de probabilitate hujus sententiæ saltem ab extrinseco, id est, auctoritate Doctorum?

48. Ratio à priori, quia talis Confessio est formaliter integra.

Ratio autem à priori est; quia ex nullo capite potest ostendi obligatio confitendi illud peccatum, à quo Confessarius non potest absolvere; & cùm aliunde sit obligatio confitendi, ut communior sententia supponit, cur nequeat Confessionem dimidiare, cùm integritas materialis non ita requiratur ex jure divino, quin in multis aliis casibus sufficiat integritas formalis?

Profectò neque integrè materialiter confitetur, qui exprimit reservatum coram judice non competente. Siquidem Confessio sacramentalis non est quælibet narratio peccatorum; sed facta coram judice Vicario Dei, ad accipiendam directam eorum absolutionem. Ergo si licita est Confessio peccati non reservati cum reservato, tametsi non sit materialiter integra, etiam licita erit Confessio solius peccati non reservati; quoniam utraque est formaliter integra. Nam pœnitens defert omnia sua peccata mortalia ad legitimum judicem, quantùm potest; ideo enim peccatum reservatum non confitetur, quia non habet judicem legitimum, ad quem deferat.

49. Prima objectio,

Sed contrà primò; nisi talis pœnitens manifestet peccatum reservatum, Confessor non habebit sufficientem notitiam statûs ipsius.

cui satisfit

Respondeo, habere illam notitiam, quæ est necessaria, ut de peccatis confessis judicet; sicut quando ex alia justa ratione omittitur aliquod peccatum, de quo aliàs posset judicare. An fortè existimas, quòd possit Confessarius, & debeat injungere pœnitentiam sacramentalem pro peccatis, quæ non potest directè absolvere? Erras toto cælo. Ad quid ergo requiritur illorum notitia?

Trident.

Constat, inquit Tridentinum sess. 14. cap. 5. *Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatim sua ipsi peccata declarassent.* Quæ ergo obligatio confitendi peccata, de quibus Confessarius non habet judicare, & quæ non potest punire?

Dices; quia fieri potest ut pœnitens sit in proxima peccandi occasione, quam aliâ ratione non potest explicare, nisi confitendo peccatum reservatum. Respondeo, per accidens est, & ideo impertinens ad doctrinam generalem.

50. Secunda objectio.

Arguis iterum: ergo etiam absque necessitate communicandi potero sic dimidiare Confessionem, sicut potest ille, qui tacet aliquod peccatum, eò quòd timeat sibi à Confessario grave malum extrinsecum.

Solvitur.

Respondeo Negando Consequentiam. Ad simile dico, etiam requiri aliquam necessitatem, ut in illo casu possit dimidiari Confessio; v. g. quòd pœnitens diutiùs deberet differre Confessionem, & fortassis toto illo tempore manere in statu peccati mortalis, defectu perfectæ contritionis, cùm aliàs eliciendo attritionem, & confitendo constitueretur facilè in gratia: quod est aliquod genus necessitatis.

An qui habet reservata, indigeat majori causâ ut possit dimidiare Confessionem?

Ast numquid etiam sufficit tale genus necessitatis, ut licitè possim inferiori Sacerdoti confiteri solum peccatum non reservatum? Negat Lugo disp. 14 n. 93. Rationem disparitatis assignat n. 94. & 95. quia in primo casu solùm videtur obstare præceptum integrè confitendi, quod quidem intelligendum est cum moralitate & moderatione humanæ diligentiæ, ut constat in examine conscientiæ, & in ipsa explicatione peccatorum, ne alioquin Sacramentum illud nimìs onerosum & difficile redatur. Unde si aliquis v. g. sentit se ob capitis debili-

debilitatem non posse nunc satis attendere ad recogitanda omnia sua peccata, debet quidem expectare per aliquod breve tempus, ut resumptis viribus possit examinare suam conscientiam, non tamen debet ea de causa diu differre Confessionem; sed potest confiteri ea peccata, quæ sibi occurrunt, licèt sciat non posse à se fieri examen sufficiens ad revocanda in mentem omnia sua peccata. Ergo similiter non debet diu differre, ut possit habere alium Confessarium, cui omnia peccata sua nullo prorsus omisso, absque periculo gravioris damni extrinseci possit dicere, sed potest tunc confiteri; quia integritas Confessionis non obligat ad exquisitam diligentiam adhibendam, sed ad humanam tantùm & moralem.

Affirmat Lugo.

At verò in posteriori casu præter præceptum integritatis Confessionis, etiam obstat præceptum comparendi coram legitimo judice in foro sacramentali, quod arctiùs obligat; quia ex ejus violatione pervertitur ordo Ecclesiasticus, & debita subordinatio inferiorum ad Superiores, & præjudicatur juri Prælatorum, si possunt facilè subditi, omissis Superioribus, recurrere ad inferiores; quare ad hoc faciendum videtur requiri major necessitas.

51. Negat Dicastillo, quem sequitur Auctor,

Verùm hæc doctrina non placet Dicastilloni suprà n. 120. neque mihi, quoniam post illam dimidiatam Confessionem, factam in absentia Superioris inferiori, adhuc remanet obligatio confitendi Superiori datâ opportunitate peccata reservata. Ubi ergo est perversio ordinis Ecclesiastici & debitæ subordinationis?

Certè hic ordo nihil aliud postulat, quàm quòd peccata reservata deferantur ad judicium Superioris, quando commodè fieri potest. Alioquin rei impossibilis, qualis est Confessio reservatorum, quæ fieret Prælato absenti, nulla est obligatio. Si ergo aliquod præceptum obstat, profectò non aliud, quàm divinum integrè confitendi. Quamobrem assero cum Auctore præfato suprà n. 124. eandem necessitatem sufficere in utroque casu, scilicet nimiam dilationem Communionis.

nisi fortè peccatum reservatum haberet annexam excommunicationem.

Aliud fortè esset, si peccatum illud reservatum haberet annexam excommunicationem; tunc enim præter præceptum divinum, obstare videretur præceptum humanum, quo excommunicatis per se prohibetur receptio cujuslibet Sacramenti.

Addo ly *Fortè*; quia eo ipso quòd licita sit susceptio Eucharistiæ, fieri licitam Confessionem sacramentalem (si verum est, quod communiùs docetur, valere absolutionem à peccatis, ante absolutionem à censuris) satis probabiliter docet Lugo suprà n. 103. Cur enim Ecclesia magis prohiberet Confessionem, quàm Communionem, ad quam Confessio omnium mortalium (fortasis jure divino) prærequiritur? Unde consequenter censeo tunc non solùm licere; sed debere omnino, per se loquendo, præmitti Confessionem de peccatis mortalibus non reservatis.

Immo etiam tunc debet præmitti Confessio mortalium, per se loquendo.

Dico, *per se loquendo*, quia per accidens poterit excusari, qui voluerit se conformare sententiæ probabili, docenti non posse, aut non debere tunc præmitti Confessionem: quod habet locum in omnibus sententiis probabilibus, quæ hodie videntur invaluisse eousque, ut sæpiùs apud meipsum cogitaverim, parùm anxiandum esse circa resolutionem casuum fortuitò occurrentium, cùm vix ulli inveniantur, de quibus meritò homo prudens, & mediocriter doctus potest dubitare, quin ab utraque parte à Doctoribus disputentur, & probabiliter resolvantur. Quæris unde id proveniat? Ait quidam: *Inscitia mater est opinionis.*

52. & potest præmitti de solis venialibus Lugo.

Sed quid si non essent alia peccata mortalia non reservata, atque ideo ex hoc capite, ut suprà dictum est, cessaret obligatio confitendi? Adhuc videtur probabile (inquit Cardinalis suprà) quòd posset licitè confiteri de venialibus, vel de mortalibus, quæ anteà confessus fuisset, ut ita absolveretur indirectè à reservatis, & securiùs disponeretur ad Eucharistiam. Non potest enim præsumi, quòd urgente necessitate communicandi, velit Ecclesia obligare, ne confiteatur, & ut maneat cum onere & necessitate habendi contritionem perfectam, quæ non ita facilè haberi potest ab homine paulò antè propter sua crimina excommunicato.

Dicastillo, tametsi hæc sententia non sit improbanda.

Hanc sententiam sequitur Dicastillo sup. n. 129. Quam puto veram, tametsi pridem esset excommunicatus, & facilè, suo judicio, posset uti contritione perfectâ, & uteretur. Ratio mea est; quia adhuc minorem indecentiam continet talis Confessio, quàm talis Communio, cùm hoc Sacramentum longè majori reverentiâ sit tractandum, quàm illud. *Certè*, inquit Tridentinum sess. 13. cap. 7. *quò magis sanctitas, & divinitas cælestis hujus Sacramenti vivo Christiano comperta est, eò diligentiùs cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat.* Ratio, inquam, mea est excellens dignitas hujus Sacramenti, propter quam nullus sibi conscius peccati mortalis, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debet. Cur ergo non poterit illam præmittere, tametsi fortè non obligetur? Tridentinum

53. Excommunicatus non tenetur in articulo mortis petere absolutionem ab excommunicatione, ut possit communicare.

Cæterùm quòd excommunicatus extra articulum mortis possit communicare ad vitandum scandalum aut gravem infamiam, est communior sententia, quidquid aliqui sine sufficienti fundamento contradicant. Neque enim præceptum Ecclesiæ, quale illud est, obligat cum tanto dispendio. Et quidem si ob illam causam posset audire Sacrum, & interesse Divinis, quod tamen per excommunicationem non minùs prohibetur, quidni etiam communicare? Enimverò id non esse intrinsecè malum, constat ex casu, qui ab omnibus admittitur; v. g. Si

Si Sacerdos post consecrationem factam recordetur excommunicationis; indubitatum siquidem est prosequi posse, imò debere Sacrificium complere per consumptionem hostiæ oblatæ.

Si ergo à me quæritur, quanta debeat esse necessitas, ut excommunicatus, antequam à censura liberetur, possit communicare? Respondeo, illam sufficere, quæ sufficit ad communicandum absque Confessione, si non esset excommunicatus. Ratio patebit ex his, quæ mox subjicio.

Vasquez. *D. Thomas.* Vasquez disp. 208. n. 13. sic scribit: Scio S. Thomam q. 83. art. 6. ad Secundum asserere, cùm Sacerdos recordaretur saltem excommunicationis, & quòd aliquid comedisset, tutiùs fore Missam cœptam relinquere; id quod de casu, in quo recordaretur peccati, non dicit. Ego tamen nullam inter illa tria differentiam video: quin imò cùm præceptum jejunii sit humanum, præmittendi autem Confessionem sit divinum, major videbatur ratio, ut ob memoriam peccati, quàm ob memoriam violati jejunii Sacerdos à cœpto desisteret. Hęc Vasquez.

54. *Necessitas quæ excusat à præcepto Confessionis, etiam excusat à præcepto non communicandi ante absolutionem ab excommunicatione.* Ratio ergo responsionis est; quia præceptum præmittendi Confessionem, secundùm probabilem sententiam, est divinum, non communicandi autem ante absolutionem ab excommunicatione, humanum. Casus sit iste; v. g. Petrus mandat Joanni occidere Franciscum Sacerdotem procul absentem; ivit Joannes executurus mandatum; interim dum is pergit, Petrus pœnitentiâ ductus ante executionem mandati confitetur, & absolvitur à peccato. Ecce jam Petrus ab omni culpa mundatus, in puncto, quo Joannes ignorans pœnitentiam Petri exequitur mandatum, incurrit excommunicationem existens in gratia. In hoc, dico, casu, necessitas, quæ excusaret à præcepto Confessionis, eadem excusaret à præcepto non communicandi ante absolutionem ab excommunicatione.

Sed numquid talis necessitas, obligatio communicandi in Paschate, vel audiendi Sacrum in die Dominico, vel Festo? A multis dubitatur: mea quidem sententia est:

CONCLUSIO VI.

Conscius sibi peccati mortalis non potest communicare sine prævia Confessione ad implendum præceptum Communionis Paschalis: neque Sacerdos sic celebrare (nisi ratione officii obligetur) ut ipse, aut alius audiat Sacrum in die Dominico, aut Festo.

55. CONtrarium primæ partis docent multi apud Dianam 4. p. tract. 4. resol. 96. & p. 5. tract. 13. resol. 63. quos sequitur Cardinalis Lugo disp. 14. n. 116. Quia, inquit, præceptum illud Ecclesiæ de Communione, non est purè Ecclesiasticum, sed est præceptum divinum determinatum ab Ecclesia quoad tempus; quare sicut urgente præcepto divino Viatici sumendi, noluit Deus obligare ad Confessionem præmittendam, si non est copia Confessarii: sic urgente præcepto divino Communionis extra mortis articulum, idem credi potest.

Secundùm aliquos necessitas Communionis Paschalis excusat à Confessione. Diana, Lugo.

Respondeo, Communionem in articulo mortis non posse differri, ut patet. De Communione autem Paschali, in ipso capite: *Omnis utriusque sexus* de Pœnit. & remiss. ubi præcipitur, simul statuitur penes arbitrium proprii Sacerdotis, an pœnitens ad tempus ab illa abstineat. Vide dicta sect. præced. concl. 4. Quidni ergo debeat ad tempus abstinere, ubi occurrit aliquod præceptum, fortè etiam divinum, aliàs non servandum? Et verò quis potest dicere, eandem esse necessitatem Communionis in articulo mortis, & extra? Ergo credi potest Deum vel Ecclesiam voluisse obligare ad Confessionem extra articulum mortis, etsi noluerit obligare in articulo mortis.

Rejicitur eorum fundamentum.

Ex quo patet ratio Conclusionis, quam tenent multi apud Dianam suprà, & probabilem dicit Dicastillo disp. 9. n. 97. Redditurque verisimilior, si verum est, præceptum Communionis Paschalis esse merè Ecclesiasticum, ut suprà docuimus sect. 8. concl. 7. præceptum autem Confessionis, ut communiùs dicitur, divinum.

Opposita sententia est probabilis. Dicastillo.

56. *Objectio.* Sed dicet aliquis, ut impleam præceptum annuæ Confessionis, possum facere Confessionem materialiter non integram: ergo similiter ut impleam præceptum Communionis Paschalis, possum communicare non præmissâ Confessione.

Solvitur primò. Respondeo primò Negando Antecedens, si brevi post possis habere Confessarium, cui integrè confiteatis.

Solvitur secundo. Respondeo secundò Negando Consequentiam. Disparitas est; quòd præceptum Confessionis annuæ, utpote, secundùm communem sententiam, determinatio præcepti divini, multò arctiùs obliget, quàm præceptum Communionis Paschalis, cujus adimpletio, ut jam jam diximus, ex consilio proprii Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus potest differri: nihil autem tale dicitur in illo capite: *Omnis utriusque sexus* de Confessione. Accedit, quòd præceptum Confessionis integræ multò plures patiatur exceptiones, quàm præceptum præmittendi Confessionem Communioni.

57. *Communio debita ex voto non excusat.* Rogas quid dicendum sit de Communione debita ex voto? Responsio plana est ex jam dictis, nempe non licere ob eam solam causam absque Confessione communicare, si aliunde cesset periculum notæ aut infamiæ, quod etiam in priori casu subintelligendum est. Ita nobiscum docet Lugo suprà nu. 117. Alioquin, inquit, semper possent omnes communicare absque Confessio-

fessione: possent enim vovere Communionem hodiernam, & crastinam, & quotidianam.

Et idem inconveniens putat sequi, si præceptum merè humanum excusaret. Posset enim Superior præcipere ejusmodi Communionem, & hoc modo reddere necessariam Communionem absque Confessione. Fatendum ergo est votum, aut præceptum humanum debere intelligi de Communione, quæ aliunde non opponitur modo debito ex præcepto divino. Ex quo patet, quid dicturus fuisset de Communione Paschali, si existimasset illam debitam ex præcepto merè humano.

58. Probatur secunda pars Conclus. Credo, jam quilibet videt rationem secundæ partis Conclusionis; siquidem auditio Sacri, sive propria, sive aliena, solùm est juris Ecclesiastici, à qua propter multas alias rationes excusamur.

Enimverò sicuti aliis non debeo subministrare pisces, ut possint jejunare, ita nec Missam, ut adimpleant præceptum Ecclesiasticum auditionis Missæ diebus Dominicis aut Festivis.

Objectio. Contrà: ergo quemadmodum mihi ipsi debeo subministrare pisces, ut possim jejunare; ita etiam, si Sacerdos sum, celebrare, ut ego ipse audiam Sacrum, ad quod obligor.

Solvitur. Respondeo Concedendo totum, nisi obstet aliud præceptum majus incompossibile.

Instabis; sed de hoc quæritur. Quæritur omnino, & unde quæso probatur præceptum audiendi Missam præponderare præcepto præmittendi Confessionem, & non magis è converso? Profectò constat apud omnes primum præceptum tantùm esse Ecclesiasticum, cùm tamen communior sententia doceat posterius esse divinum.

Et verò licèt in aliquo casu hoc præceptum divinum cedat præcepto humano, ut quando Sacerdos celebrat sine prævia Confessione ad dandum Viaticum, quod secundùm nostra principia est juris dumtaxat humani, supposito quòd infirmus anteà aliquando communicaverit; unde firmiter colligere possum, etiam cedere præcepto audiendi Missam? Herculè nemo sanæ mentis dubitare potest, longè majorem esse necessitatem accipiendi Viaticum, quàm audiendi Sacrum.

Major obligatio est sumendi Viaticum, quam audiendi Missam.

An fortè putas quòd Sacerdos possit non jejunus celebrare, ut ipse, vel alius audiat Sacrum in die Festo, sicut potest celebrare, ut ipse, & fortè alius accipiat Viaticum? Nullus hactenus id asseruit: ergo nec nos asseramus; sed potiùs sicut hoc non licet, ita nec illud, ad quod confirmandum adducitur.

59. *Suarez.* *Lugo.* *Diana.* Unde sententiam nostram docet Suarius disp. 67. sect. 4. §. *Sed quæret aliquis*, & §. *Major difficultas est*, quem sequitur Lugo suprà n. 114. quamvis contraria opinio, quam multi tenent apud Dianam parte 2. tract. de celebratione Missarum resol. 63. non sit improbabilis: præsertim quando Sacerdos est Parochus, vel Capellanus, qui ratione officii sui, vel stipendii, obligatur populo inservire: nam hoc ipsum

Oppositum Conclus. non est improbabile.

præcisè censetur satis grave incommodum, privare populum, cui ex obligatione naturali tenetur prospicere auditione & fructu Sacrificii; quocirca perinde est sive sit dies Festus, sive ferialis, dummodò verè teneatur ex justitia celebrare.

Immo ad hunc præcipuè casum videtur Tridentinum alludere sess. 13. cap. 7. quando dicit: *Quòd si necessitate urgente, Sacerdos absque prævia confessione celebraverit* &c. *Trident.*

Ubi nota ly *Necessitate urgente*, ex quo deducit Suarius suprà, hos & similes casus non continere sufficientem causam; v. g. si quis habeat consuetudinem frequenter communicandi, & necesse sit illam interrumpere; vel si ita se sentiat dispositum, & ad Communionem affectum, ut probabiliter magnum fructum speret se consecuturum ex Communione; vel si occurrat dies solemnissimus, ut dies Natalis Domini, vel si necesse sit Sacrum facere pro anima purgatorii, quæ suffragiis indigere probabiliter existimatur. *Suarez.* Proponuntur alii casus, in quibus dubitatur, an sufficiens obligatio cessaverit.

Nam cùm Tridentinum (inquit ille Auctor) dicit, *Necessitate urgente*, non sola commoditas spectanda est, sed vera necessitas.

Nihilominus & illos casus aliqui admittunt teste Suario suprà. Aversa de hoc Sacramento q. 8. sect. 6. vanos censet & rejiciendos. Negat quoque sufficere indigentiam propriæ sustentationis, ut Capellanus (aliàs non deputatus ut populus Missam audiat in die Festo) possit celebrare. Ego autem video aliquam posse occurrere indigentiam, quæ rationabiliter excuset; quamlibet autem, vel minimam esse talem, non facilè admisero. *Aversa.*

Ecce quanta incertitudo & varietas judiciorum hominum. Unde putas, nisi quia lumen, quod ante peccatum originale erat in homine, per illud peccatum factum est quasi tenebræ? Hinc admonemur à Deo petere sapientiam, qui dat omnibus affluenter, utique iis omnibus, qui sic petunt, quomodo, & quantùm res tanta petenda est. Et quoniam sæpiùs in petitione deficimus, sæpiùs etiam contingit ut bonum malum, & malum bonum dicamus. 60.

Interim *peccati reum teneri quemquam, quia non fecit quòd facere non potuit, summæ iniquitatis & insaniæ est*, ait D. Aug. lib. 1. Retract. c. 15. Quid igitur? Non imputatur homini, quòd non obtemperet, quando prudenter judicat non esse obtemperandum; vel quòd obtemperet, quando prudenter judicat esse obtemperandum; licèt fortè materialiter erret, malum reputans bonum, & bonum malum. *S. Aug.*

Hinc prudenti judicio relinquitur, quanta requiratur distantia loci, ut censeatur pœnitens carere Confessario. Illa indubiè sufficit, ex qua sequitur grave incommodum proprium, vel alienum; jam autem uni potest ex minori distantia majus incommodum sequi, quàm alteri ex distantia majori, & ideo nequit certò in particulari illa distantia determinari. Quanta distantia requiratur ut censeatur carere Confessario.

Petes

Petes pro fine; An qui priùs confessus fuerat, & postea recordatur peccati, quod in Confessione oblitus omiserat, per se loquendo, teneatur illud confiteri ante Communionem? Affirmant communiter Doctores; equidem non evidenter probatur ex ratione, aut verbis legis. Dico igitur:

CONCLUSIO VII.

Qui omisit inculpabiliter in Confessione aliquod mortale, tenetur ad iteratam Confessionem; sed quòd ante proximam Communionem non facilè evinces.

61. PEccatum mortale ex oblivione, vel aliàs sine culpa non expressum in Confessione, aliquando debere exprimi, ut directè absolvatur, fuit hactenus communis sententia, de qua ex professo in materia de Pœnitentia. Impræsentiarùm eam suppono tamquam certam, & dubito tantùm de tempore præcedente Communionem. Equidem pro illo esse obligationem probat communis consensus Doctorum, accedente consuetudine Ecclesiæ ita legem interpretante.

Peccatum omissum ante Communionem exprimi debet.

Reddi potest ratio à priori inquit Lugo disp. 14. n. 127. Quia præceptum non est confitendi utcumque, sed confitendi omnia peccata ante Communionem; hoc autem non impletur, nisi illud aliud peccatum deferatur ad judicem ante Communionem.

Lugo. Ratio à priori.

Probat à simili in præcepto Confessionis in articulo mortis, quod similiter obligat ad confitenda omnia peccata. Unde licèt aliquis confessus sit omnia, quorum recordabatur, & absolutus jam sit, si tamen postea recordetur alterius peccati, debet iterum confiteri singula prout memoriæ occurrunt, antequam moriatur; quia debet ante mortem omnia dicere integrè. Similiter ergo cùm sit præceptum omnia confitendi ante Communionem, debent omnia dici prout in memoriam redeunt ante Communionem. Hæc ille.

Probatur à simili.

62. Contrarium videtur docere Henriquez lib. 8. de Eucharistia cap. 46. §. 3. ubi sic scribit: Laicus verò, qui ad linteum altaris adstat paratus communicare cum aliis & Confessionem præmiserat, excusatur propter reverentiam Sacramenti, ne statim redeat ad Confessarium, ut directè absolvatur à peccato, cujus fuerat oblitus, etiam seclusâ notâ & scandalo; cùm jam accedat justus & probatus per Confessionem: expeditque communiter, ne Sacerdos ad altare audiat reconciliationem volentium communicare. Pœnitens tamen novi peccati memor, antequam ad altare accedat, tenetur quæsito Confessario id aperire, antequam communicet. Hactenus Henriquez.

Contrarium videtur docere Henriquez.

Dixi autem, *videtur docere*, quia verba obscura sunt, & (si credimus Cardinali suprà, & Reginaldo lib. 29. n. 105.) non concedunt licentiam generalem omittendi novam Confessionem ante Communionem, eò quòd jam sit homo probatus per Confessionem; sed particularem tantùm illi, qui accessit ad altare ob vitandam irreverentiam, quæ erga Sacramentum ipsum committeretur, recedendo indecenter coram aliis, quando ipsum administratur. Patet ex verbis posterioribus: *Pœnitens tamen* &c. quibus significat, si memoria peccati occurrat, antequam accedat ad altare, debere omnino quæri Confessarium.

Lugo. Reginaldus.

Quidquid sit de mente istius Auctoris, ex ipsius verbis accipio rationem pro generali licentia; hanc nimirum: ille dignè communicat, qui accedit justus & probatus per Confessionem. Ubi enim aliud requiritur ab Apostolo?

Ejus probatio.

63. Quocirca ad rationem communis sententiæ, Respondeo: nusquam gentium scriptum invenitur, omnia peccata mortalia esse confitenda; sed tantùm esse confitendum illi, qui habet conscientiam peccati mortalis. Verba Tridentini sunt clara: *Et ne tantum Sacramentum* (inquit sess. 13. can. 11.) *indignè, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem sacramentalem.* Non dicit, omnium peccatorum, ut alii volunt; sed simpliciter, *Confessionem*, sive unius, sive omnium. Enimverò qui alicujus Confessionem præmisit, non habet ampliùs conscientiam peccati mortalis non remissi, saltem indirectè per Confessionem.

Respondetur ad rationem communis sententiæ.

desumptam ex Tridentino.

Nec movearis, quia dicitur: *Quantumcumque se contritos existiment.* Etenim vel ex hoc solo patet Concilium non loqui de illis, quibus per absolutionem remissa sunt omnia peccata, estò indirectè tantùm; quippe ad istam indirectam remissionem non requiritur contritio. Quos ergo intelligit? Respondeo; qui per meram contritionem sine ullo Sacramento sunt justificati.

Colligo ex fine legis, qui est certus status gratiæ, quantùm possibile est secundùm humanam diligentiam. Quis autem ambigat indirectè absolutum à peccatis commissis, certiorem esse de sua justificatione, quàm contritum tantùm: imò tam certum quàm directè absolutum ab omnibus peccatis confessis?

Sed contrà, qui per revelationem divinam sciret se esse justum, adhuc deberet confiteri: ergo &c. Respondeo primò, unde constat? Siquidem cessante adæquato fine legis, etiam solùm negativè in casu particulari, cessat ipsa lex: ut omittam quòd hic casus tamquam om-

64. Objectio solvitur primò.

nino extraordinarius non videatur unquam comprehensus fuisse sub lege ordinaria.

An qui per revelationem sciret se justum teneretur confiteri?

Hinc non dicit Concilium, quantumcumque justi sint, vel etiam contriti; sed, *quantumcumque se contritos existiment*, vel, ut loquitur cap. 7. *quantumvis sibi contritus videatur.* Quamquam enim contritio sit medium certissimum justificationis, & omnino infallibile; tamen facilè fieri potest, ut quis videatur sibi contritus, cùm tamen reverà non sit. Et verò procurationem statûs gratiæ esse finem hujus legis, satìs indicant illa verba Tridentini suprà can. 11. *Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem sumatur* &c. Quis autem credat indignè sumere Sacramentum, cui Deus particulariter revelavit statum gratiæ?

Quidni, reponit aliquis, utpote communicans contra præceptum Dei vel Ecclesiæ; adeoque in statu peccati mortalis, sicuti si communicaret non jejunus? Respondeo de obligatione jejunii constare ex præcepto Ecclesiæ, cujus finis nullatenus cessat in istis circumstantiis, prout contendimus cessare finem præcepti de præmittenda Confessione.

Dices; potuit Deus vel Ecclesia velle obligare ad procurationem statûs gratiæ præcisè per hoc determinatum medium, quod ex se est actus virtutis, adeoque non cessat finis adæquatus; quia semper manet motivum virtutis Pœnitentiæ. Quemadmodum in communi lege jejunii semper reperitur motivum virtutis Temperantiæ, & ideo lex non cessat, tamesi in casu particulari cesset marceratio corporis, quæ solùm est finis legis inadæquatus.

Respondeo, indubiè sic potuisse fieri, sed factum esse, non satìs liquet, sive ex ratione, sive ex verbis legis. Atque ut esset obligatio confitendi in casu illo extraordinario, adhuc Nego Consequentiam: nam contendimus, in casu Conclusionis Confessionem debitam fuisse præmissam.

Talis obligatio non ollenditur;

65. Si inferas: ergo numquam ampliùs debeo confiteri illud peccatum, & potero semper ita communicare, nisi occurrat novum peccatum mortale nequidem indirectè absolutum. Respondeo Negando Consequentiam, saltem pro prima parte. Patet ex dictis in principio Conclusionis. Cùm ergo sit obligatio aliquando confitendi illud peccatum, ad minus in articulo mortis; nisi enim tunc illud confiteatur, non poterit ampliùs confiteri, cùm tamen semel in vita ex jure divino obliget Confessio omnium & singulorum peccatorum; ut suppono ex dicendis in materia de Pœnitentia, non solùm propter statum gratiæ, sed quia Deus vult sibi satisfieri per talem actum pro peccatis hìc commissis.

equidem peccata illa tenerentur aliquando confiteri.

Respondetur ad confirmationem communis sententiæ suprà ex Lugone desumptam; siquidem in casu Conclusionis agitur de Confessione præmittenda Communioni, non quomodocumque, sed ut eâ, tamquam medio quasi certissimo, homo sit dispositus ad effectum hujus Sanctissimi Sacramenti. Illa autem præmissa fuit; & licèt non omnium peccatorum, attamen hujusmodi, per quam omnia peccata tam certò & infallibiliter fuerunt remissa, ac si fuissent omnia expressa. Quidni ergo illa sufficiat ad dignè communicandum: non tantùm semel, sed fortè semper, quousque occurrat novum peccatum mortale, nequidem indirectè absolutum? Et ideo negavi suprà Consequentiam, saltem pro prima parte. munio secunda.

Num igitur etiam secunda pars poterit negari? Affirmo, & disparitatem explico in præcepto annuæ Confessionis. Qui hoc anno confessus est aliquod peccatum mortale, non tenetur eodem anno confiteri peccatum inculpabiliter omissum in illa Confessione; tenetur equidem anno sequenti: quia singulis annis tenetur semel confiteri omnia peccata, quæ ex jure divino tenetur semel in vita confiteri. Ergo similiter qui semel confessus est, non tenetur peccatum omissum confiteri ante proximam Communionem, secùs ante secundam, vel tertiam, aut vigesimam. Siquidem præcipitur Confessio ante singulas Communiones, quando est memoria peccati, quod ex præcepto divino aliquando est confitendum. 66. An in citi Concilio debeat pœnitens peccatum omissum confiteri ante secundam Communionem?

Respondent Adversarii Negando Consequentiam: differentiam assignant; quia præceptum illud Confessionis tantùm obligat semel in anno, ut constat ex Tridentino sess. 14. c. 5. ubi sic ait: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, ut Christi fideles confiteantur, quod iure divino necessarium & institutum esse intellexerat; sed ut præceptum Confessionis, saltem semel in anno ab omnibus & singulis impleretur.* Tridem.

Sed contrà: ergo tenetur peccata oblita, vel aliàs justè omissa etiam eodem anno confiteri; quia si in isto anno occurreret articulus mortis, deberet omnia confiteri ex præcepto divino. Ergo nulla differentia.

Respondent usum Fidelium ita explicasse præceptum annuum; contrario autem modo præceptum præmittendi Confessionem Communioni. 67. An usus fidelium obstet Conclusioni?

Contrà; etiam Fideles solent sæpiùs confiteri in anno quando relabuntur in peccatum, & tamen non est obligatio secundùm probabilem sententiam, & idem dici potest de peccatis oblitis.

Præterea quòd Fideles communiter soleant confiteri peccata oblita ante primam Communionem provenit ex ignorantia, putantes esse obligationem, ubi reverà non est. Et unde illa ignorantia? Ex defectu instructionis. Sicuti plerique confitentur peccata dubia, quod fortè non est necessarium; quia nemo est, qui id eos doceat.

Sanè

68. Verba præcepti verificantur de unica Confessione.

Sanè verba præcepti simpliciter verificantur de unica Confessione, ut patet ex Tridentino sess. 13. can. 11. suprà allegato, & cap. 7. ubi eodem modo loquitur: *Nullus*, inquit, *sibi conscius peccati mortalis* (non confessi implicitè, vel explicitè) *quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat.*

Probatur à simili.

Probatur à simili, quia quando ad lucrandum Jubilæum exigitur Confessio, non est necesse iterum confiteri intrà tempus Jubilæi peccatum, cujus oblitus est pœnitens in Confessione jam tunc facta, ut communiter tradunt Doctores.

Lugo.

Respondet Lugo suprà n. 130. ad Jubilæum solùm exigitur unica Confessio, quæcumque illa sit, unde licèt alio is sola venialia confessus sit, & postea incid[illegible]ccatum mortale intrà tempus Jubilæi, non erit opus iterum confiteri ad lucrandum Jubilæum; sed sufficit actus contritionis: quod tamen constat esse falsum in nostro casu.

Refelitur disparitas quam alii assignant.

Sed contrà; unde colligitur ad Jubilæum sufficere unicam Confessionem, nisi quia simpliciter requiritur Confessio, quæ de illa unica verificatur? Neque enim dicitur: *Qui semel confessus fuerit*, sed, *Qui confessus fuerit.*

Quod verò non sufficiat in casu Conclusionis Confessio venialium, vel etiam mortalium, quando post illam Confessionem committitur novum mortale, Quid miramur? Jam enim habetur conscientia peccati mortalis numquam confessi explicitè, vel implicitè; ac per consequens numquam remissi directè, vel indirectè per Sacramentum Pœnitentiæ. Porrò ex præcepto divino, vel Ecclesiastico requiritur, ut homo medio illo certissimo & securissimo ponatur in statu gratiæ, quando haberi potest.

69.

Atque hæc sufficiant pro illa sententia, quam existimo speculativè loquendo, attentâ solâ ratione, & verbis legis non esse improbabilem, immo in praxi sequendam ab hominibus scrupulosis, qui iteratis vicibus solent recurrere ad Confessarium, etiam sæpè cum propria infamia, & irreverentia Sacramenti.

D. Bonav.

Sanum consilium est (inquit D. Bonaventura 4. dist. 13. in expositione litteræ) *quòd homo se antè diligenter præparet, & in Missa* (loquitur de Sacerdote celebrante) *non cogitet de se; sed magis de Sacramento*, id est, ut ampliùs non cogitet de propria dispositione & Confessione, quin potiùs ad divinam bonitatem, & tantum Sacramentum advertat animum: id enim in majorem Dei gloriam & propriam utilitatem cedit; & ad sedandos scrupulos maximè conducit.

De peccatis cogitare in Missa insolitum.

Aug.

Interim *quo viso* quisque *tangatur, nulla potestas est*, ait D. Aug. lib. 3. de libero arbitrio cap. ultimo: quamobrem iis, qui scrupulosè tanguntur cogitationibus propriæ dispositionis & Confessionis, placeat consilium meum, ut dicant in cordibus suis, non est obligatio iteratò confitendi ante proximam Communionem: non est Sacramentum inquietudinis, sed pacis; Deus totius consolationis est, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

70. & de oblitis in Confessione dolere de novo non obligatorium.

Si autem à me quæritur, an saltem non sit obligatio novæ contritionis? Respondeo breviter, nullum est præceptum contritionis, ubi nullum est peccatum mortale non remissum. Probatur; quia tota obligatio habendi contritionem quando non præmittitur Confessio, fundatur in eo, quòd Eucharistia sit Sacramentum vivorum, adeoque per se loquendo prærequirat statum gratiæ. Cùm ergo in nostro casu, jam homo supponatur esse in statu gratiæ per Confessionem præcedentem, & absolutionem quâ indirectè ablata fuerunt omnia peccata mortalia, quo fundamento asseritur nova obligatio habendi contritionem post memoriam peccati omissi?

An fortassis quia est præceptum pœnitendi de omnibus peccatis in particulari, & non tantùm in communi per detestationem universalem? Estò tale præceptum esset (quod non, ut ostendo inferiùs proprio loco) sæpè contingit, quòd postquam aliquis doluit per contritionem de omnibus peccatis in particulari, obliviscatur postea unius ex illis in ipsa Confessione, & postea recordetur, quando est in altari. Tunc autem quis dicat hujusmodi hominem debere iterum conteri de peccato illo, de quo expressè contritus jam erat: non ergo debet necessariò subrogari contritio loco Confessionis, quando Confessio non potest, vel non debet haberi.

Ex hoc autem colligitur, nec debere id fieri, quando ab initio fuit oblitus: quia per contritionem universalem verè doluerat jam homo de illo peccato, quæ contritio habitualiter perseverat, quamdiu non revocatur.

71. An qui in Missa recordatur peccati debeat statim elicere contritionem,

Rogas iterum; an qui in Missa recordatur, quòd sit in peccato, debeat statim elicere contritionem? Respondeo si recordatur ante consecrationem, satis est si ante illam conteratur; sin autem post, sufficit quòd ante Communionem, ut non peccet novo peccato mortali. Nam status gratiæ requiritur sub mortali in conficiente vel recipiente Sacramentum, non in exercente alias actiones, etiam Ordinis Sacri, ut diximus disp. 1. de Sacramentis in genere sect. 7. concl. 11. & sect. 8. concl. 3.

Petes 3. an sit aliquod præceptum confitendi statim post Communionem, quando aliquis absque Confessione communicavit? Responsio sumitur ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 7. eritque

CONCLUSIO VIII.

Solus Sacerdos, qui urgente necessitate absque prævia Confessione celebravit, confiteri debet quamprimùm; v. g. intrà triduum. Talis non est qui recordatur mortalis tempore Sacri.

72. Probatur Conclus. ex Trident.

DEducitur hæc Conclusio, ut mox diximus, ex verbis Tridentini sess. 13. cap. 4. in fine: *Quòd si necessitate urgente Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Putat Petrus de Ledesma in Summa primâ parte tract. de Eucharistia cap. 11. ante conclusionem nonam, ly *Confiteatur*, consilium indicare, non præceptum. Idem teste Lugone suprà nu. 135. Docet Henricus Villalobos in Summa tomo 1. tract. 7. diffic. 37. n. 7.

Petrus de Ledesma.

Villalobos.

Sed alii omnes præceptum agnoscunt, & nos cum illis agnoscimus. *Licèt* enim *Fratres Minores* (ut ait Clemens V. in Clement. *Exivi de Paradiso*) *non ad omnium, quæ sub verbis imperativi modi ponuntur in Regula, sicut ad præceptorum seu præceptis æquipollentium observantiam teneantur*: Equidem declarat Pontifex, *æquipollentia præceptis ex vi verbi, vel saltem ratione materiæ, de qua agitur, seu ex utroque, illud quod ponitur in Regula*: de non habendo plures tunicas, quàm unam cum caputio, & aliam sine caputio. *Item de* non portandis calceamentis, *& de* non equitando extra casum necessitatis. *Item quòd Fratres vilibus induantur.* Et similia quæ ibi videri possunt, eò solùm sub verbis imperativi modi ponantur. Quidni igitur & illud æquipolleat præcepto: *Quòd si necessitate* &c.?

Clemens V.

in quo ly *Confiteatur* præceptum significat,

ut colligitur ex Rub. Miss.

Sanè in illo sensu intelligunt Rubricæ Missalis Tit. de defectibus cap. 8. nu. 3. ubi pro illis verbis: *Quamprimùm confiteatur*, ponunt hæc: *Debet tamen, cum primùm potuerit, confiteri*, quæ clariùs exprimunt obligationem.

Conc. Trident. & Lateran.

Alioquin idem dicendum esset de aliis præceptis, quæ in eodem Tridentino similibus verbis imponuntur. Quin imò non aliis verbis constituitur in Concilio Lateranensi præceptum annuæ Confessionis: *Semel*, inquit, *in anno confiteatur.* Similiter præceptum Communionis Paschalis ibidem: *Suscipiens reverenter ad minus in Paschâ Eucharistiæ Sacramentum.*

73. An Ecclesiasticum, vel divinum dubitatur.

Hoc ergo supposito (cujus oppositum, post hæc scripta, ad minus tamquam scandalosum damnavit ac prohibuit Alex. VII. die 18. Martii Anno 1666.) adhuc dubitatur ab aliquibus, an hoc præceptum sit merè Ecclesiasticum; ah verò præceptum divinum præmittendi Confessionem obliget ad confitendum postea quamprimùm, quando suo tempore non potuit adimpleri? Sic enim præceptum Confessionis annuæ obligat, ut si suo tempore non potuerit observari, postea, quamprimùm fieri possit, observetur.

Probatur non esse divinum.

Sed hoc fundamentum nullum est. Nam etiam in articulo mortis teneor confiteri, secundùm multos, ex jure divino, & tamen si ex malitia, vel impotentia non confiteor, eo transacto non teneor ex jure divino statim confiteri. Item Sacerdos debet se ponere in statu gratiæ, saltem per contritionem, ut administret alia Sacramenta; si tamen administraverit in peccato: quis ideo dixerit ipsum obligari, ut quamprimùm eliceat contritionem?

Quæris rationem di paritatis? Respondeo primò, multi docent, etiam præceptum annuæ Confessionis, anno transacto, ampliùs non obligare, de quo ex professo in materia de Pœnitentia.

Assignatur disparitas inter hoc præceptum & annuum Confessionem.

Respondeo secundò; ideo, secundùm plerosque, manet obligatio statim confitendi post annum, quia manet finis præcepti, qui est, ut homines non nimìs diu differrent impletionem præcepti divini. Unde, ut aliqui notant, non tantùm est præceptum affirmativum confitendi isto anno, illud enim videtur cum anno expirare, quoniam materia expirat: sed etiam negativum, ulteriùs non differendi Confessionem, quod præceptum transgreditur, qui non statim elapso anno confitetur, cùm jam ulteriùs differat.

Quid autem simile reperitur in præcepto præmittendi Confessionem Communioni? Profectò finis hujus præcepti est digna Communio, sive Communio in statu gratiæ, ad illam verò impertinens est Confessio subsequens. Nisi ergo rursus occurrat necessitas communicandi, constat omnino quòd nulla sit necessitas præcisè ex hoc præcepto confitendi. Nam in quantum negativum est, solùm obligat ad non communicandum sine Confessione; quatenus autem affirmativum, ad præmittendam, non ad postponendam Confessionem Communioni. Unde ergo obligatio hujus præcepti, cujus nulla ampliùs materia?

Idem cernitur in præcepto Confessionis aut Communionis in articulo mortis. Similiter in præcepto contritionis præmittendæ administrationi aliorum Sacramentorum. Etenim quatenus affirmativa sunt, tantùm obligant ad præmittendam Confessionem, Communionem, vel contritionem morti, aut confectioni Sacramentorum; in quantum verò negativa, solùm obligant ad non conficiendum Sacramentum, vel non moriendum absque prævia Confessione, Communione, aut contritione. Ergo transactis articulo mortis, & confectione Sacramenti in malo statu, jam desiit tota materia illorum præceptorum; adeoque non obligant, nisi iterum occurrat articulus mortis, aut obligatio conficiendi Sacramentum.

Et verò adhuc prudenter poteris dubitare, an præceptum divinum præmittendi Confessionem

nem Communioni obliget ad eam postponendam? Non arbitror.

74. Resolvitur esse præceptum humanum.

Si ergo aliquod præceptum est quamprimùm confitendi post sumptam Eucharistiam sine prævia Confessione, non aliud certè, quàm humanum, cujus initium invenitur in Concilio Tridentino sess. 13. c. 7. adeoque non obligans, ubi Concilium non est receptum. Similiter nec laicos, aut etiam Sacerdotes laicaliter communicantes, quia solùm loquitur de Sacerdotibus celebrantibus: lex autem non est extendenda ultra proprietatem verborum, sive propter paritatem rationis, sive præsumptam voluntatem Legislatoris, nisi ad evitandum absurdum, quale hic non potest ostendi: præterquam quòd non sit paritas rationis; quoniam frequentior est necessitas celebrandi, quàm simpliciter communicandi: & qui communicat, sæpissimè potest illi confiteri, à quo Communionem accipit.

Obligans solos Sacerdotes necessitate urgente celebrantes.

Sed numquid obligat omnes Sacerdotes celebrantes? Consule tenorem verborum: *Si necessitate urgente* (inquit Concilium) *Sacerdos absque prævia Confessione celebraverit, quamprimùm confiteatur.* Verba clarissima, quibus Concilium voluit obligare ad quamprimùm confitendem omnes Sacerdotes, qui propter urgentem necessitatem, non habentes copiam Confessarii, celebrant absque prævia Confessione, ad quam jure divino, vel Ecclesiastico tenebantur. Ratio legis videtur esse: ne prætextu necessitatis diù differant Confessionem.

75. Non item ex malitia aut inadvertentia

Quid si ergo ex malitia celebraverint? Quid si immemores suorum peccatorum? Non obligantur. Sin autem ex necessitate, estò culpabiliter sine contritione, confiteantur. Etenim verbis legis comprehenduntur.

Nec obstat periculum transgressionis; quia per accidens est ex eorum perversa voluntate: & quamvis propter illud potuissent excipi, sicut fortè excipiuntur, qui celebrant ex malitia; tamen non constat sic factum fuisse, & aliunde generalis voluntas Legislatoris non est irrationabilis; quin eadem in ipsis militat ratio, scilicet frequens celebratio prætextu necessitatis non præmissâ Confessione.

aut ex justa causa Confessionem mutilantes.

Interrogas; an etiam hæc lex extendatur ad illos, qui præmiserunt Confessionem, sed mutilatam ex justa causa?

Respondeo, si præter illam Confessionem non requiritur ante Communionem alia materialiter integra, etsi jam foret possibilis, de quo egimus Conclusione præcedenti, Respondeo, inquam, etiam non requiri statim post celebrationem. Ratio est manifesta; nam qui ita confessi fuerunt, non celebrarunt sine prævia Confessione ex jure divino, vel Ecclesiastico necessariâ.

Contrarium liquet dicendum in sententia communi; quando mutilatio est voluntaria: similiter si ex oblivione alicujus peccati, & antequam Sacerdos accedit ad altare, illius recordatur.

76. aut memores sui peccati dum sunt in altari. *Lugo, Vasquez.*

Sed quid si tantùm recordetur in ipso altari? Probabile est quòd non obligetur, ut habet ultima pars Conclusionis; idque sive memoria peccati occurrat ante consecrationem, sive post consecrationem. Ita docet Lugo disp. 14. n. 146. secutus Vasquezium disp. 208. nu. 13. Probatur ex Rubricis Missarum Tit. de defectibus cap. 8. ubi diverso modo loquuntur de illo Sacerdote, qui ante celebrationem habet conscientiam peccati mortalis, & de eo, qui in ipsa tantùm celebratione. Nam in primo casu dicitur, quòd habeat contritionem, & postea quamprimùm confiteatur. quod probatur ex Rub. Miss.

Verba textûs sunt: *Si quis in casu necessitatis non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secùs si conteratur: debet tamen cum primùm potuerit confiteri.* In secundo autem casu sic dicitur: *Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, & satisfaciendi.*

Non ergo putarunt illi (inquit Cardinalis suprà n. 144.) qui regulas illas collegerunt, quòd Tridentini præceptum æquè utriusque casum comprehenderet; alioquin eodem modo in utroque explicarent obligationem quamprimùm confitendi.

77. Responsio aliquorum.

Respondet aliquis: ideo in secundo casu non explicasse obligationem quamprimùm confitendi, quia supposuerunt illam satis evidentem ex primo casu, quoniam nulla ratio diversitatis. Nam quod ait Vasquez suprà, in primo casu deesse copiam Confessarii; secùs in secundo, bene oppugnat Eminentissimus suprà n. 143. probans ex verbis Tridentini tunc deesse copiam Confessarii, quando, estò Confessarius physicè adsit, pœnitens tamen non potest absque gravi suo incommodo illi confiteri. Siquidem dicit Concilium, omnibus in universum esse obligationem præmittendi Confessionem, nisi desit copia Confessoris; quæ exceptio firmat regulam in contrarium: certum autem est non debere præmittere Confessionem illum, cujus quidem adest Confessarius, sed non potest ei confiteri absque periculo gravis infamiæ. Ergo in utroque casu celebratur absque Confessione propter inopiam Confessarii: quidni ergo in utroque casu, vel in neutro, sit obligatio quamprimùm confitendi?

Rejicitur.

Respondeo; quia Tridentinum loquitur de illo solùm, qui *necessitate urgente, absque prævia Confessione celebraverit*; quibus verbis videtur significari ille solus, qui necessitate coactus non præmisit Confessionem, hoc est, non est confessus, antequam ad celebrandam Missam accederet: hoc enim significat ly *prævia Confessione*; quippe Confessio facta in media Missa non dicitur in toto rigore prævia, sed concomitans.

Quamvis

Quamvis ergo Sacerdos tunc communicet absque Confessione propter necessitatem, & carentiam Confessarii, cui possit absque nota confiteri, non videtur tamen comprehendi præcepto Tridentini; quia non omisit propter illam necessitatem Confessionem præviam, hoc est, quæ præcederet celebrationem Missæ; sed solùm Confessionem, quæ præcederet Communionem, vel prosecutionem celebrationis.

Fuit autem majus fundamentum, ut Concilium vellet comprehendere primum casum, quàm secundum, eò quòd voluit Parochos rurales reddere magis cautos ad quærendum Confessarium ante celebrationem Missæ, propter periculum scilicet magis ordinarium, ne diù celebrarent absque Confessione prætextu carentiæ Confessoris; quem non haberent fortasse quando actu volebant celebrare: quod periculum non erat in secundo casu, quando per accidens in ipso altari alicujus peccati recordantur. Hucusque Eminentissimus suprà n. 145.

Perinde videtur sive peccati memoria occurrat ante, sive post consecrationem.

Satis benigna interpretatio Concilii, ex qua sequitur, idem dicendum esse sive peccati memoria occurrat post consecrationem, sive etiam ante illam. Similiter sive occurrat peccati memoria, sive ipsum peccatum, quod tunc à Sacerdote fortasse committeretur.

78. Objectio.

Et si objicitur contra hanc sententiam: quia qui propter oblivionem peccati omittit Confessionem præviam, videtur eam omittere propter necessitatem urgentem; quæ enim major necessitas, quàm oblivio? ergo verificatur quòd ille accessit ad celebrandum absque prævia Confessione propter necessitatem, & per consequens obligatur Tridentini lege ad confitendum quamprimùm post Missam.

Solvitur.

Respondeo cum Lugone suprà num. 148. Concilium tantùm loquitur de Sacerdote, qui conscius sibi peccati mortalis accedit ad celebrandum. Patet ex contextu illius capitis: *Ut nullus*, inquit, *sibi conscius peccati mortalis, quantumcumque sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali Confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat* &c. *Quòd si necessitate urgente Sacerdos*, utique conscius sibi peccati mortalis *absque prævia Confessione celebraverit* &c. Non potest ergo intelligi oblivio, nomine *Necessitatis urgentis*, cùm sit sermo de necessitate urgente ad celebrandum cum conscientia seu scientia peccati, quæ scientia omnino excludit oblivionem.

Lugo.

79. An hâc lege comprehendatur Sacerdos in die Paraskeves celebrans?

Restat quæstio; an comprehendatur illâ lege Tridentini Sacerdos celebrans in die Paraskeves: ille enim non offert Sacrificium, cùm eâ die non fiat consecratio; ac per consequens non fiat propriè Missa. Idem quæri posset de illo Sacerdote, qui post consecrationem assumitur ad complendum Sacrificium.

Affirmat Lugo suprà n. 139. cum aliis, quos citat. Nam licèt Sacerdos in die Paraskeves non dicat propriè Missam; dicitur tamen simpliciter celebrare, ut passim habetur in Rubricis illius diei in Missali Romano; non enim communicat Communione laicâ, sed sacerdotali. Similiter qui complet Sacrificium ab altero inchoatum dicitur verè celebrare, & non accipere Communionem more Laicorum. Consequenter secundùm principia Lugonis, idem dicendum esset de Neomystis, qui concelebrant Episcopo, de quibus suo loco.

Affirmat probabiliter Lugo.

Et sanè hæc sententia non caret probabilitate, tum ex principiis intrinsecis, quæ jam jam allegavimus, tum etiam ex auctoritate Doctorum, qui illam docent. Interim tamen non est ita certa, ut contraria appareat omnino improbabilis, maximè in primo casu. Nam ad fundamentum Lugonis responderi posset, illam Communionem non esse omnino sacerdotalem, id est, quâ Sacerdos ex consecratis tunc à se reficitur. Neque est tanta ratio sic præcipiendi in illo casu, quàm in aliis, ubi est Communio omnino sacerdotalis, ut patet.

Oppositum non est omnino improbabile.

Accedit, quòd Concilium non dicat: *Si Sacerdos absque prævia Confessione Sacerdotaliter communicaverit*, sed, *si celebraverit*. Celebratio autem in omni rigore ad minùs includit consecrationem.

80.

Miror certè quomodo Cardinalis audeat hìc solam Communionem intelligere nomine celebrationis, cùm n. 145. ut suprà vidimus, neget Sacerdotem celebrasse sine prævia Confessione ad mentem Tridentini, qui sine conscientia peccati mortalis accessit ad celebrandum, etsi cum tali conscientia consecrasset, & communicasset. An fortè ille Sacerdos non communicavit sacerdotaliter, idque sine prævia Confessione? Quomodo ergo consequenter bene negat ipsum celebrasse, adeòque affirmat non comprehendi lege Tridentini?

Argumentum Lugonis consequentia.

Profectò, qui tam strictè in casu posteriori intellexit ly *Celebraverit*, potuisset sine scrupulo etiam in primo casu tam rigidè accipere, ut non comprehenderet solam Communionem, estò sacerdotalem. Siquidem obligationes potiùs restringendæ sunt, quàm extendendæ.

81. Sacerdos qui jam consecrationem dicitur celebrare. Rubr.

Atque hæc ratio etiam militat in secundo casu, quamquam enim Sacerdos succedens, moraliter gerat quasi unam personam, & unum ministrum Christi cum altero Sacerdote deficiente: equidem simpliciter non dicitur celebrare; sed Sacrificium inchoatum perficere. *Si Sacerdos* (inquiunt Rubricæ Tit. de defectibus cap. 10. n. 3.) *ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, pretermittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit: Missa per alium Sacerdotem expleatur*, id est, perficiatur. Ergo non dicitur celebrare Missam; sed explere, sive perficere. Et quis non videt in casu illo extraordinario cessare rationem legis? Quo fundamento igitur argumentabimur à celebratione Missæ ad

Communionem

Communionem (estò sacerdotalem) sine Sacrificio ?

Vasquez. Nonne communiter rejicitur Vasquez dicens esse obligationem, si festum incidat in Parasceven, audiendi illam celebritatem ? Cur hoc, nisi quia revera non est celebratio Missæ ? Et qui audiret reliquum Missæ, quod suppletur ab alio Sacerdote, putas quòd satisfaceret obligationi audiendi Missam in die Festo ? Absit ut ille dicatur audire Missam, qui non interest consecrationi, in qua essentialiter Sacrificium Missæ consistit. Ergo qui non consecrat, impropriè dicitur Missam celebrare, & consequenter non comprehenditur lege Tridentini, quæ tamquam onerosa, saltem in proprio sensu est intelligenda, nisi aliquid obstet.

Neque non comprehenditur lege Trident.

82. Objectio. Dices ; obstat ratio Lugonis suprà, quia Sacerdos in die Parasceves dicitur simpliciter celebrare : ut passim habetur in Rubricis illius diei in Missali Romano.

Solvitur. Respondeo in omnibus Rubricis illius diei, Sacerdos faciens officium, non nisi semel appellatur *Celebrans*, ibi : *Tunc celebrans, factâ reverentiâ usque ad terram, Sacramentum in dexteram accipit, & elevat, ut videri possit à populo.* Si ideo passim dicitur simpliciter celebrare, nescio.

Ly celebrare aliquando accommodatur actioni publicæ & solemni Dicastillo. Greg. Magnus

Ut autem sic diceretur, nihil equidem refert : vox enim, *Celebrare*, & vox, *Celebritas*, ut advertit Dicastillo disp. 9. n. 157. etiam Vesperis solet accommodari. Sic Gregorius Magnus, & alii notant, in Ecclesia non solùm veteris Legis, sed etiam novæ festa celebrari à vespera in vesperam : imò nomen *Celebritatis* actioni publicæ, & solemni solet accommodari. Itaque ut Rubricæ significarent solemnitatem illius officii, cùm passim Officiatorem vocassent Sacerdotem, semel nomine *Celebrantis* intitularunt.

Quapropter existimo probabile, attentis verbis legis, & ratione, illum tantùm Sacerdotem teneri sub morali quamprimùm confiteri, qui propriè celebravit, id est, qui consecravit, & ex consecratis à se communicavit.

83. Quid ly *Quamprimùm* importet ? Diana. Aliqui exponunt ; cùm primùm iterum celebraverit, Lugo. Restat explicatio, sive significatio illius particulæ, *Quamprimùm*. Diana parte 2. tract. 14. de celeb. Missarum resol. 60. adfert aliquos Doctores, qui asserunt satìs esse pro adimplendo supradicto præcepto Concilii, si Sacerdos, qui sic celebravit, confiteatur suo tempore, nempe ante aliam celebrationem, & sic illud, *Quamprimùm*, exponunt, *Cùm primùm iterum celebraverit.*

Secundo. Verùm, ut notat Lugo suprà n. 158. ex tribus Auctoribus, qui citantur, solus Stephanus Fagundez de præceptis Ecclesiæ tract. 3. lib. 3. cap. 8. n. 9. id dixit absque alio Auctore, vel ratione.

Unde consequenter docet, illam sententiam non esse probabilem, propter sola principia extrinseca (quidquid contradicat Diana suprà) quæ non habet alium Auctorem nisi unum, & est contra omnes alios.

Alioquin malè explicarent illam particulam Rubricæ Missalis Romani Tit. de Defectibus cap. 8. n. 3. in fine : *Debet tamen cùm primùm poterit, confiteri.* Quis ambigit Sacerdotem in multis casibus posse confiteri, priusquam celebret denuò ? Quid si enim differat celebrationem ad sex, vel octo menses ? Dicet fortè aliquis, fieri *illicò*, *statim*, *quamprimùm*, illud, quod post sex, vel octo menses fit ?

sed improbabiliter ; *Rubr. Miss.*

Præterea sic nihil speciale ibi præciperetur Sacerdotibus, cùm etiam laici, qui habent conscientiam peccati mortalis, ante Communionem sequentem ex præcepto divino, vel Ecclesiastico debeant confiteri. Hoc ergo non est explicare, sed auferre omninò illud Tridentini præceptum.

immo scandalosè,

Meritò ergo Alexander Septimus nuperrimè, ut minùs tamquam scandalosam, damnavit ac prohibuit hanc propositionem : *Illa particula*, Quamprimùm, *intelligitur*, *cùm Sacerdos suo tempore confitebitur.*

84. Alii exponunt : statim finitâ Missâ,

Alii ad aliud extremum declinantes, tam strictè accipiunt illam particulam, ut, finitâ Missâ, statim debeat Sacerdos quærere Confessarium. Pro qua sententia adfert Diana suprà Joannem Sancium in Selectis disp. 32. n. 14. sed videtur nimis rigorosa. Unde nec Suarez nec Vasquez, quos Sancius citat pro se, illam expressè docent, sicut nec Henriquez, qui à Diana adfertur.

Joan. Sancius ; sed nimis rigorosè.

85. Conclus. probatur.

Conclusio nostra incedit mediâ viâ ; probatur autem ex aliquibus juribus, in quibus per illam, vel similem particulam, intelligitur triduum. L. fin. C. de errore Advocatorum ibi : *Cùm te præsente, neque causæ palàm ex continenti, id est, triduo proximo contradixisse, neque post sententiam appellationis remedio (si tibi hæc displicebant) usam esse proponas.* Similiter L. fin. C. de judiciis ibi : *Illicò autem, id est, intrà triduum proximum sine ulla dilatione* &c.

L. fin. C. de errore Advocatorum

L. fin. Cod. de Iudiciis.

Quamquam autem hæc significatio non sit ita certa & determinata, quin ex diversitate materiæ, de qua agitur, & ex aliis circumstantiis aliquando minus, vel majus spatium temporis designetur per illas voces : attamen nullum est sufficiens fundamentum, quare in hac lege onerosa, attentâ materiâ & fine legis, non possit ly *Quamprimùm*, intelligi secundùm jura jam citata, ut idem sit, quod *Intrà triduum* : sic enim satìs consulitur Sacerdotum conscientiæ & puritati, qui propter necessitatem celebrandi faciliùs possent Confessionis remedium negligere.

86. Confirmatur.

Confirmatur ex cap. *Eos qui.* 22. de Sententia excommunicationis in 6. ubi decernitur, *Eos, qui à sententia Canonis, vel hominis (cùm ad illum à quo aliàs de iure fuerant absolvendi, nequeunt propter imminentis mortis articulum, aut aliud impedimentum legitimum pro absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvuntur : si cessante postea periculo, vel impedimento huiusmodi,*

cap. Eos qui de sent. excom. in 6.

se illi, à quo his cessantibus absolvi debebant, quàm citò commodè poterunt, contempserint præsentare, decernitur, inquam, *in eandem sententiam recidere ipso iure*: & tamen communiter non judicantur incidere, qui intrà triduum se præsentant.

Sanchez. Sic etiam non peccat graviter, ut cum aliis docet Sanchez lib. 2. in Decalogum cap. 10. n. 55. qui, per biduum retinent libros Hæreticorum, licèt teneantur quamprimùm illos deferre ad Inquisitores. Non ergo (inquit Lugo suprà n. 163.) videtur magis strictè explicanda illa dictio, *Quamprimùm*, in casu nostro, neque etiam videtur graviter opponi fini aut præcepto Concilii illa brevis dilatio.

Lugo.

Existimat Dicastillo, nec leviter peccari, modò fiat intrà triduum: quia si quid probat fundamentum nostrum, etiam à veniali liberat, præcisè ex vi præcepti, quia tota vis sita est in hoc, quòd quando non agitur de alio incommodo quàm de mora & dilatione, per illas dictiones, *Quamprimùm*, *statim* &c. jura & leges tantùm significant triduum, ita ut, quantùm ad sensum, & moralem interpretationem, idem sit dicere, *Quamprimùm*, *statim*, *illicò* &c. atque dicere, *Intrà triduum*, ita ut una vox sit interpretatio alterius. Sicut ergo si præceptum aut lex mandaret expressis verbis aliquid fieri intrà triduum, nemo leviter ageret contra legem, qui differret actionem mandatam usque in tertiam diem, ita nec peccabit leviter quando dicit, *statim*, *quamprimùm* &c. quia, ut supponimus, idem in hac materia significant. Hæc Dicastillo satis probabiliter.

Existimat Dicastillo disp. 9. n. 175. nec leviter peccari, modò fiat intrà triduum: quia si quid probat fundamentum nostrum, etiam à veniali liberat, præcisè ex vi præcepti, quia tota vis sita est in hoc, quòd quando non agitur de alio incommodo quàm de mora & dilatione, per illas dictiones, *Quamprimùm*, *statim* &c. jura & leges tantùm significant triduum, ita ut, quantùm ad sensum, & moralem interpretationem, idem sit dicere, *Quamprimùm*, *statim*, *illicò* &c. atque dicere, *Intrà triduum*, ita ut una vox sit interpretatio alterius. Sicut ergo si præceptum aut lex mandaret expressis verbis aliquid fieri intrà triduum, nemo leviter ageret contra legem, qui differret actionem mandatam usque in tertiam diem, ita nec peccabit leviter quando dicit, *statim*, *quamprimùm* &c. quia, ut supponimus, idem in hac materia significant. Hæc Dicastillo satis probabiliter.

87. Proponitur casus circa præsentem materiam.

Sed petet aliquis, quid si Sacerdos, qui necessitate urgente celebravit sine prævia Confessione, hodie habeat Confessarium, cras non habiturus, cùm tamen instet eadem necessitas celebrandi, num differre poterit suam Confessionem in tertium diem?

Resolvitur.

Responsio negativa est certa: quamvis dubitetur an obligetur ex præcepto Ecclesiastico confitendi quamprimùm. Affirmat Lugo suprà n. 162. quia dilatio illa licèt sit parva quoad tempus, est magna in qualitate, cùm sit causa celebrandi iterum absque Confessione, quod est directè contra finem hujus præcepti.

Sed contrà: estò Sacerdos ille hodie non celebrasset, nihilominus teneretur hodie confiteri. Quæris ex quo præcepto? Respondeo, Divino vel Ecclesiastico præmittendi Confessionem crastinæ celebrationi, sicut Laicus, qui prævidet crastinam necessitatem communicandi, tenetur hodie confiteri, si cras non sit habiturus copiam Confessarii.

Ad quid ergo multiplicare illas obligationes sine necessitate? Enimverò supposità obligatione præcepti divini, quæ reverà adest, satis provisum est periculo diù manendi sine Confessione sub prætextu necessitatis celebrandi, absque eo, quòd ex vi præcedentis celebrationis, seu præcepti indè resultantis simul obligetur ad Confessionem.

88. Alius casus.

Alius casus esse potest, si dilatio hodiernæ Confessionis adfert periculum, non quidem communicandi postea absque Confessione; sed tamen non confitendi per plures dies, quia nunc habeo Confessarium, & postea non habebo illum: tunc ait Lugo suprà n. 163. dilatio hodierna videtur adverlari graviter præcepto Concilii, quo præcipitur Confessio, cùm primùm poterit fieri, hoc est primâ occasione & opportunitate habitâ, cui præcepto graviter obstat, qui vult dilationem illam notabilem post primam occasionem & opportunitatem confitendi. Hæc ille.

Lugo.

Sed si verum est, quod suprà diximus cum Dicastillone, videlicet ly *Quamprimùm*, idem esse quod *Intrà triduum*, ita ut nequidem peccet venialiter qui differt usque in tertium diem, existimo dilationem in diem 4. vel 5. non esse materiam gravem; sin autem prævideat Confessionem ulteriùs fore differendam, nisi hodie confiteatur, non dubito quin sub gravi obligatione teneatur prævenire, cùm totum illud tempus sit aptum adimpletioni legis: sicut tenetur audire Missam horâ sextâ, qui prævidet impedimentum pro reliquo tempore.

Eiusdem solutio Dicastilli.

Atque hæc sufficiant de præcepto Confessionis. Sequitur agendum de carentia peccatorum venialium, quæ peccata, procul dubio impediunt majorem abundantiam gratiæ; an autem simpliciter effectum gratiæ, non habeo sufficiens fundamentum id suspicandi; ideirco dico:

CONCLUSIO IX.

Carentia peccatorum venialium, tum actualium, tum habitualium, utilis valde est ad effectum Eucharistiæ; sed minimè necessaria. Equidem peccat veniali sacrilegio, qui accedit cum veniali actuali deliberato, vel pluribus habitualibus non retractatis.

89. Carentia venialium copiam ad Eucharistiam dispositio.

DE prima parte non dubitant Theologi: quis enim illorum ita prorsus inscitus & rudis, ut ignoret, meliùs esse dispositum ad suscipiendam gratiam sacramentalem, qui nullum habet peccatum sive mortale, sive veniale, quàm illum qui caret tantùm peccatis mortalibus; fatet autem venialibus? Et verò Spiritus Sanctus, nonne partitur singulis gratiâ prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem? Est expressa doctrina Concilii Tridentini sess. 6. c. 7. Quis ergo vel leviter suspicetur carentiam illorum peccatorum non esse utilem?

Quòd

non necessaria,

Quòd autem non sit necessaria, docet Scotus 4. dist. 9. q. unicâ n. 4. dicens: *De peccato veniali non oportet dubitare, quia de illo non est necessitas pœnitentiæ.* Estque communis sententia quæ satis probari videtur ex Concilio Tridentino sess. 13. cap. 7. ubi agens de præparatione adhibenda, ut dignè quis sacram Eucharistiam percipiat, nullam facit mentionem peccatorum venialium; sed requirit tantùm Confessionem peccatorum mortalium, ut patet ex dictis. Ergo ex mente Concilii dignè communicat, qui non est sibi conscius peccati mortalis: ergo percipit fructum Sacramenti.

Scotus.

ut colligitur ex Tridento.

90. Objectio solvitur.

Si objicitur; est argumentum negativum. Respondeo, argumentum negativum valet, ubi nullum adfertur positivum in contrarium. Porrò neque ex Scriptura, neque ex Conciliis, aut Sanctis Patribus efficaciter colligitur, affectum peccati venialis simpliciter impedire augmentum gratiæ sanctificantis, quod est principalis effectus hujus Sacramenti; sed è contra oppidò probabile est quodcumque peccatum veniale compati intensissimam gratiam hominis viatoris.

Tridento.

Et quamvis major dignitas Eucharistiæ videatur requirere etiam excellentiorem dispositionem, juxta illud Tridentini suprà: *Quò magis sanctitas & divinitas cælestis hujus Sacramenti vivo Christiano comperta est, eò diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia & sanctitate ad id percipiendum accedat:* attamen quòd hæc excellentia consistat in carentia omnis peccati venialis, prohibet fragilitas humana.

Quis enim, nisi sanctissimus, non meritò timere possit, non solùm ne in peccato veniali sit, sed etiam ne in ipsa sumptione venialiter peccet, vel ex vana aliqua intentione, vel ex negligenti distractione, aut alia simili causa? Igitur non nisi sanctissimus poterit ad hoc Sacramentum dignè accedere, quis id audeat cogitare? *Si peccata tanta non sunt* (inquit Hilarius apud D. Augustinum Epistolâ 118. c. 3.) *ut excommunicandus quisquam homo iudicetur, non se debet à medicina Dominici Corporis separare.*

S. Hilarius S. August.

91. Alia objectio solvitur.

Si iterum objicis: ergo ex peccato veniali homo recipit gratiam. Respondeo Negando Consequentiam; sed ex ipso Sacramento, quod solùm extrinsecè vitiatur. Sicuti quando per actum amoris Dei super omnia meretur de condigno vitam æternam, estò actus ille extrinsecè vitietur ex fine venialiter malo.

92.

Arguis tertiò ex auctoritate D. Aug. (vel quicumque est auctor) lib. de Eccles. dogmatibus cap. 53. ibi: *Habentem adhuc voluntatem peccandi gravari magis dico Eucharistiæ perceptione, quàm purificari. Et ideo quamvis quis peccato mordeatur, peccandi de cætero non habeat voluntatem, & communicaturus satisfaciat lachrymis, & orationibus: & confidens de domini miseratione, qui peccata piæ Confessioni donare consuevit, accedat ad Eucharistiam intrepidus & securus. Sed hoc de illo dico, quem capitalia & mortalia peccata non gravant.* Ergo videtur, quòd non potest aliquis securus accedere, nisi qui fuerit sine voluntate peccandi venialiter, & de præteritis satisfecerit lachrymis, & orationibus.

Neque objectio D. Augustini,

Respondeo cum Doctore Subtili suprà: *Potest intelligi de mortali peccato, non quod iam inest, neque præterito sine omni pœnitentia; sed confesso, si mordeatur, quia non complete satisfecit: & tunc intelligitur de peccato mortali, & tunc quod sequitur;* quem peccata mortalia non gravant, *scilicet, in actu, vel præterita, sine pœnitentia sequente.* Hæc ille in primo Scripto.

quàm exponit Scotus tam in primo Scripto,

At verò in Reportatis (Coloniæ impressis) eâdem dist. & q. n. 4. sic ait: *Ad auctoritatem Aug. ad oppositum dico, quòd ipse intelligit de peccatis venialibus. Et cùm dicitur, illud, quod subdit post, non potest intelligi nisi de peccato mortali. Dico quòd inter mortalia quædam sunt graviora, quædam leviora: & antiquitùs sufficiebat fortè pro levioribus peccatis mortalibus conteri lachrymis, & compunctionibus absque satisfactione exteriori facta Ecclesiæ. Et tunc illud, quod subdit post, est intelligendum de tali peccato mortali leviori.*

quàm Reportatis,

Addit secundam expositionem: *Vel potest dici, quòd gravius est esse in voluntate* deliberatâ *committendi* venialem, *quam commissio venialis peccati sine deliberatione. Et si esse in voluntate* deliberata *committendi* veniale *non sit peccatum mortale, sicut declarabitur: tamen melius esset existenti in voluntate* deliberata *peccandi venialiter non communicare pro tunc, quàm communicare, quia malum gravius est ex deliberatione velle venialiter peccare, quàm multotiens actu peccare venialiter sine deliberatione.* Huc usque Scotus.

Quando ergo ibidem n. 3. dicit: *Si aliquis existat in peccato veniali, nullo modo peccat nec venialiter, nec mortaliter communicando; quia veniale nullo modo repugnat effectui huius Sacramenti, nec conversioni ad Deum;* intelligendus venit de peccato veniali habituali, præsertim sufficienter retractato, ut per Sacramentum Eucharistiæ remittatur. Unde non ait Doctor: *Si aliquis peccat venialiter*, sed, *Si aliquis existat in peccato veniali.* Atque ut loqueretur de peccato actuali, accipiendum id foret de peccato veniali, quod committitur sine deliberatione.

93. Eandem auctoritatem aliter exponit Suarez.

Aliter exponit hunc locum D. Aug. (vel potiùs Gennadii) Suarez disp. 66. sect. 1. dicens: quòd non distinguat peccata mortalia à venialibus; sed ab eo statu conscientiæ, quæ licèt peccato mortali mordeatur, tamen eorum multitudine non gravatur, nec obruitur: huic enim homini dat licentiam D. Augustinus frequenter communicandi præmissâ Confessione; illi verò minimè, nisi post diuturnam pœnitentiam, etiam publicam, si peccatoris status publicus fuerit.

& Vasquez,

Quin imò Vasquez disp. 207. cap. 2. n. 19. existimat sola peccata publica esse intelligenda:

quippe statim subjungitur: *Nam, quem mortalia crimina post Baptismum commissa premunt, horror priùs publicâ pœnitentiâ satisfaciæ, & ita Sacerdotis iudicio reconciliatum Communioni sociari, si vult non ad iudicium & condemnationem sui Eucharistiam percipere.*

Quod sanè de solis peccatis publicis intelligendum videtur: nam de secretis numquam fuit necessarium publicam agere pœnitentiam, sicut declaravit Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 5. ibi: *Non est tamen hoc divino præcepto mandatum, nec satis consultè humanâ aliquâ lege præciperetur ut delicta, præsertim secreta, publicâ essent Confessione aperienda.*

94. Major difficultas est in S. Anselmo,

Difficiliùs objicitur Anselmus in illud 1. ad Cor. 11. *Probet autem* &c. ubi ait: *Indignè manducat, & bibit, qui vel aliquod grave peccatum, vel multa levia commisit, & non est confessus.* Et post pauca attexit: *Qui indignè manducat, iudicium sibi manducat, id est, damnationem extremam.*

ad quem respondet Vasquez.

Respondet Vasquez suprà n. 20. Si hoc testimonium alicujus momenti est, probat etiam id, quod nullus Theologus concedit, nempe non solam contritionem sufficere; sed præmittendam esse Confessionem pro levibus, si per levia, venialia intelligamus. Quare, inquit, cogimur necessariò aut per levia, non venialia, sed mortalia intelligere, quæ in genere suo leviora sunt; aut per illa levia intelligere venialia, quæ simul unum mortale efficiant; aut certè sententiam Anselmi in hac re nullo modo admittere. Neque verò desunt, qui prædicta Commentaria in Paulum Hervæo non Anselmo tribuunt, quòd in antiquis codicibus Hervæo inscripta inveniant, & Trithemius inter opera illius non recenset. Hæc ille; eo utique fine, ut ostendat nullum ex hac auctoritate posse accipi solidum fundamentum tertiæ partis nostræ Conclusionis (cujus oppositum ibi docet n. 18.) quod libenter admitto: haud equidem propterea ab illa recedens.

95. Probatur tertia pars Conclus.

Existimo namque majorem sanctitatem & dignitatem cælestis hujus Sacramenti majorem exigere in sumente reverentiam & sanctitatem, puta non solùm Confessionem mortalium peccatorum, quæ sufficit ad evitandum Sacrilegium mortale; sed pariter carentiam aliquorum peccatorum venialium, ad evitandum omne Sacrilegium, etiam veniale.

ex S. Aug.

Intendite his, quæ dicit D. Augustinus Tract. 26. in Joan. circa medium: *Videte ergo Fratres, panem cælestem spiritaliter manducate, innocentiam ad altare apportate. Peccata etsi sunt quotidiana, vel non sint mortifera, antequam ad altare accedatis, attendite quod dicatis: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Si dimittis, dimittetur tibi: securus accede, panis est, non venenum.*

& à simili.

Profectò si aliqua est irreverentia non flexis genibus, nec discoöperto capite; sed stando, vel ambulando velle communicare: quidni etiam sit venialis irreverentia velle communicare cum actuali & deliberato affectu peccati venialis? Testor conscientias piorum Fidelium, & sensum plurimorum Doctorum, qui putant Deum per hoc leviter offendi, quòd quis communicet, adeoque tam familiariter cum Deo agat, & simul ipsum offendat.

96. An sit peccatum communicare ob finem venialem cum

Quod maximè verum est, quando ipsa Communio ordinatur ad finem venialiter malum, v. g. ad vanam gloriam; est quippe abusus rei sacræ, sive est usus rei sacræ ad malum finem, quod est contra reverentiam rei tam sacræ. Imò aliquibus difficile videtur, quomodo non sit peccatum mortale communicare ob finem venialem.

Communis sententia negat.

Interim omnes supponunt quòd non. Et enim peccata mortalia non sunt multiplicanda sine evidenti fundamento, quale hìc nullum apparet. Quod namque illud esset? An fortè, quia per illam ordinationem significo Deo placere illum finem venialem, sicuti quando voveo, vel oro rem venialiter malam? Certè constat nihil hujusmodi in hoc casu inveniri.

97. An sit idem ac peccare habitualiter

Porrò quod jam diximus de actuali complacentia peccati venialis, multi extendunt ad peccata habitualia non retractata, existimantes hominem peccare veniali sacrilegio, si sic accedat cum pluribus habitualibus, ut nequidem sit dispositus ad remissionem eorum per ipsum Sacramentum obtinendum. Alioquin cùm Eucharistia sit instituta in remissionem peccatorum venialium, profectò liquet nullum esse peccatum accedere cum venialibus sufficienter retractatis, adeoque dispositis ad remissionem.

An sit irreverentia impedit remissionem illum.

Et verò cùm remissio venialium, licèt non sit effectus primarius, ideoque non sit peccatum mortale illum impedire, tamen specialiter à Deo fuerit intenta in institutione hujus Sacramenti, videtur levis aliqua irreverentia, datâ operâ ponere obicem illi effectui, licèt secundario. Ita aliqui.

Sed minùs bene, salvo meliori: nam accedens ad Baptismum vel Pœnitentiam indispositus ad remissionem venialium, non propterea peccat veniali sacrilegio, cùm tamen etiam illa Sacramenta secundariò sint instituta in remissionem venialium.

98. Probatur ultima pars Concl.

Quæ ergo ratio disparitatis? Respondeo, major sanctitas & divinitas Eucharistiæ; familiarior & intimior cum Deo in hoc Sacramento communicatio, quàm in aliis. Unde specialiter ad ministrationi Eucharistiæ præmisit Christus Joan. 13. lotionem pedum, etiam illorum discipulorum, qui jam mundi erant à peccatis mortalibus.

Debet ergo homo sub mortali afferre vestem nuptialem; debet autem sub veniali curare, ut vestis illa sordida non sit, sed munda & nitida. Aliqua enim irreverentia est, licèt non gravis, cum veste, tametsi nuptiali, sordidâ tamen ac fœtidâ

fœtidâ accedere, qualis est in eo, qui multitudine venialium sordescit.

Ideo signanter dixi in Conclusione, *Vel pluribus habitualibus*; quia fragilitas humana non patitur ordinariè carentiam omnium, & Communio datur, imò suadetur iis, qui non sunt satis perfecti, ut omnes etiam veniales imperfectiones detestentur.

99. Obligatio procurandi munditiem à peccatis venialibus habitualibus debet intelligi moraliter.

Itaque obligatio procurandi munditiem & puritatem ante Eucharistiam intelligi debet moraliter, hoc est, juxta capacitatem, statum, & conditionem singulorum: nam sicut in convivio humano major mundities & nitor in vestibus & manibus exigitur ab homine nobili & ingenuo, quàm à rustico, agricolâ, aut operario, qui solùm debent procurare munditiem conditioni ac statui suo proportionatam; sic in convivio Eucharistico major puritas & mundities requiritur ab homine religioso, aut perfectionis statum habente, quàm ab homine laico, negotiis & curis sæcularibus implicato.

Lug.

Unde non potest (inquit Lugo disp. 14. n. 32.) regula universalis in hoc puncto tradi: in aliquibus enim erit irreverentia culpabilis, si accedant cum 20. v. g. venialibus, aut cum tali specie venialium; in alio autem illa non erit irreverentia culpabilis. Sicut (prosequitur Eminentissimus) ad hoc etiam Sacramentum reverenter suscipiendum requiritur præparatio & dispositio aliqua, & post Communionem aliqua etiam gratiarum actio, quæ tamen non in eadem mensura ab omnibus exiguntur, sed juxta singulorum conditionem & capacitatem; quis enim à puero vel rustico requirat eandem præparationem & orationem ante, & post Communionem, quàm ab homine religioso, vel Monacho contemplationi dedito? Hactenus Cardinalis, quem sequitur Dicastillo

Dicastillo.

disp. 9. n. 56.

100 An peccata venialia reddant ipsam Communionem malam?

Sed cùm in hoc conveniant illi Auctores; equidem discrepant circa punctum, quod sequitur. Quæstio est, an peccata venialia, de quibus hactenus egimus, semper reddant ipsam Communionem malam aut peccaminosam?

Negat Lugo?

Negat Cardinalis suprà n. 24. quia, inquit, adhuc stante illo actu peccati concomitanti, accessus ad Eucharistiam potest esse in se honestus & sanctus; imò & obligatorius. Quid enim si Sacerdos, dum celebrat, in ipsa Communione sentiret se distractum ad vanas cogitationes, ideonè deberet omittere Communionem, aut differre, & interrumpere cum populi scandalo, & contra reverentiam Sacrificii, donec colligeret mentem, & disponeret se meliùs? Imò potest, & debet Sacrificium continuare: peccat quidem in illa distractione, aut cogitatione; non tamen peccat in continuatione Sacrificii ex suppositione illius distractionis.

& probat à simili.

Sicut qui canit ex debito in choro, & advertit se esse distractum distractione levi & venali, non debet eo ipso interrumpere cantum; sed debet omnino progredi, ita ut peccet quidem habendo distractionem, ipsa tamen recitatio seu continuatio non sit novum peccatum, sed potiùs actio debita, & honesta. Hæc Eminentissimus.

Cæterùm admittit, quòd sit specialis culpa venialis cum illo peccato actuali accedere ad Communionem, vel (ut magis propriè loquamur) habere illum actum, quando acceditur ad Communionem. Sicuti in exemplo statim allegato, distractio illa non solùm est culpabilis ex proprio objecto; v. g. quia est auditio detractionis levis, quam socius fortè suggerit; sed etiam fit culpabilis propter circumstantiam recitationis Officii: atque ideo, etiamsi esset circa materiam indifferentem, esset tamen peccatum propter illam circumstantiam, quatenus impedit attentionem debitam orationi vocali; oportet tamen distinguere: non enim peccat homo, quia cantat aut recitat, sed quia audit, & attendit ad illa alia tunc, quando recitat, quæ distractio est culpa specialis contra Religionem; unde fieri potest quòd actu mereatur per ipsam voluntatem cantandi, aut recitandi juxta debitum suum, quæ voluntas est bona, & simul peccet, & demereatur per voluntatem concomitantem habendi distractionem eo tempore, quæ voluntas est mala.

Sic in nostro casu, qui accipit Eucharistiam cum peccato actuali veniali, habet duos actus: alterum accipiendi Eucharistiam, qui potest esse bonus & debitus; alterum habendi distractionem, & indevotionem actualem per illud actuale peccatum; & hæc voluntas potest esse mala; non solùm ex proprio objecto, quatenus est peccatum actuale inanis gloriæ, v. g. vel propositum mentiendi; sed etiam malitia contra Religionem, quatenus est irreverentia contra Sacramentum, quod actu suscipitur. Hæc ille.

101. Hanc doctrinam fusè oppugnat Dicastillo.

Hanc doctrinam diffusè oppugnat Dicastillo suprà à n. 44. Breviter: non est major irreverentia communicare, dum vana cogito, quàm vana cogitare, dum communico. Sicuti non est minor irreverentia communicare, quando cogito inhonesta, & in istis mihi complaceo, quàm inhonesta cogitare, & in istis mihi complacere, quando communico. Nemo autem dicet irreligiositatem quidem gravem esse in morosa illa delectatione, non tamen in actu communicandi: ergo similiter omnes dicere debent, levem irreligiositatem non tantùm esse in vana cogitatione, sed etiam in ipsa Communione. Quemadmodum enim præceptum negativum non communicandi indignè prohibet conjunctionem peccati mortalis cum susceptione Eucharistiæ, & è converso conjunctionem susceptionis Eucharistiæ cum peccato mortali: sic pariter præceptum negativum Religionis, quod prohibet cogitationem vanam, quando communicas, quidni etiam prohibeat Communionem quando vana cogitas? Certè non video disparitatem.

Enimverò si irreverentia est, simul ponere rem sacram, v. g. crucem, & sordes, proculdubio non solùm erit irreverentia sordes ponere ad crucem, sed etiam crucem ponere ad sordes: ergo pari ratione si irreligiositas est simul ponere Eucharistiam, & sordes vanæ cogitationis; non solùm erit irreligiositas ponere sordes vanæ cogitationis ad Eucharistiam, sed etiam ponere Eucharistiam ad sordes vanæ cogitationis.

Nec obstat, quòd possit esse obligatio communicandi; quia indè ad summum sequitur, quòd Communio sit actus ex objecto suo bonus & honestus, qui bene possit fieri. Alioquin per actum peccaminosum, etiam mortaliter, v. g. Communionem in malo statu, satisfieri præcepto Communionis Paschalis, est communis sententia, ut patet ex dictis sect. præced. concl. 4.

102. Objectio solvitur.

Dices; nemo tenetur peccare. Nemo planè: ergo qui vana cogitat non tenetur communicare: Nego Consequentiam, estò communicando in sensu composito, id est, conjungendo Communionem istis vanis cogitationibus peccet. Siquidem potest, & debet istas vanas cogitationes repellere, ideoque non necessitatur ad communicandum in sensu composito, id est, ad conjungendum Communionem cum istis vanis cogitationibus; sed in sensu diviso, id est, ad repellendas illas cogitationes, sicut potest facere (nam aliàs non essent peccaminosæ, cùm omne peccatum debeat esse voluntarium) & per consequens ad bene communicandum.

Qui vana cogitat, tenetur aliquando communicare,

Sicuti qui tempore Paschali est in statu peccati mortalis, tenetur nihilominus communicare, non in sensu composito, sed diviso; quia potest confiteri, & ita licitè communicare. Unde nullus dubitat quin peccet mortaliter non communicando, licèt fortè minùs, quàm si communicaret in malo statu.

estò peccet sic communicando.

Ergo similiter impræsentiarùm Communio, quæ conjungitur vanis cogitationibus, erit venialiter peccaminosa, estò omissio ejus in aliquo casu foret peccatum mortale. Tunc enim eligere ex duobus malis, quod minus est, desinit esse peccatum, quando ad alterutrum necessitaris: si verò utrumque potest præcaveri, sicut hìc potest, quodcumque ex his elegeris, peccabis; minùs quidem, si eligas minus; magis verò, si eligas majus. Indubiè autem majus est omittere Communionem, aut differre & interrumpere cum populi scandalo, & contra reverentiam Sacrificii, quàm distractè communicando Sacrificium continuare.

103. Eadem interna voluntas communicandi non potest esse simul intrinsecè bona & mala.

Cæterùm, an quia voluntas communicandi minùs mala, ideo censenda sit simpliciter bona & meritoria, quis audeat affirmare? Scio aliquos dicere, eandem eleëmosynam externam simul posse promereri gloriam & pœnam purgatorii, prout à diversis volitionibus imperatur: sed eandem internam voluntatem posse simul esse intrinsecè bonam & malam, quis unquam asseruit? Quomodo ergo una & eadem volitio conjungendi Communionem cum peccato veniali actuali, aut pluribus habitualibus non retractatis, possit esse simul bona & mala, meritoria gloriæ, & pœnarum purgatorii, haud satis video.

Unde & ipse Cardinalis suprà n. 26. docet, hujusmodi unam & eandem volitionem esse simpliciter malam, & per consequens etiam actum externum Communionis, qui ex illa procedit; cùm (inquit) nullam aliam habeat bonitatem, aut malitiam formalem actus externus, nisi quam accipit denominativè ab actu interno, à quo procedit.

Et similis videtur ratio, quando ipsa Communio assumitur ad malum finem obtinendum; quia tunc ille actus est causa rei malæ, & ut talis amatur; causa autem rei malæ semper est mala, saltem extrinsecè; v. g. si quis videret ex actu suæ orationis sequi mortem proximi, quia scilicet impedit succursum ipsius, talis actus internus esset malus, si ad illum finem assumeretur, quamquam alioquin actus orationis ex suo objecto sit bonus. Ergo similiter quantumvis Communio ex se sit actus bonus, si tamen adhibeatur ad finem ventaliter malum; v. g. ob vanam gloriam, videtur omnino esse malus, non solùm extrinsecè à malitia finis, sed etiam intrinsecè à speciali malitia venialis sacrilegii; sicut si fieret ob finem mortalem, proculdubio propter malitiam finis esset in illo actu gravis malitia sacrilegii: quia, ut suprà diximus, est abusus rei sacræ, qui non potest non esse intrinsecè malus.

Consequenter, quæcumque volitio, quâ quis sciens & volens vult communicare, & communicat tempore, quo sciens & volens simul cogitat vana, est intrinsecè mala. Enimverò licèt directè sit tantùm voluntas communicandi, simul tamen indirectè est voluntas conjungendi Communionem cum vana distractione. Eodem modo, quo voluntas cogitandi vana tempore, quo communicatur, directè tantùm est voluntas cogitandi vana; simul tamen indirectè voluntas conjungendi vanas cogitationes cum Communione. Ergo vel neutra voluntas est intrinsecè sacrilega (quod non) vel utraque, quod verius existimo: nam voluntarii directi & indirecti eadem est malitia; æqualiter siquidem peccat, qui directè vult occidere hominem, & qui directè vult transfigere feram, simul videns quòd hìc & nunc non transfiget illam, nisi simul occidat hominem: jam autem constat, directam voluntatem conjungendi Communionem cum venialibus peccatis, secundùm hactenus dicta, esse intrinsecè malam. Ergo consimiliter voluntas indirecta. Sin autem voluntas directa non sit peccaminosa, ut vult Vasquez suprà, & plures cum illo, qui docent oppositum nostræ Conclusioni,

clusionis, neque indirecta erit. Sed progrediamur ad alia, &

105. Ad Eucharistiam necessaria est interna devotio, saltem sub veniali.

Quæro primò an præter carentiam peccatorum tum mortalium, tum venialium, requiratur aliqua interna devotio, vel alia dispositio. Negari certè non potest, quòd res sacræ non solùm ex consilio, sed etiam ex præcepto, saltem sub veniali, propter suam dignitatem exigant peculiarem reverentiam in earum usu, aut receptione; unde ad ipsas preces sacras recitandas & loquendum cum Deo exigitur aliqualis præparatio, quâ cor avocetur ab externis, & mens elevetur ad Deum; imò continua attentio, saltem virtualis: quantò magis ad Eucharistiam suscipiendam, quæ est familiarior & intimior cum Deo communicatio? Nam quis eum excusaret ab omni culpa, qui à ludo surgeret immediatè, ut Eucharistiam susciperet, & statim ad ludum rediret? Igitur reverentiæ debitæ huic divinissimo Sacramento repugnat modus ille accedendi absque ulla devotione interna, aut præparatione.

Cæterùm devotionem illam non esse necessariam ad principalem Eucharistiæ effectum, diximus disp. 1. De Sacramentis in genere sect. 5. concl. 7. Sed numquid ideo quotidiana Communio omnibus justis indifferenter est permittenda; immo suadenda? Respondeo:

CONCLUSIO X.

Quotidiana Communio non est omnibus justis indifferenter permittenda, nec etiam neganda.

106. Quotidiana Communio non est indifferenter concedenda, nec neganda, ut censuit D. Bonav.

DE quotidiana Communione diffusiùs ab aliquibus hisce temporibus tractatur, eò quòd nonnulli Recentiores, præsertim in Hispania, eam acriter defendant, & summo studio invehere conentur. Rectè quidem, si simul invcherent debitam sanctitatem, & vitam primorum Christianorum.

Conclusio est Seraphici Doctoris Sancti Bonaventuræ 4. dist. 12. parte 2. art. 2. q. 2. ibi: *Respondeo dicendum, quòd si quis semper esset paratus, semper utile esset hoc Sacramentum recipere, ut scilicet haberet habitaculum mundum, & spiritualiter comederet hunc cibum cum honore & devotione. Quia igitur tempore Ecclesiæ primitivæ erant mundi per Baptismum in innocentiam, & charitatem ardentes per donationem Spiritûs Sancti, ideo congruebat eis quotidie communicare. Quia verò postmodum charitas refriguit, & per peccatum mundicia baptismalis ut in pluribus perdita fuit, relictum fuit indicio & conscientiæ unicuique, ut reciperet quando se dispositum videret, ne aliter manducaret ad suam damnationem.*

Et quia homines incæperunt fieri negligentes, oportuit, ut iterum institueretur à Summo Pontifice frequentatio. Sed quia frequentabant multi, & non bene se præparabant, instituit Fabianus, ut tribus anni solemnitatibus, in quibus homines melius parantur, & quas desiderabilius expectant, communicarent, scilicet Natali, Paschate, & Pentecoste. Et quia homines adhuc processu temporis in his tribus temporibus negligenter se præparabant, ideo hoc ad extremum est ad Paschæ reductum, quod præcedit tempus præparationis, scilicet Quadragesima.

Si ergo quæritur, utrùm expediat frequentare alicui? Dicendum quòd si videat se esse in statu Ecclesiæ primitivæ, laudandum est quotidie communicare. Si autem in statu Ecclesiæ finalis, utpote frigidum & tardum, laudandum est quod rarò. Si autem medio modo, medio modo debet se habere, & aliquando debet cessare, ut addiscat revereri; aliquando accedere, ut inflammetur amore. Quia tali hospiti debetur honor, debetur & amor; & tunc secundùm illam partem, secundùm quam viderit se melius proficere, ad illam magis declinet; quod homo solùm experientiâ discit. Omnes ergo rationes ad primam partem pro frequentia intelliguntur, salvâ debitâ præparatione, quæ in paucissimis est ut semper. Hæc D. Bonaventura hujus venerabilis Sacramenti devotissimus testis; cum quibus (inquit Lugo disp. 17. n. 11.) videant Adversarii quomodo cohæreant, quæ docent, dum dicunt, Communionem quotidianam expedire omnibus cujuscumque statûs & conditionis, dummodò non sint in mortali, & præparationem debitam ad istam frequentiam reperiri in omnibus etiam laicis ritè absolutis à lethalibus. *Lugo.*

Aliud præclarum testimonium ejusdem Seraphici Doctoris habemus Tractatu de Processu Religionis, processu 7. cap. 21. ubi sic ait: *Vix aliquis ita religiosus esse videtur, & sanctus (exceptis Sacerdotibus) quin semel in hebdomada sufficiat ei ex consuetudine communicare, nisi specialis causa quandoque, & rarò plus suadeat, ut infirmitas superveniens, vel singulariter solemnis Festivitas, vel inusitatæ devotionis fervor, & intemperata desiderii sitis sit pro illius susceptione, qui solus sufficit ardorem animæ se amantis refrigerare.*

107. & alii Scholastici, *D. Thomas. Alensis. Richardus. Victoria.*

Hunc modum loquendi observant alii Scholastici. Doctor Angelicus 3. parte q. 80. a. 10. in corpore, & 4. dist. 12. q. 3. art. 1. quæstiunculâ primâ. Alexander Alensis 4. parte art. 4. quæstiunculâ 2: Richardus, Victoria, & alii tam veteres, quàm recentiores, quos citat Lugo suprà à n. 9. usque ad 16. à quo communi Scholasticorum consensu in re gravi, & morali, non licet privatâ auctoritate discedere; præsertim cùm credibile non sit, Scholasticos & Doctores gravissimos sine firmissimo fundamento in hanc sententiam conspirasse.

Quæris, quod sit illud fundamentum? *Tali hospiti* (inquit Bonaventura) *debetur honor, debetur & amor.* Et infrà: *Maiorem efficaciam credo recipit homo in una Missa, vel manducatione* *D. Bonav.*

cum

Fundantes se in reverentia & utilitate Sacramenti,

cum bonâ præparatione, quàm in multis, si non se præparet diligenter. Fundamentum ergo, reverentia & utilitas Sacramenti. *Honor Regis* (inquit Propheta Regius Psal. 98. v. 4.) *iudicium diligit.*

Et quare putamus Ecclesiam prohibuisse laicis usum calicis, quare etiam Sacerdotibus duplicem Communionem in eadem die, excepto Natali Domini, nisi causâ reverentiæ & decoris?

108. Quæ etiam est ratio quare Ecclesia non communicet infantes,

Cur non communicat infantes baptizatos secundùm consuetudinem antiquissimorum & Sanctissimorum Patrum? Similiter pueros doli capaces ante perfectum usum rationis? An quia incapaces gratiæ sanctificantis? Contrarium constat ex suprà dictis sect. 8. concl. 4. & sequentibus. Cur igitur? Æstimo propter reverentiam & utilitatem augustissimi ac divinissimi hujus Sacramenti.

ut colligitur ex Trident.

Colligo ex Concilio Tridentino sess. 21. in qua traditur doctrina tum de Communione sub utràque specie, tum de Communione parvulorum. Etenim postquam cap. 1. dixisset atque declarasset, Laicos, & Clericos non conficientes non adstringi jure divino ad Communionem sub utraque specie, cap. 2. volens reddere rationem suæ justissimæ prohibitionis, *declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, vel ipsorum Sacramentorum veneration, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret.* Ergo judicarunt Patres Concilii expedire utilitati suscipientium, aut certè Sacramenti Eucharistiæ veneration, ut laicis non daretur nisi sub una specie; parvulis autem omnino negaretur. Et sanè quæ alia potuit esse ratio prohibendi multiplicem Communionem in eodem die?

109. Eadem fuit ratio prohibendi multiplicem Communionem eodem die.

Dices; quia per unam Communionem melius repræsentatur unitas mortis & passionis Christi. Sed contrà; licèt hæc sit ratio alicujus congruentiæ, non tamen convincens: posset enim pariter ob eundem respectum prohiberi duplex Communio in hebdomada. Ratio ergo fuit, major reverentia & utilitas, ut testatur

Honorius III. Pontifex Honorius Tertius de celeb. Miss. cap. 12. ibi: *Cùm cuilibet Sacerdoti, quacumque dignitate præfulgeat, unam in die Celebrare Missam sufficiat: nam & valde est felix qui celebrat dignè unam.*

Gabriel. Unde Gabriel sect. 87. in Canonem: Ad dignam sumptionem hujus Sacramenti requiritur meditatio excellentiæ tanti Sacramenti, ut mens excitetur ad sumendum cum reverentia & devotione. Requiritur etiam meditatio propriæ indignitatis, ut excitetur animus ad sumendum cum timore &c. Hæc autem difficulter dignè exhibentur pluries unâ die; unde tandem in consuetudinem veniret, sine hac præparatione sumere, & per hoc minùs reverenter. Hæc ille.

Consimiliter dico ego: Hæc autem difficulter dignè exhibentur quotidie, maximè ab hominibus imperfectis, qui curis sæcularibus implicantur; unde tandem in consuetudinem veniret sine hac præparatione sumere, & per hoc minùs reverenter. Constat profectò ntmiam frequentiam & familiaritatem alicujus personæ sæpè sæpiùs parere ejus contemptum: & experientia, etiam in personis Religiosis, ostendit Communionem nimis frequentem abire in consuetudinem torpori admixtam, ortam magìs ex usu, quàm ex fervore spirituali.

110. Quotidiana præparatio ad devotam Communionem difficilis est hominibus imperfectis

Ex quo fit, ut maneant æquè tepidi & difficiles ad resistendum tentationibus; augmentum enim gratiæ, quod accipiunt, valde exiguum est, & gratiæ actuales paucæ, imò, secundùm aliquos, nullæ. Quis ergo jure potest mihi indignari, si dixero, meliùs esse cum magna animi præparatione, & per consequens cum magno fructu spirituali, semel in hebdomada communicare, quàm cum parva devotione, & quodam quasi fastidio, adeòque nullo ferè fructu quotidie? Ipsa ratio naturalis videtur id dictare.

Melius est semel in hebdomada cum magna devotione communicare, quàm quotidie cum parva

Hinc appositè D. Augustinus (vel quicumque est Auctor) lib. de Eccles. dogmatibus cap. 53. *Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudo nec reprehendo: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit.*

111. Quibusdam expedit ut pius communicare quibusdam tardè. S. Bern. D. Chrysost.

Sed quare putas hic Auctor, nec laudat, nec reprehendit Communionem quotidianam? Respondet Doctor Seraph suprà in 4. *Quia quibusdam magis est utile frequentare, quibusdam tardè.* Nam *quando dicit: Sancta sanctis* (verba sunt Divi Chrysostomi Homiliâ 17. super Epistolam ad Hebræos) *hoc dicit: si quis non est sanctus, non accedat, non simpliciter dicit, à peccatis mundus, sed sanctus: sanctum enim non mundatio peccati tantùm facit, sed etiam præsentia Spiritus & bonorum operum opulentia. Non enim inquit, volo à cœno vos mundos esse, sed etiam albos esse, & pulchros* &c.

Sententia D. Aug.

Et quoniam non omnes quotidie albi sunt & pulchri, ideo divus Augustinus Epistolâ 118. sic dirimit hanc litem: *Faciat*, inquit, *unusquisque, quod secundùm fidem suam piè credit esse faciendum. Neuter enim eorum exhonorat Corpus & Sanguinem Domini, si salubertimum Sacramentum certatim honorare contendant. Neque enim litigaverunt inter se, aut quisquam eorum se alteri præposuit Zacheus, & ille Centurio, cùm alter eorum gaudens in domum suam susceperit Dominum; alter dicit*: Non sum dignus ut intres sub tectum meum. *Ambo Salvatorem honorificantes diverse, & quasi contrario modo, ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti.*

Valet etiam ad hanc similitudinem, quòd in primo populo unicuique manna secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat, sic in ore cuiusque Christiani Sacramentum illud quo modo sumatur æstimandum.

dum. Nam & ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet ullo die prætermittere. Contemptum solum non vult cibus ille, sicut manna fastidium. Inde enim & Apostolus indignè dicit acceptum ab eis, qui hoc non discernebant à cæteris cibis veneratione singulariter debitâ. Continuò quippe cùm dixisset: Judicium sibi manducat & bibit: addidit ut diceret; non dijudicans Corpus Domini: quod satis toto ipso loco in Epistola ad Corinthios prima, si diligenter attendatur, apparet. Hucusque dilectus Deo, & hominibus Augustinus.

Ubi, ut vides, nec suadet quotidianam Communionem, nec reprehendit; sed relinquit unumquemque conscientiæ suæ; secluso semper contemptu tanti Sacramenti, id est, ut non accedat in statu peccati mortalis. Mirum sanè si sanctissimus ille Pater judicasset expedire omnibus justis quotidie communicare, & ne minimo verbo id significasset.

112. Objectio ex S. Aug.

Quin imò, inquit aliquis, clarissimis verbis id significavit Serm. 28. de verbis Domini, ibi: *Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quem tam modum Græci in Oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere.*

Neque unius Sancti Patris Augustini ea fuit sententia; *Sed*, (inquit Catechismus Pii V. p. 2. cap. 4. q. 46.) *si quis diligenter attenderit, eundem omnium Patrum, qui de hac re scripserunt, sensum fuisse facile comperiet.*

Chrysostomo,

Unde D. Chrysostomus homiliâ 3. in Epist. ad Ephesios. *Tempus non efficit dignos tanti aditu Sacramenti; sed solæ animæ sinceritas atque expurgatio; cum tali puritate accede semper, sine hac ne præsumas unquam.*

& Bonaventura

Et Sanctus Bonaventura de Processu Religionis suprà: *Et licèt aliquando tepidè, tamen confidens de misericordia Dei, fiducialiter accedat, quia si se indignum reputet, cogitet quòd tantò magis æger necesse habet requirere medicum, quantò magis sentit se ægrotum. Non est enim opus valentibus medicus. Nec ideo quæris te iungere Christo, ut eum sanctifices, sed ut sanctificeris ab ipso.*

Sed attende, quod paulò post attexit: *Circa Sacerdotes autem potest hæc forma teneri, ut nec nimis raro, nec semper continuè, & imprætermisse sacram hostiam studeant immolare. Nimis enim continuè celebrare, aliquam videtur notare irreverentiam, cum vix aliquis tam devotus sit, qui semper eadem devotione ferveat, quòd semper illud cum debita reverentia faciat, & cordis ardore, quin aliquando tepeat quantulumcumque. Nimis etiam raro celebrare, quamvis ex reverentia soleat aliquando fieri, & humilitate, tamen quandoque torporem nutrit, quia minus circumspectus est homo in omnibus, quasi non indigere videatur sui custodiâ, cùm non proponit accedere ad mensam Christi. Humilitas etiam non est usquequaque secura, propter quam diu se subtrahat; quia sicuti non est dignus sæpè Corpus Christi percipere; ita nec semel. Ideo non recipimus illud, quasi qui digni sumus, sed ut illo nos sæpè visitante, & habitaculum cordis & corporis nostri subintrante, magis ac magis digni efficiamur.*

Ecce quantùm aberrant à doctrina Seraphica, qui non solùm Sacerdotibus, sed omnibus indifferenter hominibus, viris ac mulieribus, perfectis juxtà ac imperfectis, suadent, eo ipso, quo absolutionem à lethalibus peccatis obtinuerunt, uti jure suo, & invito etiam ac dissuadente Confessario quotidie ad Communionem accedere.

113. Explicatur D. Bonav. de frequenti Communione.

Quid ergo ad priora verba D. Bonaventuræ? Respondeo, frequentiam commendat hujus sanctissimæ mensæ. Colligo ex antecedentibus & immediatè consequentibus. *Salubre*, inquit, *& utile est, quòd homo sæpe se ad illius medicamenti susceptionem præparet, & quantâ devotione valet, illud percipere studeat, & post perceptionem in studio devotionis se conservet attentius.* Hæc præcedentia; consequentia autem: *Nec propterea prætermittenda est sacra Communio, si quandoque non sentiat homo specialem devotionis gratiam, cùm se ad illam præparare studet, vel cùm in ipsa præparatione, vel post fortè minus devotum se sentit, quàm vellet.*

De eadem frequentia interpretari possumus verba D. Chrysostomi & Augustini. Certè D. Augustinus, ut patet agit contra morem Græcorum singulis annis tantùm semel communicandi, & optat ut magis quotidie communicemus, id est, valde frequenter, imò simpliciter singulis diebus, salvâ semper debitâ præparatione, quæ in pauciſſimis est ut semper. *Sic*, inquit, *vive, ut quotidie mereatis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere*; id est, dilatio temporis per se non efficit dignos tanti aditu Sacramenti, *sed sola animæ sinceritas*, inquit Chrysostomus, *atque expurgatio; cum tali puritate accede semper*; equidem cum proportione, id est, suis congruis temporibus; sicut oportet semper orare. Vel etiam, *cum tali puritate accede semper*, id est, numquam accede sine illa: unde statim subjungitur pro majori claritate: *Sine hac ne præsumas unquam.*

utì etiam Chrysostomus, & Augustinus.

Dilatio temporis per se non efficit dignum, nec quotidiana frequentatio indignum.

Itaque neque dilatio temporis per se confert aliquid ad meliorem præparationem, neque quotidiana frequentatio per se illam minuit: quamquam per accidens nimia frequentia pareat nauseam, extinguat famem, & inducat quamdam irreverentiam.

114. De frequenti Communione intellexit SS. Patres Pius V. in Catechismo Romano.

Ita intellexit Sanctos Patres Pius V. in suo Catechismo p. 2. c. 4. q. 46. dicens: *Fideles non satis habeant, se, huius decreti auctoritati obtemperantes, semel tantummodo Corpus Domini quotannis accipere; verùm sæpius iterandam Eucharistiæ Communionem existiment. Utrùm autem singulis mensibus, vel hebdomadis, vel diebus id magis expediat, certa omnibus regula præscribi non potest: verumtamen illa est Sancti Augustini norma certissima:* Sic vive, ut quotidie possis sumere. *Quare Parochi partes erunt, Fideles crebrò adhortari, ut quemadmo-*

dum corpori in singulos dies alimentum subministrare necessarium putant: ita etiam quotidie hoc Sacramento alendæ & nutriendæ animæ curam non abuciant: neque enim minùs spirituali cibo animam, quàm naturali corpus, indigere perspicuum est.

Atque inter alia motiva signanter enumerat *Sanctorum Patrum auctoritates, quæ frequentem huius Sacramenti perceptionem magnopere commendant.* Frequentem, inquit, non quotidianam; quamquâ alioquin etiam quotidianam, sed, ut suprà dicebam ex Seraphico Doctore, *Salvâ debitâ præparatione, quæ in paucissimis est ut semper.* Hanc debitam præparationem petimus illis verbis Dominicæ orationis: *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Nec aliud voluit Tridentinum.

Nec aliud quidpiam voluit Concilium Tridentinum quando sess. 22. c. 6. in principio ait: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus ut in singulis Missis fideles adstantes, non solum spirituali affectu; sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent quo ad eos sanctissimi huius sacrificii fructus uberior proveniret.* Alioquin in rigore intellectum de omnibus adstantibus probat frequentiorem in die Communionem, cùm multi fideles non uni tantùm, sed pluribus sacrificiis singulis diebus assistant. Optat ergo ut aliqui saltem communicent: optat ut digni inveniantur; non tamen ut in præsenti facie Ecclesiæ id promiscuè omnes faciant, etiam justi.

115. Huic expositioni opponitur declaratio Cardinalium:

Sed contrà; hæc explicatio repugnat declarationi Cardinalium in 4. volumine decisionum Rotæ supra illum locum Concilii, quæ sic habet: *Obstat Concilium Tridentinum Episcopo volenti præscribere certa tempora (veluti dies Dominicos, quartam, & sextam feriam) quibus tantùm liceat viris laicis coniugatis, negotiatoribus, & mulieribus, etiam non coniugatis, sanctissimam Eucharistiam sumere, ob irreverentiam, quam potest quotidiana huius Sacramenti sumptio in sua Diœcesi parere.* Et redditur ratio, ob quam Concilium obstet: *Quia antiquo tempore, peractâ consecratione, omnes adstantes sumebant Eucharistiam: & ideo licitum est quotidie Eucharistiam sumere.*

sed exponitur.

Respondeo ex illis verbis nihil aliud colligi, quàm usum quotidianum Eucharistiæ per se esse laudabilem, & desiderandum ob innumeros fructus, quos parere potest in Ecclesia. Et ideo peràm à particulari aliquo Episcopo determinari certos dies, quibus, & non aliis, liceat suis subditis communicare. Sicuti meritò argueretur Episcopus, qui universè prohiberet statum Religiosum, licèt certum sit omnibus in particulari eum statum non convenire.

Quæstio ergo non procedit de perfectione hujus frequentiæ secundùm se, sed prout in hoc individuo (ut ita loquar) potest enim contingere aliquem actum secundùm se esse perfectiorem, & tamen huic individuo non esse utiliorem, licèt alioquin non sit illicitus. Sanè dubitari haud potest esse melius ac beatius manere in virginitate, aut cælibatu, quàm jungi matrimonio, ut constat ex Tridentino sess. 24. can. 10. ubi dicit anathema contrariù asserenti: nihilominus dari potest casus, in quo magis expediant huic fœminæ nuptiæ, quàm cælibatus, juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. v. 9. *Melius est nubere, quàm uri.* Trident. 1. Cor. 7.

115. Non refert quod omnia quotidie communicarent.

Si dixeris in primitiva Ecclesia omnes quotidie communicabant. Respondeo citiùs, *Omnes enim* (utor verbis Catechismi Romani suprà) *qui tunc fidem Christianam profitebantur, verâ & sincera charitate ita ardebant, ut cum sine intermissione orationibus, & aliis pietatis officiis vacarent, quotidie ad sacra Dominici Corporis mysteria sumenda, parati inveniebantur.* Charitas autem & pietatis studiù ita hodie in multis fidelibus refrixerunt, ut, non dico quotidie, non singulis hebdomadis, aut mensibus, sed, pudet dicere, ne singulis quidem annis parati inveniantur ad sacra Dominici Corporis mysteria sumenda.

Reponit aliquis; Video me esse in statu primitivæ Ecclesiæ. Repono & ego cum Doctore Seraphico suprà 4. dist. 12. *Laudandum est quotidie communicare.* Sed quot tales hodie inveniuntur. ? Rara avis in terris.

116. Vel aut quod plerumque eadem quotidie celebrent.

Dices: omnes Sacerdotes quotidie celebrant. Respondeo non omnes, ut patet, sed multi, secuti consilium D. Bonaventuræ suprà libro de Processu Religionis, propter periculum irreverentiæ & indevotionis subinde abstinent. Qui autem continuò celebrant, si quis fortè defectus irreverentiæ interveniat, compensatur per obligationem celebrandi: sunt quippe nuntii & ministri publici ab Ecclesia deputati, & ad hoc specialiter consecrati, ut pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus Missæ Sacrificium Deo offerant. Quidni igitur puritas & sanctitas Ecclesiæ eorum defectum suppleat? Accedat obligatio extrinseca ratione beneficii, obedientiæ, aut sustentationis.

Ex quo facilè occurritur alteri objectioni: Tantam, inquis, sentio mentis ariditatem, & indevotionem singulis annis, mensibus, hebdomadis, atque singulis diebus. Respondeo, tunc ab indecentia excusat major necessitas; ut patet in amente, cui dum sanus est, non datur Eucharistia ob indecentiam, & tamen datur in articulo mortis propter majorem necessitatem.

118. Inferno S. Hilar.

Instabis ex Hilario, & ponitur de Consec. dist. 2. cap. 15. *Si non sunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non se debet à medicina Corporis & Sanguinis Domini separare.*

Rebilius

Respondeo, per modum pœnæ, alioquin prohiberet, quòd etiam cum peccato mortali, propter quod non est excommunicatus, posset accedere. Solùm ergo vult Hilarius, Communionem non esse omittendam intuitu præcedentium delictorum, si homo velit se debitè præparare, nisi propter illa fuerit excommunicatus.

Quo etiam sensu loquitur Gregorius lib. 2. ep. Epistolâ 26. *Sicut, exigente culpâ, quis a Sacramento Communionis dignè suspenditur, ita insontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta.*

Objiciunt

119. Objectio ex Apostolo 1. Cor 11. solvitur.

Objiciunt denique Apostolum 1. Cor. 11. 28. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat* &c. Respondeo sensum Apostoli esse negativum, id est, non edat de pane illo nec de calice bibat, nisi antèà seipsum probaverit. Cæteroquin verba illa intellecta in sensu affirmativo, vel non sunt consulentis, sed permittentis tantùm edere, postquam præcesserit puritas à peccato lethali; vel certè dicendum erit, expedire Communionem non tantùm post pollutionem nocturnam inculpabilem, vel venialiter culpabilem, sed etiam statim post fornicationem, & adulterium, post pollutiones voluntariè in vigilia procuratas, si modò per absolutionem sacramentalem peccatum fuerit remissum, quod planè alienum est à sensu Sanctorum, & praxi communi. Quin imò in primitiva Ecclesia prohibita fuit Communio post copulam licitam, ut edissero Sectione sequenti, Conclusione primâ, quantò magis dissuadenda est in statu Ecclesiæ finalis post copulam illicitam?

Gregorius intelligit Apostolum etiam de peccatis venialibus.

Accedit, quòd Gregorius Papa 1. Reg. 1. prædicta verba Apostoli intelligit de munditia etiam à venialibus. Nam cùm dixisset, peccata, etiam minima, evacuanda, ut famelici simus, statim subdit: *Hac repletione nos evacuare Paulus insinuans, ait:* Probet seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. *Quid enim est hoc loco probare, nisi evacuatâ peccatorum nequitiâ, se probatum ac purum ad Dominicam mensam exhibere? De repletis etiam subdit*: Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit. *Qui ergo quotidie delinquimus, quotidie ad Pœnitentiæ lamenta curramus; quia ipsa sola virtus est, quæ evacuet, quod in ventre animæ culpa coadunat, & tunc verè famelici saturantur; quia quò studiosius mundamur lamento pœnitentiæ, eò uberiorem divinæ gratiæ fructum recipimus in spirituali refectione.* Hucusque Gregorius.

Ubi non vult venialia inducere gravem reatum communicandi; sed cum proportione quadam consilium Pauli accipiendum, ut scilicet eò major fructus speretur, quò major fuerit evacuatio; & eò plùs periculi esse in hac mensa, quò minùs evacuata fuerint, etiam venialia & quotidiana peccata.

120. Monitum Sancti Patris Francisci.

Finio hanc materiam (de qua plura videri possunt apud alios) exemplo & verbis Sanctissimi P. N. Francisci, qui in Epistola verè aurea ad Sacerdotes Ordinis sui, viros utique sanctos & perfectos sic scribit circa finem: *Moneo præterea, & exhortor in Domino, ut in locis, in quibus morantur Fratres, una tantùm celebretur Missa in die; secundùm formam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Si verò in loco plures fuerint Sacerdotes, sic sit, per amorem charitatis, alter contentus auditâ celebratione Sacerdotis alterius; quia absentes, & præsentes replet, qui eo digni sunt, Dominus noster Iesus Christus.* Hæc Sanctus Franciscus; veritus ne propter quotidianam sacrificandi consuetudinem, tanti mysterii debita reverentia, quam in hac ipsa Epistolâ anxius inculcat, & summopere commendat, paulatim declinaret, & in ipsis sacrificantibus fervor tanto Altari dignus, aliquantulùm teperet.

Quod & ipsum Sanctissimum Patrem, virum alioquin Spiritu Sancto plenum, speculum omnis sanctitatis & perfectionis retraxit & omnino repulit à Sacro Presbyteratûs ordine suscipiendo, & Divum Bonaventuram Francisci spiritûs hæredem, & devotionis participem, per multos dies à celebrando continuit, quoad usque, mirandum, per Angelum ad os ejus Synaxis sacra perlata est à manu Sacerdotis celebrantis.

Hæc dicta sint, non quòd omnibus indifferenter sit dissuadenda quotidiana Communio: experientia enim docet multos Sacerdotes non sine ingenti fructu quotidiè celebrare; sed quia existimo, non omnibus indifferenter, præsertim sæcularibus, illam esse permittendam.

121. Attendendum consilium Confessarii, ut probat praxis fidelium,

Cæterùm si à me quæritur, utrùm singulis mensibus, hebdomadis, vel diebus expediat communicare? Respondeo, certa omnibus regula præscribi non potest. Qui ergo noluerit errare, attendat consilium prudentis Confessarii, cujus erit hanc frequentiam plùs, minusvè extendere pro majori vel minori ipsius aptitudine; ad quod probandum sufficit receptissima praxis fidelium.

& revelatio facta S. Gertrudi, quam refert Ludovic. Blosius.

Equidem libet addere, quod Ludovicus Blosius in Monili spirituali cap. 6. refert Sanctam Gertrudem intellexisse à Domino: *Quotquot*, inquit, *viri vel fœminæ sæculares vivunt in aliquo statu, qui a Deo & Ecclesia non discordet, sive sint in Matrimonio, sive extra Matrimonium, sive vendant, sive emant, seu quavis aliâ licitâ ratione victum sibi parent, si benâ voluntate præditi ex Dei gratiâ perseverant in bono, & à gravibus culpis sese contineant, vitamq; suam secundùm Dei præcepta, ac Sanctæ Ecclesiæ decreta dirigere volunt, peccataq; sua humili corde Sacerdoti confitentur; hi omnes de Dei misericordiâ confisi, venerandum Eucharistiæ Sacramentum in solemnitatibus, vel diebus à Patre spirituali ipsorum statutis accipere possunt. Licèt enim rebus externis multipliciter occupati sint, & in leviores culpas sæpiùs cadant, pro viribus tamen sunt iusti in omnibus, ob idq; Deo placent. Inveniuntur autem nonnunquam inter eos, qui habitum sæcularem gestant, aliqui tam puri & ferventes, vel sancti, ut quotidie sacram Communionem percipere possint.*

Atque ex his coronidem impono huic Sectioni, in qua egimus de dispositionibus requisitis ad effectum Sanctissimæ Eucharistiæ ex parte animæ. Interim quia anima non reficitur spiritualiter (intellige ex opere operato) nisi præcesserit manducatio corporalis, etiam ipsum corpus suas requirit dispositiones, de quibus jam jam disputo.

SECTIO UNDECIMA.

De Dispositionibus requisitis ex parte corporis.

1. AD dispositiones requisitas ex parte corporis ab aliquibus reducitur usus rationis, idq; non adeò inconvenienter; etenim licèt videatur proximè spectare ad animum, attamen radicaliter est in corpore; quippe impeditur ex corporali indispositione phantasiæ, à qua intellectus pro statu isto dependet in contemplando. Sed de hac dispositione satìs fusè egimus Sect. 8. vide ibi dicta. Igitur quæ ad corpus pertinent, reduco ad munditiam externam, & internam ipsius corporis, & ad jejunium naturale, de quibus hac Sectione erit dicendum. Incipio à munditia & dico primò:

CONCLUSIO I.

Pollutio mortalis expiata per Confessionem, per se non impedit Communionem, bene per accidens.

2. QUòd pollutio mortalis non expiata impediat Communionem, nemo Catholicus potest dubitare. Similiter satìs constat inter Doctores (quidquid nonnulli videantur contradicere) pollutionem mortalem expiatam per Confessionem, non impedire principalem effectum Sacramenti, adeoque illud sine mortali peccato posse suscipi. Ratio; quia ubi non est lex graviter obligans, non est gravis prævaricatio.

Pollutio mortalis per Confessionem expiata non impedit, per se loquendo,

D. Bonav.

Hinc quando Doctor Seraphicus 4. dist. 12. parte 2. art. 2. qu. 3. dicit: *Prima immunditia* (id est, pollutio veniens ex turpi cogitatione, vel crapula) *impedit, propter hoc quòd homo debeat reputare se immundum. Unde non recipit Sacramentum cum reverentia, qui sic immundus est, nisi necessitas compellat: & propter irreverentiam privatur fructu, & incurrit damnum.* Hoc, inquam, intelligendum venit, non de fructu principali, vel damno essentiali; sed de fructu ampliori & damno accidentario, quod facilè incurrit, qui minùs reverenter accedit, cùm Spiritus Sanctus, etiam per Sacramenta, operetur secundùm propriam cujusque dispositionem.

sed bene per accidens. ex mente D. Bonaventu. ræ,

Nota, quod ibidem post pauca subjungit Sanctus Bonaventura. *Si quis quærat, utrùm semper quando polluitur corporaliter, cessare debeat: Dicendum est, quòd si sentit inquinationem illam multùm animam inclinasse, quia in actu illo fit homo caro, sive in somnis, sive in vigiliis, consulendum esset ei facere reverentiam Sacramento. Si autem sentit naturam magis expeditam & ulteriùs devotio trahat ad perceptionem, & solemnitas tribuat aliquid, quod multùm recompenset, tunc arbitraretur ipsum sine remorsu posse accedere. Concedendum ergo, quòd solum propter carnis immunditiam non impeditur; sed quia hæc immunditia comuncta est immunditiæ mentis, quia cogitatio citò transit; sed immunditia carnis horrorem relinquit, & diutius durat, & inordinat; & ideo quamvìs pollutio sit peccatum veniale, magis tamen impedit, quàm aliud veniale, propter horroris diuturnitatem, & maiorem deordinationem.* Hæc ille.

3. Ex quibus patet veritas nostræ Conclusionis, & manifestè colligitur, non posse in hoc puncto constitui regulam aliquam universalem, quia totum pendet ex variis circumstantiis, quas maturo judicio ponderare debet prudens Confessarius; aliquando enim indecentia erit talis, ut absque peccato veniali homo non possit accedere; subinde quidem poterit absque peccato; sed meliùs erit abstinere: interdum meliùs erit accedere.

& confessione Rubricarum.

Quare sic ordinant Rubricæ Missalis Tit. de defectibus cap. 9. n. 5. *Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est à Communione & celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare, & celebrare, nisi ex illa corporis commotione, tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.*

Sanè tanta perturbatio mentis potest permanere, ut non solùm consultum sit abstinere, verùm etiam peccatum veniale sit accedere, quidquid contradicat Joannes Sancius in quæstionibus selectis disp. 23. n. 30. ubi docet, quocumque modo posita sit pollutio, si tamen postea Confessione purgaverit se pœnitens, nullam esse, nec posse esse culpam venialem eâdem die communicare. Fundatur; quòd ille solus indignè accedit, qui sibi conscius alicujus peccati mortalis non præmittit Confessionem sacramentalem.

Hanc sententiam vocat Lugo disputat. 15. sect. 1. nu. 4. singularem & falsam; præsertim si

Lugo.

si intelligatur non solùm de facto, sed etiam de possibili, prout ille Auctor videtur intelligere. Et certè ejus fundamentum, vel nihil concludit, vel probat, numquam posse actum communicandi reddi venialiter malum ex aliqua circumstantia. Vel enim dignè suscipitur Sacramentum, & sic nullum committitur peccatum, secundùm ipsum: vel indignè, & sic peccatur mortaliter; quia Sacramentum frustratur omni suo effectu. Hæc autem doctrina nova est, & contra omnes Theologos, qui passim supponunt in receptione aliorum Sacramentorum posse peccari venialiter: cur ergo non etiam in receptione hujus Sacramenti?

5. In multis casibus potest communicans peccare venialiter.

Enimverò potest esse levis obligatio, illo tempore, quo communico, assistendi infirmo, restituendi aliquid leve, quod postea restitui non poterit: aut certè ex Communione mea oritur leve scandalum, quod sub veniali debebam vitare, sequitur nocumentum leve propriæ sanitatis. Quidni in istis & similibus casibus communicans peccet venialiter, vel contra charitatem, vel contra justitiam? Nonne multi docent peccare venialiter Sacerdotem, qui sine aliqua causa celebrat antequam legerit Matutinum cum Laudibus?

Ergo similiter propter indispositionem, sive perturbationem mentis relictam ex pollutione culpabili, aut inculpabili, fieri potest, ut communicans peccet solùm venialiter, utique, quia ejus Communio opponitur leviter reverentiæ debitæ huic divinissimo Sacramento: nec enim reverentia illa consistit in indivisibili, ut patet in illo, qui accedit ad celebrandum, vel communicandum absque ulla præparatione, aut oratione prævia, vel cum peccato veniali actuali, aut pluribus habitualibus, de quo egimus Sectione præcedenti Conclusione 9.

Profectò nemo sanæ mentis potest negare in externa modestia & corporis compositione graviter & leviter posse peccari contra hanc reverentiam; ergo itidem in modestia & compositione animi interna: quæ enim vel in speciem potest assignari ratio disparitatis?

6. An talis communicet indignè?

Rogas; an qui peccat venialiter communicando, accedat dignè vel indignè? Respondeo accedere indignè, haud equidem indignitate gravi, sed levi, quæ non tollit omnino effectum Sacramenti ex opere operato, estò illum minuat; de qua proinde indignitate non intelligitur Apostolus, quando dicit 1. Cor. 11. v. 29. *Qui enim manducat, & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit.* Et v. 27. *Quicumque manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini.* 1. Cor. 11.

Indignè, inquam, id est, in statu peccati mortalis, sive cum conscientia peccati mortalis: quæ est indignitas simpliciter, tollens omnino effectum Sacramenti, & denominans simpliciter Communionem sacrilegam. *Probet* ergo *seipsum homo*, examinet conscientiam suam, & si liberam illam inveniat à peccatis mortalibus, *sic de pane illo edat*, id est, non aliter. *Qui enim manducat* cum conscientia peccati mortalis *judicium sibi manducat: non diiudicans Corpus Domini*; judicium certè æternæ damnationis.

Atque hæc videtur fuisse principalis intentio Apostoli, ut patet ex contextu istius capitis, videlicet non ita consulere Communionem post Confessionem peccatorum mortalium, quàm Communionem simpliciter indignam dissuadere. 7.

Et dato quòd positivè consuluisset, indubiè intelligendus venit, servatis servandis, id est, cum debitâ alioquin reverentia, tam interna, quàm externa, debita, inquam, sive jure naturali, sive positivo, graviter, vel leviter obligante. Quis enim dicere audeat Apostolum voluisse consulere Communionem post sumptum cibum vel potum, tempore interdicti, aut stante simili prohibitione Ecclesiæ? Explicantur verba Apost. *Qui enim manducat*, &c.

Permittit certè Paulus homini probato per Confessionem accedere, quantùm est ex illo capite, semper tamen subintelligitur, nisi aliunde impediatur, & cum debito modo & reverentia, quæ partim præscribenda est ab Ecclesia, prout de facto præscribitur jejunium naturale, & alii ritus determinantur; partim dictatur ab ipso lumine intellectûs, suppositâ excellentiâ & dignitate Sacramenti, ad quod est accedendum. Ex quo patet responsio ad fundamentum Sancii.

Cæterùm quando committatur levis irreverentia ab illis, qui accedunt post pollutionem, sive culpabilem, sive inculpabilem, quando non, sicut antea dixi, certa regula statui non potest, sed relinquitur judicio prudentis, consideratâ distractione mentis, quæ remanet, infamiâ, quæ aliàs incurreretur non communicando, frequentiâ talium pollutionum, singularitate festi occurrentis, excessivo desiderio Communionis, & similibus circumstantiis. Quando ratione pollutionis veniale committatur, non potest certò definiri.

Supereſt, ut respondeamus ad Sanctos Patres, qui videntur generaliter improbare Communionem, etiam post copulam conjugalem, quantò magis post pollutionem, vel fornicationem mortaliter culpabilem? 8. Quid Patres de hac materia senserint.

Divus Hieronymus in Apologia ad Pammachium pro libris contra Jovinianum sic inquit: *Illorum conscientiam convenio* (loquitur de conjugatis) *qui eodem die post coitum communicant.* S. Hieronymus.

Et in quodam Sermone in vigilia Paschatis de esu Agni (refertur cap. 1. 33. q. 4) sic ait: *Sciatu Fratres charissimi, quoniam quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus Agni comedere debet.* Itẽ paulò post: *Si panes Propositionis ab iis, qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant; quantò magis panis, qui de cælo descendit, non potest ab his, qui conjugalibus paulo antè hæserunt amplexibus, violari atque contingi? Non quòd nuptias condemnemus (hoc enim non dicimus) sed*

quòd eo tempore, quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare operibus carnis non debeamus. Hæc Hieronymus.

9. S. Augustinus. Augustinus autem quid? Ser. 244. de tempore (si ipsius est, de quo multi dubitant) loquens de castitate conjugali. *Quoties*, inquit, *ad Ecclesiam in qualibet solemnitate venitis, & Sacramenta Christi percipere volueritis, ante dies plures castitatem servate, ut cum secura conscientia ad altare Dei positis accedere. Quam rem etiam per totam quadragesimam, & usque ad clausulam Paschæ fideliter custodite, ut vos solemnitas Paschalis castos & puros inveniat. Qui enim bonus Christianus est, non solùm ante dies plures, quàm communicet, castitatem servat; sed & uxorem suam, excepto desiderio filiorum, non agnoscit; quia uxor non propter libidinem, sed propter Filiorum procreationem accipitur.*

S. Gregorius. Ubi cùm dicit: *Excepto desiderio filiorum*, approbat responsionem decimam Divi Gregorii ad interrogationem Augustini Episcopi Anglorum, quæ refertur 33. q. 4. cap. 6. sub his verbis: *Si quis ergo suâ coniuge, non cupidine voluptatis captus; sed solummodo liberorum creandorum gratiâ utitur, ipse profectò de ingressu Ecclesiæ, & de sumendo Corporis Dominici, Sanguinisq; mysterio, suo est relinquendus iudicio: quia à nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere.*

Ratio ergo disparitatis est; quia secundùm Augustinum loco citato (& alibi) peccat venialiter, qui miscetur conjugi non filiorum procreandorum gratiâ. *In tantùm*, inquit, *peccatum est, ut Propheta pœnitens clamet*: In iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. *Et sic in veteri Testamento legimus, quando populus Iudæorum accessurus erat ad montem Sinai, ex præcepto Domini dicebatur eis*: Sanctificamini, & estote parati in diem tertium, & ne appròpinquetis uxoribus vestris. *Et illud*: *Si quis nocturno pollutus fuerit somno, non manducet carnes Sacrificii salutaris, ne pereat anima sua de populo.*

Ex quo sic argumentatur S. Doctor: *Si post pollutionem, quæ nobis nolentibus fieri solet, nobis communicare non licet, nisi prius præcedat compunctio, & eleëmosyna: & si infirmitas non prohibet, etiam ieiunium: Quis est qui potest dicere illud, quod vigilantes, & volentes facimus non esse peccatum?*

10. Ostenditur quàm difficilis sit locus S. August. ex Ser. 244. de temp. Locus non parùm difficilis, præsertim si intendamus illis, quæ post pauca subjunguntur. *Sed dicis, peccatum quidem est, sed tamen parvum est.* Respondet Augustinus: *Nec nos dicimus, quia capitale peccatum est* hujusmodi copula conjugalis: *sed tamen si frequentius exerceatur, & ieiuniis vel eleëmosynis non redimatur, nimis immundam animam facit. Noli despicere peccata tua, quia parva sunt: nam & pluviarum gutta sunt, sed flumina implent, & moles trahunt, & arbores cum suis radicibus tollunt.*

Tu qui dicis (prosequitur idem Auctor) *quia parvum peccatum est, velim scire quoties tale peccatum admittis, si tot parvulas plagas in corpore, & tot maculas aut scissuras in vestibus tuis fieri velis? Cùm ergo in corpore tuo plagas, nec in veste tua scissuras vel maculas fieri acquiescis, quâ conscientiâ hoc facere in anima tua non metuis?* Et paulò inferiùs: *Et cùm nullus homo velit cum tunica sordibus plena ad Ecclesiam convenire, nescio quâ conscientiâ cum anima per luxuriam sit inquinata, præsumit ad altare accedere, non timens illud, quod Apostolus dixit*: Qui enim manducat Corpus, & sumit Sanguinem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini. *Si erubescimus, ac timemus Eucharistiam manibus sordidis tangere, plùs debemus timere ipsam Eucharistiam intùs in anima polluta suscipere.*

11. Expositio. Hic est discursus magni Patris Augustini (vel cujuscumque alterius Auctoris apud Divum Augustinum) ad quem Respondeo unico verbo, probare solummodò, quòd sit peccatum accedere ad Eucharistiam cum peccatis venialibus non debitè expiatis; ut patet ex postremis verbis: *Plùs*, inquit, *debemus timere ipsam Eucharistiam intùs in anima polluta suscipere.* Quòd autem dixerit animam pollutam, ex pollutione omnino inculpabili, aut culpabili debitè expiata?

Porrò quod dicit, talem animam esse ream Corporis & Sanguinis Domini, latè intelligendum est, ut suprà insinuavimus, de levi irreverentia, nisi per luxuriam accipias mortalem, quod videtur repugnare contextui verborum.

Nec moveat quemquam, quod in principio habetur: *Si post pollutionem, quæ nobis nolentibus fieri solet, nobis communicare non licet*, quia & illa venialiter potest esse culpabilis, saltem in sua causa. Liquet profectò quòd de pollutione omnino inculpabili non sit necessaria compunctio, eleëmosyna, aut jejunium.

12. Expositio Vasquez. Addit Vasquez disp. 210. nu. 25. verbum, *Non licet*, non denotat ita prohibitum esse communicare, ut si id fiat, novum peccatum sit; sed quia non ita congruum sit post illam communicare ante peractam pœnitentiam, sicut postea.

13. rejicitur. Perbellè, & consequenter ad suam doctrinam de qua egimus Sectione præcedenti Concluſ. 9. An autem ad mentem Divi Augustini, valde dubito. Nam si tantùm minùs congruum est sic communicare, quomodo rectè Sanctus Augustinus taliter communicantem arguit de reatu Corporis & Sanguinis Domini, secundùm illud Apostoli: *Qui manducat Corpus, & bibit Sanguinem Domini indignè, reus erit Corporis & Sanguinis Domini?*

Aliqui intelligunt Divum Augustinum de pollutione quidem omnino inculpabili, sed ex qua remansit distractio mentis, cum qua accedere ad Communionem, aliquod peccatum est, licèt non capitale seu mortale. Verùm hæc expli-

explicatio non congruit contextui verborum, ut patet consideranti.

13. Declaratur mens D. Hieronymi; Optimè verò sic explicantur verba D. Hieronymi; ut videlicet nihil aliud velit, quàm in primis magis congruum esse, ideoque consultum, nisi aliquid majoris momenti obstet, eodem die post copulam conjugalem non communicare; & præterea quandoque venialiter illicitum esse communicare; tum propter mentis distractionem, quæ solet ex illa oriri, tum etiam, *quod* (ut ait Doctor Seraphicus suprà) *rarò contingit, quòd homo coniungatur secundum illum actum debitum exigendo, quin sit ibi aliqua culpa.* Alioquin, *Si solùm reddendo debitum, non credo*, inquit Divus Bonaventura, *quòd debeat retrahi, nisi de congruo: vel etiam causa prolis.*

S. Bonav.

Et eodem modo intelligo, quod refertur ex Concilio Eliberitano de Consec. dist. 2. c. 21. *Omnis homo ante sacram Communionem à propria uxore abstinere debet tribus, aut quatuor, aut octo diebus.* Nisi fortè illo tempore fuerit aliqua lex universalis, vel provincialis, quod non satis constat. Et ut talis fuisset, constat de facto usu esse antiquatam: adeoque parùm curandam, si aliunde ex jure naturali non interveniat aliqua irreverentia.

& Conc. Eliberitani.

14. Objectio solvitur. Ad illud, quod objicitur, quòd immunditia corporalis impedit per legem veterem Levit. 12. & 15. bene respondet Doctor Seraphicus suprà, *Quòd non valet: quia lex data est in onus & in figuram, & per illas immunditias figurabantur spirituales immunditiæ.*

Levit 12. & 15.

Assignatur ratio quare pollutio impediat Communionem ex D. Bonav. Unde si à me quæritur, quare ergo pollutio impediat. Respondeo cum Divo Bonaventura: *Ratione pollutionis carnis, coniunctæ pollutioni mentis: quia ex hac pollutione se immundum & indispositum reputare debet ad hoc Sacramentum.* Diligit quidem Deus munditiam corporalem; sed eatenus, ut docet idem Sanctus, *Quia excitat devotionem mentis. Econtrario abominatur immunditiam corporalem, quia est via ad irreverentiam mentis, & talis bene impedit.* Herculè iste cibus non est cibus ventris, sed mentis: ergo, per se loquendo, retrahi debet aliquis à sola immunditia mentis, non carnis.

12. Explicatio

De cætero decentia & reverentia hujus Sacramenti videtur exigere, ut si sordes corporis facilè possint auferri; v. g. manus sordidæ, quibus tractandum est Sacramentum, facilè possint lavari, auferantur. Item si brevi cessabunt, & potest commodè differri Communio, aliquando semel, aut iterum differatur; quando tamen longiùs durant, vel merè occultæ sunt, ut contingit in menstruo, non est cur aliquis alimoniâ cælesti privetur, nisi, sicut priùs dixi, hæc omnia essent prohibita lege aliquâ positivâ; tunc enim qui accederet vel post coitum cum uxore, vel post pollutionem, vel in menstruo, posset peccare mortaliter, ut mox edissero in præcepto jejunii, de quo erit

CONCLUSIO II.

Ad Communionem prærequiritur jejunium naturale sub mortali.

15. Prærequiritur jejunium naturale

NUnquid ex præcepto divino? Nusquam legitur Christus tale præceptum dedisse, maximè cùm ipse Apostolis post cœnam Communionem dispensaverit. Igitur ex præcepto Ecclesiastico, quod licèt scriptum non extaret, consuetudine tamen sufficienter invaluit. Hic est ergo communis sensus Ecclesiæ.

Audiamus Divum Augustinum Epist. 118. *Liquidò apparet quando primùm acceperunt Discipuli Corpus & Sanguinem Domini, non eos accepisse ieiunos. Numquid tamen propterea calumniandum est universæ Ecclesiæ, quòd à ieiunis semper accipitur? Ex hoc enim placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani priùs Dominicum Corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per universum orbem mos iste servatur.*

S. Augs ex communi sensu Ecclesiæ,

Placuit, inquam, Spiritui Sancto, non per se immediatè statuere hujusmodi legem; sed per Apostolos. *Ideò*, (inquit Augustinus eodem loco) *non præcepit* Christus *quo deinceps ordine sumeretur* Eucharistia *ut Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret hunc locum.* Quod autem tota per orbem frequentat Ecclesia, *hoc quin ita faciendum sit, disputare insolentissimæ insaniæ est*, ait idem Sanctissimus Pater in eadem Epistola.

Sed quid dixit Spiritus Sanctus per os Salomonis? *Stultorum infinitus est numerus.* Eccle. 1. v. 15. Hinc contra eorum insaniam Concilium Generale Constantiense, in Spiritu Sancto legitimè congregatum, declarat, decernit, & diffinit, *Quod licèt Christus post cœnam instituerit, & suis Discipulis administraverit sub utraque specie panis & vini hoc venerabile Sacramentum, tamen hoc non obstante, Sacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata Ecclesiæ consuetudo servavit & servat; quòd huiusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque à Fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à iure vel Ecclesia concesso vel admisso.* Ita Conc. sess. 13.

Eccles. 1. quem expressit Concilium generale Constantiense,

16. Olim permissum erat celebrare post cibum & potum in Cœna Domini; Carthag. III.

Et verò olim permissum erat celebrare Missam post cibum & potum die anniversario, quo Cœna Domini celebratur, ut constat ex Concilio Carthaginensi Tertio cap. 29. ubi decernitur; *Vt Sacramenta Altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniversario, quo Cœna Domini celebratur.*

Hujus consuetudinis meminit Divus Augustinus supià dicens: *Sed nonnullos probabilis quædam ratio delectavit, ut uno certo die per annum, quo ipsam Cœnam Dominus dedit, tamquam ad insigniorem*

S. Aug.

signiorem commemorationem post cibos offerri & accipi liceat Corpus & Sanguis Domini. Et illicò attexit: *Honestiùs autem arbitror eâ horâ fieri, ut qui etiam ieiunaverit, post refectionem, quæ horâ nonâ fit, ad oblationem possit occurrere. Quapropter neminem cogimus dominicâ illâ Cœnâ prandere, sed nulli etiam contradicere audemus.* Ergo tempore Divi Augustini adhuc erat licitum.

17. Hodie non licet ex Bracarensi primo,

Num etiam hodie licet? Hodie tota per orbem Ecclesia servat jejunium. Hinc Concilium Bracarense primum can. 16. *Si quis quintâ feriâ Paschali, quæ vocatur Cœna Domini, horâ legitimâ post nonam, ieiunus in Ecclesiis Missas non tenet; sed secundùm sectam Priscilliani, festivitatem ipsius diei, ab hora tertia per Missas defunctorum, soluto ieiunio colit; anathema sit.*

& secundo.

Similiter Concilium Bracarense secundum can. 10. nullâ factâ exceptione Cœnæ Domini generaliter decernit: *Ut si quis Presbyter post hoc edictum nostrum, amplius in hac vesania fuerit deprehensus, hoc est, non ieiunus, sed quocumque iam cibo præsumpto, oblationem consecraverit in altari, continuò ab officio suo privatus, à proprio deponatur Episcopo.*

Item Toletano septimo,

Accedat Concilium Toletanum septimum can. 2. *Nullus*, inquit, *post cibi potûsq; quamlibet minimum sumptum, Missas facere præsumat.* Ubi nota ly *quamlibet minimum*: ex quo probatur necessitas jejunii naturalis; utì etiam ex illis verbis Concilii Bracarensis secundi: *Quocumque cibo præsumpto.* Constat siquidem jejunium Ecclesiasticum non excludere sumptionem potûs, neque comestionem cujusque cibi.

Objectio.

Si dixeris, esse Concilia Provincialia, quæ non obligant totam Ecclesiam, & exprimere solos Sacerdotes celebrantes.

Solvitur.

Respondeo, universalem Ecclesiam suâ consuetudine acceptasse, & extendisse ad omnes fideles, ut patet ex Concilio Constantiensi suprà allegato.

18. Doctrina Scoti de hoc præcepto.

De hoc præcepto sic discurrit Doctor Subtilis 4 dist. 8. q. 3. n. 3. *Dico, quòd regulariter oporteat ad perceptionem spiritualem & sacramentalem, suscipientem esse ieiunum simpliciter, id est, ieiunio naturæ. Nec istius est aliqua causa principalis, nisi institutio divina, quam vel Christus Discipulis dedit, vel per ipsos promulgavit, vel* (nota benè) *eis instituendum reliquit.* Addit rationem congruentiæ: *Et quidem rationabilis est institutio propter reverentiam Sacramenti, quæ minor est regulariter in pransо, quàm ieiuno: & etiam ut primò quæratur cibus spiritualis quàm corporalis.*

Ratio congruentiæ.

Satisfacit objectioni desumptæ ex facto Christi; S. Aug.

Porrò ad objectionem Hæreticorum desumptam ex facto Christi respondet n. 8. verbis Divi Augustini Epistolâ citatâ (& ponuntur de Consec. dist. 2. cap. 54.) *Neque enim quia post cibos dedit Dominus* (Eucharistiam) *propterea pransi, aut cœnati fratres ad illud Sacramentum accipiendum convenire debent, aut sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emendat* (1. Cor. 11.) *mensis suis ista miscere.* Subdit causam, quare Christus hoc fecit: *Namque Salvator quò vehementiùs commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ Discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat.* Hæc Augustinus.

Per quod (inquit Scotus) *patet ad argumentum secundum* (desumptum ex Apostolo 1. Cor. 11. v. 34.) *quia secundùm Augustinum Apostolus reprehendit illos, qui pransi Eucharistiam susceperunt. Et ideo istud verbum*, Si quis esurit, domi manducet, *non debet intelligi, domi antequam veniat ad Ecclesiam, sed post recessum ab Ecclesia; ita quod non satisfaciat fami suæ de Eucharistia, sicut ait:* Alius ebrius est; *sed expectans quod sibi necessarium fuerit in domo sua percipiat. Et ideo laudabilis est consuetudo Ecclesiæ Latinæ, quæ nulli dispensat Eucharistiam, nisi in modica quantitate, quæ non posset suscipi ad crapulam, & sufficit valde bene ad reverentiam debitam Sacramenti.* Hucusque Doctor Subtilis; quamquam vix credere possim Corinthios ebrios fuisse ex vino consecrato.

Ibi. & ex verbis Apostoli.

Et gratis admisso, quòd Apostolus voluerit innuere, quòd antequam convenirent ad Ecclesiam, deberent famem extinguere in domibus suis, ne ibi immoderatè de speciebus illis sumerent, quid indè? Nonne etiam fuit consuetudo tempore Apostolorum communicandi fideles sub specie panis & vini? Nemo dubitat. Equidem refrigescente charitate, & crescente multitudine fidelium, propter majorem reverentiam Sacramenti statuit Ecclesia, ut communicarentur sub sola specie panis: ergo similiter estò fuisset consuetudo in primitiva Ecclesia (quod non) communicandi post cibum & potum, certè successu temporis refrigescente charitate, & crescente multitudine fidelium, justissimè potuit illa consuetudo immutari propter majorem reverentiam Sacramenti. Neque alicui Catholico dubium esse potest, quin hodie sit immutata.

19. Hoc præceptum obligat sub mortali, Scotus.

Cæterùm quòd hoc præceptum obliget sub mortali, est etiam communis sensus Ecclesiæ, quem Scotus suprà significat dicens: *Oportet ad perceptionem spiritualem, & sacramentalem, suscipientem esse ieiunum.* Porrò Sacramentum spiritualiter & sacramentaliter recipit secundùm Doctorem ibid. n. 2. *bonus fidelis sine peccato mortali secundùm possibilitatem suam; & quia diligenter conscientiam examinavit, & talis verè nutritur, & Christo cibo spirituali unitur & incorporatur.* Ergo requiritur jejunium ad evitandum peccatum mortale; illud enim solùm impedit perceptionem spiritualem.

Sed quæ ratio tantæ obligationis? Respondeo, gravitas materiæ prohibitæ. Rogas quæ sit ista materia? Respondeo, Communio post sumptum cibum & potum. Neque levis ratio prohibitionis, scilicet honor tanti Sacramenti, juxta Augustinum suprà, & significatio, quâ significatur Christus tamquâ primus cibus noster.

21. Objectio.

Dices; datur aliqua Communio solùm venialiter mala, estò sit prohibita in honorem

tanti

tanti Sacramenti. Patet in Communione cum peccato veniali actuali, vel pluribus habitualibus non retractatis, quam diximus conclusione 9. præced. Sect. esse sacrilegium veniale.

Responsio. Respondeo, hoc non provenire ex levitate materiæ in se consideratæ; sed magis ex voluntate Legislatoris, qui potest materiam gravem prohibere sub mortali vel veniali. Et quis Legislator in isto casu nisi solus Deus? Qui noluit aliam obligationem injicere (quamvis potuisset) quàm luminis naturalis, quod in illo accessu non dictat nisi irreverentiam levem.

22. Et natura rei Communio post sumptum cibum nullum est peccatum.

Et certè si solam rationem naturalem spectemus, fortè nullum esset peccatum irreverentiæ accedere ad Communionem post sumptum cibum & potum. Immo sine fortè, ut lucidò apparet ex facto Chri[illegible]c tamen minimè obstat, quin per legem humanam potuerit graviter prohiberi, cùm materia ex se sit capax gravis obligationis, ut pervium est quando prohibetur secunda Communio in eodem die, de qua nemo dubitat, quin sit peccatum mortale.

Profectò ad hoc videtur data hominibus potestas legislativa, ut possint adjungere obligationem secundùm proportionem materiæ, determinando id, quod lex naturalis per se non ita determinavit: nec tantùm adjungere obligationem, & ex levi facere gravem, ut sic loquar; sed etiam ubi nulla esset ex lege naturali, constituere obligationem gravem. Quid enim aliud clamant præcepta jejuniorum & Festorum?

Accedit: quando non est lex positiva directè prohibens accessum ad Communionem, est tantùm irreverentia indirecta; & ex generali principio, quòd sancta sanctè sint tractanda, & ideo plerumque venialis: ast verò quando addita est prohibitio positiva, sive divina, sive humana, jam habetur irreverentia directa; quia lex ista determinat abstinentiam à Communione in cultum Sacramenti, & in signum reverentiæ illi debitæ. Simile reperitur in peccatis externis, quæ committuntur in loco sacro; contrahunt quidem ex circumstantia loci aliquam malitiam sacrilegii, rarò tamen mortalem, ubi specialis prohibitio non intervenerit.

23. Quæ sit causa adæquata obligationis sub mortali?

Si ergo rursum quæritur, quæ sit causa adæquata hujus obligationis sub mortali? Respondeo voluntas Legislatoris, de qua ex sensu communi satis constat, gravitas materiæ, id est, communionis, & gravitas finis, id est, honoris debiti huic divinissimo Sacramento. Licèt enim in casu particulari exigua vel certè nulla sequeretur dehonoratio ex Communione, aut celebratione post sumptum cibum & potum; attamen si universaliter talis Communio, vel celebratio fieret, non pauca & parva nata forent sequi inconvenientia, quæ quilibet prudens per seipsum haud operosè poterit investigare.

Et eadem inconvenientia existimo occasionem dedisse Ecclesiæ prohibendi Communionem post quemcumque minimum cibum, vel potum, ne si digitum porrigeret, tota manus ab aliquibus apprehenderetur. Hæc sit ergo

CONCLUSIO III.

Jejunium violat minimus cibus, vel potus ore exteriùs sumptus, & transmissus aliter, quàm per modum salivæ, aut respirationis.

24. Distinctio jejunii naturalis & Ecclesiastici.

IN eo distinguitur jejunium naturale ab Ecclesiastico, quòd excludat sumptionem potûs, & quamlibet sumptionem cujuscumque cibi, sive per modum medicinæ, sive ne potus noceat, sive per modum refectionis. *Distinguo* (inquit Scotus 4. dist. 8. q. 3. n. 3.) *de ieiunio naturæ & Ecclesiæ. Ieiunium Ecclesiæ non solvitur nisi per aliquam refectionem extraordinariam præter morem Ecclesiæ. Unde per speciem sumptionem, vel medicinalem, vel per potum, saltem post prandium, non solvitur ieiunium Ecclesiæ. Sed ieiunium naturæ est carentia cibi suscepti in stomacho, vel in via ad stomachum, ita quòd nihil intret stomachum in illa die, à principio scilicet huius diei, à quo dicitur aliquis ieiunus.* Hâc suppositâ distinctione Scotus.

Conclusio est communis, quamvis Doctores varient in ejus explicatione, ut patebit ex sequentibus corollariis, quorum

Primum erit; Ea quæ integra emittuntur in excrementis, eò quòd nullo modo possint ab humano stomacho alterari & concoqui, non impediunt, nec violant jejunium naturale, qualia sunt ossicula aliquorum fructuum, fragmenta metallorum, lapilluli, & fortasse lignum, præsertim ex solidioribus & durioribus, & similia. Ratio; quia non sunt cibus vel potus, qui solùm prohibetur per jejunium naturale, ut patet ex Decretis conclus. præced. allegatis. 25. Ea quæ humanus stomachus non potest concoquere, non violant jejunium naturale.

Nec obstat Decretum quoddam sub nomine Sotheris Papæ, quod habetur in primo Tomo Conciliorum; in quo dicitur: *Nullus post cibum, potumq́, sive quodlibet minimum sumptum Missam facere præsumat.* Hoc, inquam, non obstat, quia illud Decretum ibi adfertur ex sola auctoritate Gratiani, qui illud inseruit in suo decreto septima q. 1. cap. 16. in quo tamen loco non dicitur esse Sotheri, sed Concilii Toletani VII. can. 2. & meritò, quia, ut vidimus Conclusione præcedenti, ad verbum in illo Concilio continetur, præter illud solùm, *Sive quodlibet*, quod in Concilio non habetur; sed dumtaxat *cibum, potumq́, quamlibet minimum.* Potuit autem aliquis facilè per errorem transcribere pro ly *Quamlibet*, ly *Sive quodlibet.* Objectio. Solvitur. Toletan. VII.

Porrò quod Doctor Angelicus ait 3. parte q. 80. art. 8. ad 4. *Nec refert utrum aliquid huius-* 26. Exponitur D. Thomas.

modi nutriat, vel non nutriat, aut per se, aut cum aliis, dummodo sumatur per modum cibi, vel potûs; id, inquam, commodè intelligendum est de iis materiis, quarum immediatè ante fecerat mentionem dicens: *Et ideo neque post sumptionem aquæ vel alterius cibi aut potûs, vel etiam medicinæ in quantumcumque parva quantitate, licet hoc Sacramentum accipere.*

Aqua, etiamsi per se non nutriret, equidem frangit hoc jejunium, utî etiam vinum, licèt per accidens non nutriret?

Enimverò aquam frangere jejunium naturale, estò per se non nutriret, ut communiter dicitur, sed tantùm cum aliis, similiter vinum licet per accidens non nutriret propter parvam quantitatem, nemò ambigit; quia saltem à stomacho alterantur & concoquuntur, imò licèt per accidens propter debilitatem stomachi non alterarentur, nihilominus frangerent jejunium, quia saltem de se possunt alterari & concoqui, & ideo habent rationem veri potûs.

Eadem est ratio ciborum, carnium v. g. piscium, & similium materiarum, tametsi vel propter exiguitatem, vel propter debilitatem stomachi de facto non nutrirent. Nonne si in magna quantitate sumerentur, violarent jejunium Ecclesiasticum? Secùs autem illa, quæ suprà enumeravimus: nam si aliquis manè v. g. ad occultandos nummos aureos, etiam sine necessitate, eos deglutiret, quis ideo diceret ipsum non posse licitè horâ solitâ prandere eodem modo, ac si nihil comedisset? Illi enim aurei non æstimantur cibus, sed depositum quoddam intrà corpus, sicut in arca vel bursa; nec aliter illi nummi sunt in stomacho, atque Angelus esset, qui non potest à stomachi activitate pati.

27. de papyro dubitatur.

An autem sit eadem ratio papyri, multùm dubitat Cardinalis Lugo disp. 15. n. 32. quia, inquit, materia illa non est ita difficilè alterabilis, cùm reverà non sit aliud quam tela ex lino contexta, & trita, quod totum tandem est herba tenuissima, unde multa animalia utuntur chartâ in cibum & alimentum, ut constat in cervis, muribus & aliis. Respondeo, strutiones dicuntur uti ferro, nùm ideo ferrum est cibus hominis?

similiter de terra, creta, & similibus.

Similiter dubitat Lugo ibidem de terra, & consequenter ab aliis dubitari posset de creta & similibus, quæ aliquando comeduntur à fœminis, vel ob delectationem, vel ad diminuendum colorem. Et quidem quod attinet ad papyrum, Diana tract. de Celeb. Miss. resol. 52. refert Joannem de la Cruz in direct. conf. parte 2. de Eucharistia q. 5. dub. 4. concl. 2. ubi sic ait: Qui comedit modicum papyri, aut aliquid simile non habens rationem cibi, aut medicinæ, potest, juxta sententiam probabilem, sumere Eucharistiam. Ex quo infert (inquit Diana) mulierem terram, aut simile comedentem, sive illud comedat ob delectationem, quod est comedere per modum cibi, sive comedat ut colorem minuat, quod est comedere per modum medicinæ, non posse post istorum sumptionem sumere Eucharistiam.

Diana. Joannes de la Cruz.

Sed qualis sit ista consequentia, fateor me ignorare. Siquidem si terra, & similia sunt, & dici debent res comestibiles, quid refert quo fine, vel quâ intentione sumantur? Sin autem, nec sint, nec dici debeant res comestibiles, dico quòd frustra recurratur ad intentionem sumentis, ut frangant, vel non frangant jejunium naturale.

28. An intentio possit facere, ut aliquid quod non est cibus, frangat jejunium?

Scio Dicastilloni disp. 9. n. 282. non videri improbabile, quòd ex parte modi & intentionis trajicientis possit quis non censeri jejunus, vorando id, quod alioquin non est cibus: sed quo fundamento? Quia homines solent vorationem hujusmodi rerum vocare comestionem.

Dicastillo.

Exemplificat in tenuissimis laminis auri, quas vulgus in Hispania auripanes appellat, quibus solet charta, & alia multa, etiam esculenta, inaurari, & ab aliquibus sumuntur, sive per se, sive alteri rei adhærentes, ut lætificetur cor, vel in alium finem. Similiter in pulvere margaritarum in eundem finem. Tertiò in quodam argillæ genere, quod maximè in Portugallia habetur rubrum, & fœminis in delitiis est, & vulgò vocatur *Bucaro*, quæ, & similia, licèt non videantur substantiam, seu succum alimentarem subministrare (quantumvis calor stomachi in hæc agat) solent nihilominus per modum cibi sumi. Ita ille.

Attamen fatetur hoc fundamentum non esse satis firmum. Et facilè responderi posset; omnia illa frangere jejunium naturale, quocumque tandem fine accipiantur; quia licèt fortè non possint converti in substantiam aliti (quod Dicastillo immeritò requirit ad cibum propriè dictum) tamen ex effectibus cognoscitur, stomachum in illa agere, alterando suo modo, & concoquendo; unde nec hujusmodi solent integra in excrementis emitti.

29. Objectio solvitur.

Nec obstat, quod suprà diximus, nummos aureos non æstimari cibum; siquidem non raro evenit, quod aliquid certo modo præparatum, à stomacho alteretur, concoquatur, imò in substantiam convertatur, estò per se ipsum acceptum absque tali præparatione, non converteretur, imò nec alteraretur. Et ideo non dubito quin aurum potabile (si dari possit) frangat jejunium naturale; similiter pulveres margaritarum, sive margaritæ pulverizatæ; liquet enim esse medicinam, quàm maximè inter omnes confortativam, quæ ex hujusmodi materiis immixtis componitur.

Aurum potabile frangit jejunium.

Idem experientia demonstrat in pillulis confectis ex chalybe, quæ eodem modo alterant corpus hominis; imò particularem habent effectum in corpore hominis præ aliis pillulis ex alia materia præparatis. Quis ergo dubitet illas habere rationem veri cibi quocumque fine accipiantur? Et tamen calybs non præparatus à nemine dicitur cibus hominis.

30. Probabile

Pergis contendere, terram, cretam, & similia non esse cibum propriè dictum: Respondeo, ideo quoque non esse improbabile quòd post est, sumptio-

& similia non solvere jejunium. *Diana.*

sumptionem illorū ex quacumq; fiat intentione, liceat accipere Eucharistiam; ut videre est apud Dianā p 3. tract. 4. res. 38 & p 5. tract. 13. res. 1. Et tunc Respondeo ad fundamentum Dicastillonis suprà, propter quod vocat oppositam sententiam de terra probabilem, sumptionem illam in communi usu non tam vocari comestionem, quàm vorationem, sive deglutionem, vel trajectionem, eo modo, quo sumptio monetæ aureæ ad occultandum vocatur trajectio, & non propriè comestio.

Atque ut esset comestio, non prohibetur Communio post comestionem; sed post sumptionem cibi aut potûs, ut loquuntur decreta Conciliorum suprà allegata. Vocetur sumptio illa comestio, vel non comestio, quæstio est de nomine, de qua minùs curandum, quando constat de re. Sit itaque

31. Non solvitur jejunium per sanguinem ex cerebro in os defluentem

Corollarium secundum. Non solvitur jejunium per sanguinem vel humorem ex cerebro, vel gingivâ in os defluentem, etsi deglutiatur. Ita communiter Doctores, quoniam non sumitur ab extrinseco, sicut sumi solet cibus & potus. Ex quo sequitur

32. Secus si ex digiti vulnere sugatur.

Corollarium tertium. Frangeret jejunium, qui sanguinem ex digiti vulnere sugeret & deglutiret. Est doctrina communis, quoniam ore sumitur ab extrinseco, sicuti si mulier lac ex suis mamillis sugeret & deglutiret. Sequitur

33. Aqua per nares attrahan non solvit.

Corollarium quartum. Non solvitur jejunium, si aqua vel quid simile naribus attrahatur, etsi in stomachum dilabatur; quia non sumitur per modum cibi, vel potûs, id est, modo ordinario, quo solet accipi cibus, vel potus, scilicet ore. Ita docet Diana suprà parte 5. cum aliis, quos citat, puta Suarium, Fagundez, Cælestinum & Bartholomæum à Sancto Fausto.

Diana.

Suarius.

Legi Suarium disp. 68. sect. 4. §. *Quæris rursum: quid sit sumi aliquid per modum cibi & potûs*; ubi nulla fit mentio aquæ per nares attractæ; sed traditur hæc regula generalis: Dicitur aliquid sumi per modum cibi, vel potûs, quando aliquid hujusmodi ore accipitur, quod per se & propriâ actione vitali in stomachum trajicitur comedendo aut bibendo; & ita (inquit Suarez) explicant hoc præceptum omnes

Fagundez.

Auctores, & ipsa consuetudo. Interim ex hac doctrina Suarii infert Fagundez præcepto 3. l. 3. cap. 5. n. 14. Si quis aliquantulam aquam per nares attrahat, quæ in stomachum transmittatur, non manet impeditus ad sumptionem hujus Sacramenti; quia non fuit per modum cibi transmissa, aut per modum potûs.

34. Pro hac sententia ab aliquibus citatur D. Thomas.

Et verò pro sententia illa fortè aliquis citaret Doctorem Angelicum 4. dist. 8. q. 1. a. 4. quæstiunculâ 2. ubi teste Suario suprà & Fagundez n. 15. statuit hanc regulam generalem. *Quidquid ab intrinseco provenit, & ore non sumitur ab extrinseco, non vere comedi, & ideo nec tollere ieiunium naturæ, nec per se impedire susceptionem hujus Sacramenti.*

Verùm de suo addiderunt illi Auctores ly *Et ore*, cùm D. Thomas solùm loquatur de sumptione ab extrinseco, oris autem nusquam meminerit. Verba genuina sunt hæc, quæ sequuntur: *Ad tertium dicendum quòd ieiunium naturæ dicitur per privationem actûs comestionis, secundùm quod comestio etiam potionem includit: comestio autem principalis dicitur à sumptione exterioris cibi, quamvis terminetur ad traiectionem cibi in ventrem, & ulteriùs ad nutritionem, & ideo quæ interiùs geruntur sine exterioris cibi sumptione, non videntur solvere ieiunium naturæ, nec impedire Eucharistiæ perceptionem, sicut deglutio salivæ: & similiter videtur de his quæ intrà dentes remanent; & etiam de eructationibus.*

Ut ut sit de mente Doctoris Angelici, iterum dico, non videtur sententia Dianæ & aliorum improbabilis, tametsi multùm aquæ, aut alterius rei attraheretur per nares: siquidem non est verisimile Ecclesiam in sua prohibitione ad illum extraordinarium modum sumendi cibum, aut potum attendisse.

Ex quo consectarium videtur, sumptionem tobachi in folio vel pulvere per nares, non impedire Communionem, quidquid novissimè contradicat Antonius de Leone in quæstionibus moralibus de Cocholate parte 2. §. 4. n. 10. & sequentibus. Vide ejus verba apud Diana suprà, qui altiùs clamat dicens, sumptionem tobachi etiam in fumo non frangere jejunium, estò nutriret, & per os sumeretur: quia non descendit in stomachum, sed statim per nares exit.

35. An tobachum solvat jejunium. *Antonius de Leone.*

Addit, quòd etiamsi aliquid ex fumo tobachi in stomachum descenderet, adhuc non frangeret jejunium naturale, quia recipitur in stomachum per modum respirationis, non autem per actionem, quæ sit comestio vel potatio. Pro clariori hujus rei intelligentia erit

Corollarium quintum. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem. Ita Rubricæ Missalis Tit. de defectibus cap. 9. n. 3. Rationem attexunt: *Cùm non transglutiantur per modum cibi; sed per modum salivæ.* Quod multi Doctores limitant, quando fieret inadvertenter: alioquin si absque incommodo possumus illas exspuere, existimant per earum deglutionem frangi jejunium.

36. Non solvunt ciborum reliquiæ *Rub. Miss.* inadvertenter transmissæ,

Sicuti si homo ex industria quæreret aërem, ubi est musca, ut eam per respirationem possit deglutire, vel quando jam attraxit, nollet exspuere, tametsi facilè posset, videtur id esse contra rationem jejunii, estò quando casu attrahitur, & trajicitur in stomachum, non impediat Communionem.

Noluit quidem Ecclesia prohibere communem respirationem, adeoque impedire ea, quæ per se, vel per accidens cum respiratione, & aëre attrahuntur, qualia sunt pulvis, paleæ, & ea quæ deferuntur cum ipso aëre, quem non

aut quòd communi respiratione casu attrahitur.

possumus purgare ab iis ad respirandum: equidem justè potuit velle, ne ex industria aërem quæramus, ubi musca v. g. est; & similiter, ne spontè deglutiamus muscam attractam, quando facilè possumus eam exspuere.

37. Confirmatur ex Rub. Missalis suprà: *Idem*, inquiunt, *dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem.* Quid ergo si ex intentione? Videtur dicendum quòd impediat Communionem, cum jam non transglutiatur per modum salivæ, sed per modum potûs.

Non est improbabile, reliquias trajectas advertenter solvere jejunium. *D. Thomas.*

Ex quibus patet hanc sententiam non esse improbabilem, quam satìs apertè significavit Divus Thomas 3. parte q. 80. art. 8. ad 4. dicens: *Reliquiæ cibi remanentes in ore, si casualiter transglutiantur, non impediunt sumptionem hujus Sacramenti, quia non traiiciuntur per modum cibi, sed per modum salivæ. Et eadem ratio est de reliquiis aquæ vel vini, quibus os abluitur, dummodo non traiiciantur in magna quantitate, sed permixtæ salivæ, quod vitari non potest.*

38. Etiam est probabile non solvere, *Suarez. Tabiena. Henriquez.*

Verùm existimo in hac re non esse nimiùm scrupulisandum; & ideo dico etiam contrariam sententiam, maximè quoad reliquias ciborum, esse probabilem, ut visa est Suario suprà §. *Dico ergo.* qui citat Doctissimum Tabienam in Summa, verbo *Communio*, & illam tenet Henriquez in summa lib. 8. cap. 50. n. 4. in Glossa lit. V. & tamquam probabilem admittit Joannes de la Cruz in direct. conf. parte 2. qu. 5. dub. 4. conclusione 2. ubi sic ait: Item quæ manent in ore ex extrema cœna, si casualiter deglutiantur imò licet advertenter secundùm aliquos, non impediunt sumptionem Eucharistiæ. Ita citat Diana parte 3. tract. 4. resol. 37.

Joannes de la Cruz.

Diana.

pro qua sententia duæ adferuntur rationes ex Coninck.

Coninck qu. 80. art. 8. n. 47. pro hac sententia duas adducit rationes. Prima; quia deglutio talium reliquiarum pertinet potiùs ad manducationem præcedentis diei, quàm præsentis. Secunda; quia cùm istæ reliquiæ hodie nullo modo ab extrinseco ori imponantur, non sumuntur jam per modum cibi, sed per modum salivæ. Infert Diana: ergo non impediunt Communionem, etiamsi voluntariè deglutiantur.

Addit; Sed his non obstantibus, consulendum est dictas reliquias quantùm commodè fieri potest, exspuere. In quo sequitur Suarium suprà, ubi sic ait: Quamvis ergo non sint scrupuli injiciendi, tamen semper securior pars eligenda est. Et ideo consulendum est, ut in hujusmodi casu hæ particulæ exspuantur potiùs, quàm trajiciantur. Idem docet Regius dicens: Decet tamen omnino ejusmodi res omnes exspuere, quantùm commodè fieri potest.

39. Auctor putat sufficienter eam probari ex Rubr.

Cæterùm non esse strictam obligationem, sufficienter mihi significant Rubricæ superiùs allegatæ, quæ generaliter loquuntur sine ulla distinctione inter sumptionem casualem & voluntariam: ubi autem jus non distinguit, nec nos debemus distinguere sine manifesta ratione.

Nec obstat quòd distinguat in secundo casu; quia moraliter non est possibile, ut stilla aquæ, id est, modicissima aqua, abluendo os ex intentione accipiatur sic, ut non major quantitas simul transeat: facilè autem fieri potest, ut reliquiæ ciborum sine ullo alio cibo ab extrinseco ori impositò voluntariè deglutiantur. Deinde in stilla aquæ non obtinent rationes suprà ex Regio assignatæ: ergo potiùs distinguendum fuit in secundo casu, quàm in primo.

& assignor. dispanitatem inter reliquias & stillam aquæ.

40. An iisdem ruris sacchari quod ante mediam noctem sumitur illo die? Dices; ergo si quis noctu misit in os aliquid sacchari paulatim deglutiendi ad emolliendam raucedinem, vel ob alium quemcumque finem, non solvet jejunium, etiamsi post mediam noctem aliquæ partes trajiciantur; quia illud non sumitur illo die ab extrinseco, & per consequens non trajicitur per modum cibi, sed per modum salivæ. Deinde pertinet potiùs ad manducationem præcedentis diei, quàm præsentis.

Aliqui affirmant. Respondent aliqui concedendo totum. Tabiena verbo *Communicare* §. 49. sic scribit: Id quod præterito die intrà os est sumptum, etiamsi datâ operâ deglutiatur in sequente, non solvit jejunium naturæ, neque impedit perceptionem Eucharistiæ. Quod Tabiena ait, affirmat quoque Bartholomæus ab Angelo in Exam. Confess. Dial. 4. §. 214. litera A. Quod dictum est, inquit, de saliva & de reliquiis cibi, & hujusmodi, dicendum est de eo, qui serò accipit aliquid in ore pro voce, vel pro alio, quod remanet; non enim venit ab extrinseco post mediam noctem, nec propter hoc ille non esset jejunus. Ita hos Auctores citat Stephanus Bauny in Theologiâ morali parte 1. tract. 10. quæst. 22.

Tabiena. Bartholomæus ab Angelo. Stephanus Bauny.

41. Verùm quod attinet Tabienam, § citato nihil simile habet: §. autem 43. quem fortè voluit citare, sic lego: Prima conditio est, quòd ille cibus vel potus veniat ab extrà post mediam noctem; unde id quod ante mediam noctem est in ore, non frangit.

sed rectius negatur. Quidquid sit de mente istorum Auctorum, quos sequitur Bauny, communiter respondent Doctores ad objectionem negando Consequentiam: quia partes sacchari remanentes post mediam noctem non sunt reliquiæ cibi, sed verus cibus, & tota illa est successiva quædam manducatio, quæ ex parte fit illâ die, quâ est communicandum, ideoque æquivalenter est assumptio exterioris cibi. Oportet ergo ut tota manducatio per se, & ex intentione absolvatur præcedenti die; reliquiæ autem dicuntur, quæ casu & præter intentionem in ore manent. Alioquin si aliquis paulò ante duodecimam noctis alios cibos ori imponeret, eosque donec duodecima esset audita manderet & deglutiret, nullo modo eo die impediretur à Communione, quod non facilè quispiam concesserit.

42. Quid si quis

Neque approbo, quod reperio apud Tabienam suprà §. 45. Si aliquid descenderet ab extrà

jus quantitatis decenderet ab extra inadvertenter, sicut saliva?

extrà, etiam alicujus quantitatis, ita quòd homo non perciperet, vel non intenderet illud deglutire, sed sicut saliva descenderet, non impediret Communionem. Quid si enim alius mihi non advertenti globulum ex saccharo confectum in os & guttur immittat, nonne verè dicar comedisse & violasse jejunium naturale? Quid si dormienti vini copia ingeratur, adhuc manebit jejunus?

Tabiena.

Certè infirmi, qui sui compotes non sunt, eo modo reficiuntur, deglutientes cum respiratione, quæ ab aliis infunduntur in os, ipsis non advertentibus, vel etiam renuentibus; quidni ergo violent jejunium naturale? Neque enim propter respirationem, sed propter aliam causam extrinsecam trajiciuntur, & ideo dicuntur comedi, vel bibi, estò descendant per modum salivæ, defectu usûs rationis.

43. An fumus tobachi descendens in stomachum solvat jejunium?

Ecce quàm varia explicatio Conclusionis, quam omnes admittunt, quot capita, tot sensus, & quod uni apparet potatio, alteri videtur respiratio, & quod unus affirmat cibum, alius negat. Quid clariùs, quàm homines bibere tobachum; sic enim communiter omnes loquuntur, estò fumus non descendat in stomachum. Et sanè si fistulâ tobachariâ, ut ita loquar, sugerem aquam, aut vinum, quis ambigeret me bibere, similiter si sugerem mel de petra, oleumque de saxo durissimo, nonne frangerem jejunium deglutiendo illud? Nemo dubitat. Quidni ergo frangat jejunium, qui violenter extrahit fumum tobachi, eumque transmittit in stomachum?

Quia, inquis, non est cibus, aut potus: alioquin si quis ex industria aperto ore fumosum halitum carnis in magna quantitate, tempore, v. g. Quadragesimæ, respirando attraheret, non solùm jejunium naturale, sed etiam Ecclesiasticum solveret, quod est absurdum; & ideo, ut reor, inquit Diana suprà parte 5. tract. 13. resol. 1. Nullus Confessarius si quis se accusaret per totum mane alicujus vigiliæ ex industria in culina permansisse, hauriendo fumum perdicum, caponum &c. nullus, inquam, Confessarius talem de peccato mortali damnaret, & ob id à Communione illo die arceret.

Diana.

44. Assignatur disparitas inter illum fumum & fumosum halitum carnis.

Respondeo disparitatem esse, quòd haurire fumum perdicum, aut caponum, non sit comedere perdices, aut capones, sicut fistulâ sumere tobachum, est bibere tobachum: & sicut ore masticare folia tobachi, est comedere etiam secundùm Dianam, si aliquid de illo in stomachum trajiciatur. Sin autem nihil trajicitur in stomachum, constat profectò solam masticationem sive tobachi, sive aromatum, quæ ori imponuntur ad vitandum noxium aërem, non impedire communionem.

Quid dicendum de aromatibus, quæ ori imponuntur,

Tannerus. Faustus.

Immo Tannerus tom. 4. disp. 5. q. 8. dub. 4. nu. 79. & Faustus de Sacramento Eucharistiæ lib. 1. q. 381. docent (ut refert Diana suprà) quòd si quis aliquid aromaticum ore circumfert, sed nihil ex intentione deglutit, nisi minimum quid per modum succi inseparabiliter salivæ immixtum, non frangit jejunium naturale.

vel foris stomacho applicantur?

Minor ratio dubitandi est de pharmacis, quæ foris stomacho applicantur, etiamsi corroborent, & fortè aliquid intret per poros, quod nutriat; quia id communi calculo non est sumere potum vel cibum.

45. Tempus à quo jejunium incipit.

Atque hæc satis de materia jejunii. De tempore autem, à quo jejunium debeat incipere, planè liquet, quòd à puncto mediæ noctis. Sed quod illud? Quis cognoscet mediam noctem exactè?

Caramuel.

Hodie nemo (inquit Caramuel Theologiæ fundamentalis 1. impressionis §. 241.) quoniam horologia claudicant, & ex syderibus, quæ soli Astronomi cognoscunt, nihil certi erui potest, quamdiu solis locus, & syderum ascensio non cognoscitur certiùs. Igitur hodie, qui mediam noctem metaphysicè observari juberet, impossibile observari juberet. Patet, quia exacta illius cognitio limites humani ingenii excedit. Nam de illo puncto Theologi judicare non possunt, & vix Geometræ & Astronomi possunt. Itaque:

CONCLUSIO IV.

Jejunium naturale præcipitur hodie observari ab hora duodecima nocturna moraliter.

46. Hora duodecima incipit secundùm aliquos ad primum ictum, Sanchez.

HIc rursùm diversitas opinionum, sicut in cæteris, quæ pendent ex morali hominum æstimatione. Sunt Auctores qui primo ictui horæ duodecimæ dierum discretionem affigant. Ita Sanchez lib. 2. de Matrimonio disp. 41. n. 40. per accidens quippe est, quòd plures pulsus audiantur, & quòd hora duodecima non possit unico pulsu significari, sicut v. g. hora prima.

Lugo.

Hanc sententiam in rigore veram existimat Cardinalis Lugo disp. 15. n. 37. non solùm de pulsu, quo horæ designantur, sed etiam de illo, quo priùs designantur quadrantes horæ; solent enim antequam detur signum horarum, sonare pulsus minores pro quadrantibus; ita ut ante sex vel duodecim pulsus pro horis, sonent quatuor pulsus leviores, ad designandum jam esse finitos quatuor horæ quadrantes, & postea majori sono designantur duodecim horæ. Consequenter ergo fatendum est, horam esse finitam, & medium noctis designari, ubi primum cœpit sonare primus pulsus pro quatuor quadrantibus; quia ex illo puncto incipit tempus horæ sequentis.

colligentes id ex motu rotæ, quæ in horologio continuè movetur.

Quod facilè constabit consideranti motum rotæ illius, quæ in horologio continuè movetur, & quæ divisa est ad modum crucis in qua-

tuor partes æquales, secundùm spatium quatuor quadrantium: cùm enim quatuor illa spatia sint omnino æqualia, fatendum est, quòd ubi primùm pertransitur illud quartum spatium rotæ, finitus est ultimus quadrans horæ; illud autem spatium finitur, quando sonat primus pulsus pro quatuor quadrantibus ante pulsum horarum: ergo tunc est finita tota hora, nam tempus sequens, quo sonant tres alii pulsus pro quadrantibus, & duodecim pro horis, pertinet jam ad primum quadrantem horæ sequentis: rota enim non quiescit, sed eodem modo movetur, ita ut dum sonant alii pulsus, pertranseatur aliquod spatium sequentis quadrantis, ut ad oculum constat. Hæc Eminentissimus.

47. Secundùm Præpositum incipit cum præludio.

At verò Præpositus in primam partem secundæ Divi Thomæ q. 19. art. 6. dub. 5. n. 8. Videtur, inquit, dicendum, quòd, per se loquendo, hora sit expleta, quando inchoatur præludium. Ita mihi retulerunt varii horologiorum directores à me super hac re consulti.

Caramuel.

Sed quid ad hæc Doctissimus Caramuel? Theologiæ fundamentalis §. 225. sic discurrit: Antequam Præposito velim respondere, recognosco illa verba: *Ita mihi retulerunt varii horologiorum directores à me super hac re consulti.* & quia mihi summopere placent, Magnifico meo Domino, & amico Joanni Marco subtilissimo Matheseos cultori communico, & respondet, Se omnino demirari Præpositum aliàs magnum Theologum, in re horaria & horologiaria fuisse tam rudem. Ita mihi acutissimus Joannes Marcus, ita alii Mathematici super consultatione Patris Præpositi factâ horologiorum directoribus (hoc est Sacristis, & turrium Custodibus, hominibus ineptissimis, & ignorantissimis) à me consulti. Hæc Caramuel, cujus novam sententiam ultimo loco reservo.

48. Dicastillo asserit, licitum comedere usque ad ultimum pulsum. *Martinum Bresserum. Trullenchium.*

Venio ad Dicastillonem, qui disp. 9. n. 265. putat non improbabilem sententiam, quæ asserit usque ad ultimum pulsum non cogi cessare à comedendo, vel bibendo, qui vult communicare. Citat pro illa Martinum Bresserum de Consec. lib. 4. c. 11. n. 107. & Trullenchum in Decalogo tomo 1. lib. 3. cap. 2. dub. 4. n. 8. quia, inquit, juxta hunc pulsus quatuor quadrantum & primus pulsus horæ possunt computari pro uno signo moraliter; juxta Bresserum verò, omnes etiam horæ pulsus. Sanè quòd non sit omnino mathematicè accipiendum punctum, etiam in horologio materiali rotato, certum mihi est maximè pro quadrantum primo pulsu. Nam ita solet esse disposita machina quadrantum, ut sonent paululum antequam plenè veniat diameter rotæ majoris ad summum.

Sed quidquid sit de hoc; unde quæso tibi constat, quòd particula temporis illorum pulsuum intret horam sequentem potiùs, quàm se tenear ex parte antecedentis, cùm vix, imò ne vix quidem possit constare de tali congruentia omnium partium horologii, ut plenè venerit diameter rotæ ad summum, cùm id non possit tam clarè constare, sicuti Lugo putat facilè cognitu esse? Existimo ergo in morali æstimatione hominum standum; undè in Religionibus, etiam illis, quæ maximè student exactè in puncto pulsare ad horam, non pulsant, nisi post ultimum horæ pulsum, tunc censentes utique primò compleri horam. Hucusque Dicastillo.

Verùm quod ad Religiosos attinet, Lovanii, ubi hæc scribo, nequidem expectant usque ad primum horæ pulsum; sed solent pulsare ad primum ictum præludii.

49. Proponitur sententia Caramuelis.

Non gravetur Lector si pro coronide hujus controversiæ proposuero novam opinionem Caramuelis suprà §. 244. Cùm agitur, inquit, de veracitate horologiorum, standum experientiæ est. Si quis haberet horologium, quod quoties cum cælo collatum, exactè responderet deprehenderetur, eidem stare deberet, & dies distinguere non duodecimæ ultimo, sed primo ictu. Si verò haberet, quod intrà horam cælo corresponderet, esset temerarius, si illud exactè horas repræsentare crederet. Cùm igitur turrium horologia nec sint tam exacta, quam primùm, nec tam exorbitantia quam secundum, merebuntur intermediam fidem, minorem primo, & majorem secundo. Sed quantam? Quantam experientia docuerit. Hucusque hæc Positionum Conclusio procedit speculativè & securè, nec ab aliquo impugnari poterit.

Sed progrederis, inquirisque, quantam experientia ipsa doceat? Jam transimus ad quæstionem de facto. Ex Kepleri optimi Mathematici Tychonicis Automatis utentis experientiâ ad quadrantem hinc indè terminos luxationis reduxi. Si verò habites Romæ, Matriti, Parisiis &c. & Ecclesiarum apud te custodes, qui horologia dirigunt sunt Keplero doctiores; & ipsæ machinæ exactiores Tychonicis, contrahere hos terminos poteris (sed nec illi ullibi sunt doctiores, & eruditiores Keplero; nec istæ nobiliores Tychonicis) non quantùm Diana, aut Theologi jusserint, sed quantùm experientia docuerit. Hactenus Caramuel, apud quem curiosus Lector plura de hac materia inveniet.

50. Sententia Auctoris

Si autem quæritur quid ego sentiam, non dubito horologia turrium sæpè sæpiùs à veritate deviare, non solùm horæ quadrante, sed etiam mediâ horâ, prout quando hæc scribo, die videlicet 26. Martii anni 1659. experientia docuit horologium principale Universitatis Lovaniensis deviasse, nec primæ erant vices, & timeo quòd nec erunt ultimæ. Quid ergo? Dico terminum luxationis à Caramuele præscriptum, stando præcisè in experientia & ratione, non esse nimium.

Cæterùm quia potest Ecclesia præcipere, teste eodem Auctore §. 238. ut horarum discretio, & mediæ noctis determinatio, quidquid

quid cœliùs fiat, humanitùs & Ecclesiasticè sit juxta primum horologium urbis, immo juxta quodcumque horologium vulgò exactum, nolo esse auctor illi, qui comedit, vel bibit post ultimum pulsum horæ duodecimæ, ut die isto communicet, donec particularis opinio seu propositio Caramuelis contra communem sententiam aliorum Doctorum, & universalem praxim omnium timoratorum, sciente & non contradicente Pontifice, magis inoleverit.

Dixi signanter: *Immo juxta quodcumque horologium vulgò exactum*; non enim est major ratio de uno, quàm de altero. Porrò si quis me interroget, an juxta præsentem Ecclesiæ prohibitionem necessariò standum sit primo horologio, an verò secundo vel tertio, Respondeo cum communi sententia:

CONCLUSIO V.

Licet sequi unum ex horologiis vulgò exactis.

51. Quidam negant nos posse computare juxta ultimum horologium, Rodriguez. Lean. Merolla.

EManuel Rodriguez in nova editione summæ tom. 1. cap. 105. n. 6. & Salas 1. tom. in 1. 2. tract. 8. disp. unica sect. 25. n. 264. negant posse nos computare tempus juxta ultimum horologium, ab eoque puncto servare jejunium ad communicandum. Idem docet Merolla tom. 1. disp. 3. cap. 3. coroll. 11. n. 139. ubi sic ait (ut refert Caramuel suprà §. 210.) Falsum est quod subdunt aliqui, quòd scilicet, si diversa sint horologia, & unum sonuerit horam mediæ noctis, aliud verò non, potest qui tunc solvit jejunium naturale, communicare sequenti die; quia est veluti si essent duæ rationes, vel opiniones probabiles; liceret enim alterutram illarum amplecti. Hoc enim falsum est, quia in pari causa melior est conditio præcepti possidentis: & opiniones probabiles sunt tantùm speculativæ, & ideo homo tunc debet se gerere, ac quando factum est dubium. Ita ille. Nec aliam rationem adfert Rodriguez, vel Salas.

Caramuel.

Unde Caramuel §. 205. vocat sententiam illam clarum & manifestum errorem. Et §. 210. quamvis admittat ab extrinseco esse probabilem, confidenter tamen pronuntiat, ab intrinseco esse omnino improbabilem, & rationes à Merolla adductas, aut nihil, aut contrarium probare. Vide Auctorem citatum.

52 Sententia Auctoris

Sed oppositum omnino tenendum est.

Uno verbo Respondeo, illam diversitatem horologiorum, ne vel minimam causare incertitudinem aut dubietatem jejunii naturalis. Quippe licèt dubium sit, & planè incertum, cui horologio præcisè correspondeat punctum physicum mediæ noctis; quia fortè primo, fortè secundo, fortassis etiam & verosimiliùs nullo; equidem moraliter certum est ex communi consensu Doctorum, Ecclesiam non velle nos obligare primo horologio, sed planè liberos relinquere, ut sequamur quodcumque artificiale vulgò exactum.

Si dixeris; petitur principium. Respondeo minimè; sed redditur ratio conclusionis. Et quæ illa? Consensus Ecclesiæ, cujus est ordinare tempus, à quo debeat incipere jejunium, & potuit sic ordinare, ut non inciperet, nisi ab ultimo horologio: colligitur autem sic fecisse ex communi consensu Doctorum & consuetudine timoratorum, ita interpretantibus hoc præceptum.

Ratio à priori voluntas Ecclesiæ.

52. Aliorum fundamentum rejicitur.

Aliqui fundant hanc Conclusionem in probabilitate opinionis; quia, inquiunt, singula horologia, quamdiu de errore non constat, faciunt opinionem probabilem, quam unusquisque potest licitè sequi in suis operationibus. Sed hoc aliis displicet, qui existimant horologia vulgò exacta, non eâ diligentiâ curari, ut sententiam probabilem efficiant. Profectò quòd talis sit hora in cælo, qualis sæpiùs sonat in horologio Lovanienſi, credo vix, ne vix quidem, esse probabile.

Cæterùm vel sola probabilitas speculativa, quam Merolla non negat, facit Conclusionem nostram practicè certam, cùm nullum dubium sit, quin liceat se conformare horologio probabili, quando certum nequit haberi. Qui ergo comedisset vel bibisset tempore medio inter horam unius horologii, & alterius, non debet se gerere ut dubitans, sed ut habens opinionem probabilem speculativam se non comedisse, vel bibisse post horam duodecimam; adeoque ut practicè certus se posse illâ die communicare.

Atque dato, non concesso, quòd esset dubius, ostendo Conclusione sequenti adhuc licitè illâ die communicare.

53. An liceat sequi unum horologium pro jejunio Ecclesiastico & alterum pro naturali?

Interim pro majori explicatione præsentis Conclusionis quæro, an liceat sequi unum horologium pro jejunio Ecclesiastico, & alterum pro jejunio naturali?

Casus sit iste: Petrus die sabbathi post mediam noctem, ut primùm audivit duodecimam, comedit carnes, & postquam satur, excessit è mensa, audivit aliud horologium, significans horam duodecimam. Die sequenti communicare vult, & sic discurrit: Horologia habent opinionum probabilium virtutem; at ego comederam antequam tale horologium sonuerat: ergo probabile est, quòd comedi ante duodecimam: Ergo probabile quòd sim jejunus. At opinioni probabili conformare conscientiam possum: Ergo potero communicare. Et volo scire, inquit Caramuel suprà §. 280. cur communicare non possit: nam stando doctrinæ præcedenti potest: & ego in toto hoc Petri discursu quod possem, aut negare, aut reprehendere, nihil invenio.

Caramuel.

54. Negat Lugo,

Ad hunc casum respondet Lugo disp. 15. n. 47. Si audito primo horologio, & post cœnam agnoscatur error prioris horologii, credo, quòd

quòd possit absque dubio sequi secundum horologium, & observato jejunio celebrare vel communicare die sequenti; quia verè est jejunus, & carnium esus per errorem fuit die præcedenti inculpabilis propter ignorantiam. Si verò non agnoscatur error in primo horologio, sed maneat unicuique sua probabilitas, aliquis fortasse concedet sequelam, dummodò non habuerit ab initio illum animum, sed bonâ fide secutus fuerit primum horologium, postea verò audito secundo mutaverit mentem.

nisi agnoscatur error in primo horologio.

Probat ex variis consequentibus.

Ego tamen, ait Cardinalis, non facilè id concedam; quia video sequi aliqua inconvenientia, quæ in praxi non videntur admittenda. Primò, si aliquis audito primo horologio celebret (eò quòd habeat facultatem celebrandi post mediam noctem) & postea audiat secundum horologium, poterit achærens posteriori iterum celebrare, quia juxta hoc secundum non celebravit hâc die, sed præcedenti.

Posset quis celebrare duas Missas.

Prandere bis in Quadragesima.

Secundò, in Quadragesima posset, audito primo horologio post mediam noctem prandere pro die sequenti, sequens opinionem illam, quòd anticipatio comestionis non sit peccatum mortale; postea verò audito secundo horologio, posset se conformare cum illo, & ex tunc denuò computare diem jejunii, ut posset horâ solitâ iterum prandere, utpote qui illo die adhuc nihil comedisset.

Nunquam legere Vesperas aut Completorium.

Tertiò, qui nondum dixit Completorium, aut Vesperas hodiernas, prævidens parùm abesse, ut sonet in hoc horologio signum mediæ noctis, potest se conformare alteri horologio, ad cujus sonum scit plus temporis superesse, atque ita differre paulisper recitationem: postquam verò sonat in primo horologio hora mediæ noctis, posset se conformare cum illo primo, atque ideo judicare se liberum ab onere recitandi, eò quòd transacta jam esset dies præcedens juxta probabilem opinionem illius primi horologii, quam mutato consilio sequi jam vellet.

Conclusio Cardinalis.

Hæc & alia similia ostendunt, non posse illum, qui semel accepit unum horologium pro regula diei Ecclesiastici, postea pro libito relinquere illud, & accipere aliud, sed sæpè esse obligationem retinendi eandem regulam, quamdiu non apparet manifestus error in primo horologio. Hactenus Eminentissimus.

55. Impugnatur Card. sententia à Caramuele.

Sed quid ad hæc Caramuel? Quid si (inquit) omnia, quæ inconvenientia ille vocat, concederem? Videtur mihi Lugonis argumentum esse simile huic: non facilè credam torrem esse ignitum, & posse ligna succendere, quia tanta est negligentia famulorum, ut hinc aliqua inconvenientia sequantur. Nam si caderet torris supra tabulatum, conciperet istud ignem, & domus integræ comburerentur. Hoc est maximum inconveniens &c.

Quando argumentum

Respondeo ad utrumque, illa inconvenientia esse gravia; necessariò sequi; adeoque aut toleranda, aut ponendum remedium; non enim inconvenientia probant antecedens falsum, sed impossibilia solummodò. Ita ille.

ab inconvenienti ad efficax.

Ast numquid toleranda? Non puto. Ergo remedium ponendum. Sed quod illud? Quamvis, inquit Cardinalis suprà n. 49. liberum sit unicuique, regulariter loquendo, amplecti ex duabus sententiis probabilibus, quam voluerit, eam tamen, quam amplectitur, debet retinere, quamdiu de ejus improbabilitate non constat, quoties libera facultas variandi sententiam resultat in præjudicium tertii, qui eo modo fraudaretur jure suo, quod jus habet non probabile, sed certum ad aliquid exigendum; v. g. debes dare Petro ex justitia singulis diebus nummum aureum, quod sit pondus diei, ita ut si intrà diem non solvas, non debeas dare duplum sequenti die: hoc suppositio, imminente jam sonitu mediæ noctis exigit Petrus suum jus; respondes, sequor illud alterum horologium, quod post mediam horam sonabit, & hoc prætextu differs solutionem: postquam verò horologium dat signum mediæ noctis, mutatâ sententiâ dicis, sequor magis hoc primum horologium; atque ideo transactâ jam omnino die præteritâ, nihil debeo. Hæc certè variatio licita non est, alioquin absque peccato posset per totum annum nihil solvere Petro, mutatâ singulis diebus sententiâ post sonum primi horologii.

Ratio primi inconvenientis.

An possit mutari dimensio in materia justitiæ?

Plura similia inconvenientia, etiam in aliis materiis, vide apud Auctorem citatum, qui tandem concludit n. 53. Sic ergo Superior ex vi duplicis præcepti habet jus certum, ut post comestionem hodiernam homo nihil comedat ante communionem crastinam, quo jure fraudetur, si homo juxta primum horologium cœnet post mediam noctem, & juxta secundum celebret cras: ergo non debet concedi talis libertas; sed dicendum, quòd eò ipsò, quòd vult homo accipere primum horologium pro regula ad cœnandum, obliget se implicitè ad sustinendam illam regulam, quamdiu de ejus errore non constat, ne Superior fraudetur jure suo, quod habebat ex complexione utriusque præcepti, ut homo nihil comederet ante Communionem crastinam post prandium, vel refectiunculam hodiernam.

Concilio Card.

57. Distinguitur prima dictum à damno.

Respondet Caramuel §. 283. Hæc omnia argutè Lugo, at semper chordâ obludit eâdem: inconvenientia multiplicat, quæ omnia concedimus, & tamen doctrinam Lugonis esse veram negamus. §. autem 286. negat ex hac libertate sequi ullum præjudicium tertii; quoniam qui suo utitur jure, etiam cum damno tertii, nemini præjudicat: est enim præjudicium non qualecumque damnum; sed illatum injustè. At omnia illa inconvenientia, quæ enumerat Lugo, ex hac doctrina sequi certum est; justè tamen.

Et post pauca sic ait idem Auctor: Cùm vidit Lugo ex natura rei manere libertatem mutandi

tandi opinionem probabilem, confugit ad Superioris præceptum. Sed hoc effugium nullum est. Quia habere hanc, vel illam sententiam, est actus merè internus, nec humanæ auctoritati subditus. Et si diceretur Ecclesiam de occultis judicare, fortè adderem Ecclesiam compræcepturam fuisse, ne quis casu posito opinionem mutaret, si hic casus fuisset illi propositus: nam aliud est, Ecclesia præcipit, & aliud, Ecclesia præcepisset, si prævidisset hoc: certum est enim præcepta hæc esse antiquissima, & has subtilitates ab annis pauculis motas.

Actus merè interni legibus humanis non subsunt.

Aliud est, præcipit, & aliud, præcepisset.

Dico igitur veteres Legislatores hæc inconvenientia non prævidisse. Suspicor eos, si illa prævidissent, laturos fuisse aliquam legem circa mutationem dictaminis probabilis, non quæ respiceret actum purè internum, sed quæ opus externum; puta si Ecclesiasticam diem juberent juxta primum horologium servari. Addo hujusmodi legem nondum latam. Et subjicio, motis novis dubiis, & novis cognitis inconvenientiis, expedire ut novâ lege Ecclesia veterem legem propugnaret.

Audistis Caramuelem in prima parte Theologiæ fundamentalis; quem librum eâ lege permisit imprimi, ut non definitivus, sed propositivus & disputativus dicatur. Multa (inquit §. 10.) in illo propono, nil definio: nolo ab aliquo amico vel æmulo pro aliqua hujus libri opinione allegari: nihil enim in toto facio aliud, quàm insinuare scopulos, quos Navarchus Ethicus debeat vitare; & quo vitare debeat modo, aut non debeat, non expono; sed aliis judicandum relinquo.

58. Hinc secundâ parte Theologiæ fundamentalis, in qua dissolvit aut dissecat quæstionum moralium nodos gordios, quos in prima parte proposuerat, § 59. sic dissolvit præsentem nodum: Licet, ubi non agitur de damno tertii, mutare quamcumque opinionem probabilem. Et quid quæso si agatur de damno tertii? Non licet, si expresè, vel implicitè contractu aliquo te obligasti ad non mutandum opinionem. An aliquando ad retinendam opinionem, quam quis liberè elegerat, tenebitur aliquo præcepto? Respondeo, hanc propositionem: *Ecclesia, quæ præcipit officium divinum, jejunium &c. compræcipit ne quis mutet sententiam probabilem, eo nimirum casu, quo ex tali mutatione, hæc præcepta posse non observari sequeretur*, habere contra se rationem gravissimam & pro se gravissimam auctoritatem.

Propositur sententia Caramuelis.

Ratio est, quia veteres Pontifices non præceperunt, quæ non præviderunt: at hæ subtilitates sunt ab annis pauculis motæ, non ergo à mille aut pluribus annis legibus cautæ. Auctoritas est Eminentissimi Domini Cardinalis Lugonis: qui tamen non tam videtur explicare, quid Pontifices jusserunt, quàm quid jussissent, si fuissent isti casus propositi. Interim illa ratio solutione non caret. Estò enim hoc vel illud effugium, quo Juniores utuntur, ut legi non satisfaciant, Veteres Pontifices non prævideriint; at censendi sunt voluisse omnino omnes obligare, & claudere omnes aditus, per quos posset aliquis obligationem effugere. Ergo censendi sunt voluisse omnia ponere media necessaria, ut lex teneret. Ergo si necessaria erat secunda lex, quæ compræciperet, ne quis mutaret opinionem probabilem, eo videlicet casu, quo ex tali mutatione non satisfieri præcepto sequeretur, censendi sunt & hanc legem implicitè tulisse. Stat igitur opinio Eminentissimi Domini Lugonis, & interim suadendum erit omnibus (quidquid de speculatione sit) ne discedant ab illa practicè. Ita Caramuel, cui libenter subscribo.

Veteres Pontifices non previderunt jubendorum Theologorum subtilitates.

In lege expressa illa omnia compræcipiuntur, quæ sunt necessaria ad ejus observantiam.

59. Solùm addo aliam esse probabilitatem objecti, aliam probabilitatem facti, nec à prima ad secundam semper duci posse efficax argumentum; v. g. medicus probabiliter judicat hoc remedium profuturum infirmo: ergo licitè illud applicat, estò habeat aliud remedium certum: Consequentia non valet, quia ex Charitate teneturproximo succurrere medio certissimo, quantùm commodè potest: neque hìc est sententia probabilis circa actum, sed solummodò circa objectum.

Alia est probabilitas objecti, alia facti; nec à prima ad secundam semper valet argumentum.

Applico ad propositum casum. Singula horologia (inquit Lugo suprà n. 45.) quamdiu de errore non constat, faciunt opinionem probabilem, quam unusquisque potest licitè sequi in suis operationibus. Sed quæ ista? An hæc fortè? Quando auditur duodecima, est duodecima hora præcisè. Profectò secundùm Clarissimum & Doctissimum Dominum Joannem Marcum apud Caramuelem parte 1. § 224. est certò moraliter falsa. Nescimus enim (inquit Marcus) vel semel primum campanæ ictum cælesti temporis momento respondisse. Quæ ergo? Audito quolibet horologio vulgò exacto incipit dies Ecclesiasticus.

Applicatur proposito casui.

Interrogo, quod horologium censes vulgò exactum? Cujus error, inquis, sensu non potest vulgò percipi, aut certè ita parùm sensibiliter deviat à vero, ut non videatur distare moraliter. Consentio, & dico illa horologia non tantùm probabilem facere opinionem, sed moraliter certam. Alioquin quomodo Caramuel bene vocasset opinionem Rodriguez clarum & manifestum errorem?

60. Quod horologium sit vulgò exactum.

Si inferas: ergo etiam moraliter certum est, quòd possim sequi primum horologium pro jejunio Ecclesiastico, & secundum pro naturali; nego Consequentiam: quia solùm est certitudo, vel probalitas, si ita placeat vocare, objecti, & non facti; quamquam enim probabile sit, imò moraliter certum, diem Ecclesiasticum incipere à primo horologio; probabile etiam, imò moraliter certum, incipere à secundo, equidem hactenus nemo docuit tamquam probabile,

quòd liceat in fraudem, vel unius tantùm legis, nunc hoc, nunc illud sequi horologium; quod tamen requiritur ad probabilitatem facti.

Potuit indubiè Ecclesia consentire, ut bonâ fide, quando non cedit in damnum tertii, vel fraudem alicujus legis, sequeremur unum, vel aliud horologium; estò noluerit consentire in illam variationem, quando malâ fide proceditur cum elusione alicujus præcepti, aut damno tertii.

Probatur communis sententia ex consensu Ecclesiæ.

Et ideo optimè probatur communis sententia ex consensu Ecclesiæ, quem rationabiliter præsumimus in uno casu, quando ex illa variatione nulla sequuntur inconvenientia; secùs in alio, ex quo innumera inconvenientia sequuntur.

61. Quidam casus, in quo juxta Dicastillonem licet ea variatio horologiorum.

Dixi, *Quando malâ fide proceditur*, quia, inquit Dicastillo disp. 9. n. 326. adhuc in aliquo casu videtur probabile, quòd quis secutus unum horologium ad solvendum jejunium Ecclesiasticum unius diei, possit postea amplecti tardioris horologii sententiam, & cum illo incipere diem & jejunium pro Communione.

Nam si quis vel ignorans, hoc, quod audivit, esse prius horologium, sed potiùs credens ultimum; immo putans esse unicum, audito signo mediæ noctis comedit, putans jam certò moraliter finitam diem jejunii; postea verò audivit aliud horologium, ita ut probabile sit illud, quod comedit, comedisse die præcedenti, quamvis bonâ fide fecerit, putans esse alium diem; atque adeò sine peccato, non video quid prohibeat illum se gerere pro jejuno, juxta probabilem sententiam horologii secundi, & si placuerit, communicare.

In hoc enim casu mutat quidem sententiam, & variat horologia; sed non ex primaria electione variationis, sed ex accidenti, quatenus nesciens esse aliam regulam, præter unicam primi horologii, illam cœpit sequi; postea verò se accommodat alteri regulæ, quam videt probabilem, in quo casu non sequuntur ea inconvenientia, quæ suprà cum Lugone deducebamus. Hæc ille.

Auctor dubitat.

Equidem non satìs mihi constat de consensu Ecclesiæ, & potuit Ecclesia rationabiliter velle observationem sui præcepti juxta sententiam, quam quisque sive ignoranter, sive ex certa scientia præ alia elegerit, quando ex variatione sequitur non observatio alicujus præcepti, vel damnum tertii; immo etsi nihil hujusmodi sequeretur.

Itaque tota decisio pendet ex voluntate Ecclesiæ, quæ scripto deficiente, optimè cognoscitur ex communi praxi. Dubitas de praxi? Consule æquitatem naturalem. Æquitas naturalis ambigua est? *In pari delicto, vel causa*, ait Reg. 65. de Reg. juris in 6. *potior est conditio possidentis*. Rogas quis hìc possidens? Responsio difficilis est, & oppidò controversa. Dico:

CONCLUSIO VI.

Certus se comedisse, dubitans an post mediam noctem, licitè communicat.

PEr dubium hìc intelligo, suspensionem quamdam judicii ex defectu rationis sufficientis ad assentiendum, vel dissentiendum; supra quam suspensionem potest esse judicium reflexum, quo quis judicat se manere suspensum, potest etiam non esse. 62. Quid intelligatur per dubium.

Illud dubium duplex est; aliud dubium juris, & aliud dubium facti. Dubium juris est, quod circa jus versatur; v. g. an aliquid sit præceptum vel prohibitum? Dubium facti definit noster Franciscus Felix tract. 4. de Conscientia cap. 4. diff. 1. n. 1. quod respicit opus; v. g. an voverim, an non? Aliud est factì, aliud juris. Franciscus Felix.

Sed perperàm meo judicio, nam etiam præceptum est factum seu opus Legislatoris, sicut votum est opus hominis privati. Unde, salvâ pace illius Auctoris, dubium de voto emisso, non est dubium facti, sed juris. Factum ergo voco opus, quo satisfacio obligationi contractæ; jus autem opus, quo obligatio contrahitur, sive illud opus sit lex publica, sive solùm privata, ut votum, contractus &c.

Porrò quodlibet dubium adhuc duplex est, unum speculativum, quod est de re, sicut est in se, & ut scitur à Deo; alterum practicum, & est de re, non ut in se, sed in ordine ad appetitum rectum, & ut est judicata per rectam rationem. Ex quo deducitur, eandem rem posse esse speculativè dubiam, & practicè certam. Aliud speculativum. aliud practicum.

Venio ad Conclusionem, in qua primò dicitur: *Certus se comedisse*; quia ex duplici capite potest oriri dubium, vel ex tempore, vel ex comestione; ex tempore an comederis ante mediam noctem, vel post; ex comestione an comederis vel non comederis. Putat autem Lugo disp. 15. nu. 42. cum priori dubio non esse licitum communicare, secùs cum posteriore. Sanchez lib. 2. de Matrimonio disp. 41. num. 40. tenet in neutro dubio posse. Layman lib. 1. Theologiæ moralis cap. 5. §. 4. nu. 36. docet posse in utroque, sicque dilucurrit. 63. Aliud de comestione. aliud de tempore. cum hic communiter plures negent. Sanchez. affirmat. Lugo.

Sed numquid Sacerdos dubitans an noctis medium cœnando excesserit, alterâ die Sacrificare poterit? Negat Sanchez loco citato; quia in tali dubio, seu incertitudine tutior pars eligenda videtur, propter reverentiam Sacramenti. Sed existimo non improbabiliter permitti posse Sacerdoti, ut in tali casu sacrificet, etiam propter devotionem ac nullâ cogente necessitate. Hæc ille. affirmat. Lugo.

Ratio-

& probat ex voluntate Ecclesiæ.

Rationem attexit: quia lex Ecclesiastica de jejunio communicaturis servando non videtur tam arctè constringere conscientias in casu dubio. Cessante autem obligatione legis Ecclesiasticæ, jam nulla est irreverentia cum tali dubio communicare. Alia verò ratio est, si dubitetur de eo, quod ad substantiam Sacramenti pertinens, ab Ecclesiæ voluntate non dependet.

Simili modo respondendum est, si dentibus quidpiam masticans, dubitet an deglutiverit, ut in neutram partem inclinare possit, quòd à sacra Communione abstinere non teneatur. Quia in ejusmodi casibus favorabilia præsumere licet, ne conscientiæ nimìs adstringantur. Hæc Layman; qui, ut patet, nullum aliud habet fundamentum, præter benignam interpretationem voluntatis Ecclesiæ.

Sancius.

Eandem sententiam defendit Sancius in Selectis disp. 42. per totam, respondens ad argumenta contraria, & rationes pro se adducens, quæ sunt adeò probabiles, inquit Diana p. 3. tract. 4. resol. 29. ut existimem hanc sententiam in praxi tutam & securam esse.

Diana.

64. Dicastillo probat ex communi axiomate: *In dubio &c.*

Hos Auctores sequitur Dicastillo disp. 9. n. 297. innixus illo communi axiomate: *In dubio melior est conditio possidentis*, quia, inquit n. 300. ex parte communicaturi supponitur jus acquisitum communicandi singulis diebus, in quibus non sit impedimentum. Hoc autem jus hodie possidet pro omnibus sequentibus diebus, quæ possessio est & durat totâ vitâ. Ergo ut hoc jure, quod possidet, non possit uti, necesse est superveniat aliquod impedimentum certum. Atqui sive dubium sit de comestione, sive de hora comestionis, est impedimentum dubium; possessio verò juris ad communicandum præsupponitur certa: ergo non potest illi obstare impedimentum illud dubium. Hæc ille.

65. Standum est pro libertate, quando dubitatur de actione quâ incurritur obligatio.

Explico: Standum est pro libertate, quandocumque dubium est circa actionem, quâ primò quasi incurritur obligatio: quando verò dubium est de ea re, quâ ab obligatione priori debeo eximi, sive quâ exire possum ex obligatione, tunc standum pro lege. Clariùs, quando obligatio erat antiquior dubio, tunc standum pro obligatione; quando verò per dubium primò intrat obligatio, sta pro tua libertate.

Arriaga. Probatur exemplis.

Sic qui dubitat (inquit Arriaga, de Actibus humanis disp. 25. nu. 58.) an votum fuerit validum, dubitat utrùm ab obligatione, quam votum præcedens secum attulit, eximatur, & exeat ex obligatione contracta. E contra verò qui dubitat an emiserit votum, dubitat an intraverit obligationem, id est, an fecerit id, quod secum adfert obligationem.

Sed quia de hoc exemplo aliquis posset dubitare, ut patebit ex dicendis, aliud adfero ex eodem Auctore & magìs ad propositum: Qui dubitat, an sit audita duodecima noctis, si dubitat, quia vult comedere carnes, quas illâ die non poterat comedere, dubitat utrùm eximatur ab obligatione contracta, & ideo lex jejunii est in possessione: secùs si dubitet, ne jejunio sequenti impediatur à comestione carnium, nam tunc dubitat, an intraverit obligationem. Breviter in dubio juris standum est pro libertate; in dubio verò facti pro Lege; quoniam in dubio juris libertas est in possessione; in dubio verò facti, lex.

In dubio juris standum est pro libertate, in dubio facti pro lege.

Contrà; Beneficiarius, qui dubitat an hodie legerit horas canonicas, dubitat an obligetur legere: ergo est eadem ratio dubii juris, & facti.

65. Objectio.

Respondeo, quoad punctum actualis obligationis, eadem est de utroque dubio ratio; tamen quoad rem præsentem magna invenitur disparitas: nam præceptum & votum est jus tenens se ex parte alterius, cum quo quasi litigo: unde quando constat certò fuisse præceptum vel votum, indubitanter constat illum habere jus, quantùm est ex parte sua, ergo est in possessione juris, nihilque habet, quod debeat probare. Sin autem dubitatur; utrùm ego fecerim, quod præcipitur, dubium totum est de eo, quod se tenet ex parte mea, & consequenter ego sum in pejori statu, quia ille habet titulum certum ex se, & ego dubiam solutionem, adeoque mihi incumbit probatio, & eâ non adductâ, obligatio.

Solvitur.

Dico, *Certum ex se*; quia licèt hìc & nunc quoad punctum obligandi videatur titulus reddi ambiguus, cùm sit incertum, an ego satisfaciendo illum extinxerim: Equidem illa incertitudo non se tenet ex parte juris, sed solutionis; v. g. certum est fuisse titulum, & non constat illum extinctum: ergo adhuc manet in possessione; quia à præterita possessione non debet per dubium sequens expelli. At verò quando dubitatur de lege imposita, cùm tunc ex una parte ante subortum dubium certò fuerim in possessione meæ libertatis, non possum ab ea deturbari ob dubium jus in alio obortum.

Censetur esse in possessione cui non incumbit probatio.

Ille igitur censetur esse in possessione, cui non incumbit probatio. Jam autem quando constat de lege lata, tuum est probare, te legi satisfeciisse; sin verò dubitatur de lege lata, Legislatoris est probare illam esse latam.

66. *Lugo.*

Ex qua distinctione contendit probare Lugo suprà nu. 43. & 44. suam sententiam mediam; sed frustra. Enimverò sive sit dubium de comestione secundùm se, sive de tempore tantùm comestionis, dico onus probandi incumbere non illi, qui vult communicare, sed ejus Adversario. Patet ex dictis; quia certum habeo jus singulis diebus communicandi, & dubia est causa obligationis hodie non communicandi.

In casu nostro incumbit Legislatori probatio.

Objectio solvitur.

Dices; constat de lege non communicandi post cibum vel potum sumptum isto die. Constat planè. Sed quid tum? Num etiam constat

me aliquando ista lege fuisse comprehensum? Minimè; sic enim constare deberet de comestione hodierna. Non ergo hìc agitur de exemptione à lege; sed de subjectione, & inquiritur causa, non exemptionis, sed subjectionis; siquidem non omnis ille, qui comedit, est subjectus legi isti, sed qui hodie comedit. Ergo quamdiu non est certa comestio hodierna, non est certò lex lata respectu mei; quia non est certa materia legis; adeóque Legislatori incumbit probatio.

Aliud esset, si certò constaret me hodie comedisse: interim prætendo communicare, vel propter infirmitatem, vel aliam causam excusantem, tunc enim mihi incumbit probatio hujusmodi causæ, & ideo quamdiu manet dubia, lex est in possessione, & obligor.

67. Respondetur ad primum exemplum à Lugone adductum.

Ex his facillimè respondetur ad exempla, quæ Cardinalis pro se adducit. Si (inquit n. 44.) aliquis recordatur voti à se emissi; dubitat autem, an illud emiserit ante, vel post septennium, ipsi incumbit onus probandi; atque ideo manente dubio, obligat votum; quia de voto constat, & non de excusatione. Ita *Dicastillo.* ille, & alii magìs communiter; sed negat Dicastillo suprà n. 293.

Profectò qui dubitat, an voverit cum sufficienti deliberatione, id est, an votum fuerit validum, dubitat, non de causa exemptionis, sed obligationis; id est, dubitat an unquam contraxerit obligationem voti, ergo ipse est in possessione, & non votum; ergo ipsi non incumbit probatio indeliberationis, sed Adversario incumbit probatio deliberationis: nisi dixeris præsumptionem juris esse contra illum, qui exteriùs vovit.

In dubio præsumitur valor actûs. *L. 80. ff. de verb. Obl. cap. 25. de verb. signif.*

In dubio namque præsumitur valor actûs juxta L. 80. ff. de verb. obligationibus: *Quotiens in stipulationibus ambigua oratio est, commodissimum est id accipi, quo res, de qua agitur, in tuto sit.* Item cap. 25. de verb. significatione ibi: *Profectò sic intelligenda sunt illa verba, ut res, de qua agitur, valere possit potiùs, quàm perire.* Jam autem in illum, contra quem est præsumptio, transfertur onus probandæ suæ exemptionis.

68. Quid sit præsumptio juris.

Nec mirum; quia præsumptio juris, secundùm Juris Consultos, communiter, est verisimilitudo quædam sufficiens ad rem dubiam credendam, sive est probabilis conjectura ex certo signo proveniens, quæ alio non adducto, pro veritate habetur, donec Adversarius oppositum probet, in quem proinde id probandi onus transfertur. Unde quando dubitatur de valore alicujus contractûs, Matrimonii v. g. testamenti, aut similis, statur præsumptioni juris, & judicatur pro valore contractûs, etiam in foro conscientiæ; quia si attentè res consideretur, quando juris præsumptio stat pro actûs valore, ille potiùs dicitur possidere, quàm nativa voluntatis libertas; & jam ampliùs non manet dubium negativum, sed illa pars, pro qua stat præsumptio, est probabiliter vera.

Et quidem si ea tantùm sit mens Lugonis, dexteram jungimus. Sed numquid eadem ratio militat in dubia comestione? Liquet profectò, nihil simile in illa reperiri, sive sit dubium de ipsa comestione, sive de tempore comestionis. Vel ergo exemplum Cardinalis non est verum, vel non est simile; quia nos loquimur de puro dubio negativo, quando nulla est ratio pro alterutra parte; talis autem casus non est puri dubii: sed præsumptionis probabilis pro altera parte, ut constat. Pergo ad secundum & tertium exemplum Lugonis.

Si debeo, inquit, tibi dare singulis diebus unum nummum; & dedi jam hodie, tu petis alterum, quando dubitatur, an sit jam altera dies, debes probare esse jam finitum diem priorem quia de solutione constat, & non de die nova, quæ dat tibi jus ad alteram solutionem. Similiter si habeas jus ad communicandum semel tantùm singulis diebus, prout de facto habes, & communicasti hodie, dubitas postea, an sit media nox, & an possis iterum communicare pro altera die; tibi incumbit onus probandi: nam de Communione constat, & non de inceptione novæ diei, quæ dat tibi jus ad novam Communionem. 69. Secundum exemplum Lugonis.

Similiter ergo, qui certus est de comestione, & dubitat de inceptione novæ diei post comestionem, non potest communicare; quia sicut solutio semel facta aufert jus ad exigendum iterum eâdem die; & sicut Communio tollit jus ad aliam Communionem eâdem die; ita comestio tollit jus ad communicandum eâdem die: ergo sicut in aliis casibus, sic in isto, ille, qui fatetur comestionem, debet probare novam diem post comestionem, ut habeat jus ad Communionem; interim enim rejicietur eo titulo, quòd comedit, & non habet jus, donec incipiat nova dies post comestionem. Quæ ratio non procedit in priori casu, quando dubitatur de ipsa comestione: huic enim nihil potest opponi, per quod amiserit jus ad communicandum eâdem die, cùm non possit illi opponi comestio, de qua non constat. Hucusque Eminentissimus.

Sed minùs rectè: nam argumentatur à casibus, in quibus est certitudo impedimenti, si non adsit nova causa, & de adventu novæ causæ non constat, ad casum, in quo constat de nova causa, dante jus ad Communionem, si non adsit impedimentum, & de impedimento non constat. Neque enim, ut superiùs expendimus, quælibet comestio est impedimentum Communionis; sed comestio illius diei, in qua volo communicare, & de illa comestione non constat, ut supponitur; certum autem est advenisse novam diem, pro qua anteà habebam jus ad Communionem, nisi aliquid obstaret. Ergo non mihi incumbit probatio causæ, quæ Respon. est

est certa, sed Adversario probatio obstaculi, quod est dubium.

70. Objectio. Dices; adæquata causa communicandi non est sola nova dies, sed nova dies post ultimam comestionẽ; atqui de illa non constat: ergo &c.

Respondeo primò; neque de illa constare, quando dubitatur de ipsa comestione, si enim ultima comestio dubia est, quomodo novus dies post ultimam comestionem erit certus? Nescis enim an comestio hesterna fuerit ultima. Ergo adhuc malè distinguit Cardinalis inter dubium de comestione, & dubium de tempore comestionis.

Respondeo secundò Negando Majorem; nisi remotionem impedimentorum velis appellare causam, contra communem modum loquendi, & rei veritatem. Quis enim dicit apertionem fenestræ esse causam illuminationis cubiculi? Quis applicationem ignis ad combustibile causam combustionis? Quis præsentiam Parochi causam obligationis Matrimonialis? Sic ergo in præsenti negatio comestionis & potationis neutiquam tribuit jus communicandi; sed solùm removet prohibens executionem juris, quod hodie habebam pro Communione crastina; sicuti præsentia Parochi non tribuit jus contrahendi Matrimonium, sed solùm removet prohibens executionem juris, quod ex natura rei habeo independenter ab illa præsentia.

Sed contrà; non possum contrahere Matrimonium, nisi constet de præsentia Parochi: ergo non possum hodie communicare, nisi constet de jejunio.

Respondeo Negando Consequentiam. Rationem disparitatis do; quia præsentia Parochi est qualitas positiva, eaque contingens, quæ proinde non supponitur inesse, nisi probetur. E contra verò jejunium est qualitas negativa, quæ necessariò inest, nisi per formam oppositam expellatur, quamdiu ergo non constat de inexistentia formæ oppositæ, præsumitur negatio. Ergo præsumitur jejunus, cujus comestio positivè non probatur.

Unde consequenter assero, licitè contrahi Matrimonium cum dubio impedimento consanguinitatis, criminis, raptûs &c. quia sunt impedimenta positiva, quæ non supponuntur inesse sine positiva probatione: manet ergo jus contrahendi, quod erat ante exortum dubium, in possessione, donec per positivam probationem impedimenti ab illa deturbetur. Ergo similiter in nostro casu manet jus communicandi hoc die, quod erat ante dubium exortum in possessione, donec per positivam probationem impedimenti ab illa deturbetur.

Confirmatur: Si quis reliquerit legatum pium pro maritanda puella sibi consanguinea in secundo gradu, dummodò non prostituerit pudorem, consanguinitatis quidem probatio positivis argumentis fieri debet; quia consanguinitas est conditio positiva: probatio verò non prostitutionis (quæ est conditio negativa, scilicet abstinentia à copula) satis est, si fiat negativè, id est, quòd nemo contrarium possit probare.

Aliud est, quando hâc die communicavi, & dubito an sit nova dies; eò ipsò enim quòd hoc die communicavi, jam intravi obligationem non communicandi, nisi die sequenti, & non præsumitur dies sequens, nisi probetur; ergo ut exeam obligationem jam actualiter contractam, mihi incumbit probatio diei sequentis, & non Adversario.

72. Quid dicendum quando communicavi hâc die & dubito an sit nova dies?

In casu autem Conclusionis, quamvis lex non communicandi post cibum aut potum, possit me obligare ad abstinendum hodie à Communione, numquam tamen actualiter me obligavit; quia ut suppono, numquam fuit verum dicere, me hodie comedisse, cùm tamen hodierna comestio, ut jam non semel diximus, sit conditio necessariò requisita ad actualem obligationem: & cùm aliunde non supponatur inesse, nisi Adversarius probet, manet homo in possessione suæ libertatis: in dubio autem melior est conditio possidentis.

Assignatur disparitas inter hunc casum & casum Conclus.

Sed dicet aliquis, etiam qualitas negativa debet probari in foro externo; ergo debet sciri in foro interno. Antecedens probatur ex leg. 9. Cod. de Probation. *Cùm te minorem viginti & quinque annis esse proponas, adire Præsidem Provinciæ debes, & de ea ætate probare.* Ergo consimiliter in casu proposito, qui se proponit esse jejunum, debet de eo jejunio probare. Quippe Ecclesia requirit in suis ad hoc ut communicare possint, jejunium tamquam conditionem necessariam, ut patet ex Carthag. III. can. 29. *Ut Sacramenta altaris non nisi à ieiunis hominibus celebrentur.*

73. Objectio.

L. 9. *C. de Probat.*

Carth. III.

Respondeo sensum horum verborum esse: Ut Sacramenta altaris non celebrentur ab hominibus, qui comederunt. Patet hoc manifestè ex Conc. Constant. sess. 13. ibi: *Huiusmodi Sacramentum non debet confici post cœnam, neque à fidelibus recipi non ieunis*, id est, non debet confici ab illis qui cœnarunt, neque recipi ab illis qui comederunt, hi enim soli sunt non jejuni; ergo dubius de cœna, aut comestione, potest celebrare & communicare, cùm soli arceantur, qui cœnarunt aut comederunt, & cœna aut comestio non præsumatur.

Solvitur.

Conc. Constant.

Porrò ad leg. 9. Cod. de Probat. dico disparitatem esse, quòd, ut jam dictum est, & ab Adversariis conceditur, comestio non præsumatur, & per consequens præsumatur jejunus qui aliquando fuit: at verò non præsumitur minor, qui aliquando fuit, ut docet Gloss. ibi verb. *Probare* dicens: *Est ergo aliud in ætate, quàm in dominio, ubi quis præsumitur Dominus, qui aliquando fuit, non autem sic præsumitur minor, qui aliquando fuit. Et est ratio, quia*

solus temporis cursus facit maiores, non autem mutat dominium. Hæc Gloss.

Sed nunquid etiam solus temporis cursus facit ex jejuno non jejunum? Clarum est quòd non. Ergo frustra laborat de Scildere in suo libro de Principiis conscientiæ formandæ tract. 6. n. 26. ex illa lege probare oppositum nostræ Conclusionis, cujus probatio liquidò constat ex hactenus dictis; utì etiam responsio ad omnia alia, quæ ab Adversariis solent objici. Vide Dicast. disp. 9. à num. 301. usque ad 312.

74. Hoc unicum videri posset habere specialem difficultatem, quòd ex nostra doctrina videatur sequi, licitum esse communicare cum peccato mortali dubio, quod tamen ordinariè negatur.

An sit licitum communicare cum peccato mortali dubio?

Respondeo præcisè ex vi præcepti Communionis non esse illicitum; at verò ex vi præcepti Confessionis, præmittendæ Communioni, ab illo qui habet conscientiam peccati mortalis, erit illicitum, ex hypothesi quòd illud peccatum dubium sit confitendum, ut communiter docetur. Alioquin qui illam doctrinam negaret, nescio cur consequenter non deberet asserere Communionem cum peccato dubio licere; nisi fortè disparitas aliqua sit, quòd, qui communicat cum peccato mortali dubio, exponat se periculo frustrandi Sacramentum suo effectu; secùs qui in bono statu communicat cum dubio comestionis, vel temporis comestionis. Sed & huic periculo obviari posset per attritionem supernaturalem, quæ secundùm multorum sententiam sufficit ad effectum, quando bonâ fide proceditur.

75. Hactenus de præcepto non communicandi post sumptum cibum vel potum; quia autem Ecclesiasticum est, non rarò evenit, ut Communio liceat non jejuno. Et primò quidem constat apud omnes solum Pontificem in hoc præcepto posse dispensare. An autem de facto dispenset cum Cardinale, qui in nocte Natalis Domini celebrat primam Missam in Sacello Pontificis coram ipso Pontifice (solet enim tota Missa ante mediam noctem absolvi) disputant Cardinalis Lugo & Dicastillo. Non credo, inquit Eminentissimus disp. 15. n. 56. intentionem Pontificis esse dispensare in jejunio naturali pro illa vice singulis annis, sed potiùs dicerem, quòd velit pro illo loco & pro illa nocte anticipari aliquantulum initium diei sequentis; quia jejunium solùm debet esse intrà illam diem. Quando autem incipiat dies, pendet ab hominum placito, aliqui enim incipiunt diem ab ortu solis, aliqui ab occasu, alii ab alio termino. Ecclesia verò computat à media nocte; potest ergo eadem Ecclesia semper, vel aliquando computare diem ab aliqua alia hora, & sic de facto potest Pontifex justis de causis anticipare per horam, vel duas horas, initium diei illius in illo loco; sicut etiam quoad celebritatem officii Sabbatho Sancto Ecclesia anticipat initium noctis per aliquas horas. Porrò mentem Pontificis hoc pacto potiùs intelligi debere, quàm quòd velit dispensare in jejunio naturali ad Missam præquisito, probant mihi plura inconvenientia quæ ex illo alio modo dispensandi sequerentur. Hactenus Lugo.

Sòlus Pontifex potest dispensare in præcepto jejunii.

An de facto dispenset?

Negat Lugo

Quæris quæ sint illa inconvenientia? Vide Cardinalem n. 57. equidem ad omnia respondet Dicastillo disp. 9. à nu. 407. usque ad n. 413. Ipse autem propter alia sex inconvenientia, quæ putat sequi ex illa anticipatione initii diei sequentis, existimat probabiliùs Pontificem dispensare. Vide Auctorem citatum à nu. 398. usque ad nu. 405. elige quod placet, & non errabis in fide, aut bonis moribus. Transeo ad necessitatem, quæ, ut communiter dicitur, non habet legem, præsertim Ecclesiasticam, & dico:

Affirmat Dicastillo

CONCLUSIO VII.

Excusat à præcepto jejunii necessitas vitandæ infamiæ, & Sacrificii perficiendi.

76. Probatur prima pars Concl.

UTraque pars est communis. Prima probatur; quia lex humana non obligat, per se loquendo, cum tanto incommodo, immo etiam multa præcepta divina, ut patet in præcepto integræ confessionis, præcepto confessionis præmittendæ communioni ab illo, qui habet conscientiam peccati mortalis, quod multi docent esse divinum, & aliis similibus. Nam finis omnis legis est bonum commune, cui opponitur communis transgressio, quæ nata est sequi, quando actus communiter superat humanam fragilitatem. Sanè pauci hodie inveniuntur, qui cum gravi infamia recederent à mensa Communionis, ad quam cum aliis bonâ fide post sumptum cibum, vel potum accesserant. Ergo non est verisimile in istis circumstantiis Ecclesiam voluisse obligare ad jejunium. Non enim potestas legislativa data est in destructionem, & laqueum animarum; sed in ædificationem.

77. Objicit

Dices: ergo poterit etiam ob eandem causam celebrare Sacerdos absque vestibus sacris, vel cum pane fermentato, cùm hæc sint etiam præcepta humana.

Solvit Lugo

Respondeo cum Lugone disp. 15. nu. 71. licèt formaliter Consequentia sit bona, ratione tamen diversæ materiæ, posse negari: quia difficilè est contingere tale periculum infamiæ in illo casu; imò infamia vera tunc erit cùm viderint aliquem absque vestibus sacris, vel in fermentato celebrare. Nemo enim timere potest infamiam, eò quòd deficiente quod non hostia,

Non potest timere infamiam ex quod non

non celebret deficiente hostia aut veste sacra.

hostiâ, vel planetâ, non celebrat, sicut potest timere, quando prætextu tibi sumpti discedit ab altari, cum possint facilè suspicari vel ipsum scienter accessisse non jejunum ad celebrandum, vel certè prætextum illum falsum esse, & revera discedere propter peccatum grave commissum, vel censuram, aut impedimentum aliquod; quod quidem periculum non ita facilè est, quando omnes vident defectum hostiæ, vel planetæ; qui defectus cùm sint externi, non relinquunt dubium de aliis defectibus magis occultis, qui sunt causa non celebrandi. Hæc ille.

Instantia.

Instabis, estò non sit ita facile periculum, equidem difficile periculum, quidni possit esse verum? Potest planè, & tunc consequenter dico excusare ab obligatione istarum legum, quamvis existimem gravius periculum, sive periculum gravioris mali requiri ad celebrandum sine vestibus sacris, quàm ad celebrandum post cibum, vel potum; quoniam major irreverentia est celebrare sine vestibus sacris, quàm post cibum aut potum. Non dubito quin sufficiat periculum mortis, vel alterius mali æquivalentis, quod citra contemptum Religionis, scandalum, aut implicitam fidei abnegationem ab extrinseco intentaretur. Vide quæ diximus disp. 1. de Sacramentis in genere sect. 8. concl. 6. & inferiùs dicemus in materia de Sacrificio.

Solvitur.

Major causa requiritur ad celebrandum sine vestibus sacris quam post cibum.

78. Probatur 2. pars Concl. ex Scoto.

Pergo ad secundam partem Conclusionis, de qua sic discurrit Doctor Subtilis 4. dist. 8. q. 3. n. 4. *Alius casus specialis est, quia in aliqua regione celebratur communiter in vino albo, Minister parat calicem Sacerdoti, & ex aliqua negligentia pro vino ponit aquam, Sacerdos non advertens, sed supponens Ministrum bene feciſſe, procedit dicendo verba, & alia faciendo usque ad perceptionem: percipiens verò liquorem de calice, advertit esse aquam, videtur quòd ipse non posset illo die percipere Sanguinem si oportet ieiunum esse suscipientem.*

Si plura præcepta occurrant, superius ligat.

Dico quòd in isto casu tenetur consecrare Sanguinem de novo, & consecratum percipere. Quod probatur; quia quando sunt duo præcepta ordinata, præceptum Superioris magis ligat: nunc autem præceptum Christi & Ecclesiæ, & ex ipsa ratione Sacramenti est, quòd quando Sacramentum conficitur, conficiatur integrum, quoniam Sacramentum est in se quoddam integrum ex duobus. De istâ etiam integritate servanda est distincta obligatio Ecclesiæ de Consecratione dist. 2. comperimus. Ut Sacramenta integra percipiant, aut ab integris arceantur, *loquitur de Sacerdotibus conficientibus, & postea non communicantibus: & subditur ratio:* Quia divisio ejusdem Sacramenti sine grandi Sacrilegio, non potest provenire. *Ergo quocumque præcepto alio Ecclesiæ posito, & maximè quod non respicit ipsum propriam & essentialem rationem Sacramenti, necessariò tenetur semper omnis celebrans ad istam integritatem servandam: ergo qui iam percepit aquam, simpliciter tenetur ad illud complendum, quod prætermisit, scilicet ad consecrandum integrè Sacramentum, & tunc ultrà si tenetur consecrare Sanguinem, tenetur eundem consecratum sumere. Vnde habetur de Consecratione dist. 2.* Relatum. Certum est, quod hi, qui sacrificantes non edunt, rei sunt Dominici Sacramenti: *& sequitur quod talis à Communione uno anno repulsum se noverit. Ergo omnibus modis tenendum est, ut quotiescumque Sacerdos Corpus & Sanguinem sumat, toties perceptionis Corporis & Sanguinis participem se præbeat. Iste ergo necessariò tenetur ex institutione Christi, & propter integritatem Sacramenti, conficere Sanguinem & ex strictissimo præcepto Ecclesiæ sub pœna repulsæ uno anno tenetur consecratum percipere.*

Qui consecravit & sumpsit aquam, tenetur iterum consecrare vinum & sumere.

79. Objectio.

Et si obicitur, iste non est ieiunus: ergo peccat mortaliter, vel ergo non debet conficere, ne percipiat: vel si oportet eum conficere, & percipere, oportet quod peccet contrà præceptum Ecclesiæ, & tunc est perplexus, quod non est dicendum de aliquo ex præceptis Dei & Ecclesiæ.

Solvitur.

Respondet Doctor; *Ecclesia non ita strictè præcepit suscipientem esse ieiunum prohibendo non ieiunum suscipere, sicut prohibet divisionem Sacramenti (immo ipsa divisio prohibetur à Christo ex prima institutione Sacramenti) nec etiam ita strictè prohibet non ieiunum percipere, sicut præcipit consecrantem percipere: ergò ex una parte habet iste præceptum Christi ad sic consecrandum, & post consecrationem strictissimum præceptum Ecclesiæ de percipiendo. Ex alia parte non habet nisi præceptum Ecclesiæ leve comparativè de ieiunio.*

80. Præceptum jejunii levius est præcepto integritatis.

Nota ly *Comparativè*, ne fortè existimes præceptum Ecclesiæ de jejunio, secundum Doctorem Subtilem, simpliciter esse leve, id est, obligare solùm sub peccato veniali, contra communem totius Ecclesiæ sensum, ideo dixit esse leve comparativè, id est, levius (quamvis simpliciter grave) præcepto divino & Ecclesiastico de integritate Sacrificii.

Probatur ex Scoto ex verbis legis.

Colligit autem istam minorem gravitatem ex verbis legis dicens: *Non enim ibi*, id est, in lege jejunii, *ponitur*, id est, Exprimitur, *quod suscipiens non ieiunus sit reus Dominici Sacramenti, neque quòd ibi sit sacrilegium: neque repellitur à Communione per annum, sicut hìc.* Alioquin quòd suscipiens non jejunus Eucharistiam, sit reus Dominici Sacramenti, & quòd ibi sit sacrilegium, minimè dubito. Nec puto Doctorem nostrum dubitasse; tametsi explicitè illo loco hoc non dicat, quia sufficiebat ad propositum, quòd præceptum de integritate gravius obligaret.

Vnde statim subditur: *Simpliciter enim Ecclesia non intendebat ligare in isto casu ad ieiunium: imò, cùm alia duo præcepta tum virtute Christi, tum virtute Ecclesiæ fortiùs & magis obligent, potiùs intendit in tali casu obligari ad illa. Non est ergo iste perplexus; quia servando præceptum Superioris, & præceptum strictiùs Ecclesiæ, benefacit; & si non servaret; peccaret mortaliter.* Omittendo autem

autem aliud præceptum minùs strictum, non peccat novo peccato: quia in isto casu non tenetur servare: nec Ecclesia voluit ligare ad hoc præceptum in hoc casu, sed magis ad oppositum.

Et quia fortè aliquis posset cogitare, probationem illam desumptam ex verbis legis esse minùs efficacem, addit Doctor aliam n. 6. dicens: Patet etiam manifestè, quòd ieiunium non est conditio ita necessaria in Sacerdote percipiente (sicuti integritas Sacrificii in Sacerdote conficiente) quia in die Parasceves particula posita in calice, percipitur cum vino non consecrato, quia illo die calix non consecratur: & verisimile est quòd vinum citiùs descendat in ventrem, quàm illa particula, quæ masticatur. Ergo ex consuetudine Ecclesiæ Sacerdos ibi percipit Eucharistiam non ieiunus.

& praxi Ecclesiæ.

Neque solùm in illo casu, sed in pluribus aliis, ut patebit ex dicendis, licet non jejuno communicare, cùm tamen in paucissimis licitum sit non integrè sacrificare.

Profectò quod ad casum Scoti spectat, nullam is habet difficultatem, & expressè decidi-

Rubr. Miss.

tur in Rubricis Missalis Tit. de Defectibus cap. 4. ubi n. 5. sic dicitur: Si hoc (scilicet vinum non fuisse positum in calice, sed aquam) advertat celebrans post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aqua; apponat aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat utrumque, consecret, & sumat, quamvis non sit ieiunus.

Aquam loco vini sumptam non debet Sacerdos exspuere.

Sed numquid aquam sumptam aut certè gustatam debet exspuere? Apparet omnino indecens, & periculum esse posset simul exspuendi partem hostiæ. Unde non est talis obligatio Sacerdotibus imponenda.

82. Quid ei faciendum si recordetur se non esse jejunum facta consecratione?

Ex jam dictis facilè quilibet colligere potest, quid sit faciendum, quando consecratione peractâ, Sacerdos recordatur se non esse jejunum, vel graviter infirmatur, vel in syncopen incidit, aut moritur. Quis enim ambigit Sacrificium fore perficiendum, etiam à non jejuno? Si Sacerdos, inquiunt Rubricæ Missalis Tit. de

Rubr. Miss.

defectibus cap. 10. nu. 3. ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, præmittitur Missa: si post consecrationem Corporis tantùm, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, & in casu necessitatis etiam per non ieiunum. Ut declaratur (inquit Dicastillo disp. 9. nu. 377.)

Dicastillo.

Toletan. VII.

in Concilio Toletano Septimo can. 2. & refertur cap. Nihil. 7. q. 1.

Sed ibi nihil aliud expressè ponitur, quàm conveniens esse, ut Sacrificium inceptum ab altero compleatur. Verba textûs sunt: Censuimus ergo convenire, ut cùm à Sacerdotibus Missarum tempore sancta mysteria consecrantur, si agritudine acciderit quilibet exentus, quo cæptum nequeat consecrationis expleri mysterium, sit liberum Episcopo vel Presbytero alteri consecrationem exequi officii cœpti. Quòd autem hoc possit fieri à non jejuno, unde colligis?

Immo in eodem canone districtè præcipitur jejunium his verbis: Ne tamen quod natura languoris causâ consulitur, in præsumptionis pernicium convertatur, nullus post cibum, potumq; quamlibet minimum sumptum Missas facere præsumat. Nisi fortè per Missas hìc velimus intelligere inceptionem Missarum, minimè verò earum complementum; quasi Concilium voluisset dicere: estò Missa incepta, naturæ languoris causâ, ab alio Sacerdote non jejuno possit expleri; minimè tamen incipi.

Et hìc videtur communis sensus Ecclesiæ, ut patet ex Rubricis suprà, quem tutò possumus sequi, cùm tota obligatio jejunii dependeat à voluntate Ecclesiæ. Ratio autem à priori est; quia, ut diximus cum Scoto, perfectio Sacrificii est juris divini, & majoris momenti, quàm sumptio Eucharistiæ à non jejuno, prout expressè docent Rubricæ Missalis Tit. de defectibus cap. 3. n. 5. ibi. Si autem celebrans sumpserat hostiam corruptam, aut non triticeam, ideoque non consecratam, nihilominus sumat eam, quam consecravit, quia præceptum de perfectione Sacramenti maioris est ponderis, quàm quòd à ieiunis sumatur.

Rubric.

Ex quo deducunt communiter Doctores: 83. Quem teneatur post

Si Sacerdos sumptâ ablutione advertat in patena vel corporali aliquas particulas suæ primariæ hostiæ, vel etiam aliarum, à se tunc consecratarum, potest eas sumere, saltem quamdiu est in altari: quippe sumptio earum pertinet ad complementum ejusdem Sacrificii, conflatque cum aliis moraliter unam actionem sacramentalem, in cujus initio servatum est jejunium naturale.

non refert de loco dum

Profectò non esse necessarium, imò neque possibile, ut Sacerdos omnes omnino species sumat, antequam degustet alium potum, liquidò patet; quia ante primam ablutionem nec potest ultimam guttam Sanguinis ex calice haurire, nec in sumenda ablutione facere, ut restantes guttæ Sanguinis priùs deglutiantur, quàm vinum. Unde etiamsi pars hostiæ in calicem immissa, remaneat in eo post sumptionem Sanguinis, potest Sacerdos curare infundi ablutionem in calicem, & illam partem simul cum ablutione sumere. Ita præscribunt Rubricæ suprà cap. 10. n. 8. Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, & sumat ante purificationem, vel infundat vinum, & sumat.

quis in eum

Similiter si dum laicus communicat, adhæreat hostia ejus pallato, potest sumpto vino transmittere, quamquam moraliter loquendo aliquid vini priùs deglutiatur. Quemadmodum etiam si infirmus non possit cibos transmittere, potest ei dari parva particula hostiæ, simul cum vino imposita cochleari, deglutienda.

84. An Sacerdos qui ad cessum

Dixi, Saltem quamdiu est in altari; quia per recessum ab altari censetur ministerium suum expleviisse, & consequenter non posset hoc titulo sumere;

altari possit sumere fragmenta hostiæ?

sumere; sed deberet se gerere, sicut cum aliis, quæ in hoc Sacrificio non essent consecratæ, ut est communis sententia; licèt quidam oppositum doceant, quos citat Diana 6. parte tract. 6. resol. 17. Unus est Joannes Baptista de Fabris in Manuali Ordinandorum cap. 11. n. 142. ubi, teste Dianâ, sic asserit: In secundo casu fragmenta potest sumere, etiam non jejunus, & extra altare in Sacristia.

Jo. Bap. de Fabris.

Diana.

Quidam affirmant. Negant.

Quid oberit si apponamus verba Patris Megalii, quæ, referente Dianâ, habet in Promptuario tom. 2. Verb. Eucharistiæ Sacramentum suscipiens n. 24.? Ego, inquit, probabilem censeo sententiam, quam in praxi servant aliqui Sacerdotes docti, & timoratæ conscientiæ, ut scilicet prædictas reliquias sumant, etiam post recessum ab altari, & priusquam Missæ paramenta dimittant, si illas in calice, vel in patena inveniant.

Probatur primò.

Et ratio hujus praxis est; quia sumptio harum reliquiarum post Missam relictarum, est complementum ejusdem actionis & Sacrificii, & consequenter tota hæc actio censetur una, & fieri à jejuno, quando fit ab eo, qui eam jejunus inchoavit, & interim nihil sumpsit; quod ex institutione Ecclesiæ sumere non teneatur; & sic nihil nisi ablutionem, quæ fit ad perfectam consummationem ejusdem Sacrificii: ad quam perfectam consummationem cùm pertineat prædicta sumptio reliquiarum, nulla est ratio, cur liceat eas sumere priusquam Sacerdos recedat ab altari, & non liceat statim postquam recessit, cùm non obstante recessu, adhuc non sit perfectè consummatum Sacrificium, ob prædictas inadvertenter relictas reliquias. Hæc ille.

Falsò, an verè, judicent prudentes: ego existimo non tantùm probare, quòd liceat eas sumere statim post recessum, sed quocumque tempore ante sumptionem alterius cibi aut potûs. Semper enim verum erit dicere, quòd adhuc non sit perfectè consummatum Sacrificium ob prædictas inadvertenter relictas reliquias.

85. Probatur secundò.

Probat ergo secundò, & meliùs: Magis, inquit, reveretur Sacramentum, si statim sumantur, etiam post recessum ab altari, quàm si relinquantur in patena, aut in calice, & maximè sine lumine, & facilè possunt interim decurrere & perire.

Sed hæc ratio non magis probat de particulis ejusdem Sacrificii, quàm alterius, id est, particulis in alia Missa ab eodem, vel alio Sacerdote præconsecratis, de quibus constat apud omnes Doctores posse sumi, etiam extra altare, ad evitandum periculum majoris irreverentiæ. Alioquin cùm non spectent ad completionem hujus convivii, non possunt per modum unius cum Sacramento tunc consecrato post ablutionem à Sacerdote sumi, sed debent asservari, si commodè fieri potest, v. g. si sint integræ hostiæ, quæ facilè possint reponi in sacrario. Ita Doctores communiter.

86. An Sacerdos post sumptam ablutionem possit sumere reliquias alterius Sacrificii?

Oppositum docet quidam Philibertus Marchinus de Sacramento Ordinis tract. 3. part. 3. cap. 3. n. 19. ubi teste Dianâ suprà resol. 23. sic asserit: Ampliatur, ut non minùs liceat Sacerdoti post sumptam ablutionem consumere præconsecratas reliquias ab alio, quàm à seipso, si in patena, vel in calice reperiantur.

Probatur sententia affirmativa.

Philibertus Marchinus.

Primò, quia diversitas ministri non videtur ad rem facere, cùm sit circumstantia accidentalis. Secundò, sic audivi practicari in multis Religionibus eximiæ doctrinæ & sanctitatis. Tertiò, difficilè est rectè scire, an illæ reliquiæ inventæ post ablutionem sint ex præconsecratis ab alio, vel à seipso; cùm sæpissimè in patena, vel calice reperiantur etiam particulæ præconsecratæ ab alio. Quartò, in die Paraskeves post sumptionem ablutionis Sacerdos consumit reliquias præconsecratas die præcedenti, si quæ in patena, vel in calice remaneant: ergo idem licebit omni tempore. Ita ille.

& extenditur ad laicos.

Neque desinam hìc adnotare, citatum Auctorem etiam in ordine ad laicos suam sententiam extendere, sic enim ait ubi suprà n. 18. Ampliatur in laicis infirmis, quibus post sumptam hostiam simul cum ablutione, vel paulò post licebit reliquias Sacramenti tradere inventas in calice, vel in pixide, sicut moris est in Religione Sanctæ Mariæ Fulginensis Ordinis Cistercensis, & passim vidi in praxi apud multos in multis civitatibus & oppidis. Et ratio esse potest; quia sumptio illa reliquiarum ob minimam temporis moram censetur una & eadem actio moralis cum manducatione hostiolæ, quam jejunus accepit, ut diximus de Sacerdote, & ideò erit licita. Hucusque Marchinus; an probabiliter, remittit Diana aliorum judicio.

87. Praxis Sacerdotum.

Et sanè quantùm ad praxim, videmus Sacerdotes purificantes pixidem à reliquiis antiquis pro renovando Sacramento, duabus, vel tribus, si id res postulet, uti ablutionibus, etiam post sumptam ablutionem proprii Sacrificii, idque sine ullo scrupulo; nec distinguunt inter particulas à se consecratas in eadem Missa, & inter præconsecratas à se, vel ab aliis, nisi essent integræ hostiæ, vel partes tam notabiles, quæ commodissimè possent asservari.

Dicastillus.

Testatur etiam Dicastillo disp. 9. n. 389. non semel vidisse fieri, quod suprà ait Marchinus de ablutione danda communicanti infirmo. In his ergo casibus, & isto modo non ausim, inquit Dicastillo, damnare sic facientes; & faciliùs existimarem legem jejunii pro Communione pro iis casibus eo modo, ac non aliter esse receptam in Ecclesiis, saltem ubi talis est usus & modus. Ita ille, & ego.

Nec mirum, quia lex jejunii ab Ecclesia fuit inducta: ergo eo modo, & non alio est intelli-

genda, quo Ecclesia illam intelligit. Et idem dico de prohibitione sæpiùs in die communicandi. Fateor Communionem laicam perfectè consummari in sumptione principalis hostiæ in rigore loquendo: interim videtur Ecclesia sumptionem reliquiarum juxta receptum usum & modum suo silentio approbare.

88. Auctor improbat sumptionem integræ hostiæ, aut talis particulæ, quæ possit commodè conservari.

Cæterùm si loquamur de hostiis integris, aut aliis particulis, quæ commodè possent conservari, illas posse sumere Sacerdotem post ablutionem, estò fuerint consecratæ in alia Missa, nec ratio probat, nec praxis.

Unde ad primam probationem Marchini suprà, Respondeo, diversitas ministri sufficit, ut illæ particulæ non pertineant ad idem numero Sacrificium, & sumptio ablutionis interrumpit seu terminat actionem communicandi, ut non censeatur unica Communio; sicuti verè esset, saltem in morali æstimatione, si sumerentur ante ablutionem simul cum principali hostia illius Sacrificii.

Ad secundam probationem, negatur esse talis praxis in ulla Religione. Tertia probatio non est ad propositum. Loquimur enim de casu in quo certò constat, vel saltem prudenter dubitatur, an sint reliquiæ alterius Missæ. Existimo autem rarissimè in patena, vel calice reperiri particulas præconsecratas ab alio. Immo nisi intercedat magna negligentia Sacerdotis, vix unquam invenies veram particulam, etiam ejusdem Sacrificii, post sumptam utramque ablutionem; licèt aliquando aliquibus scrupulosis id appareat.

In die Parasceves potest sumi particula immissa vino post sumptam ablutionem.

Ultimæ probationis negatur Consequentia. Et ratio discriminis est manifesta: nam in die Parasceves non sumuntur particulæ, nisi hostiæ principalis, quæ & ipsa est præconsecrata, & usus satis ostendit, non voluisse Ecclesiam illam sumptionem prohibere. Hinc si particula immissa vino remanserit in calice sumpto vino, Sacerdos digito eam adducat ad labium calicis, & sumat, vel infundat denuò vinum, & sumat.

89. Probatur primò. Lugo.

Primò, ut ait Lugo disp. 15. n. 85. propter reverentiam debitam; non posset enim illa particula jam madefacta, decenter ibi conservari usque ad diem sequentem, quâ ab alio Sacerdote sumeretur.

Probatur secundò.

Secundò, quia licèt ipse non consummet Sacrificium præsens, sed hesternum à se, vel ab alio inceptum; verè tamen incepit jam consummare illud Sacrificium, & succedit loco Sacerdotis, qui illud obtulit. Sicut autem per consecrationem acquirit jus consummandi totum Sacrificium, ita incipiendo sacerdotaliter consummare (quæ est actio propriè sacerdotalis, ut suppono) acquirit jus ad consummandum totaliter, sicut si ipse tunc consecrasset, non obstante defectu jejunii. Quoties enim redit ad complendum & consummandum Sacrificium, reassumit personam, quam dimiserat, atque ideo sicut priùs habebat jus ad consummandum totum, sic nunc reassumit idem jus continuando eandem actionem, quam reliquerat non omnino completam. Hactenus Cardinalis.

Secunda probatio non placet Auctori.

Sed non placet secunda ratio. Enimverò Sacrificium præcedentis diei perfectissimè fuit consummatum per sumptionem unius hostiæ. Quid enim refert quòd similis hostia consecrata relinquatur, vel dissimilis, hâc, vel illâ intentione? Nonne plura Sacrificia post se relinquunt hostias consecratas, quæ tamen propterea à nemine dicuntur imperfectè consummata? Certè eodem modo posset, si Ecclesia vellet, peragi officium illius diei cum quacumque hostia consecrata. Quis ideo dixerit Sacerdotem illâ die consummare Sacrificium illius, qui ante aliquot septimanas, nihil minus cogitans, illam consecravit? V. g. per oblivionem non fuerit die Jovis sancto consecrata secunda hostia, putas propterea relinquenda foret solemnitas diei sequentis? Quid ergo facto opus? Accipiatur hostia Monstrantiæ, & res est integra.

An sumpta hostia in Parasceve sit actio propriè sacerdotalis?

Porrò quod dicit Eminentissimus in sua parenthesi: *Quæ est actio propriè Sacerdotalis*, sic intellige, quia Ecclesia non vult illam exerceri nisi à Sacerdote. Alioquin ad omnes functiones, quæ tunc geruntur, non esset incapax Diaconus, si Ecclesia vellet: nam portare Venerabile, ostendere populo, sumere Eucharistiam immissam vino, eas preces dicere, quæ ibi dicuntur, posset Ecclesia Diacono committere. Solùm ergo sunt munia sacerdotalia; quia non nisi Sacerdoti permittuntur ab Ecclesia, non quia tunc sit propriè sacrificans, etiam partialiter, quod videtur necessarium ad consummandum Sacrificium.

91. Unde valde claudicat hæc comparatio Lugonis suprà num. 86. Sicut (inquit) quando post consecrationem moreretur, aut deficeret morbo superveniente Sacerdos, subrogatur alius, qui compleat, & hic quidem poterit eodem modo, sicut primus sumere omnes reliquias, & particulas tunc consecratas, etiam post ablutionem, quia succedit loco prioris, qui id poterat, & habet jus consummandi totum illud Sacrificium.

Disparitas inter consecrationem die praecedenti, & sumptionem die Parasceves qui non habet jus consummandi.

Hoc, inquam, simile planè dissimile est, si penitiùs introspiciatur. Etenim Sacrificium Sacerdotis, qui moritur, nullatenus fuit perfectum aut consummatum, & ideo alius subrogatur, ut illud perficiat & consummet; quidni ergo dicamus illum succedere loco prioris, & facere unum ministrum cum priori in ordine ad complendum illud Sacrificium? At verò in nostro casu prius Sacrificium perfectissimè completum fuit à primo Sacerdote ut patet. Quo igitur fundamento dixero hunc succedere loco prioris, & facere unum ministrum cum priori in ordine ad complendum illud Sacrificium?

Utcum-

92. Non alio modo servandum jejunium quàm velit Ecclesia.

Utcumque tamen se res ista habeat, sanè nulla est necessitas nos immergendi in illas tricas, cùm habeamus viam expeditissimam omnem difficultatem superandi. Et quæ illa? Voluntas Ecclesiæ, à qua pendet & præceptum jejunii, & prohibitio sæpiùs eâdē die communicandi; jam autem sciente Ecclesiâ, & non contradicente, cùm tamen facilè posset contradicere, non alio modo servatur præceptum jejunii, quàm incipiendo actionem cum jejunio naturali, etiamsi in decursu peragendo actionem cum suis annexis juxta præscriptum Ecclesiæ contingat jejunium solvi.

Dico, *iuxta præscriptum Ecclesiæ*, quia si inter unam & alteram partem actionis interponatur comestio, vel potatio omnino impertinens ad actionem inceptam complendam; v. g. si inter sumptionem Corporis & Sanguinis Sacerdos comedat duos vel tres ficus (secùs si in calice ceciderit musca; vel quid simile) indubiè solvitur jejunium debitum.

An sumptio muscæ cum Sanguine frangat jejunium naturale?

Debitum, inquam, ex præcepto Ecclesiæ; alioquin certum videtur frangi jejunium naturale, etiam per ablutionem, aut sumptionem muscæ simul cum Sanguine; nam sumitur aliquid per modum cibi aut potûs: attamen non frangitur illud jejunium naturale, quod Ecclesia vult servari pro actione cum jejunio inceptâ.

Quod addo; quia secundùm præscriptum Rubricarum Missalis Tit. de defect. cap. 9. n. 4. *Si Sacerdos plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, & in ultima tantùm percipiat purificationem.* Quid si ergo ex inadvertentia sumeret in prima? Responsio est in promptu, abstineat à secunda, quoniam fregit jejunium, quod Ecclesia vult servari.

Rub. Miss.

93. Sed numquid etiam abstinendum, si contingat muscam, vel quid simile sumi cum Sanguine? Credo quod sic, nisi tam exiguum esset, ut magis per modum salivæ, quàm cibi aut potûs transglutiatur. Interim potuisset Ecclesia velle, ut non frangeret jejunium debitum, in quacumque quantitate acciperetur: quod autem voluerit, non satis constat ex praxi; & ideo non est asserendum, saltem quando commodè res illæ possent extrahi.

An sumptio furfurum qui sint immixti hostiæ?

Nam si furfures aliqui immixti forent hostiæ consecratæ, estò, secundùm multorum sententiam, furfures non consecrentur, declarat consuetudo illorum sumptionem non frangere jejunium, etiam pro secunda aut tertia Missa.

Similiter si in patena post collectionem fragmentorum, factam juxta præscriptum Ecclesiæ, appareat aliquid, de quo dubitatur, an sit fragmentum hostiæ, an verò aliqua alia res, nonne scrupulizandum erit, & non potiùs simpliciter patena abstergenda super calicem? Profectò videmus passim Sacerdotes sine ulla reflexione colligere fragmenta cum patena, & illam super calicem extergere; cùm tamen non dubitem sæpiùs fieri, ut nullum verum fragmentum colligant, sed particulas quasdam ipsius corporalis, vel alias res, quæ in corporali per accidens reperiuntur.

Cæterùm quod dictum est de præcepto jejunii, eâdem planè ratione dicendum est de prohibitione sæpiùs eodem die communicandi, videlicet illam censeri unicam Communionem, quæ pro tali ab Ecclesia reputatur, tametsi physicè essent plures.

94. Censetur unica Communio, quæ pro tali ab Ecclesia reputatur.

Rogas quæ sit mens Ecclesiæ? Consule praxim, de qua suprà, & scito aliam esse unitatem actionis sacrificandi, aliam unitatem actionis communicandi. Enimverò sumptio hostiarum alterius Missæ ante ablutionem pertinet ad unitatem Communionis, & tamen non pertinet ad unitatem & integritatem actionis sacrificandi, cùm non sit pars hujus Sacrificii. Idem contingit in secunda & tertia Missa Nativitatis, quando Sacerdos relictas particulas Sanguinis adhærentes calici nondum purificato, in sequenti Missa tandem sumit.

E contrario verò sumptio hostiarum ejusdem Sacrificii post ablutionem integrat unam actionem sacrificandi, estò actiones communicandi sint distinctæ. Unde quòd liceat eas sumere, ut fert communis opinio, oritur ex vi juris, quòd habet Sacerdos ad consummandum Sacrificium à se oblatum.

95. Præscriptum Rubricarum in hac materia.

Concludo hanc materiam verbis Rubricarum Missalis Tit. de Defect. cap. 7. nu. 2. & 3. *Si Sacerdos putans se tenere unam hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul iunctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis & Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem sacrificium spectant.*

Si verò relicta sit hostia integra consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in altari suprà corporale decenter opertam, sumendam una cum altera, quam est consecraturus relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso calice seu patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur: quod si non habeat quomodo honestè conservetur, potest eam ipsemet sumere. Ita Rubricæ. Quòd autem tantummodò loquantur de integris hostiis consecratis in alia Missa, unde constat?

Licitum est sumere integras hostias ejusdem sacrificii post ablutionem.

Nihilominus omnes docent licitum esse sumere integras hostias ejusdem Sacrificii, etiam post ablutionem, & in casu, quo commodè possent conservari; quia non minùs ad idem Sacrificium spectant, ut dictum est, quàm aliæ reliquiæ. Et sic ab aliquibus practicatur, quando non comparent personæ, pro quibus hostiæ consecratæ erant, qui tamen casus rarus est; quia facilè accipi possunt ante ablutionem, cùm

ante illam soleant hujusmodi hostiæ, volentibus communicare distribui.

Atque hæc dicta sint occasione necessitatis perficiendi Sacrificii, quam omnes admittunt excusare à præcepto jejunii. Sequitur casus infirmitatis, de quo, cum communi sententia dico:

CONCLUSIO VIII.

A præcepto jejunii excusat necessitas accipiendi Viatici.

96. Probatur Concl. ex communi praxi. PRobatur maximè ex communi usu totius Ecclesiæ, nullo prorsus contradicente. Nam ratio Vasquezii disp. 211. cap. 4. nu. 35. quia cùm instet præceptum majoris multò virtutis & obligationis, eò quòd divinum sit, potiùs hoc, quàm illud de jejunio, quod Ecclesiasticum tantùm est, servari debet; hæc, inquam, ratio (præterquam quòd satis probabile sit præceptum Viatici solùm esse Ecclesiasticum) nimium probat, & ideo nihil. Ostendo; quia probat in articulo mortis posse, imò debere sacrificari ad dandum Viaticum, etiam sine vestibus sacris, quoniam & hoc præceptum, scilicet celebrandi cum vestibus sacris, est humanum.

Rejicitur probatio Vasquezii.

Sicut ergo Ecclesia justè prohibuit, ne sine vestibus sacris celebraretur, etiam ad observandum præceptum divinum sumendi Viaticum, ita statuere potuisset, ne in articulo mortis infirmus communicaret sine jejunio. Quo facto excusaretur ille à præcepto Viatici, sicut jam excusatur, quando sine vestibus sacris deberet celebrari: non enim obligat illud præceptum divinum, nisi quando commodè potest adimpleri; tunc autem non posset commodè adimpleri.

Ecclesia potuisset infirmo non jejuno prohibere Viaticum.

Sic qui excommunicatus est, & non pendet ab ipso absolutio, minimè peccat etiamsi per multos annos non communicet: quia præceptum divinum singulis annis communicandi (si tale detur) non obligat ut cum excommunicatione communicet contra Ecclesiæ prohibitionem. Neque hoc est, præceptum humanum prævalere divino; sed tantùm Ecclesiam præcepto suo constituere res in eo statu, ut sub his circumstantiis divinum præceptum non censeatur obligare.

Cur autem Ecclesia potiùs unum prohibuerit, quàm aliud, non desunt rationes congruentiæ. Quippe necessitas communicandi infirmum non jejunum frequens est; celebrandi verò sine vestibus sacris rarissima; quandoquidem in Ecclesia servetur Eucharistia pro infirmis. Deinde major irreverentia est celebrare sine vestibus sacris, quàm post cibum communicare.

97. Igitur constitutus in articulo mortis sive naturalis, sive violentæ, si aliter commodè nequeat (in quo scrupulosè non est procedendum) potest communicare non jejunus, imò debet, si antè non communicaverit; tunc enim urget præceptum divinum communicandi, aut certè Ecclesiasticum, cui cedere debere aliud præceptum de jejunio naturali, docet praxis Ecclesiæ, cujus meminit Concilium Constantiense sess. 13. ibi: *Sacrorum Canonum auctoritas, & approbata consuetudo Ecclesiæ servavit, & servat quod hujusmodi Sacramentum* (loquitur de Sacramento Eucharistiæ) *nec conficiatur post cœnam, nec sumatur à non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis à iure, vel Ecclesia concesso vel admisso* &c.

Non est scrupulosè procedendum in hac materia infirmi.

Concilium.

Unde non tenetur infirmus differre Communionem cum notabili incommodo in sequentem diem, ut tunc possit jejunus communicare: nec etiam cum incommodo differre sumptionem medicinæ, aut cibi, vel curare ut Eucharistia ad se deferatur noctu, ut notant Doctores communiter & satis declarat consuetudo, quæ est optima legum interpres.

Qui non tenetur. Communionem differre cum notabili incommodo.

Finio verbis Doctoris Subtilis 4. dist. 8. q. 3. n. 3 *Dico quòd aliquis potest esse casus, in quo quasi generaliter licet accedere non ieiunum, ut in infirmitate gravi, quando timetur periculum mortis imminentis, tunc enim esset periculum negare infirmo, licet pransо, poscenti Sacramentum, cùm sit Viaticum, & ideo dandum est ei, qui proficiscatur ex hoc mundo, ut per ipsum ducatur ad terminum.* Scot.

98. Sed cùm hoc satis constet, equidem à multis dubitatur, an infirmus in eodem mortis articulo sæpiùs possit non jejunus communicare?

Infirmus non jejunus potest in eodem mortis articulo communicare diversis vicibus.

Dico, *in eodem mortis articulo*; quia si mutetur status morbi, ita ut priùs periculum mortis, in quo communicavit, moraliter evaserit, poterit in altero periculo, etsi postridie superveniat, iterum communicare non jejunus, ut plerique docent: jam enim censeri potest periclitari velut ex alio morbo, in quo omnes concedunt illam licentiam. Quin imò etsi sit idem status morbi,

CONCLUSIO IX.

Valde probabile est, & tutum in praxi, posse infirmum durante eodem periculo mortis sæpiùs communicare non jejunum; v. g. post octo, vel decem dies.

ENimverò permittitur ægroto pransо Communio, non solùm ut possit implere præceptum, sed etiam (inquit Diana tomo 1. tract. de celeb. Miss. resol. 75.) quia morituro valde indiget tanti Sacramenti præsidio, & id sæpiùs,

Ib. Idem docet Diana.

sæpiùs, & ita maximè indigentem ope & subsidio hujus Sacramenti ad vincendas occurrentes tentationes, & peccandi pericula superanda, pia Mater Ecclesia non videtur velle suo præcepto cum tanto spirituali dispendio adstringere.

Probatur ex Conc. Constant.

Deinde in Concilio Constantiensi sess. 13. dicitur in casu infirmitatis posse Eucharistiam dari non jejuno: ergo cùm non limitet ad unam tantùm vicem, quare nos limitare debemus, maximè quòd in secunda, & tertia vice adsit eadem necessitas, quæ in prima; scilicet ne privetur auxilio tanti Sacramenti. Igitur hanc sententiam prorsus tenendam esse existimo. Ita ille & Doctores communiter.

100. quod intelligi debet, quando jejunium est moraliter impossibile. Lugo.

Bene autem notat Lugo disp. 15. nu. 64. verba Concilii Constantiensis intelligi debere, juxta sensum in quo communiter accipiebantur; ibi enim non fiebat lex vel exceptio, sed referebatur consuetudo Ecclesiæ non dandi Eucharistiam non jejunis, nisi in casu infirmitatis, vel necessitatis &c. nempe eo modo, & in eo casu infirmitatis, in quo, & quo modo dari solebat: hoc est in casu extremæ necessitatis sive in periculo mortis, quando jejunium est moraliter impossibile.

Alioquin ex verbis Concilii absque ulla limitatione intellectis sequeretur infirmum etiam extra mortis periculum, & quando commodè potest præmittere jejunium, nihilominus posse non jejunum communicare, quod hactenus nullus docuit, & est contra communem praxim, quæ in his maximè attendenda est, cùm non pendeant ita à ratione, quàm bene à voluntate Legislatoris.

Si autem à me quæritur, quid ergo praxis doceat? Respondeo citiùs, posse infirmum in eodem periculo mortis sæpiùs sumere Eucharistiam absque jejunio, quando infirmitas non permittit eam cum jejunio accipere.

101. Objicitur. Rit. Rom.

Sed contrà, Rituale Romanum Tit. de Eucharistia §. de Communione infirmorum, sic ait: *Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non ieiunis; id tamen diligenter curandum est, ne iis tribuatur, à quibus ob phreneſim, sive ob assiduam tussim, aliumvè simílem morbum; aliqua indecentia, cum iniuria tanti Sacramenti timeri potest. Cæteris autem infirmis, qui ob devotionem in egritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum & potum, non aliter ac cæteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid sumere licet.*

Responsio aliquorum.

Respondent quidam, illa posteriora verba commodè intelligi possunt de cæteris infirmis, scilicet distinctis à prioribus, id est, infirmis non ad mortem. Aliis autem permittitur Viaticum non tantùm semel, sed sæpiùs sumere; semperque est Viaticum, etsi non semper præceptum; sed quandoque devotionale. Hæc illi.

Rejicitur.

Sed nunquid ad mentem Pontificis? Collige ex præcedentibus verbis: *Pro Viatico* (inquit Rituale) *ministrabit* (Parochus Eucharistiam) *cùm probabile est, quòd eam ampliùs sumere non poterit. Quòd si æger sumpto Viatico, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, & communicare voluerit, eius pio desiderio Parochus non deerit.* Ubi expresè distinguit inter Viaticum, & aliam Communionem in eodem periculo mortis.

Quando ergo immediatè post attexit: *Potest quidem Viaticum* &c. per ly *Viaticum* non videtur intelligere Viaticum devotionale, si ita placeat, secundam Communionem in periculo mortis appellare; sed solùm Viaticum præceptum, & illud permittit dari non jejunis.

Ut ut sit de mente Ritualis, malo subscribere consuetudini, quæ, præsertim inter Regulares, per tot viros doctissimos & sanctissimos publicè est approbata, sciente, nec contradicente Ecclesiâ.

102. Quantùm temporis intervallum debeat requiratur, ut iterata detur Communio?

Quæris rursum, quantùm temporis intervallum debeat intercedere, ut possit iterata dari Communio absque jejunio intrà eandem infirmitatem? Mira est Auctorum varietas, & quot capita, tot diversa judicia. Unus requirit dies triginta. Alter octo vel decem dies. Tertius septem dies. Quartus sex. Quintus tres vel quatuor. Vide Dianam parte 1. tract. de celeb. Miss. resol. 77. parte 3. tract. 4. resol. 44. & parte 4. tract. 4. resol. 195. Tandem eousque res devenit, ut aliqui doceant posse sequenti proximâ die dari ob justam causam; ut si quis solitus frequenter communicare propter devotionem, aut desiderium difficilè abstineat, & mortis periculum instare videatur.

Diana.

Pro hoc sententia citat Dicastillo disp. 9. n. 333. Layman in Theologia morali lib. 5. tract. 4. cap 6. n. 20. Hurtado disp. 9. de Eucharistia difficultate 16. & Armillam, quos ipse sequitur n. 334. Affero, inquit, nullo diei intervallo, sed statim sequenti die, si perseveret periculum, etiamsi minuatur; dummodò prudenter judicetur periculum vitæ, posse communicare non jejunum, sicut extra periculum jejunus potest. Ratio præcipua & unica desumitur ex Concilio Constantiensi sess. 13. ubi simpliciter excipit à lege jejunii casum infirmitatis: ergo pro infirmis non est lex: ergo quoties aliis jejunis potest dari, toties illis non jejunis.

Dicastillo. Layman. Hurtado. Armilla.

Quidam putant sequenti die dari posse.

103. sed oppugnatur.

Sed contrà: in illo Concilio non fertur lex jejunii; & per consequens non fit exceptio à lege, ut suprà dicebamus, sed tantùm declaratur consuetudo Ecclesiæ non dandi Eucharistiam non jejunis, nisi in casu infirmitatis. Unde casus iste infirmitatis (ait Dicastillo n. 332.) accipiendus est juxta sensum Ecclesiæ & consuetudinem illius.

Rectè judicasti: Hoc fac, & veritas seipsam manifestabit. Concedis utique num. 340. ex ipsa Ecclesiæ consuetudine, quam admittunt alii, qui aliquoties in eodem

periculo licere affirmant, & de qua testatur Concilium, non posse colligi, & haberi fundamentum ad affirmandum, quòd liceat singulis diebus. Quo ergo fundamento tu affirmas? Nobis, inquis, satis est; quòd, teste Concilio, à lege Communionis sub jejunio excipiantur illi periclitantes; ita ut ea lex non comprehendat illos, id enim significat exceptio illa, *Nisi in casu infirmitatis.*

Aperta petitio principii; ex qua videtur sequi, non solos periclitantes, sed quoscumque alios infirmos posse communicare non jeiunos, etiam quando commodè possent jejunè.

Minimè reponis; Concilium enim loquitur de exceptione in casu ab Ecclesia recepto, dum ait, *Nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis à iure, vel Ecclesia concesso, vel admisso.* Non est autem casus concessus, vel admissus ab Ecclesia quævis infirmitas; sed periculosa, idque quando infirmus non potest commodè accipere jejunus.

104. & rejicitur eorum responsio,

Subtilis evasio! Sed interrogo: Ecclesia justè potuit ab hac lege excipere unam Communionem, & non plures? Quis dubitat potuisse? Excepisse autem plures colligitur ex usu, in quo, teste eodem Dicastillone n. 332. hæc facultas vim obtinuit.

Quæro iterum: Ecclesia justè potuit ab hac lege excipere Communionem hebdomadalem, & non quotidianam? Quis potest negare? Excepit autem quotidianam, unde constat? Ex consuetudine? Nequaquam. Unde ergo? Ex verbis Concilii? Profectò si verba Concilii probant infirmum quotidie posse communicare non jejunum, multò magis probant posse pluries communicare in eadem infirmitate. Et tamen hoc ultimum non probant, nisi accedente usu Ecclesiæ, secundùm Dicastillonem suprà: ergo nec primum.

Unica regula in hac materia est consuetudo fidelium.

Igitur in hac varietate opinionum unica regula firma & secura videtur nobis esse consuetudo fidelium, quæ obtinuit, ut post aliquos dies, v. g. septem, vel octo detur iterum Eucharistia non jejunis, si commodè non possint accipere jejuni.

Supereſt alia difficultas; an Sacerdos non jejunus possit celebrare ad dandum Viaticum moribundo, alioquin absque Eucharistia morituro? Pro resolutione erit

CONCLUSIO X.

Probabile est Sacerdotem non jejunum posse celebrare ad dandum Viaticum alteri moribundo, maximè quando per alia Sacramenta non posset infirmo subveniri.

PRo hac Conclusione citatur communiter Joannes Major in 4. dist. 9. q. 3. ad 5. Verùm, ut alibi adhuc notavi, in libro, quo ego utor, illa distinctio tantùm habet duas quæstiones, ubi tertia manserit, nescio. In prima autem quæstione ita lego: Contra primam partem 3. Concl. arguitur: Infirmus, de cujus vita dubitatur, post prandium potest suscipere Sacramentum Eucharistiæ: ergo Conclusio falsa. Antecedens patet; quia talis est consuetudo Ecclesiæ. Respondetur: Conclusio intelligitur ultra necessitatem. 105. Pro hac Conclusione citatur Major.

Sed dicis, ponamus quòd Presbyter non habeat hostiam consecratam, & est post prandium; ergo licet Presbytero consecrare post meridiem, alioquin non potest ei porrigere. Respondetur: in illo casu circumstantiæ sunt considerandæ; si homo fuerit in magno mortis periculo, & affectat nimis habere Viaticum, puta, Corpus Christi, videtur adhuc, quòd Presbyter non debet consecrare, tunc sufficit illud Beati Augustini: *Crede & manducasti.* Sed potius oppositum dicam.

Ex quo sequitur; Presbyter debet vigilare nimis, ut habeat hostias consecratas paratas pro suis infirmis; non nego quin stat dare casum, ubi quis post comestionem consecrat, ut si quis consecret super pane non triticeo, quem credit triticeum, in perceptione percipit non esse triticeum, jam non est jejunus, quia panem comedit; sed quia Sacramenta integra sumi debeant, debet iterum consecrare super pane triticeo. Hactenus Major.

Utcumque ergo sit de mente Majoris, nostram Conclusionem in terminis docet Filliucius tomo 1. tract. 4. n. 242. & Layman lib. 5. Theologiæ Moralis tract. 4. cap. 6. nu. 21. Adde Zanardum, Zambranum, Philiarcum, Fernandem de Heredia, & Petrum Matth. quos citat Lugo disp. 15. n. 67. Quare, inquit ille, negari non potest hanc esse sententiam probabilem propter auctoritatem eorum Doctorum. 106. Illam eâ docet Filliucius tomo 1. tract. 4. n. 242. & Layman lib. 5. Theologiæ Moralis tract. 4. cap. 6. nu. 21.

Suarius disp. 68. sect. 5. §. *Secundum dubium,* rejectâ ampliſſimâ facultate, quàm Major concedit Sacerdotibus, scilicet propter similem necessitatem consecrandi sine vestibus sacris, sine pane azymo & sine integritate Sacrificii, subjungit: Supponamus tantùm deesse hanc circumstantiam jejunii, & tunc sanè videtur probabile posse Sacerdotē conficere, ut proximo subveniat; nam ut Bernardus dixit in lib. de Præcepto & Dispensatione, quæ propter charitatem introducta sunt, non debent contra charitatem militare, sed charitas obligat ad subveniendum proximo in tam gravi necessitate: ergo non est verisimile Ecclesiæ præcepto impediri, ne id fiat. Suarius

Idem

Dicastillo. Idem docet Dicastillo disp. 9. n. 344. Ubi bene advertit: quamvis radix hujus probabilitatis sit auctoritas extrinseca tot Auctorum, indè nihilominus resultare probabilitatem quasi per principia intrinseca. Nam (inquit) benigna legis interpretatio, quâ judicetur Legislator non velle obligare pro tali casu, nititur fæpè judicio prudentum sic judicantium, maximè cùm Princeps non ignoret ejusmodi interpretationem, & illam non rejiciat aut prohibeat. Hæc ille.

107. Fundamentum esse potest benigna interpretatio voluntatis Ecclesiæ. Et verò licèt vix dubitem, quin Ecclesia absolutè potuerit, etiam pro tali casu, maximè quando per Sacramentum Pœnitentiæ, vel Extremæ Unctionis potest infirmo subveniri, prohibere celebrationem Sacerdoti non jejuno, sicut prohibet celebrationem sine vestibus sacris: attamen dum seriò omnia pondero, apparet mihi justissima ratio Epykiæ, id est, benignè interpretandi mentem Ecclesiæ. Quippe necessitas, aut saltem magna utilitas morituri videtur præponderare irreverentiæ, quæ aliàs committeretur; præsertim cùm necessitas proximi nostra quodammodò sit, & Sacerdos in propria infirmitate (quidquid alii sine apparentia contradixerint) ad se communicandum, possit non jejunus celebrare.

Accedit præceptum divinum de sumendo Viatico. Accedit, quòd, secundùm probabilem multorum Doctorum sententiam, Viaticum obliget ex jure divino, & ad illud ministrandum Sacerdos possit celebrare sine prævia confessione. Quidni ergo etiam sine jejunio, quod videtur esse minoris importantiæ? Quòd autem non possit sine vestibus sacris, ratio disparitatis est major indecentia. Unde vix unquam hoc permittitur, cùm tamen in multis casibus, ut ex dictis liquidò constat, liceat communicare post sumptum cibum aut potum. Igitur spectando regulas communes Epykiæ, nimis fundatè hoc modo interpretamur legem Ecclesiæ, saltem in moderno rerum statu.

108. Objicitur aliquod inconveniens: Nec obstat inconveniens, quod indè posset sequi, si videlicet Sacerdos ex popina vocaretur ad celebrandum: hoc enim non est morale, cùm non soleant deesse hostiæ in sacrario: & mirum esset in defectu illarum præcisè reperiri Sacerdotem in tali statu. Cæteroquin idem posset fieri, si quis in popina vulneraretur lethaliter, qui tamen potest non jejunus communicare.

ad quod se spondetur. Et verò ponamus casum, quòd Sacerdos aliquis in vigilia Natalis Domini maneat in popina usque ad mediam noctem: num ideo jure arcetur à celebratione statim post noctem? Sanè nullo jure, quod adhuc est in vigore, præscribitur certum aliquod intervallum, necessarium inter comestionem & Communionem, præter alteram diem, quæ proximè subsequi potest ut patet; quamquam devotio & reverentia Sacramento debita exigat, ut sacer ille cibus profano non facilè misceatur.

Ideoque etiam convenit, ut post sacram escam non statim sumatur profana, nisi sit rationabilis causa; v. g. opus obedientiæ peragendum, ad mensam communitatis religiosæ accedendum, aut aliud opus festinum, quod comestionem accelerari urgeat. Interim nulla est obligatio juris positivi; nam cap. *Tribus gradibus* 23. de Consec. dist. 2. ubi ei, qui manè sumpsit Eucharistiam, præcipitur jejunium usque ad sextam, & ei qui sumpsit tertiâ, vel quartâ horâ, idem præcipitur usque ad vesperam, is, inquam, Canon jam est usu abrogatus. Non convenit ut post sacram escam, statim sumatur profana, nisi ex aliqua causa.

Consimiliter, licèt omnino conveniat post sacram Communionem aliquantisper expectare à sputando, equidem non est illicitum statim expuere; quia nullum hâc de re præceptum extat, vel positivum, quod enim illud esset? Aut certè naturale, quoniam sputa, ut notat Fromondus Philosophiæ Christianæ de Anima lib. 2. cap. 3. art. 4. maxima ex parte non ex ventriculo, ubi coquitur cibus; sed ex pulmonibus ascendunt, vel descendunt ex cerebro. Unde si species panis descenderint in ventriculum, non possunt ferè redire ad os, nisi per vomitum, aut resolutæ in exhalationem, quæ levitate suâ ascendat sursum, in qua exhalatione jam species panis dissipatæ sunt, & præsentia Christi evanuit. Non sunt autem in ventriculo pulmones, qui per æsophagum cibos excutere in os valeant, sicut phlegmata per asperam arteriam excutiuntur. 109. utì etiam non convenit statim expuere, *Fromondus.*

De speciebus vini, quas in Missa sumunt Sacerdotes, videtur majus periculum. Si enim statim à Missa salivam expuant, apparet misceri aliquid de speciebus & humore vini, etiamsi totum descendisset in ventriculum. Nam vinum calore ventriculi facillimè & illicò resolvitur in vapores vinaceos, qui momento ferè sursum redire possunt. maximè sumptis speciebus vini,

Attamen verisimile est, in vapore vini non remanere præsentiam Corporis Christi, utì nec vini essentiam. Nam apertè Aristoteles sect. 13. Problem. interprete Gaza: *Si vapor vini exhalarit, non postmodùm in vinum concrescit, sed in aquam.* Aut certè si non in aquam elementarem, saltem in aquam vitæ, aut alium liquorem concrescit, qui non videtur naturalis vini omnes proprietates, & essentiam retinere. *Aristoteles.*

Si quid etiam specierum vini in ore Sacerdotis communicantis remaneat, citò etiam evaporatur, aut in salivam transit. Nam vinum rubellum, si modico tempore in ore contineatur, colorem, odorem, vires amittit; ut ex Fernelio, & Vallesio antè diximus, nec unquam, credo, ad vini perfectam naturam redibit. Quia tamen res hæc physica & dubia, Sacerdos post calicis sumptionem aliquantulo tempore in Mysterii reverentiam à sputando abstineat. Notanda pro Sacerdotibus.

Cavendum quoque ne fortè particula specierum panis inter dentes, aut in aliquo oris sinu

sinu adhæreat; facilè enim post horam unam, aut alteram incorrupta expueretur. Nam calor naturalis longè debilior est in ore, quàm in ventriculo, & tardiùs species corrumpere valet. Hæc Fromondus: quibus nil habeo addendum.

110. Communior sententia negat Sacerdotem non jejunum celebrare posse ad dandum Viaticum.

Cæterùm ut ad principalem controversiam redeamus, communior sententia negat esse licitum Sacerdoti non jejuno celebrare ad dandum alteri Viaticum. Ratio; quia præceptum non communicandi post cibum vel potum videtur alteri prævalere, & non præcipitur Communio, nisi quando commodè potest accipi secundùm ritum & ordinem ab Ecclesia præscriptum.

Disparitas ostenditur inter præceptum Confessionis & jejunii.

Cessat autem in tali casu præceptum Confessionis potiùs, quàm jejunii: Primò; quia necessitas conficiendi Sacramentum absque Confessione est moralis, & quæ sæpè accidit; necessitas autem conficiendi post cibum aut potum est rarissima, & quasi speculativa; leges autem morales traduntur juxta ea, quæ moraliter accidunt.

Secundò; quia Confessio non propter se præcipitur, sed ut medium ad justificationem, quæ est dispositio per se necessaria ad hoc Sacramentum; porrò deficiente illo medio, potest aliud applicari, quo eadem dispositio obtineatur, scilicet contritio.

Tertia differentia addi potest: quia licèt interior dispositio per se sit major; tamen quoad homines, exterior reverentia solet esse valde necessaria; & ideo ne hoc Sacramentum indignè tractetur, aut tamquam vulgaris cibus conficiatur, & distribuatur, voluit Ecclesia, ut hæc præcepta de exteriori ritu, quoad fieri moraliter possit, inviolabiliter serventur; atque adeò ut propter privatas causas, rarissimas & speculativas potiùs, quàm morales, non

Suarez. prætermittantur. Hæc Suarius suprà §. *Ad exemplum.*

111. Argumentum Auctoris pro parte oppositâ,

Ex quibus sic argumentor pro contraria parte: Leges morales traduntur juxta ea, quæ moraliter accidunt; atque casus Conclusionis moraliter non accidit: ergo lege jejunii non comprehenditur.

Sanè quia casus rarissimus est, estò non comprehenderetur illâ lege, adhuc non daretur occasio irreverenter tractandi Sacramentum, sicuti si quotidie ille casus accideret. Siquidem nimia frequentia parit contemptum; & quæ quotidie videmus fieri contra præceptum, facilè dant occasionem malè illud interpretandi. Si ergo exemptio infirmi à lege jejunii, quæ frequentissima est, non dat occasionem malè interpretandi hoc præceptum, & irreverenter tractandi hoc Sacramentum, nescio cur illam daret exemptio Sacerdotis, quæ rarissima est. Sed de his satis.

112. Ad viaticandum irreverentia est Communio non jejuno.

Solùm addo pro coronide alium casum communem, in quo non obligat lex jejunii naturalis ante Communionem, quando videlicet oportet Eucharistiam consumere ad vitandam majorem irreverentiam; v. g. si periculum sit, quòd deveniet in potestatem infidelium, vel hæreticorum, aut quòd comburetur, vel comedetur à bruto; tunc autem non solùm à Sacerdote, non jejuno jejunio naturæ, sed etiam jejunio Ecclesiastico, consumi potest; Reyner. imò etiam à laico (inquit Vasquez disp. 211. n. 57.) si nullus Sacerdos fuerit. Nam quod ob Sacramenti reverentiam introductum est, servari non debet, quando aliquid etiam timetur, quod minùs decet.

Lug. An in tali casu liceat dare sibi præsentia laico?

Sed non video (ait Lugo disp. 15. n. 87.) quò spectet illa limitatio, *Si nullus Sacerdos fuerit*; in illo enim casu etiamsi Sacerdos fuerit jejunus, poterit dari Eucharistia consummanda laico jejuno, & rursus si adsit Sacerdos non jejunus, poterit dari laico non jejuno; quamvis enim præsente Sacerdote, non debeat laicus ipse sibi sumere, sed de manu Sacerdotis, potest tamen Sacerdos tunc vel sibi sumere, vel laico dare, prout voluerit. Hæc Cardinalis.

Dicastil. Nec est, cur illum propterea taxet Dicastillo disp. 9. n. 373. ex nullo enim jure constat, sumptionem Eucharistiæ extra Sacrificium, magis spectare ad Sacerdotem, quàm ad laicum de per se loquendo. Alioquin, si Sacerdos est jejunus & laicus non jejunus, liquet profectò Eucharistiam dandam Sacerdoti. Similiter si Sacerdos est excommunicatus, vel non jejunus, laicus autem jejunus, & liber ab omni censura, quis ambigat dandam esse laico?

Interim cæteris omnibus paribus, præcisè propter Sacerdotium non puto Sacerdotem laico in sumptione extra Sacrificium debere præferri: bene in distributione, ut patebit ex his, quæ statim de illa edissero.

SECTIO

SECTIO DUODECIMA.

De distributione Eucharistiæ.

1. Duplex est hujus Sacramenti ministerium.

Duplex est ministerium hujus Sacramenti, nimirum confectio, & distributio. De confectione sive consecratione, quoniam in ipsa essentialiter consistit Sacrificium, agam disputatione sequenti. Nunc autem circa distributionem quæro Primò, quis sit ejus minister, hoc est, quis possit Eucharistiam dispensare? Respondeo:

CONCLUSIO I.

Solus Sacerdos ex officio dispensat Eucharistiam. Ut licitè, requiritur jurisdictio. Equidem sufficit licentia præsumpta.

2. Solus Sacerdos dispensat ex officio. 1. Cor. 4. Trident.

ITa communiter Doctores. Probatur prima pars ex Apostolo Paulo 1. Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Loquitur de solis Sacerdotibus. Hinc Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 8. *In sacramentali*, inquit, *sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici à Sacerdotibus Communionem acciperent; Sacerdotes autem celebrantes seipsos communicarent, qui mos tamquam ex traditione Apostolica descendens, iure ac meritò retineri debet.*

Ratio congruentiæ ex Scoto.

Rationem congruam accipio ex Doctore Subtili 4. dist. 13. qu. 2. num. 20. *Quia sicut ab anima, mediante corpore derivantur virtutes animæ ad cætera membra, & in corde est principalis sedes. Et etiam in qualibet politia actus principales pertinentes ad illam politiam, pertinent ad aliquam personam principalem in illa politia; ita rationabile est istum actum conficiendi & dispensandi Eucharistiam residere apud illum, qui est principalis in Hierarchia Ecclesiastica; huiusmodi autem est Sacerdos: ergo &c.*

Confirmatur; quia non minoris reverentiæ, vel auctoritatis est posse super Corpus Christi verum, quàm super Corpus Christi mysticum: secundum autem soli Sacerdoti convenit: æquè ergo vel magis propter reverentiam Corporis Christi veri, solis Sacerdoti conveniet auctoritas respectu ipsius conficiendi, & regulariter dispensandi. Non enim potest in Ecclesia nimis digna persona, nec nimis dignus gradus inveniri ad consecrationem, vel dispensationem istius Sacramenti, in quo veraciter, & realiter continetur ille, qui est Sanctus Sanctorum. Hucusque Scotus.

Unde si à me quæritur, quid sit Sacerdotem ex officio dispensare? Respondeo, ex vi suæ Ordinationis, sive ex potestate, quam Sacerdos à Christo accipit in sua Ordinatione. 3. Quid sit dispensare ex officio?

Rogas iterum, unde sciam Christum illam potestatem Sacerdotibus concessisse? Respondeo, ex illis ipsius verbis Luc. 22. v. 19. *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus sicuti consecrationem Corporis sui principaliter; sic etiam secundariò ejusdem distributionem commisit Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus: quasi dixisset: Actis Deo gratiis, frangite, Corpus meum consecrate, aliisque distribuite, sicut me videtis jam facere. Probatur Concl. ex verbis Christi. Luc. 22.

Hinc cantat Ecclesia in hymno Festi Corporis Christi: *Cuius* (scilicet Sacrificii) *officium committi voluit solis Presbyteris, quibus sic congruit, ut sumant & dent cæteris.* Sicut ergo solus Sacerdos ex officio, id est, ex vi suæ Ordinationis verum Corpus Christi consecrat & sumit, ita pariter solus Sacerdos ex officio aliis distribuit. Ipse siquidem, & nullus alius, consecratur in Pastorem animarum; ergo ipsi, & nulli alteri, vi Ordinationis competit, ut fideles cibo isto spirituali pascat. & hymno Ecclesiæ.

Sed bonus pastor, *tùm proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo; quia non noverunt vocem alienorum.* Joan. 10. v. 4. & 5. Boni ergo Pastoris est pascere oves proprias, non alienas. Ideoque ad licitam executionem prædictæ potestatis distribuendi Eucharistiam requiritur, ut habet secunda pars Conclusionis, jurisdictio ordinaria, vel delegata. Non quasi distributio sit actus propriè dictæ jurisdictionis, sicuti est absolutio sacramentalis; sed quia est talis actus, ad quem proprii Pastores habent jus, ne alius præter eorum voluntatem eum exerceat. 4. Joan. 10. Ad licitam dispensationem Eucharistiæ necessaria est jurisdictio.

Dico, *ordinaria, vel delegata.* Ordinariam habent Pontifex in universam Ecclesiam, Episcopus in suam Diœcesim, Parochus in suam Parochiam, Superiores Religionum in sibi subditos respectivè. Delegata convenit illis, quibus conceditur licentia ab eo, qui habet ordinariam. Quibus competat ordinaria, & quibus delegata.

Ut autem Sacerdoti talis licentia concedatur, non requiritur ut sit approbatus ab Episcopo. Nam Concilium Tridentinum sess. 23. cap. 15. de reformatione loquitur de solo Sacramento Confessionis, & odia sunt restringenda. Trident. Potest huc jurisdictio delegari Sacerdoti non

approbato ab Episcopo.

genda. Neque est eadem ratio : quia Confessarius est judex & medicus spiritualis. Quis autem nesciat multâ opus esse prudentiâ, scientiâ & peritiâ ad justè judicandum, & salubriter medicandum ? Porrò ad Sacramentum permanens applicandum perexigua peritia, aut scientia requiritur.

Et dato, non concesso, quòd quando in jure committitur cuipiam facultas absolvendi à peccatis, pariter committatur facultas administrandi Eucharistiam, nonne indè rectè sequitur; ergo quando negatur facultas absolvendi, etiam negatur facultas administrandi Eucharistiam ?

Herculè concesso difficiliori, posset intelligi concessum, quod facilius est : at verò negato actu difficiliori, non indè infertur, faciliorem, ut per se separatum ab alio, itidem esse negatum; maximè cùm illud prius ad privilegium pertineat, & ideo ampliandum sit, aliud verò minimè, & ideo, ut dictum est, sit potiùs restringendum.

5. Secunda pars Concl. colligitur ex Concilio Carthagin.

Sic explicata secunda pars Conclusionis nullam patitur difficultatem vel contradictionem, & colligitur ex Concilio Carthaginensi I. tempore Julii Papæ primi cap. 7. ubi sic legitur. *Casianus Vsulensis Episcopus dixit : Statuat gravitas vestra, ut unusquisque Clericus, vel laicus non communicet in aliena plebe, sine litteris Episcopi sui. Gratus Episcopus dixit : Nisi hoc observatum fuerit, Communio fiet passim. Nam si cum litteris receptus fuerit, & concordia inter Episcopos servatur, & nemo subditus alterius fugiens Communionem, ad alterum latenter accedit. Vniversi* (Episcopi) *dixerunt : Omnibus provides & Clero & Laicis consulis.*

& Milevitano,

Idem decernitur in Concilio Milevitano II. cap. 18. his verbis : *Placuit ut quicumque non communicat in provincia propria & in aliis provinciis, vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam Communionis, vel Clericatus excipiat.*

ac fundatur in ipso jure naturali.

Quibus locis licèt prohibitio fiat ex parte communicantium, ne ab alienis Eucharistiam percipiant; tamen relatio hæc mutua est, & reciproca obligatio, fundata quoque in ipso jure naturali, suppositâ Christianæ Reipublicæ institutione & debitâ gubernatione, ut nemo mittat falcem in messem alienam, nec jus alienum usurpet; alioquin nec justitia, aut pax servari possunt, nec divina mysteria convenienter dispensari, neque animabus fidelium pro earum captu vel necessitate provideri.

Probatur ex antiqua consuetudine.

Et idcirco antiquâ consuetudine servatum est, ut, qui præest, hoc Sacramentum populo dispenset, uti colligere licet ex cap. 12. *Omnis utriusque sexus* de Pœnitentiis & Remissionibus ibi : *Suscipiens reverenter ad minùs in Paschate Eucharistiæ Sacramentum : nisi forte de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum.*

Lateranense.

Quamvis autem in isto capite solùm sit sermo de Communione præcepta, quam constat ex manibus proprii Pastoris esse accipiendam, eadem tamen videtur esse ratio Communionis liberæ. Alioquin quid opus fuisset tot privilegiis, quibus Religiosis Mendicantibus conceditur ista facultas ? Sed de hoc infrà.

6. Religiosi absque licentia administrantes Eucharistiam ponitur peccatum mortale, incurrunt excommunicationem.

Sanè communis opinio est, Religiosos non privilegiatos præter peccatum mortale, quod omnes committunt qui administrant Eucharistiam sine licentia proprii Parochi, quia usurpant jus alienum in materia gravi, contra pacem, & debitam gubernationem, & ordinem Ecclesiæ, Religiosos, inquam, specialiter incurrere excommunicationem latæ sententiæ Papæ reservatam, ut patet ex Clementina *Religiosi* de Privilegiis cap. 1. in principio. *Religiosi*, inquit Clemens V. in Concilio Viennensi, *qui Clericis sæcularibus aut laicis Sacramentum Vnctionis Extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, matrimoniave solemnizare, non habitâ super his parochialis Presbyteri licentiâ speciali, ... præsumpserint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi.*

Et quamquam Glossa videatur intelligere hanc constitutionem de Eucharistia in die Paschæ administratâ; equidem (ut notat Suarlus disp. 72. sect. 2.) verba sunt generalia, neque est ulla ratio ad limitanda illa; præsertim cum eadem censura ibi apponatur propter alios actus minùs graves, minusque necessarios quàm sit Communio, quomodocumque & quandocumque data. Ad Glossam Respondeo, exemplificasse quidem in Communione Paschali; non tamen cæteras excluisse.

Nota autem ly *Præsumpserint*, ex quo Doctores communiter inferunt, Religiosos id facientes ex ignorantia, putantes sibi licere, vel ex ratihabitione probabiliter præsumptâ, non incurrere hanc censuram. Quin imò existimo licentiam probabiliter præsumptam excusare ab omni peccato.

Atque hæc est tertia pars Conclusionis, quæ & communis est; sed indiget aliquâ explicatione.

7. Quotuplex sit licentia.

Sciendum ergo primò, aliam esse licentiam tacitam, aliam præsumptam. Tacita (sive præsumpta de præsenti, aut præterito) vocatur, quæ in aliquo actu expresso juxta legalem, vel rationabilem interpretationem virtute continetur. Exemplum sit in Religioso, qui indiget licentiâ Prælati, ut sine peccato proprietatis aliquid recipiat : tacita voluntas aliquid recipiendi habetur, quando habetur expressa voluntas peregrinandi, absque prohibitione aliquid recipiendi; eo ipso enim virtute censetur Prælatus dare potestatem recipiendi ea, quæ aliàs prudenter & cum decentia religiosa recipi possunt.

Simi-

d

Similiter, quia Superior generaliter vult convenienter & in commodum suæ Religionis administrare munus suum, ideo tacitè censetur velle, ut quando ipse est absens, vel facilè conveniri non potest, & est periculum in mora, tunc aliquid accipi possit.

Tertiò, quando data est potestas generalis aliqua certa recipiendi sine expressa licentia, hoc ipso habetur licentia tacita singulorum actuum in particulari.

Denique si Prælatus videat inferiorem aliquid recipere, & taceat, quando commodè contradicere posset, & non procedit ex errore, quia putat illum ab alio Superiore habere licentiam, per illam taciturnitatem implicitè actu concedit licentiam hoc recipiendi; etenim non est præsumendum, Superiorem velle dissimulare proprietatem sui subditi.

8. Sufficit ad actum validum & licitum.

Porrò quòd licentia tacita sufficiat, non solùm ad excusandum operantem à peccato; sed etiam ad validandum actum, qui aliàs esset invalidus, nemo ferè dubitat. Probatur; quia tacitum & expressum quandoque æquipollent, juxta Glossam in Reg. *Expressa* 195. ff. de Reg. Juris arg. L. *Cùm quid* 3. ff. de Rebus creditis. Et c. 2. de Rescrip. Atqui expressa licentia sufficit: ergo & tacita, quæ in expressa virtute continetur.

Et licèt jura allegata haud apertè dicant, non expressum regulariter contineri in expresso; equidem, sic loquuntur, quòd quando continetur, æquè operetur, ac si esset expressum. *Cùm* (inquit L. 3.) *quid mutuum dederimus: etsi non cavimus ut æquè bonum nobis redderetur: non licet debitori deteriorem rem, quæ ex eodem genere sit, reddere: veluti vinum novum pro vetere: nam in contrahendo quod agitur pro cauto habendum est; id autem agi intelligitur, ut eiusdem generis, & eâdem bonitate solvatur quâ datum sit.* Cap. autem 2. sic statuitur: *Verùm quoniam non credimus ita præcisè scripsisse & in huiusmodi litteris intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur: Si preces veritate nitantur: Mandamus* &c.

L. Cùm quid 3. ff. de Rebus creditis.

Cap. 2. de Rescrip.

Corollarium.

Hinc valet Matrimonium initum coram alio Sacerdote, cui proprius Parochus dederat licentiam administrandi omnia, quæ spectant ad curam animarum. Similiter per eandem generalem licentiam acquisivit talis Sacerdos jurisdictionem absolvendi à peccatis, si cætera adsint. Quis ergo ambigat etiam accepisse potestatem administrandi Eucharistiam?

9. Quæ dicatur propriè licentia præsumpta.

Cæterùm licentia præsumpta propriè dicitur, quæ per conjecturas vel rationes probabiliter creditur futura, si Superior conveniretur, de præsenti verò nullo modo existit, nec per specialem, nec per generalem aliquam voluntatem Superioris. Atque istam dare valorem actibus alioquin invalidis, non autumo: nihilominus excusare à peccato administrationem Eucharistiæ de se alioquin validam, communis est opinio.

Distributio hujus Sacramenti non est actus jurisdictionis propriè dictæ, ut suprà notavi; sed actus Ordinis, qui ita competit Parocho, ut nullus alius, eo invito licitè ipsum exerceat. Non censetur autem Parochus invitus, quando rationabiliter præsumitur consensurus, si interrogaretur; argumento leg. *Inter omnes* 46. ff. de furtis. ubi §. 7. ita scribitur: *Rectè dictum est, qui putavit se Domini voluntate rem attingere, non esse furem. Quid enim dolo facit, qui putat Dominum consensurum fuisse, sive falsò id, sive vere putet? Is ergo solus fur est, qui attrectavit quod invito Domino se facere scivit.*

Sacramenti non est actus propriè dictæ jurisdictionis,

L. Inter omnes. ff. de furtis.

Itaque jurisdictionem, de qua fit mentio in secunda parte Conclusionis, non sic accipe, quasi illud jus, quod Parochus habet, sit propriè dicta jurisdictio; sed quoniam annectitur jurisdictioni & ordinariè non reperitur nisi in habente jurisdictionem: unde meliùs vocaretur potestas, quàm jurisdictio.

sed illi annectitur,

10. Sufficit licentia præsumpta ad licitè ministrandam Eucharistiam;

Et verò quia non possumus communiter scire, an Pastor non sit invitus, nisi expresè deleget suas vices, ideo qui administrant ex licentia Pastoris dicuntur habere jurisdictionem, sive potestatem delegatam: quamquam fieri possit, ut nulla adsit positiva voluntas delegantis, sed absentia tantùm voluntatis contrariæ, quæ impropriè dicitur delegatio; propriè autem voluntas præsumpta de futuro, sufficiens quidem ad licitè ministrandum Eucharistiam, minimè verò ad absolvendum à peccatis.

secùs ad absolvendum à peccatis,

Absolutio namque, cùm essentialiter sit actus judicii, non tantùm non potest fieri contra voluntatem Superioris; sed etiam non nisi à Superiore, vel illo, cui Superior suam superioritatem de facto dedit, saltem pro parte, id est, ab illo, qui de facto est legitimus judex: valor enim absolutionis non potest suspendi usque ad futura, aut postea danda, ut inferiùs proprio loco explicabitur. Jam autem voluntas præsumpta de futuro, cùm de præsenti nihil sit, nihil de facto ponit in esse; sed poneret tantùm si esset.

Debet esse rationabilis,

Interim hoc facit, ut actus non sit contra voluntatem Superioris, quod satìs est, ut administratio Eucharistiæ ex se alioquin valida, fiat licita, si modò præsumptio illa fuerit rationabilis; per hanc siquidem destruitur objectum istius peccati, scilicet Communio data contra voluntatem Superioris.

11.

Dixi, *Si fuerit rationabilis*: quis enim imprudenter & irrationabiliter non potest quidlibet præsumere? Et bonitas formalis quid aliud est, quàm convenientia actûs liberi cum natura rationali, dictata à recta, id est, prudenti, ratione operantis? Ut autem rationabiliter præsumas, opus est consideratione omnium circumstantiarum. Unde faciliùs præsumitur voluntas Parochi in Communione ex devotione facta, quàm præcepta, faciliùs in absentia ejus, quàm in præsentia, faciliùs in propria Ecclesia, quàm in aliena.

ad quod opus est consideratione omnium circumstantiarum,

Aversa. Sanè, frequenti usu (ut notat Aversa q. 10. sect. 4.) introductum est, ut in Ecclesiis, in quibus Sanctissima Eucharistia asservatur, consentiant Parochi passim ab aliis Sacerdotibus hoc Sacramentum postulantibus ministrari. Sed de his plura in sequentibus.

Quæro igitur, an quilibet Sacerdos sibi ipsi possit ministrare Eucharistiam extra Sacrificium? Et si ministret, an id faciat ex officio? Responsio sit

CONCLUSIO II.

Sacerdos sicut cæteris, ita sibi ipsi, etiam extra Sacrificium, administrat Eucharistiam ex officio; & potest ministrare, nisi adsit alius Sacerdos potens & volens ministrare.

12. Posterior pars Conclus. probatur ex Conc. Nicæno, POsterior pars probatur communiter ex Concilio Nicæno can. 14. qui sic habet: *Pervenit ad Sanctum Concilium, quòd in locis quibusdam, & civitatibus Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neque regula, neque consuetudo tradidit* &c. *Sed & illud innotuit, quòd quidam Diacon, etiam ante Episcopum Sacramenta sumant: Hæc ergo omnia amputentur, & accipiant secundum ordinem post Presbyteros ab Episcopo, vel à Presbytero sacram Communionem. Quod si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant.*

ubi Diacono, adeoque & Presbytero, conceditur Communio sui ipsius, etiam ex sola devotione. Si Diaconis conceditur seipsos communicare, quantò magis Sacerdotibus, qui & ipsi Diaconi semper sunt? Et cùm nulla fiat mentio necessitatis, quidni liceat sic communicare ex sola devotione?

Nec obstat consuetudo contraria; quia illa non oritur ex defectu potestatis, sed occurrentiæ casûs. Etenim Sacerdotes non solent communicare, nisi celebrent, vel si communicent, adest Sacerdos. Posset etiam contingere ex ignorantia Sacerdotum, qui nesciunt illud sibi in absentia alterius Sacerdotis licere. Interim Constitutio Concilii Nicæni est illimitata, & non invenitur sufficienter abrogata.

13. Objectio. Sed contrà; in prima editione Canonum istius Concilii non leguntur ista verba: *Quòd si non fuerit in præsenti* &c. Præterea potuisset Concilium rationabiliter concedere illam potestatem Diaconis, & negare Sacerdotibus: ergo communis probatio non subsistit.

Probatur Antecedens; quia Diaconus non potest seipsum communicare in Sacrificio, ut patet; illud autem optimè potest Sacerdos, cui ex officio, sive ordinatione competit sacrificare, & Sacrificium, sumendo Corpus & Sanguinem Domini, consummare. Si ergo Sacerdos ex devotione vult communicare, & commodè potest celebrare, meritò dubitas, an ex vi istius Constitutionis licitè sibi ipsi ministret Eucharistiam extra Sacrificium.

Equidem non invenio prohibitum (nisi adsit alius Sacerdos, qui possit ministrare) neque jure naturali, neque positivo, scripto, vel consuetudinario. Contrariam consuetudinem jam suprà ostendimus non induxisse obligationem; jus scriptum nemo hactenus protulit, neque proferre potest, quia non est. Quantùm ad jus naturale, Conclusione præcedenti liquidò demonstravimus, omnem Sacerdotem ex vi ordinationis suæ Eucharistiam cæteris distribuere, quamquam, ut licitè id faciat, requiratur aliqua jurisdictio. Solutio.

Ex quo sic argumentor, & probo utramque partem Conclusionis: Qui ex officio dispensat in aliqua lege, non tantùm cum aliis, sed etiam secum potest dispensare; non enim debet esse deterioris conditionis, quàm cæteri, cum quibus eandem rationem participat, & in quos habet potestatem dispensandi. 14. Utraque pars Concl. probatur ex eodem.

Similiter Legislator seipsum obligat, ut est communior & verior sententia, propriis legibus quoad vim directivam: nam *Digna vox est majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* leg. 4. Cod. de LL. Cui consonat jus Canonicum cap. 6. de Constit. ibi: *Cùm igitur quod quisque juris in alterum statuit, ipse debeat uti eo: & sapientis dicat auctoritas: Patere legem, quam tu ipse tuleris. Mandamus* &c. Ex. c. 6. Cap. 6. Conſtit.

Quapropter qui dedit potestatem Sacerdoti dispensandi Eucharistiam cæteris, bene dixero non dedisse Sacerdoti potestatem dispensandi sibi ipsi extra Sacrificium? Certè manus Sacerdotum oleo consecrantur & specialiter deputantur ad Augustissimum hoc Sacramentum attrectandum, tam in Sacrificio, consecrando illud & sumendo, quàm extra, distribuendo sibi, vel aliis.

Si reponat aliquis: est petitio principii. Respondeo concedendo totum: attamen principii, cujus oppositum nullâ ratione probatur. Nam quod ait Cardinalis Lugo disp. 18. n. 30. Quoties Sacerdos non communicat ut Sacerdos, hoc est, offerendo, vel perficiendo, & consummando Sacrificium, priùs à se vel alio inceptum, Communionem illam esse & appellari laicam, & quoad illam per accidens se habere, quòd sit, vel non sit Sacerdos: ad hoc, inquam, Respondeo, per accidens quidem esse, quòd sit Sacerdos, qui sumat; per se autem, quòd sit Sacerdos, qui distribuat. Obiectio solvitur. Lugo.

Dices: si Sacerdos ex officio sibi ipsi ministrat Eucharistiam extra Sacrificium, non apparet cur non possit id facere, quando adest alius Sacerdos: per hoc enim non perdit jus suum dispensandi Eucharistiam iis, qui volunt communicare, quorum ipse est unus. Obiectio.

Respon-

Responsio.

Respondent aliqui, per se loquendo posse, sed obstare Ecclesiæ prohibitionem. Unde autem constet illa prohibitio Ecclesiæ, haud difficilè est assignare. Nam (inquit Dicastillo disp. 11. n. 107.) licèt mera consuetudo non faciendi, si adsit Sacerdos alius, non satìs probet; quia neque etiam absente Sacerdote id solet fieri, atque adeò consuetudo æquè probat, quod etiam eo absente fieri non possit: sufficit nihilominus aliud caput prohibitionis, scilicet quòd communis sensus Ecclesiæ, postquam prohibita est attrectatio hujus Venerabilis Sacramenti, ita intellexerit hanc legem, ut non solùm non Sacerdotes, non ampliùs manibus suis sumant & communicent, sed neque Sacerdotes ipsi non celebrantes, si adsit alius Sacerdos, qui ipsis ministret volentibus communicare, & in hoc se conformet cum cæteris non Sacerdotibus; concessâ interim hâc quasi præeminentiâ, vel (potiùs dixerim) non ablatâ ipsis facultate, quam illi ex dignitate & ordinatione habent, ut sumant & dent cæteris, pro casu, quo non facilè inveniatur alius Sacerdos ministraturus, ita ut pro casu necessitatis, aut etiam devotionis de facto permissum illis sit, non verò quando adsit alius ministraturus. Hactenus Dicastillo, satìs appositè; nisi quòd non videatur distinguere inter distributionem Eucharistiæ ex officio, & distributionem licitam. Quâ distinctione observatâ facillimum erit dissolvere omnes nodos Gordios, quos Cardinalis Lugo suprà n. 31. contra Conclusionem nostram proponit.

Dicastillo.

16. An Sacerdos distribuens Euch. contra voluntatem Pastoris, id faciat ex officio?

Ponamus ergo casum, quòd aliquis Sacerdos distribuat Eucharistiam aliis contra voluntatem proprii Pastoris, num quia peccat, ideo non distribuit ex officio? Quis audeat affirmare? Nemo dubitat, quin Episcopus ordinans alienum subditum sine licentia debita peccet, licèt id faciat ex officio, id est, ex vi suæ consecrationis. Similiter simplex Sacerdos baptizans, aut administrans extremam Unctionem contra voluntatem Parochi.

Sacerdos non habet jurisdictionem seipsum communicandi extra Sacrificium.

Quare non possum dubitare quin Sacerdos seipsum communicans, quocumque tandem casu, quin, inquam, id faciat ex officio; estò aliquando illicitè, defectu jurisdictionis, cùm non constet eum ex vi sui Ordinis habere jurisdictionem seipsum communicandi extra Sacrificium, sed dumtaxat in ipso Sacrificio. Ex nullo etiam capite ostenditur eam accepisse ab Ecclesia in præsentia alterius Sacerdotis. Ergo &c.

Quæris à quo jurisdictionem acceperit ad communicandum seipsum in absentia Sacerdotis? Respondeo à Concilio Generali Nicæno I. suprà allegato, prout illud communiter à Doctoribus intelligitur.

17. Argumenta Negonis pro oppositâ Conclus.

Ex quo patet responsio ad ea, quæ Lugo suprà in contrarium Conclusionis adducit: Si, inquit, Sacerdos haberet eandem independentiam ad sumendum hunc cibum etiam extra Missam, sequeretur quòd secluso omni privilegio, posset quilibet simplex Sacerdos dare Eucharistiam omnibus Sacerdotibus volentibus communicare, etiam repugnantibus eorum Pastoribus aut Parochis.

Rursus sequeretur, posse quemlibet Sacerdotem in mortis articulo accipere Viaticum à quolibet Sacerdote simplici absque ulla Parochi licentia: quod tamen videtur contra sensum fidelium, & contra doctrinam communem Theologorum, qui universaliter dicunt omnes fideles debere accipere Viaticum ultimum de manu, vel consensu Parochi, nullâ factâ exceptione.

Denique Theologi, etiam quando loquuntur de Communione in Paschate à proprio Parocho accipienda, excipiunt nominatim Sacerdotes in aliena etiam Ecclesia celebrantes; quia præceptum illud non loquitur de iis, qui celebrando communicant, sed de iis solùm, qui Communionem accipiunt de manu alterius. Unde supponunt quòd Sacerdos non celebrans obligaretur etiam tunc præcepto communicandi de manu Parochi.

18. Sacerdos extra Missam dependet à suo Pastore in hoc Sacramento accipiendo.

Ex quibus omnibus constat, Sacerdotem extra Missam non minùs dependere à suo Pastore in hoc Sacramento accipiendo, quàm alii fideles, atque adeò non posse, nisi de manu vel licentia Pastoris communicare.

Quod judicare etiam videtur Pontifex in Clementina *Religiosi* de Privilegiis; ubi imponitur pœna Religiosis, qui absque Parochi consensu, clericis aut laicis Sacramentum Eucharistiæ ministrare præsumpserint, ubi de omnibus clericis in universum loquitur. Hucusque Cardinalis. Et non video, quomodo efficaciter possit redargui.

Sacerdos vi Ordinis non est minùs capax ut sibi, quàm aliis administret.

Unde respondeo, id totum referendum esse, non ad incapacitatem Sacerdotis; sed ad defectum jurisdictionis. Nescio enim, quare Sacerdos ex vi ordinationis suæ minùs capax sit, ut sibi Eucharistiam ministret, quàm aliis.

19.

Et verò si Episcopus potest seipsum regere propriis legibus, quidni & seipsum possit spiritualiter pascere sacrâ Eucharistiæ alimoniâ, etiam extra Sacrificium? Sanè Pontificem id posse, admittit Lugo suprà n. 35. dicens: Sicut potest Pontifex propriâ auctoritate dare sibi indulgentias, sic etiam posset extra Missam Eucharistiam sibi sumere, & hoc ex auctoritate & potestate universali, quam habet dispensandi illud Sacramentum: nam licèt ipse non sit ovis suiipsius, est tamen ovis Christi, atque ideo potest, sicut pascit alios, pascere etiam seipsum, cùm datum ei sit pascere omnes oves Christi. Cæteris autem Pastoribus non datur potestas ita ampla, sed limitata ad tales oves, nempe ad suos subditos in quorum numero ipse Pastor non est. Hæc ille.

Lugo.

Pontifex sibi ipsi propriâ auctoritate licitè ministrat extra Missam.

Etiam Episcopus, nisi à Superiore prohibeatur.

Sed quæro à Lugone: Episcopus sibi ipsi concedit indulgentiam, quam concedit suis subditis? Quis audeat negare? Episcopus seipsum ligat propriis legibus? Affirmat communis sententia. Ergo similiter tamquam Pastor sibi ipsi potest ministrare Eucharistiam, nisi à superiori potestate prohibeatur. Vel ostendat Eminentissimus disparitatem.

Immo & quilibet Pastor.

Et nonne bonus Pastor est, qui seipso neglecto, solos pascit subditos? Et qui pastorem præficit gregi, nonne & hoc facto gregem pascit? Si ergo Pastor, ut ibidem docet Cardinalis, potest eligere Sacerdotem, à quo accipiat Eucharistiam, qui eo ipso fit Pastor ipsius quoad illum actum ministrandi Sacramentum: si, inquam, potest sibi ipsi præficere Pastorem, quidni etiam circa seipsum munera Pastoris exercere, quæ non requirunt personalem distinctionem? Sine fundamento autem asseritur, quòd ministratio Eucharistiæ requirat personalem distinctionem, magis quàm dispensatio, concessio indulgentiæ, legislatio, & similes actus jurisdictionis voluntariæ.

20.

Si autem Pastor seipsum potest pascere auctoritate ordinariâ, quidni & ovis seipsam potestate delegatâ? Quare non placet hæc doctrina Lugonis, quam habet n. 32. Operaretur (Sacerdos seipsum administrans ex commissione Pastoris) sicut Diaconus, vel alius clericus inferior, vel etiam laicus, cui attentâ præcisè institutione hujus Sacramenti, non repugnaret, quòd ex facultate aut jussu Sacerdotis Pastoris sui acciperet ipse sibi ex sacrario Eucharistiam. Sic ergo Sacerdos in prædicto casu posset id facere ut instrumentum proprii Sacerdotis, Parochi, vel Prælati sui, atque ideo tunc non operaretur ut Sacerdos, sed ut instrumentum & minister Sacerdotis, qui hoc modo diceretur pascere ovem suam.

Lug. An Sacerdos seipsum communicans ex licentia Pastoris id faciat ex officio?

Sicut quando de facto Diaconus, & Subdiaconus ministrant summo Pontifici in Missa solemni, & accipiunt sibi sanguinem ex calice, non agunt, nec recipiunt ut Sacerdotes (etiamsi ipsi Sacerdotes plerumque sint) sed ut ministri, & instrumentum Sacerdotis Pontificis, qui eo modo dat illis Eucharistiam, & pascit illos, ut oves suas. Talis esset actio, quâ Sacerdos extra Missam sumeret sibi Eucharistiam, deberet enim procedere ex voluntate sui Pastoris volentis illo modo pascere ovem suam. Hactenus Eminentissimus.

21.

A quo si peterem; an Sacerdos distribuens aliis Eucharistiam ex voluntate sui Pastoris, eodem modo operetur, sicut Diaconus, cui non repugnat (ut statim declaro) idem facere, quid putatis responsurum? Sacerdos, inquit n. 14. etiam quando ex commissione alterius ministrat hoc Sacramentum alienis ovibus, non id facit ut minister & famulus alterius; sed utitur potestate distribuendi sibi traditâ in Ordinatione.

Quid si aliis ministret ex commissione?

Sicut enim Sacerdos quando ex commissione alterius absolvit alienas oves, non absolvit, ut merus minister alterius, sed ex potestate accepta in Ordinatione, applicatâ sibi materiâ per hoc, quòd alienæ oves factæ sint oves ipsius quoad illum actum per voluntatem proprii Pastoris: sic Sacerdos dans Eucharistiam alienis ovibus, utitur potestate sibi à Christo traditâ, pascendo oves, quæ quoad illum actum factæ sunt oves ipsius à proprio Pastore: jam enim ex se habebat potestatem Ordinis, & erat consecratus Pastor, sed deerant illi oves, quæ datæ sunt ei à Superiore: quare potest eas jam pascere, non ut famulus, sed ut Pastor ex officio.

Differentia inter Sacerdotem & Diaconum.

Diaconus verò non ita se habet: non pascit enim fideles tamquam oves suas, sed ut merus minister & famulus, ac instrumentum Pastoris, apponens cibum convivis, prout Sacerdos qui est distributor jubet apponi. Hæc ille.

Verissima responsio & manifesta differentia; sed quæ eodem modo applicari potest Sacerdoti, & Diacono, seipsos communicantibus. Pro clariori autem intelligentia dico:

CONCLUSIO III.

Eucharistiæ dispensandæ officium non sic soli Sacerdoti Christus commisit, ut dispensationem aliis committi prohibuerit. Quare Sacerdote justâ de causâ committente, potest illam dispensare Diaconus.

22. Probatur ex Concilio Carthaginensi IV. Carthaginense IV.

ITa expressè statuit Concilium Carthaginense IV. cap. 38. dicens: *Ut Diaconus præsente Presbytero Eucharistiam Corporis Christi populo (si necessitas cogat) iussus eroget.* Quod decretum nusquam invenio revocatum, tametsi non sit in usu; quia necessitas rariùs occurrit propter multitudinem Sacerdotum.

Nicænum.

Addunt aliqui Concilium Nicænum, relatum in principio Conclusionis secundæ; sed illud solùm loquitur de Diacono seipsum communicaturo in absentia Sacerdotis. Verumenimverò si seipsum possit communicare, nulla est ratio, quare ex commissione, si necessitas cogat, non possit etiam alterum.

23. Secundo ex Sancto Laurentio.

Confirmatur ex antiqua praxi Ecclesiæ, quam significat Sanctus Laurentius loquens ad Sixtum Pontificem in hæc verba: *Experire utrùm idoneum ministrum elegeris, cui commissis Dominici Sanguinis dispensationem.* Ejusque meminit Clemens Rom. lib. 8. Constit. Apostolicarum cap. 28. aliàs 34. ibi: *Diaconus non benedicit, non dat benedictionem, accipit autem ab Episcopo,*

Clemens Rom.

Episcopo, vel Presbytero : non baptizat, non offert, offerente Episcopo, vel Presbytero, ipse dat populo non veluti Sacerdos, sed veluti ministrans Sacerdoti.

haud equidem ex officio;

Ubi cùm Pontifex generaliter loquatur, non distinguens inter dationem Corporis, & dationem Sanguinis, gratis aliqui asserunt, Diaconos ex officio potuisse dispensare Sanguinem; Corporis autem ex sola commissione. Verius ergo est neutrum ex officio seu proprio jure posse, sed dumtaxat tamquam commissi, &, ut Clemens loquitur, tamquam ministri Sacerdotis.

Unde Sacerdos comparari potest œconomo domûs, qui habet jus distribuendi bona Domini; Diaconi autem servis & ministris, quibus utitur œconomus ad bona distribuenda. Porrò inter œconomum & servum non parva reperitur differentia : Siquidem Religiosus haud esse potest œconomus contra voluntatem Prælati : sic enim uteretur jure aliquo circa res illas, quas distribueret, & exerceret actum dominii, vel quasi dominii, dando & transferendo jus in alios, cùm tamen non repugnet voto paupertatis nudum servitium, quod præstaret apponendo v. g. cibos ex mandato œconomi; ; quia apponens nullum prætendit jus, neque operatur proprio nomine, sed tamquam merum instrumentum, perinde ac si actio illa fieret per amentem, vel infantem.

24. etiò habeat jurisdictionem ordinariam.

Dices primò; Diaconus potest habere jurisdictionem requisitam ad ministrandum, v. g. Diaconus; qui sit Episcopus electus, nondum consecratus.

Respondeo; talis Diaconus etiam haberet jurisdictionem absolvendi à peccatis : num ideo poterit ex officio absolvere ? Minimè; quia non habet potestatem Ordinis. Ergo à paritate rationis, talis Episcopus poterit quidem Sacerdoti dare jurisdictionem ad ministrandam Eucharistiam sibi, & aliis (utì etiam ad absolvendum se & alios) & ab illo accipere tunc commissionem ministrandi; verumtamen numquam ministrabit ut ordinarius; sed tantùm ut merum instrumentum alterius, defectu scilicet potestatis Ordinis. Nam, ut expendimus Conclusione primâ, nemo potest ex officio pascere, nisi sit Pastor; Diaconus autem quâ talis non est consecratus in Pastorem, sed in ministrum Pastoris.

25. Objectio.

Dices secundò : ergo non aliter ministrat Diaconus, quàm Subdiaconus, vel laicus, cui illa distributio, etiam sine gravi peccato, seclusâ prohibitione, committeretur. Enimverò ex præcisa institutione hujus Sacramenti non apparet necessarium, ut Sacerdos Sacramentum propriis manibus ori ingerat, vel immediatè apponat, aut certè det sumentibus in manus; ut patet ex convivio corporali, in quo id non est necessarium. Unde in primitiva Ecclesia singulis dabatur Eucharistia servanda in tempus opportunum, & tunc propriis manibus ori ingerenda.

Competit Diacono aliquid plus vi Ordinis, quàm aliis Clericis;

Nihilominus Respondeo; Diacono ex sua Ordinatione aliquid plus competere in hoc ministerio, quàm cæteris; non quòd habeat ex vi Ordinis sui potestatem distribuendi (sicut habet potestatem baptizandi) aut proximam capacitatem, ut illam recipiat (sicuti Sacerdos habet capacitatem ut recipiat potestatem confirmandi) sed quoniam peculiariter consecratur in ministrum immediatum Sacerdotum; adeoque ad serviendum in rebus dignioribus, inter quas præcipua est distributio Eucharistiæ : Subdiaconus autem ordinatur ad ministrandum in aliis minùs dignis. Quocirca Diacono præ aliis inferioribus Clericis in Ordinatione sua dicitur : *Diaconum oportet ministrare ad altare*; utique immediatè ipsi Sacerdoti; cùm Subdiaconus & reliqui Clerici solùm ministrent mediatè, ut patet consideranti.

26. adeoque ex minori causa potest ipsi committi, quàm aliis.

Ex quo oritur, quòd minor causa requiratur, ut Sacerdos in distributione Eucharistiæ uti possit operâ Diaconi, quàm Subdiaconi, vel alterius Clerici inferioris, aut laici. Minor, inquam, causa; quia semper aliqua est necessaria, ut manifestè constat ex verbis Concilii Carthaginensis suprà; & fortè major ad distributionem Corporis, propter immediatum ejus contactum, quàm Sanguinis, qui non debet immediatè tangi.

Dico, *fortè*; quia olim etiam laici viri Corpus Christi tangebant nudis manibus. Interim credo tunc sæpiùs dispensationem Sanguinis fuisse commissam Diaconis, quàm distributionem Corporis, propter commoditatem fidelium communicantium in utraque specie, quibus ordine Sacerdos communicabat Corpus, Diaconus autem subsequeris Sanguinem, sicut modò minister ablutionem; ne aliàs duplici tempore & labore occuparetur Sacerdos, sicut si ipse singulis per se daret quoque ablutionem.

Quæ sit causa sufficiens;

Cæterùm sufficeret causa notabilis prudenter dijudicanda, v. g. ex parte Sacerdotis infirmitas, occupatio in Confessionibus, aut Concione &c. ex parte verò communicantium, impletio annui præcepti, Jubilæum &c. quando alius Sacerdos facilè haberi non posset. Quinimò

CONCLUSIO IV.

In extrema necessitate, si Sacerdos non valeat, aut irrationabiliter invitus non velit ministrare Viaticum, poterit id facere Diaconus, etiam sine mandato

dato Sacerdotis, ex præsumpta facultate Superioris.

27. In articulo mortis Parocho absente vel invito ministrat Diaconus hoc Sacramentum.

PRæsumptam voluntatem aliquando sufficere ut simplex Sacerdos ministret Eucharistiam, diximus, & probavimus Conclusione primâ. Quæ autem Sacerdotis simplicis, similis est ratio Diaconi in defectum Sacerdotis.

Et quidem communis est opinio, quidquid in oppositum sentiat Navarrus, cum paucis aliis, deficiente Parocho, & necessitate urgente, in periculo mortis quemcumque Sacerdotem, etiam simplicem, si alius non adest, posse ministrare Eucharistiam sine expressa licentia Parochi absentis, vel injustè renuentis.

Probatur à simili.

Probatur à simili; quia Ecclesia in illo articulo concessit omnibus potestatem absolvendi à quibuscumque peccatis, & censuris, etiam (probabiliter) in præsentia Ordinarii, ut suo loco expendemus: ergo rationabiliter præsumitur pro eodem articulo concedere potestatem administrandi Eucharistiam, saltem in absentia Sacerdotis Parochi; vel quando licèt sit præsens corpore, bonâ tamen voluntate longissimè distat, nolens irrationabiliter per seipsum Eucharistiam administrare moribundo, aut alteri dare licentiam administrandi: tunc enim censetur moraliter absens.

28. Congruentia, summa utilitas & aliqualis necessitas.

Et quamvis hoc Sacramentum non sit omnino necessarium ad salutem, prout est Pœnitentia, aut Baptismus; equidem est maximè utile, & aliquo modo necessarium ad vires spirituales in illo periculoso agone acquirendas, quâ utilitate haud verosimile est, Ecclesiam piam matrem voluisse filios suos privare.

Unde ad majorem claritatem, quando Pontifices excipiunt Viaticum in privilegiis, solent declarare, exceptionem illam non intelligi eo casu, quando propter absentiam Parochi, vel similem causam esset necessitas; prout Paulus III. declaravit in Bulla, quâ Religiosis Societatis Jesu concessit facultatem dispensandi Eucharistiam quibuscumque fidelibus. Nam postquam Pontifex limitasset hanc facultatem dicens: *Præterquam in festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ & mortis articulo*, continuò subdidit; *Nisi necessitas urgeret*. Sentit ergo urgente extremâ necessitate posse dispensare Eucharistiam, qui aliàs non posset sine licentia Parochi.

Paulus III.

Sixtus IV.

Quod ante Paulum III. senserat Sixtus IV. qui ut lego in Compendio privilegiorum Verbo Communicare §. 6. concessit Fratribus Minoribus, ut possint administrare Sacramenta Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis, illis, quorum Confessionem audierint, quando Rectores, seu Curati eorum malitiosè, aut sine rationabili causa denegaverint, seu distulerint illa administrare.

29. Profectò non ambigo, quin sicuti famulus rationabiliter præsumit voluntatem domini ad apponendum cibum, & potum illis, quos dominus tenetur alere, quando sunt in necessitate, sic itidem simplex Sacerdos vel Diaconus rationabiliter præsumat voluntatem Pontificis administrandi in necessitate extrema Eucharistiam filiis Sanctæ Matris Ecclesiæ, quos ipsa hoc convivio & cibo spirituali tenetur alere.

Ratio à proximo. Infans. Nonne, ut vidimus Conclusione secundâ, Concilium Nicænum can. 14. expresè concedit Diacono facultatem seipsum communicandi in absentia Sacerdotis, nullâ factâ mentione alterius necessitatis? Quantò magis præsumendum est, id posse facere in extrema necessitate? Et si sibi ipsi potest dare propter summam utilitatem, quam indè expectat, & quâ aliàs deberet carere, quidni prudenter præsumat consensum Ecclesiæ circa proximum, qui est alter ego, & eâdem utilitate privaretur?

Nicæn.

Si inferas; ergo idem poterunt facere Subdiaconus, aliique Clerici inferiores, imò & laici. Respondeo:

CONCLUSIO V.

Clericis Diacono inferioribus, & à fortiori laicis, non potest ordinariè committi dispensatio hujus Sacramenti. Equidem in articulo mortis, deficiente Sacerdote, & Diacono, posse etiam laicum, secluso scandalo, porrigere Viaticum ex licentia Sacerdotis expressa vel præsumpta, multis non videtur improbabile.

30. Conclusio. Distinctio. Sensus. Limitatio. Prima pars est certa ex communi usu Ecclesiæ ac sensu, eamque colligunt Doctores ex Concilio Rhemensi cap. 2. ut refertur à Gratiano de Consec. dist. 2. cap. 29. ubi sic dicitur: *Pervenit ad notitiam nostram, quòd quidam Presbyteri in tantùm parvi-pendant divina mysteria, ut laico vel fœminæ sacrum Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis: & quibus prohibetur ne sacrarium ingrediantur, nec ad altare appropinquent, illis sancta sanctorum committuntur. Quod quàm sit horribile, quamq; detestabile, omnium religiosorum animadvertit prudentia. Igitur interdicit per omnia Synodus, ne talis temeraria præsumptio ulterius fiat: sed omnimodis Presbyter per semetipsum infirmum communicet. Quod si aliter fecerit, gradus sui periculo subiacebit.* Hactenus Concilium, quod licèt non sit generale, (uti nec Carthaginense suprà Conclusione tertiâ allega-

allegatum) equidem sunt usu recepta, quæ hâc in parte ordinantur.

Ex quibus alicui videri posset, etiam in extrema necessitate laico minimè licere sibi ipsi, aut alteri Communionem distribuere, contra secundam partem Conclusionis; pro cujus explicatione

37. ubi illa jure divino non sit ipsis inhibita.

Notandum, quòd laico jure divino non prohibetur administratio hujus Sacramenti, nequidem extra necessitatem. Quod enim illud esset? An fortè reverentia debita Eucharistiæ, quæ haberet rem sacram tangi sæcularibus manibus? Liquet perfectò laicos in antiqua Ecclesia sibi sumpsisse Eucharistiam. *Omnes viri* (inquit D. Augustinus Serm. 252. de tempore) *quando communicare desiderant, lavant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina ubi Corpus Christi accipiant.*

Ecclesia graviter prohibuit Clericis inferioribus & Laicis contactum sacræ hostiæ,

Accedit, quòd de facto id permittatur Diaconis, ut expendimus Conclusione tertiâ, quorum tamen manus specialiter ad hoc non sunt consecratæ. Itaque secluso speciali præcepto Ecclesiæ, quæ hodie propter majorem reverentiam sub mortali prohibet immediatum contactum hostiæ sacræ Clericis inferioribus & laicis, per se non esset contra dignitatem Sacramenti, si cum debita aliàs reverentia à laicis tractaretur.

Omitto sæpè contingere posse, quòd illa tractatio cedat in majorem reverentiam; v. g. si Sacramentum alioquin deberet venire in manus Hæreticorum: in quo casu omnes admittunt illam tractationem esse licitam; imò debitam ad evitandam majorem irreverentiam non obstante quacumque lege Ecclesiasticâ.

32. non tamen pro mortis articulo,

Et verò cogitare debeo, Ecclesiam velle illam tractationem prohibere in ultimo articulo vitæ, quando maximè utile, & quodammodo necessarium est hoc Sacramentum; imò absolutè necessarium secundùm plurimos Doctores ex præcepto divino? Non debeo.

Etenim quòd prohibitio Concilii Rhemensis nequaquam concernat articulum mortis, colligo ex his verbis: *Quòd quidam Presbyteri in tantùm parvi pendant divina mysteria* &c. Parvi-pendant, inquam, non ergo ex necessitate; sed potiùs ex contemptu quodam passim laico, aut fœminæ sacrum Corpus tradebant ad deferendum infirmis: illudque vocat Concilium horribile, ac detestabile, strictissimè interdicens, ne talis temeraria præsumptio ulteriùs fiat.

In quo potest laicus seipsum vel alium communicare, Explicatur.

Quis autem rectè dixerit, temerariam præsumptionem, si laicus seipsum, vel alium communicet in extrema necessitate? Nonne teste Eusebio lib. 6. Historiarum cap. 36. Presbyter quidam infirmus misit particulam consecratam ad Serapionem senem moribundum per puerum è cujus manibus juxta Presbyteri mandatum illam sumpsit? Nonne Gregorius Homiliâ 40. in Euangelia refert S. Ro-

S. Gregorius,

mulam in extremis à Redempta magistra sua Communionem accepisse? Nonne superiori sæculo laudatissima Maria Regina Scotiæ instante martyrio seipsam communicavit?

ut probatur ex diversis exemplis,

Et olim, ut dictum fuit ex D. Augustino, omnes seipsos communicabant, hostiâ priùs acceptâ à Sacerdote: cur ergo illam hostiam in necessitate alteri non potuissent dare? Minimè video, quare non potuerint tali casu rationabiliter præsumere voluntatem Ecclesiæ, quæ, quoniam disponit circa usum Sacramentorum, ut patet ex Tridentino sess. 21. cap. 2. poterat ipsis concedere illam licentiam.

33. & docet Diana cum aliis,

Unde secundam partem Conclusionis docet Diana parte 3. tract. 4. resol. 47. cum aliis, quos citat, & sequitur Dicastillo disp. 11. n. 92. tametsi sententia opposita sit magis communis, quam inter alios, quos refert Dicastillo nu. 93. propugnat Cardinalis Lugo disp. 18. nu. 22. potissimùm illam fundans in universali Ecclesiæ consuetudine, quæ hodie videtur legitimè præscripta: cùm enim non rarò accidat, præsertim in oppidis, in quibus est unus Sacerdos, aliquos mori absque Viatico propter absentiam Parochi; tamen à multis sæculis numquam audivimus, laicum Communionem moribundo administrasse; idque quia omnes apprehendunt se graviter peccaturos, si id attentarent.

Dicastillo, Lugo.

multis oppositum sententibus,

Respondet Dicastillo suprà: Hæc ratio solùm probat deesse aliquos doctos, qui sciant opinionem hanc, & prudentes, qui in iis angustiis, id vel advertant, vel disponant in iis oppidis, aut pagis, ubi desunt Sacerdotes. Quòd si de eo genere consuetudinis agamus, etiam Diaconus vix invenietur, qui in ea occasione ministret, præsertim cùm id non sit omnibus notum: & licèt aliquis sciat hanc opinionem; fortasse scit etiam contrariam, & non vult se intricare; sed permittit rem currere. Itaque consuetudo me non multùm movet. Hæc ille. Breviter, non est consuetudo juris, sed potiùs facti, orta sive ex insciti eorum, quos concernit, sive propter contrariam opinionem, quæ non sufficit ad inducendum jus.

in consuetudine non bene se fundantibus,

quæ potiùs est facti, quàm juris.

Sed amabò, quis istâ viâ non poterit omnes consuetudines eludere, dicendo, homines frequentantes aliquem actum esse ignaros, & nescire ea, quæ ipsis licent?

34.

Dices; eludantur, quid tum? Certè difficillimum est ostendere aliquam legem, quæ instituta sit per solam consuetudinem, eò quòd vix contingat actus aliquos frequentari animo inducendæ legis, quod tamen necessarium est. Siquidem Princeps non vult subditos per consuetudinem obligare, nisi dependenter ab ipsorum voluntatibus: idcirco enim vult imponere obligationem; quia populus quasi postulat, & vult, quòd talis obligatio ipsi imponatur. Si ergo populus per consuetudinem id non intendat, nec Legislator intendit. Porrò

Difficile est ostendere aliquam legem solâ consuetudine institutam.

homines, utpote naturâ suâ liberi semper quærunt se ab obligationibus liberare, raro autem sibi ipsis onera, vel obligationes imponere.

His accedit raritas occurrentiæ casûs, quo moribundus iret ad Ecclesiam, & acciperet sibi ipsi Viaticum. Ergo saltem in illo casu consuetudo non præscripsit.

Lugo. Respondet Eminentissimus n. 24. Licèt casus rarus sit, aliquando tamen contingere potest, & reverà contingit, quòd, absente Sacerdote, aliquis vel peste infectus, vel in periculo mortis existens propter imminens prælium, vel hostium incursionem &c. posset sibi Eucharistiam accipere ex Sacrario; quod tamen in tot sæculis numquam factum est.

35. Respõdetur ad factum Reginæ Scotiæ. Hinc ad exemplum Mariæ Reginæ Scotiæ respondet n. 25. illud factum dicitur ex speciali Pontificis licentiâ. Secundò: in aliis circumstantiis fieri id poterat, & debebat ad vitandum periculum irreverentiæ, cùm timeri jure posset, Hæreticos post ejus mortem Eucharistiam inventam irreverenter tractaturos, quo casu certum est posse laicum, & fœminam propriâ authoritate Eucharistiam sumere, urgente tunc præcepto naturali de vitanda ejus irreverentia.

Adde, inquit Cardinalis, etiamsi non habuisset expressam facultatem sumendi sibi Eucharistiã, sed solùm retinendi eam apud se, adhuc in illo casu poterat facilè præsumere voluntatem Pontificis, ut consumeret, ne scilicet remaneret Eucharistia apud ejus famulas, quæ facultatem non habebant eam apud se retinendi, qualem ipsa sola habebat; unde meritò præsumere poterat, Pontificem voliturum potiùs ut consumeretur à martyre, quàm apud fœminas remaneret. Huc usque Lugo.

36. Responsio impugnatur. Sed contra primum; Reginam habuisse dispensationem Pontificis, conjectura est sine fundamento.

Ad secundum dico; retinuisse Eucharistiam animo sumendi in articulo mortis; aliàs non debuisset secum assumere.

Si dixeris: fuit ipsius ignorantia. Respondeo non fecit sine consilio; adeoque sensus videtur esse, etiam maximè timoratorum, talem casum lege non comprehendi.

Quod autem additur de præsumpta voluntate Pontificis, non possum negare; sed quæro tantùm quare non possim, saltem probabiliter, præsumere similem voluntatem Pontificis, estò alioquin Sacramentum maneret in Sacrario.

Dices; quia Ecclesia numquam dedit vel minimum judicium talis voluntatis, numquam factum approbavit, vel laudavit, numquam propensionem ostendit, quod facilè fieri potuisset; sicut de Communione absque jejunio, & de absolutione à quovis Sacerdote obtinendâ in eo mortis articulo fecit.

37. Et sanè quis credat Episcopũ non punitu-

An Episcopus puniret fœminam quæ in casu proposito Sacramentum administrasset?

rum, sed laudaturum fœminam, quæ non invento Parocho ausa fuisset Sacrarium aperire, & Eucharistiam ad virum suum morientem deferre?

Respondeo, quis credat Episcopum puniturum, & non magis laudaturum hujusmodi fœminam, quæ practicasset quod sciente, & non contradicente Ecclesiâ in Scholis publicè docetur, & in libris imprimitur tamquam probabile? Ecce non minimum judicium voluntatis Ecclesiæ, quæ sciens & potens contradicere, sinit imprimi, & publicè doceri illam sententiam. Quid enim dicit Regula juris 43. de Reg. juris in 6.? *Qui tacet* (quando cõmodè potest contradicere) *consentire videtur.*

Ratio cur Ecclesia aliquando permittat doceri propositiones probabiles.

Cur autem Ecclesia nusquam expressam concesserit facultatem, arbitror, quia casus minùs frequens est. Cæterùm quia sæpiùs occurrit, quàm necessitas celebrandi sine vestibus sacris ad communicandum infirmum; & quoniam celebratio sine vestibus sacris magis indecens, & contra perpetuum ac universalem Ecclesiæ usum, hinc illicita erit hujusmodi celebratio, estò alioquin non sit improbabile, quòd liceat laico ex præsumpta voluntate Ecclesiæ, sibi, vel alteri in articulo mortis Viaticum administrare, deficiente Sacerdote & Diacono.

Opinio videtur satis probabilis.

Interim Doct. Subtilis videtur fuisse in contraria opinione 4. dist. 13. q. 2. n. 20. ibi: *Ad quintum dico quòd Laurentius dispensavit Sanguinem Christi, ut patet in Legenda, quod bene est congruum; quia Sanguis non dispensatur nisi in calice, tactus autem calicis conceditur Diacono. Sed Corpus non dispensatur, nisi species panis tangatur: ideo sequens auctoritas de dispensatione Corporis à Diacono* (vide illam conclus. 3. in principio) *videtur difficilior. Ad quam dici potest, quòd simpliciter in casu necessitatis conceditur Diacono dispensare Corpus Christi, ut dicit auctoritas allegata. Sed non sequitur ex hoc quòd possit conficere; quia minus est dispensare, quàm conficere. Nullo autem modo Laico conficere, nec etiam dispensare convenit, secundùm illud de Consecr. dist. 2.* Pervenit, *ubi dicitur, quòd* quidam Presbyteri in tantum parvi pendunt divina mysteria, ut Laico Corpus Domini tradant ad deferendum infirmis. *Et sequitur: Interdicit Synodus ne talis temeraria præsumptio amplius fiat.* Hactenus Scotus.

Similiter loquitur in Reportatis eâdem dist. & q. n. 4. ibi: *Ad aliud dico, quòd in duobus casibus potest Diaconus dispensare Corpus Christi & tangere, ut quando præcipitur sibi ab Episcopo vel Presbytero, qui non possunt ad hoc accedere. Vel aliquo existente in periculo mortis absente Sacerdote; sed Laicus ex nulla necessitate potest tangere Corpus Christi in quocumque casu*, id est, Laicus non potest dispensare Corpus Christi, vel quando præcipitur sibi ab Episcopo aut Presbytero, qui non possunt ad hoc accedere: vel aliquo existente in periculo mortis absente Sacerdote.

Rogat autem aliquis, quam potestatem habeant

beant Religiosi Medicantes in hac materia? Respondeo breviter:

CONCLUSIO VI.

Religiosi Mendicantes possunt ministrare Eucharistiam omnibus & singulis Christi fidelibus, quocumque anni tempore, præterquam in Festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ, & mortis articulo.

39. Probatur Conc. ex Bulla Pauli III.

ITa Paulus III. Bullâ: *Licet debitum* 8. apud Rodriguez ibi: *Nec non omnibus & singulis Christi fidelibus tam forensibus, quàm in civitatibus & locis, in quibus Socii prædicti* (Patres Societatis Jesu) *consistunt commorantibus, aut illac transeuntibus, Eucharistiæ Sacramentum ..... quocumque anni tempore, præterquam in Festo Paschatis Resurrectionis Dominicæ, & mortis articulo, nisi necessitas urgeret, eorumdem fidelium Parochialium Ecclesiarum Rectorum licentia minimè requisita, accipere libere & licitè valeant.*

& Pauli IV.

Et Paulus IV. Bullâ: *Cùm sicut* 3. apud eundem Auctorem sic ait: *Nos igitur ..... mentem nostram declarare volentes, quòd de cætero tam dictorum, quàm aliorum, quarumcumque Provinciarum, Civitatum & Diœcesum per totum orbem, omnium utriusque sexus fidelium pro tempore dicti Ordinis* (Minorum) *fratres à suis Superioribus, ut moris est, deputati Confessores, Confessiones etiam infirmorum ubilibet, etiam extra domos & habitacula eorumdem fratrum audire, eosque à casibus & censuris, quibus eis per privilegia Sedis Apostolicæ huiusmodi hactenus concessum est, posse absolvere, & ipsi hactenus absolvere consueverunt, absolvere & pœnitentiam salutarem iniungere, ac omni tempore præterquam in die Resurrectionis Dominicæ Sacramentum Eucharistiæ, tam illis, quàm aliis quibusvis personis, licitè ministrare possint, Apostolicâ auctoritate tenore præsentium indulgemus, ac decernimus & declaramus.*

Per hæc autem & alia similia privilegia, quæ studio brevitatis omitto, abundè derogatum noscitur Clement. *Religiosi* de Privil. & excess. privilegiatorum (de qua superiùs egimus) cùm *Romanus Pontifex* (*qui iura omnia in scrinio pectoris sui censetur habere*) *Constitutionem condendo posteriorem, priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur.* cap. 1. de Constit. in 6.

40. Objectio.

Si dixeris; ergo sine licentia Parochi Religiosi Mendicantes possunt ministrare Viaticum, cùm in posteriori Bulla non excipiatur articulus mortis.

Solvitur.

Reg. Juris 81.

Respondeo Neg. Consequentiam; quippe ut habet Reg. Juris 81. de Reg. Juris in 6. *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis* (propter specialem, quam habent difficultatem) *non esset verisimiliter in specie concessurus.* Quod autem Communio in articulo mortis, seu Viaticum habeat specialem difficultatem, patet vel ex eo solo, quòd Paulus III. eam exceperit.

Immo aliqui putant jam olim prohibitam fuisse Mendicantibus jure communi Clement. *Dudum* de Sepulturis ibi: *Verum ne parochiales Ecclesiæ, & ipsarum Curati sive Rectores qui ministrare habent Ecclesiastica Sacramenta &c.* Sed hæc verba, meo judicio, nimis generalia videntur, ut ex ipsis possit probari specialis prohibitio ministrandi Communionem in articulo mortis.

Alii respondent tempore Pauli IV. nullam fuisse controversiam inter Religiosos & Parochos de ministranda Communione in articulo mortis, sed solùm de casibus ordinariis, & ideo Pontificem non excepisse hunc articulum, utpote satis exceptum à Paulo III. suo prædecessore, & ab omnibus ut talem admissum.

41. Alia objectio.

Si rursum objicias: Paulus IV. eodem tenore verborum concedit administrationem Eucharistiæ, & Pœnitentiæ; atqui Pœnitentiam possunt Religiosi Mendicantes administrare in articulo mortis: ergo etiam Eucharistiam.

Solvitur.

Respondeo rursum Neg. Consequentiam. Ratio disparitatis petenda est ex materia subjecta; nam Sacramentum Pœnitentiæ est magis necessarium, & quamdam habet difficultatem ex parte ministri, ac proinde oportuit privilegia majora & generaliora circa illud concedere. Hinc cùm satis certò constet sæculares satisfacere præcepto annuæ Confessionis, dum confitentur Religiosis privilegiatis, nihilominus communis sententia docet non satisfacere præcepto annuæ Communionis, dum apud ipsos communicant, ut statim latiùs declarabimus.

Assignatur disparitas inter Pœnitentiam & Communionem.

Adde exceptionem Pauli III. qui solùm loquitur de Communione ministranda, minimè de Sacramento Pœnitentiæ, ut proinde videatur esse justa ratio potiùs Communionem excipiendi à verbis generalibus Pauli IV. quàm Sacramentum Pœnitentiæ. Præsertim accedente communi sensu & praxi Ecclesiæ, quæ est optima interpres mentis Pontificis, quæ mens præferenda est cortici verborum, ubi de ea satis constat.

42. Per diē Paschatis intelligunt Pontifices Communionem Paschalem.

Alia difficultas & præcipua hujus Conclusionis est, quid Paulus III. & alii Pontifices intelligant per diem Paschatis, quem excipiunt in suis privilegiis.

Doctores communiter intelligunt Festum illud non materialiter, sed formaliter pro tempore præcepti, ut sit idem, quod Communio Paschalis, id est, Communio, quâ satisfit præcepto annuæ Communionis.

Probatur.

Probatur; quia Pontifices per illam exceptionem voluerunt aliquem favorem concedere

dere Parochis, ût saltem ad minus semel in anno paſcant per se, vel alium à se deputatum, proprias oves corpore vivifico Christi, juxta caput: *Omnis utriusque sexus* 12. de Pœnitentiis & remissionibus. Nullus autem, vel certè exiguus favor esset, si intelligeretur dies illa materialis: siquidem possent velle tali die non communicare, & aliis diebus præcedentibus, vel subsequentibus apud Religiosos præcepto satisfacere.

43. Objectio. Dices; privilegium, cùm sit juris odium, est strictè interpretandum, salvo jure Parochi & communi, cui Pontifex non voluit derogare. Ita Henriquez lib. 8. cap. 5. n. 2. Ubi (prout etiam cap. 55. n. 1.) docet prorsus illicitum esse ipso materiali Festo Paschatis alibi communicare, quàm in propria parochia (nisi de speciali licentia Parochi) estò communicans non intendat implere præceptum Ecclesiæ; quia vel anteà in propria parochia communicavit, vel intendit postmodùm in ea communicare. Addit cap. 5. Nec tamen qui ante vel post illum diem communicat (ex privilegio apud Mendicantes) liberatur à præcepto cõmunicandi semel in propria parochia.

Henriquez.

Privilegium est intelligendum intrà proprietatem verborum. Sed contrà; licèt privilegium derogans juri communi sit odiosum, & ideo strictè interpretandum; equidem semper intrà proprietatem verborum: jam autem Pontifex, ut superiùs expendimus, concedit Religiosis Mendicantibus quocumque tempore ministrare Eucharistiam, excepto die Paschatis Resurrectionis Dominicæ. Vel ergo loquitur de Communione Paschali, & habemus intentum, vel de solo illo die materialiter sumpto, & tunc non est ulla ratio, quare aliis diebus non possint fideles præcepto satisfacere in Ecclesiis Mendicantium.

44. Alia objectio. Dices; loquitur Pontifex de utroque, id est, de Communione Paschali, & de ipso die Festo materialiter sumpto. Sed unde constat? Ex capite, inquis, *Omnis utriusque sexus*, ubi præcipitur annua Communio accipienda ex manibus proprij Sacerdotis, vel alieni de ipsius licentia.

Solvitur. Respondeo, etiam ibi præcipitur annua Confessio facienda proprio Sacerdoti, aut alieno de ejus licentia, & tamen, quia in privilegio Religiosis concesso audiendi quorumcumque fidelium Confessiones nulla exceptio fit, potest quis satisfacere præcepto annuæ Confessionis, confitendo alicui Religioso sine ulla licentia proprii Parochi.

45. Instantia solvitur. Instabis; in privilegio ministrandi Eucharistiam fit exceptio. Fit omnino, at solius Communionis Paschalis. Quod ulteriùs probo ex capite: *Omnis utriusque sexus* mox allegato, ubi per *Pascha* ex concessione Eugenii IV. de qua superiùs egimus, intelligitur totum tempus Paschale, & non una tantùm dies Resurrectionis Dominicæ. Ergo similiter per Festum Paschæ, quod excipitur in privilegio ministrandi Eucharistiam, non debet intelligi materialis dies Resurrectionis, qui unicus est; sed totum tempus Paschale.

Per Pascha in cap. *Omnis utriusque* intelligitur tempus Paschale *Eugenius IV.*

Vel ergo excipitur Communio facienda toto illo tempore, sive ex præcepto, sive ex devotione, quod est contra communem sensum & praxim; vel solùm excipitur Communio præcepta, sive hoc die fiat, sive alio; & sic patet, communicare quempiam posse ipso die materiali Resurrectionis apud Religiosos, si alio die communicet in propria parochia.

Interim tamen non exponitur à Religiosis isto die Eucharistia; nec solent communiter omnibus Eucharistiam distribuere, sicut aliis diebus, ne per errorem populus putet se illo die posse in ipsorum Ecclesia satisfacere præcepto.

Potest die festo ter communicari sacramento. Cæterùm si aliquis in particulari peteret, præsumi posset & deberet, nisi aliud obstet, vel satisfecisse, vel satisfacere velle aliâ die in sua Parochia, ideoque non esset ei Communio deneganda.

Calligura exercitat. Hanc esse mentem Ecclesiæ (quæ præferenda est cortici verborum) satis indicat declaratio facta à sacra Congregatione Cardinalium in Epistola directa ad Cardinalem Boncampagnum anno 1638. dum esset Archiepiscopus Neapolitanus, sequentis tenoris: *Conquesti sunt coram Sanctissimo Domino Rectores Ecclesiarum Parochialium istius civitatis de Patribus Theatinis, & Societatis Iesu, quòd asserere audent, personas laicas assumentes in eorum Oratoriis, seu Congregationibus Eucharistiæ Sacramentum in die Paschatis, Ecclesiæ præcepto satisfacere; cumq; id minimè sit permissum, sed sacram Communionem tempore Paschali à proprio, vel ab alio de ipsius Sacerdotis licentia suscipere teneantur, Sanctitas sua iussit Eminentiæ suæ significandum, ut sub pœna suspensionis à Divinis, & aliis sibi bene visis id prohibeat præfatis Religiosis; moneatq; ipsos laicos Sacramentum Eucharistiæ, ut supra de manu proprii Parochi teneri suscipere, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciant. Ita igitur pro sua pastorali pietate omnino curabit Eminentia Vestra, cui me humillimè commendo. Romæ die 20. Martii 1638.*

Dicastillo disp. 11. nu. 60. In qua Epistola, ut advertit Dicastillo disp. 11. nu. 60. non solùm cavetur ne imposterùm tale quid fiat; sed expressè declaratur etiam antea non licuisse, eumque fuisse sensum Prælatorum Ecclesiæ. Notat secundò idem Auctor in his litteris solùm agi de jure communi. Salva igitur manent privilegia, sive specialia, sive generalia, si fortè Regulares hujusmodi habeant, de quibus videri potest Rodriguez tom. 1. qq. Reg. q. 56. a. 3.

Obiectio decimaquinta. Interea objicio communi sententiæ Decretum Congregationis Cardinalium Concil. Trident. confirmatum auctoritate Apostolicâ Innocentii X. sequentis tenoris: *Die 9. Iulii anno 1644. Sacra Congregatio Eminentissimorum Car-*

Cardinalium Concilii Tridentini interpretum post maturam discussionem censuit Archiepiscopum Burdigalensem non posse prohibere Regularibus, habentibus privilegia Apostolica, ut à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè administrare non valeant Sacramentum Confessionis; posse tamen eisdem prohibere, ut personis sæcularibus in die Paschatis non administrent Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, etiamsi dictæ personæ sæculares in aliâ die satisfecerint præcepto Ecclesiæ hac de re edito.

quam declarationem confirmavit Pontifex Innocentius Decimus.

Confirmationem Pontificis de die 7. Februarii anno 1645. vide apud Joannem Pontium Sum. Theol. disp. 46. n. 121. quæ, teste eodem Auctore, recepta fuit in Galliis 11. Martii anno 1645.

In hoc autem Decreto non solùm datur potestas Episcopis imposterùm prohibendi administrationem Eucharistiæ in Festo Paschatis; sed declaratur, non obstantibus privilegiis Regularium, Archiepiscopum Burdigalensem *justè* potuisse ipsis prohibere, ut personis sæcularibus in die Paschatis non administrarent Eucharistiam, etiamsi dictæ personæ sæculares in alia die satisfecissent, aut vellent satisfacere præcepto Ecclesiæ. Ergo Pontifex, & Cardinales, per diem Paschatis, qui in privilegiis Mendicantium excipitur, intellexerunt non tantùm Communionem Paschalem, sed etiam ipsum diem materialem.

Et fortè ideo Paulus III. suprà allegatus præter Festum Paschatis excipit Resurrectionem Dominicam dicens: *Præterquam in Festo Paschatis, Resurrectionis Dominicæ, & mortis articulo*: quòd enim Festum Paschatis, & Resurrectionis Dominicæ non sint synonima, significat interpunctio.

48. Verùm, ut ab ultimo incipiamus, quamvis interpunctio commatis inveniatur in editione Rodriguez; attamen in Bullario magno est omissa; adeoque ly *Resurrectionis Dominicæ* additum videtur majoris explicationis gratiâ ad distinctionem contra Festum Paschatis Judæorum.

Respondetur illam fuisse fundatam in probabilitate sententiæ oppositæ.

Ad principale Respondeo, Cardinales, ut aliquid concederent Archiepiscopo, pro tunc secutos fuisse sententiam probabilem Henriquez suprà, & aliorum: minimè tamen per hoc Decretum voluisse præjudicare contrariæ sententiæ, quæ communis erat, & in praxi tutissima. Quæ etiam praxis etiamnum viget in his partibus, in quibus Breve illud Apostolicum nondum est promulgatum aut receptum, in tantùm ut etiam Patres Societatis publicè Eucharistiam in Festo Paschatis exponant, & quibusvis accedentibus distribuant.

Deinde non exprimitur in Decreto Archiepiscopum *potuisse prohibere*, sed dumtaxat: *Posse prohibere*, scilicet pro tempore futuro, non obstantibus privilegiis, quibus Pontifex pro tali Diœcesi ob melius bonum potuit velle derogare, partibus hinc indè auditis.

Restat difficultas, an Religiosi Mendicantes vi suorum privilegiorum possint administrare Communionem Paschalem saltem peregrinis? Respondeo:

CONCLUSIO VII.

Peregrinos posse accipere Communionem Paschalem in Ecclesiis Mendicantium, probabilius docent Recentiores Theologi.

PRæmitto duplicem declarationem Cardinalium. Prima refertur sub hac forma verborum: *Quærebatur, stante privilegio Minoribus & aliis Religiosis concesso, ut omni tempore (præterquam in die Dominicæ Resurrectionis) possit ab illis Eucharistia sumi; an qui ab eis intra Dominicam in Albis Eucharistiam perceperunt, præcepto de quo in cap.* Omnis *de Pœnit. & Remiss. satisfecerint? Congregatio die 23. Ianuarii 1586. censuit negativè, quia dictum cap.* Omnis *sicut vult quòd quis proprio Parocho confiteatur, ita à proprio etiam Eucharistiam sumat: & quia subdit:* Nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio duxerit abstinendum ab Eucharistia, *ab eodem recipi debet Eucharistia, cuius enim est destruere, cuius est condere, Leg. ult. Cod. de Leg. Eò magis quòd tunc Religiosi non poterant hoc Sacramentum ministrare. Card. in Clement. 1. n. 2. de Privilegijs.* 49. Duplex declaratio Card.

Altera declaratio de 21. Maii 1601. ita sonat: *Congregatio Concilij censuit, non satisfacere præcepto Ecclesiæ eum, qui Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum suscepit antè vel post diem Paschatis, non de manu Parochi, sed Regularium habentium à Sede Apostolica privilegium ministrandi hoc Sacramentum, præterquam in die Paschatis.*

An autem hæ declarationes sint authenticæ, poterit Lector facilè colligere ex sequenti Decreto Urbani VIII. apud Barbosam in Collect. Bull. verb. Congregatio 2. sub die 11. Augusti anni 1632. *Cùm ad notitiam huius sacræ Congregationis* (Cardinalium) *pervenerit, quamplures declarationes, decreta seu decisiones sub nomine eiusdem sacræ Congregationis absque auctoritate illius impressas in libris, seu alijs operibus circumferri & allegari, multasq; ex declarationibus, decretis, seu decisionibus iuxta contingentiam casuum, illorumq; qualitates, & circumstantias à se diversis temporibus factas, secundùm ea quæ proponebantur, fuisse alteratas, immutatas, diminutas, ac forsan aliàs mentito S. Congregationis nomine confictas, nullaq; propterea authentico sigillo munitas, illasq; per Tribunalia, tam in urbe quàm per orbem circumferri & allegari, considerans eadem sacra Congregatio Rituum, quantùm detrimenti recipi posit si aliquæ fides illis adhibeatur, ex speciali S. D. N. Vrbani VIII. iussu mandat & præcipit huiusmodi declarationibus, decretis, seu decisionibus, tam impressis* 50. An hæ declarationes sint authenticæ? Decretum Urb. VIII.

quàm imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in iudicio vel extra esse adhibendam, sed tantum illis, quæ in authentica formâ, solito sigillo & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munita fuerint. In quorum fidem hæc propriâ manu subscripsimus, & sigilli proprij S. Rituum Congregationis impressione communiri, ac typis mandari iussimus. Datum Romæ die 11. Augusti 1632. Card. Episcopus Port. Card. Pius. Locus ✠ Sigilli. Iul. Rospigliosius. Secret. Videatur quoque, & attentè legatur Bulla Urbani VIII. *In supremo* 143. apud Cherubinum. His præmissis.

51. Probatur Conclus.

Ratio specialis redditur nostræ Conclusionis; quòd per Communionem peregrinorum, id est, qui non habent domicilium vel quasi domicilium in parochia, in qua de facto inveniuntur, nulla fiat injuria Parocho illius parochiæ, cùm verè non sit eorum Parochus: jam autem ut advertit Sanchez lib. 3. de Matrimonio disp. 23. nu. 17. videtur limitatio diei Paschatis in privilegiis Mendicantium facta in favorem Parochorum, quo eis non inferretur injuria, omnesque eo tempore ad propriam parochiam confluerent. Ergo exceptio illa non comprehendit hunc casum; sed manebit respectu horum privilegium generale ministrandi Eucharistiam.

Sanchez. Per Communionem peregrinorum non fit injuria Parochis,

Confirmatur; quia Clementinâ primâ de Privilegijs excommunicantur Religiosi, qui ministrant Eucharistiam absque Parochi licentia, & tamen Doctores communiter dicunt, nomine Parochi eam licentiam concessuri, non intelligi ejus parochiæ præfectum, in qua brevi tempore hospitantur peregrini: ergo huic Parocho non irrogatur injuria; nec etiam Parocho proprii domicilii, cùm peregrini & viatores ex generali usu, dum absunt à parochia, possint, ubi reperiuntur, confiteri, & Eucharistiam recipere, & per consequens Religiosi possunt eam ministrare; si non virtute privilegiorum, saltem ex tacita & præsumpta licentia proprii Parochi.

Probat præterea Sanchez, quia quamvis Clementinâ primâ de Privilegiis interdicatur sub excommunicatione Religiosis, ne ministrent Eucharistiam sine licentia proprii Parochi: at tenent multi eam non incurrere Religiosum ministrantem alieno Religioso sine licentia Prælati illius, eò quòd hæc prohibitio sit in Parochi favorem, cui injuria non fit, cùm ille subditus Parocho non sit; nec Prælatus Religionis, cui ille Religiosus subditur, veniat nomine Parochi. Ergo tota ratio illius prohibitionis, ne Religiosi ministrent Eucharistiam, est ob Parochi injuriam, quæ cùm respectu vagorum & viatorum cesset, respectu horum non habebit locum prohibitio. Hactenus Sanchez, quem sequitur Diana parte 3. tract. 2. resol. 12. cum aliis, quos citat. Similiter Cardinalis Lugo disp. 18. nu. 50. qui testatur de commun.

quæ est tota ratio prohibitionis.

Diana.

Lugo.

52. Objectio prima.

Sed contrà I. fit injuria Parocho. Probo: quia in Compendio privilegiorum Fratrum Minorum Verbo Communicare n. 2. dicitur Eugenium IV. concessisse, quòd quando quis tempore Paschali se repererit in aliena Diœcesi, semper ibi intelligitur adeptus incolatum, ut ibi confiteri & communicare valeat, quantumcumque ibi parvo tempore steterit.

Eugenius IV.

Respondet Sanchez, Eugenium hoc concessisse in favorem peregrinorum, ad tollendos scrupulos: non tamen eos obligavit, ut talibus Parochis subjicerentur; sed reliquit juris communis dispositioni. Mens ergo Pontificis fuit, quòd peregrini satisfaciant communicando in illo incolatu, sive ab hoc, sive ab illo Communionem accipiant, de quo ibi Pontifex nihil disponit.

Solutio.

53. Objectio secunda.

Contrà II. Peregrini tenentur confluere ad Ecclesiam Cathedralem & Matricem, quæ est quasi parochia universalis totius Diœcesis. Unde docent multi illos sæpeliendos esse in Ecclesia Cathedrali, licèt in alia decedant.

Solutio eadem.

Respondet Sanchez nullo jure probari Ecclesiam Cathedralem esse communem totius Diœcesis. Et estò possent illuc confluere & sæpeliri, nullo textu probatur ad id teneri. Poterunt itaque peregrini in qualibet oppidi parochia Sacramenta percipere, quando in nulla parochia habitationem requisitam, ut censeatur illa propria, contraxerunt.

54. Objectio tertia.

Dices III. cessante fine legis in casu particulari solùm negativè, non cessat ipsa lex. Estò igitur nulla fiat injuria Parocho per Communionem peregrinorum, adhuc manet prohibitio Eucharistiam ministrandi sine licentia Parochi in die Paschatis.

Hinc Rodriguez tomo 1. qq. Reg. q. 56. art. 6. loquens de Communione peregrinorum sic inquit: Advertit Collector privilegiorum Mendicantium, quòd quoad Rectorem Parochialem, ubi consistit hospitium, intelligitur hoc (privilegium Eugenii IV. superiùs relatum) nam sine licentia ipsius non poterit recurrere ad alium. Quod in Religionibus, ubi est consuetudo servandi constitutionem Leonis X. excipientem Communionem Paschalem intelligendum existimo. Hæc ille.

Rodriguez.

Nihilominus respondeo ad argumentum Negando Consequentiam: nec enim ideo Religiosus potest communicare peregrinum in die Paschatis, quia cessat ratio prohibitionis in casu particulari, sed quoniam Communio peregrinorum ab initio non fuit prohibitione comprehensa: quod indè colligimus, quia ratio legis numquam se extendit ad istum casum, & per consequens nec ipsa lex.

Religiosi.

Simile sit: Superior prohibet Religiosis adire locum, ubi operarii laborant, ne cum illis

illis loquendo, eos ab opere impediant; tunc si quis vellet accedere omnino resolutus tacere, posset dici in eo cessare ratio legis, non tamen propterea lex: Sed quid si in die festo adiret, quando operarii vacant? Numquam hunc casum lex comprehendit, cùm pro tali die non fuerit positum præceptum. Sic ad propositum dico, pro peregrinis numquam exceptionem diei Paschatis fuisse positam.

Stat ergo sua probabilitas huic sententiæ, quamvis non facilè practicanda, maximè publicè, ne fortè tumultus fiat in Clero.

55. Ioan. 10. *Ego sum Pastor bonus* (ait Pastor Pastorum Christus Joan. 10. v. 14.) *& cognosco oves meas & cognoscunt me meæ.* Cognoscant Parochiani Parochum suum, saltem semel in anno: ipse enim pervigilat quasi rationem redditurus pro animabus eorum. Ipse est, qui non semel tantùm; sed quotiescumque rationabiliter petunt, ex officio tenetur suis ovibus per se, vel per alios, pastum spiritualem, vivificum, inquam, Sacramentum Corporis Christi administrare; ad hoc siquidem stipendium accipit, non solùm ut in necessariis, verùm etiam ut in valde utilibus ad salutem pascat gregem suum.

An Parochus cum periculo vitæ debeat ministrare Eucharistiam. Diana.

Nunquid tempore pestis cum periculo vitæ? Multi affirmant, quamvis contrarium non sit improbabile. Vide Diana 3. parte tract. 4. resol. 174. & 5. parte tract. 3. resol. 53. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis, non tantùm in extrema necessitate, in qua quilibet tenetur animam suam exponere pro salute proximi; sed etiam in gravi, quando, licèt physicè possint salvari, equidem non nisi valde difficulter. Sed de hac obligatione alibi latiùs.

56. Primarium jus ministrandi Sacramenta pertinet ad parochiales Ecclesias, & eorum Rectores.

Liquet profectò quòd primarium jus & obligatio administrandi Sacramenta pertineat ad Parochiales Ecclesias, & ipsarum Curatos, sive Rectores. Num ideo ab hoc numero excludendi sunt Religiosi? Absit ut illi excludantur, quos Clemens V. Pontifex maximus in Concilio Viennensi (ut refertur in Clementina *Dudum* de sepulturis circa finem) tamquam dignissimos commendat his verbis.

Secundarium ad Religiosos.

Cæterùm universos Ecclesiarum Prælatos cuiuscumque præeminentiæ, status vel dignitatis existant, ac Sacerdotes Parochiales & Curatos, sive Rectores præsentium tenore rogamus & hortamur attentè, nihilominus eis districtè præcipiendo mandamus, quatenus pro Divina & Apostolicæ Sedis reverentia prædictos Ordines & Professores eorum habentes affectu benevolo commendatos, fratribus ipsis non se difficiles, graves, duros aut asperos, sed potiùs favorabiles, propitios ac benignos, piâque munificentiâ liberales se studeant exhibere; sic eos in prædicationis officio, & propositionibus Verbi Dei ac in omnibus aliis suprà dictis tamquam cooperatores eorum idoneos, & laborum suorum participes propriâ benignitate recipiant, ac affectuosè admittere non omittant, ut proinde illis æternæ beatitudinis præmium augeatur, & animarum salutis incrementa felicia procurentur.

Si autem à me quæritur, an concessâ alicui facultate administrandi Sacramentum Pœnitentiæ, etiam censeatur eidem concessa facultas administrandi Eucharistiam? Respondeo citiùs:

CONCLUSIO VIII.

Concessâ alicui facultate administrandi Sacramentum Pœnitentiæ non censetur eidem concessa facultas administrandi Eucharistiam; & per consequens habitâ facultate ad eligendum Confessorem, neutiquam intelligitur etiam habita ad eligendum ministrum Eucharistiæ, seu ad suscipiendum hoc Sacramentum à quocumque Sacerdote voluerit.

57. Concessâ potestate absolvendi, non eo ipso conceditur facultas dandi Eucharistiam.

PRobatur: quia hi actus sunt diversi & separabiles, & similiter potestas ad utrumque requisita; ut per se evidens est: ergo concessâ unâ potestate, non necessariò conceditur altera. Et sanè quid illustriùs, quàm in Bullis Pontificiis distinctè enumerari facultatem absolvendi à peccatis, & facultatem administrandi Eucharistiam? Quòd frustra fieret, si sub Confessione soleat comprehendi Communio.

Patet ex Privilegiis Regularium.

Extant clarissima privilegia, quibus Pontifices concedunt potestatem Religiosis sine ulla restrictione aut limitatione audiendi Confessiones quocumque tempore; ideoque audiunt Confessiones, etiam quæ sunt in præcepto: & tamen quis Mendicantium ausus fuisset virtute illorum privilegiorum tempore Paschatis administrare Eucharistiam? Certè, ut suprà vidimus, Pontifices communiter excipiunt Communionem Paschalem; ergo censent illas potestates esse distinctas, neque concessionem unius sub alterius concessione comprehendi.

Aliud foret si generaliter alicui concederetur potestas administrandi Sacramenta; quæ secundùm communem sensum Doctorum intelligitur de Sacramentis Confessionis & Eucharistiæ. Aliqui eam extendunt ad Baptismum & Matrimonium; quamquam non semper expediat hęc Sacramenta ministrare sine speciali licentia Parochi expressa vel præsumpta, de quo alibi.

Proba-

58. & Bulla Cruciatæ.

Probatur Conclusio secundò: In Bulla Cruciatæ conceditur facultas omnibus fidelibus eligendi Confessorem approbatum ab Ordinario quotiescumque voluerint, & tamen ibi non intelligitur posse eligere Sacerdotem, à quo recipiant Sacramentum Eucharistiæ: alioquin sicut ex vi illius clausulæ generalis possunt satisfacere præcepto annuæ Confessionis, cuicumque approbato Sacerdoti simplici confiteantur; ita etiam possent implere præceptum annuæ Communionis ab eodem suscipiendo Sacramentum Eucharistiæ; quòd est planè falsum, & contra consuetudinem Ecclesiæ, & contra verba contenta in alia priori clausula ejusdem Bullæ. Ita Suarez disp. 72. sectione. 2.

Suarez.

Sed quid mirum, si non possint implere præceptum annuæ Communionis, quando illa expressè excipitur? Quòd autem non possent implere præceptum annuæ Communionis, suscipiendo Eucharistiam à quocumque Sacerdote, si expressè annua Communio non exciperetur, unde constat? Certè non aliunde, quàm ex diversitate istarum potestatum, & actuum à se mutuò independentium.

& ex diversitate illarum potestatum

59.

Independentium, inquam, ut proinde in ipsis non obtineat commune dictum: Qui potest majus, potest etiam minus; sive ut loquitur Reg. juris 53. de Reg. juris in 6. *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.* Hoc enim intelligendum est, quando vel subordinata sunt, vel unum aliud aliquo modo includit, sive ut totum suam partem, sive ut genus suam speciem; v. g. qui habet potestatem ordinariam vel delegatam, saltem generalem, ad dispensandum, habet etiam ad commutandum. Quare? Quia commutatio est partialis dispensatio, & includitur in illa sicut pars in toto, vel tamquam secundùm quid in simpliciter tali.

Reg. Iuris 53.

sibi non subordinatarum.

Nihil autem simile reperitur in potestate absolvendi à peccatis, & potestate administrandi Eucharistiam; sed illæ potestates inter se distinguuntur tamquã majus, & minus diversorum generum. Unde non valet hoc argumentum à majori ad minus: Potest absolvere à peccatis, quod majus est; ergo etiam administrare Eucharistiam, quod minus est. Præsertim cùm sit major ratio ad concedendum Sacramentum Pœnitentiæ, quoniam magis necessarium, magisque difficile pœnitentibus.

60. An in Bulla Cruciatæ detur facultas accipiendi Eucharistiam à quocumque Sacerdote extra diem Paschatis? *Vasquez, Diana.*

Sed cùm hæc satis constent, equidem disputatur inter Doctores, an in Bulla Cruciatæ detur facultas recipiendi Eucharistiam à quocumque Sacerdote extra diem Paschatis. Fundamentum pro parte affirmativa, (quam docet Vasquez disputatione 219. cap. 5. & sequitur Diana parte 1. tract. 11. resol. 20. & 4. parte tract. 4. resol. 81. cum aliis, quos citat) sumitur ex illa clausula Bullæ, in qua conceditur, quòd possit *Eucharistiam, & alia Sacramenta (præterquam in die Paschatis) recipere, etiamsi sit tempus interdicti.*

Quæ ultima verba planè indicant facultatem illam concedi pro quovis tempore, etiamsi sit interdicti, & non tantùm pro eo, in quo fuerit interdictum. Deinde si non esset concessio eligendi ministrum, frustra exciperetur dies Paschatis; nam tempore interdicti, si quis etiam in privato Oratorio accipiat Eucharistiam in die Paschatis à Parocho, vel ab alio cum ejus licentia, procul dubio satisfacit præcepto annuæ Communionis.

Respondeo; illis verbis conceditur substantia actionis, id est, acceptio Eucharistiæ pro solo tempore interdicti, ut sensus sit, quòd possit Eucharistiam, & alia Sacramenta recipere, non obstante interdicto. Sicut si Pontifex diceret, *Concedo ut etiam in diebus festis laboretis, ut etiam in diebus ieiunii comedatis carnes:* non est sensus, quòd detur licentia pro aliis diebus, in quibus fortè aliquis ex voto non posset laborare, vel comedere carnes; sed quòd detur pro illis non obstante prohibitione Ecclesiæ.

Respondetur negando consequentiam ad illa ad quæ non extenditur.

Sic ergo non obstante prohibitione Ecclesiæ, quâ prohibet tempore interdicti susceptionem Eucharistiæ (nisi per modum Viatici) Extremæ Unctionis, Ordinis, & fortè Matrimonii, concedit Pontifex, ut possint illa Sacramenta recipi, etiam in privatis Oratoriis, salvo semper jure Parochi, quod scilicet habet ad illa Sacramenta administranda. Et ideo excipit diem Paschatis.

In illa ergo clausula nullum speciale privilegium conceditur circa personam ministri, quæ datura est Sacramentum, sed per se & directè circa tempus, quod aliàs interdictum erat, concomitanter verò circa locum, scilicet quòd in quacumque Ecclesia vel Oratorio approbato id fieri possit; ex vi tamen illius concessionis non tollitur, quin tale Sacramentum suscipiendum sit ab eo, qui alioquin habet potestatem illud administrandi.

Sicuti ibi conceditur tempore interdicti posse audiri Missam in Oratorio privato, per quod non excluditur, quin Missa dicenda sit à Sacerdote habente à suo Episcopo facultatem rem sacram faciendi: & nemo audet uti privato Oratorio absque facultate summi Pontificis, etiamsi habeat Bullam Cruciatæ: siquidem illa clausula non dat facultatem utendi Oratorio privato; sed tantùm audiendi Missam in illo, etiam tempore interdicti, si aliunde sit facultas debita utendi illo Oratorio.

Profectò aliud est concedere alicui, ut possit recipere Sacramenta; aliud verò quòd possit recipere à quolibet ministro: nam illud prius pertinet ad solam substantiam; hoc posterius ad quandam circumstantiam: non conceduntur autem omnes circumstantiæ, cui

conceditur

conceditur substantia: alioquin in illa clausula concessa esset facultas recipiendi Sacramenta in quolibet loco, qualibet horâ dici, & alia similia.

sed tantùm circa substantiam Sacramentorum.

Cùm ergo concessio solùm sit recipiendi Sacramenta, & nihil ibi dicatur de ministro, debet intelligi, prout de jure; scilicet à debito ministro, sicut intelligitur debito tempore, debito loco &c. Ita Auctores oppositæ sententiæ Suarius suprà, Rodericus in explicatione Bullæ parte 1. in Addit. ad §. 5. Lugo disp. 18. Sect. 2. & alii, qui fusiùs ista pertractant.

Suarez. Rodericus. Lugo.

Nobis sufficiat utramque sententiam esse probabilem, quamquam existimem negativam, sicuti communiorem, ita etiam probabiliorem, præsertim cùm illa verba: *Etiamsi sit tempus interdicti*, non inveniam in ista clausula Hispano sermone apud Villalobos transcriptâ. Qui etiam Auctor 1. part. Sum. Tract. 27. de Bulla Cruc. Clausula. 4. n. 19. tenet sententiam negativam.

Quæro autem pro limite hujus Sectionis, an Sacerdos volenti communicare possit dare partem suæ hostiæ? Pro resolutione sit

CONCLUSIO IX.

Sacerdos ex rationabili causâ potest communicare volenti dare partem hostiæ suæ.

62. Licitè quandoque dat Sacerdos partem suæ hostiæ;

Est communis & certa. Id enim non obest integritati Sacrificii, cùm in qualibet parte specierum tantumdem contineatur, & per consequens sumatur: quid autem ampliùs exigit integritas Sacrificii, quàm sumptionem hostiæ, id est, Corporis & Sanguinis Christi sub speciebus panis & vini? Sanè antiquitùs in more fuit, ut unus, idemque panis consecratus frangeretur, & ex eodem vasculo Sanguis, Domini à fidelibus sumeretur, uti etiam fecit Christus, quando cœnantibus Apostolis accepit panem, benedixit ac fregit, deditque illis dicens: *Accipite, & comedite: Hoc est Corpus meum.* Similiter accipiens calicem, & gratias agens, dedit illis dicens: *Bibite ex hoc omnes: Hic est enim Sanguis meus.*

sine causa illicitè,

Nunc equidem sine causa non licet recedere à moderno ritu Ecclesiæ, qui habet, ut pro communicaturis distinctæ hostiæ consecrentur, tametsi ei contraire, juxta varios Auctores, non foret peccatum mortale, eò quòd irreverentia non videatur gravis, nec consuetudo obligans saltem graviter. Nam quæ dicuntur ab aliquibus de cap. *Relatum* 11. & cap. *Comperimus* 12. De Consec. dist. 2. indigna sunt quæ audiantur.

sed tantùm venialiter.

63. Enimverò in priori textu ex Concilio Toletano XII. solùm præcipitur, ut qui sæpiùs in die celebrat, in singulis Missis communicet. *Relatum*, inquit, *est nobis quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus Communionis sanctæ gratiam sumere, quot Sacrificia in uno die videntur offerre; sed si in uno die plurima per se offerant Sacrificia, in omnibus se oblationibus a Communione suspendant, & in sola tantùm extrema Sacrificij oblatione Communionis sanctæ gratiam sumant, quasi non sit toties illi vero & singulari Sacrificio participandum, quoties Corporis & Sanguinis Domini nostri Iesu Christi immolatio facta constiterit.*

Respondetur ad cap. *Relatum* 11. de Consec. dist. 2. *Toletanum XII.*

De his pronuntiat Concilium: *Certum est quòd rei sunt Dominici Sacramenti.* Atque pœnam adjiciens ait: *Quicumque ergo Sacerdotum deinceps Divini altaris Sacrificium oblaturus accesserit, & se à Communione suspenderit, ab ipsa, quâ se indecenter privavit gratiâ Communionis, anno uno repulsum se noverit.*

Si inferas: ergo non modicâ pœnâ dignus est Sacerdos, frangens hostiam ut laicum communicet: qualis Consequentia! Quæ enim conventio Sacerdotis, qui Communionis sanctæ gratiam sumit, ad Sacerdotem, qui se à communione suspendit? Aut quæ pars Sacerdoti, qui sumit species panis & vini, cum Sacerdote, qui sumptâ tantummodò Corporis sacri portione, à calice sacri cruoris abstinet? Nulla omnino.

De hoc autem Sacerdote, minimè de illo agit Pontifex Gelasius, quando ait: *Comperimus quod quidam sumptâ tantummodò Corporis sacri portione à Calice Sacri cruoris abstineant: Qui procul dubio (quoniam nescio quâ superstitione docentur obstringi) aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur: quia divisio unius ejusdem mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.*

Responsio ad cap. *Comperimus*, ead. dist. *Gelasius.*

Numquid fractio hostiæ, aut distributio partis hostiæ communicare volenti divisio est unius ejusdem mysterii? Nequaquam. Frustra ergo ob talem legem dixit quidam, non modicâ pœnâ dignum esse Sacerdotem frangentem hostiam, ut laicum communicet. Frustra talis fractio aut distributio dicitur peccatum mortale; frustra veniale, si adsit rationabilis causa.

Quæris quæ sit hujusmodi causa? Respondeo non tantùm periculum mortis (de quo non potest esse dubium) sed præceptum quoque Communionis; immo magna petentis devotio, si alia parva hostia commodè haberi nequeat: quia nulla extat prohibitio, nec apparet aliqua indecentia aut irreverentia. Sicut etiam licet aliquas particulas consecratas (dum omnibus non sufficiunt) dividere, & sic præbere.

64. Legitimæ causæ allegantur.

Quæ ergo sit causa sufficiens, prudenti judicio videtur relinquendum. Ego, inquit Dicastillo disp. 11. n. 117. non putarem requiri gravissimam. Unde putarem sufficere quòd sic communicaturus non habeat aliquam Missam,

Dicastillo.

sam, vel cogatur diu expectare, donec aliud Sacrum celebretur, aut in sequentem diem differre.

Quin etiam sufficientem existimarem causam, quòd aliqua persona gravis aut nobilis velit communicare tunc, ut postea maturè se expediat ad negotia: immo & famuli, qui, ut tempestivè sint expediti ad exhibenda servitia, velint communicare, nec facilè possint sine officiorum dispendio expectare.

Addiderim satis esse, si fiat, ne diu expectet ipse Sacerdos pro offerenda particula; potest enim pergere in Missa ad Offertorium & Consecrationem, daturus partem suæ hostiæ. Ita ille.

Et hactenus quidem de Eucharistia, ut est Sacramentum: nunc dicemus de ipsa quatenus est incruentum novæ Legis Sacrificium.

DISPU-